UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ

Pichler, Vitus


Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39374


Visual Library



Th. 1353.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Sponsabo te mihi in Sempiternum. Osee 2. v. 19.

CURSUS THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ,

IN QUO

Veritas Catholica contra omnis generis Infideles, præsertim Hæreticos, modernos Sectarios, speciatim Lutheranos, brevi, clara, solidáque, nimirum Scholastica methodo proponitur,

Nuper

Per parva Opuscula interpolatis vicibus Augustæ Vindelicorum publicis Concertationibus subjectus,

Nunc verò

IN UNUM VOLUMEN REDACTUS, ET IN DUAS PARTES DISTRIBUTUS

à

P. VITO PICHLER, SOC. JESU.

PARS PRIOR

COMPLECTITUR FUNDAMENTA ET PRINCIPIA GENERALIA THEOLOGIÆ CONTROVERSISTICÆ.

PARS POSTERIOR

EXHIBET MATERIAS PARTICULARES CUM PROTESTANTIBUS ET MODERNIS SECTARIIS CONTROVERSAS.

Accedit in fine TEXTUS

AUGUSTANÆ CONFESSIONIS AUTHENTICUS,

Cum Examine illius Theologico, & quibusdam reflexionibus super eandem.

Cum Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus GEORGII SCHLÜTER & MARTINI HAPPACH,
Typis Joannis Mauritij Körner, Typographi Dilingæ.
Anno M DCC XIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆNOBILIBUS ET GRATIOSIS, NOBILIBUS ET STRENUIS, AMPLISSIMIS ET CONSULTISSIMIS DOMINIS DOMINIS

INCLYTÆ URBIS MONACENSIS, BAVARIÆ METROPOLIS, CONSULIBUS AC SENATORIBUS.

Interioris Consilij.

1. D. Joanni Maximiliano de Alberti, *Consuli.*
2. D. Maximiliano Josepho de Vacchieri, *Consuli & Prætori.*
3. D. Maximiliano FranciscoErasmoRidler, ab & in Joannis-Kirchen, *Consuli.*
4. D. Francisco Thaddæo Schobinger à Störtenberg, *Consuli.*
5. D. Georgio Ignatio Schobinger à Störtberg, *Consuli.*
6. D. Josepho Carolo Antonio Barth ab Harmating, & Päsenbach, in Humbach, *Consuli.*
7. D. Joanni Casparo Gabrieli Barth ab Harmating, Päsenbach, & Rheinthal.
8. D. Maximil. Ignatio Ridler à Joannis-Kirchen.
9. D Francisco Carolo Ignatio Krimbl ab Eberstal.
10. D. Joanni Antonio Ignatio Barbier à Gaykhoven.
11. D. Jeremiæ Bonaventuræ à Delling ad Hueb, & Englharting.
12. D. Bonaventuræ Sebastiano Rudolpho de Ligsalz ab Asholding, Belhaimb, & Auferthausen.

D. Joan. Georg. Fevre, J. U. Lic. *Syndico.*

D. Joan. Christoph. AntonioZech, J. U. Lic. *Pro-prætori.*

Exterioris Consilij.

1. D. Joanni Castner.
2. D. Joanni Alexandro de Suttenburg.
3. D. Danieli Holzmayr.
4. D. Adamo Jesinger.
5. D. Francisco Christoph. Oefele.
6. D. Philip. Josepho Pirchinger.
7. D. Francisco Stürzer.
8. D. Francisco Claudio Cler.
9. D. Joanni Jacobo Remy.
10. D. Josepho Freyhamer.
11. D. Joanni Gnäz.
12. D. Martino Abl.
13. D. Josepho Francisco Mayr.
14. D. Josepho Antonio Angerer.
15. D. Andreæ Paulo Jovi.
16. D. Josepho Rudolpho Kayser.
17. D. Josepho Pontifeser.
18. D. Josepho Georgio Schmid.
19. D. Francisco Erasmo Prandhofer.
20. D. Joanni Heiss.
21. D. Petro Paulo Kaltner.
22. D. Hieronymo Bonavent. Sigl.
23. D. Adamo Mayr.
24. D. Joanni Joachimo Kandler.

MAgnis quidem desiderijs in sinum vestrum meus properat Partus Polemicus; non tamen ut in Catholicæ Bavariæ Meditullio asylum inveniat fugiens hostes; siquidem hos inter medios in Urbe Augustana, ac inter crebra certamina publicósque conflictus enutritus ab incunabulis didicit hostium subire conspectum, sufferre assultus, & intrepido vultu, quibuscum sacra gerit bella, Adversarios non tam excipere quàm provocare, dubio nunquam Marte in arenam descendens, nunquam de victoria sollicitus, sed de triumpho certus, securitatem nimirum præstante, non Auctoris peritiâ, sed optimæ ac insuperabilis causæ invicto robore. Non igitur ad vos se recipit, ut lateat securus, sed ut prodeat gloriosus, à vestra Magnificentia adeptus splendorem, qui priùs præter robur habuit nihil: non timoris agitur stimulis, sed amoris trahitur vinculis: non invitus alieno paret imperio, sed lætus Auctoris obtemperat jussis, qui, quamquam multis vestrûm ignotus, minimè tamen peregrinus compáret, utpote à puero in Urbe vestra educatus, multorúmque annorum vester civis. Hinc ingens erga vos teneræ menti implantatus amor & veneratio, tacitis votis sæpius suspiranti, ut synceriſſimi affectûs publicum edendi specimen, & devoti animi studium solenniter contestandi daretur occasio. Et en! opportunè se offerunt septena Polemicæ Theologiæ Opuscula, quæ nuper Augustæ Vindelicorum publicis concertationibus subjecta iteratis subjecit typis multorum id petentium desiderium, in unum librum & alium Ordinem redacta. Præsens itaque volumen, dignitati quidem & meritis vestris longè impar, meæ tamen erga vos & Patriam observantiæ perpetuum monumentum demissiſſimè statuo, dico, conscero, spe fretus, munus hoc etiam indè non ingratum fore, quia Authori (si parva liceat componere Magnis) vobiscum intercedunt communia studia. RELIGIONIS nimirum & JUSTITIÆ, Religionis, ut abunde loquitur prima libri facies, Justitiæ, cujus sacros Canones publica ex Cathedra interpretari moderni officij à me postulat ratio. Utriusque autem virtutis (ut alias quàm plurimas silentiò involvam) clariſſima in vobis relucent documenta, tam coruſco undique diffuso fulgore, ut nemo, nisi cœcus, eum non videat. Novos, sed Urbem, quam in hac rerum vicissitudine mirâ gubernatis prudentiâ, sed Bavariam totam, testes appello, an non idem vobis pro RELIGIONIS & JUSTITIÆ aris labor, an non idem scopus, & quidem præcipuus, semper fuerit, ac etiamnum sit, ut has geminas, gemmis omnibus pretiosiores, dotes conservetis integerrimas, utpote in quibus velut cardinibus vertitur omnis Reipublicæ & communis felicitas; hæc utique sicut prima debet esse Magistratuum cura, ita summa eorum laus est & apex honoris; siquidem Religio Deo & Superis, à quibus omne bonum, Justitia Communitati & Subditis, & sic suum cuique tribuunt: Religio, qua Dei, Justitia, qua hominum sunt, æqua lance distribuit: utraque demum plenam Reipublicæ salutem præstat & tranquillitatem. Et hanc in his rerum motibus vestra in Urbe, cujus habenas felicissimè moderamini, suaviter simul ac fortiter (non utique sine utriusque necessario adminiculo) dexterrimè

mè nôstis hucusque conservare. Monacensis nimirum Civitas munimentum est avitæ Religionis, *Curia autem domicilium* Justitiæ. *Utramque stabili vinculo inibi fixit Monacensium, & vestra cumprimis, Pietas*: bene enim, quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem & gloriam (*civitatis vestræ*) redundat. *L.* 8. *Cod.* de Legibus, *utpote qui probè intelligitis*, summam esse rationem, quæ pro Religione facit. *L.* 43. *ff.* de Relig. & Sumpt. fun. *Miramur adhuc jure merito vestrorum* Majorum, *quorum vestigia studioso legitis pede, indefessam pro aris sollicitudinem, invictam in sancta Religione retinenda fortitudinem, & constantem in propulsandis, quos tum vi tum fraude nitebatur undique invalescens per vicinam hæresis invehere, erroribus vigilantiam. Certè nisi illi adeò fortiter laborâssent venenum à Bavariæ corde, nimirum* Metropoli *vestra, depellere, Provincia hæc, adeò dilecta Superis, quæ fere sola per Germaniam à venenato hæreticæ impietatis morsu semper intacta perstitit, modò non valeret integerrima fide, sed fortè vel totam, vel magnam partem ingemiscere sese Lutheranam. Istis Zelosis Athletis pro Domo Dei solertissimè excubantibus, quos pulchrè æmulari studetis, debet Civitas vestra, &, quod sectarium, Patria tota, quòd passim audire soleat, scutum Religionis, Ecclesiæ Protectrix, fidei propugnaculum, in quo hæresum magister Orcus Cathedram pestilentiæ tutò erigere* (*ne dicam, firmare pedem*) *nunquam vel potuit vel ausus est.*

Ne autem Veterum abreptus encomijs vestræ Pietatis æmulique Zeli egregias laudes dissimulem, in mentem revocare placet varia Martis *discrimina, tristem* Magnificæ *Urbi impendentem cladem haud obscurè minitantis: quam tamen placatum vobis Numen clementissimè avertit, auxilio tam forti quàm opportuno: cujus tamen haud aliam ego causam edixero, quàm pia vota, fusas ad Superos preces, crebra Sacrificia, validos unanimiter supplicantium clamores, & alia sexcenta pietatis & pœnitentiæ argumenta, quibus tota studebat Civitas. Sed unde hæc populo tanta devotio? unde tam ardens omnigenæ pietatis studium? unde tam valida Cœlo flectendo piè illata vis ad vobis opitulandum? Injuriam vobis facit,* PRÆNOBILES NOBILES ET CONSULTISSIMI DOMINI, *qui hos fructus alia ex arbore, quàm ex vestra pro publico bono paterna cura arbitratur enatos: qui tam limpidi fontis aliam quærit scaturiginem, quàm Curiam vestram: qui alteri tam salutaria adscribit consilia, quam prudentissimo & vigilantissimo magistratui: jussa & exemplum vestrum hæc tanta potuere in civibus, in subditis. Præ cæteris autem haud dubiè stimulos addiderit solenniter nuncupatum pijssimum votum Ædis sacræ in Adorandæ Sanctissimæ Triadis cultum exstruendæ, cui* Magnifico *operi fidelem jam admovistis manum, imò propediem imponetis ultimam. Quidni igitur avido cursu ad vos properet* Cursus Theologiæ meæ Polemicæ, *ubi tantus Catholicæ* Religionis, *ex hæreditaria quasi Monacensium pietate identidem renascens, ac hodiedum vigens Zelus? Quidni ad incorruptum sacræ* Themidis *tribunal convolet Pontifi-*

eij Juris alumnus? Quidni indignum quondam civem ad se rapiat Magistratus moni ob servantia colendissimus, Religionis & Justitiæ eximius cultor?

Sed & alia, eáque suavissima vis, cujus primo loco meminisse oportebat, nimirum expressa observandissimi mei ac totius Provinciæ Præsidis voluntas meis votis accessit, publico hoc, quamvis exiguo, penso profiteri me diserte jubentis, Societatem JEsu, ac præcipuè Monacense Collegium, gratissima mente agnoscere beneficia plurima & maxima, pro quibus obærata se sciunt. Quod ut præstent, non opus habent antiquioris ævi monumenta lustrare, dum ante oculos versantur recentissima tum benevolentiæ tum beneficientiæ exempla, si modò reflectere eos libeat per paucorum, vobis jam ad clavum sedentibus, annorum curricula, præsertim illius, quo memorati Collegij Basilica ad debitas laudes & gratias Deo ter Optimo Maximo dicendas pro primo in hac Nobilissima Urbe feliciter transacto sæculo, omnes vires intendit. Deus bone! quos non sumptus tum fecit munifici Senatûs liberalitas? quos non plausus adornavit syncera affectio, inter festivos etiam majorum tormentorum per turres & mœnia repetitos sonitus? quos non apparatus molita est magnifica pietas solenni supplicationum per plateas & sacram ædem ductarum pompâ? Verbo: nihil non fecit Amplissimus Senatus, ut hanc sacram solennitatem solenniorem redderet augustioremque: ut adeò non privata videretur agi Societatis causa, sed totius Urbis Inclytæ communis, qua sua in nos studia ijs contestatæ est argumentis, ut non facilè Societas in solatium præstitæ Religiosæ operæ ab ulla Urbe majora exspectârit, aut exspectare possit, quàm quæ à Senatu Populóque Monacensi tum fuerat experta. Hæc & alia, quæ ideo commemorare omitto, quia quotidiana sunt, gratiosi erga nos Magistratûs luculenta indicia nunquam non memori mente recolet æterna gratitudinis vinculo obstrictissimum Collegium Monacense, simul & tota per Superiorem Germaniam Societatis JESU Provincia; &, cùm indies accrescat nova grata mentis materies, recens quoque gratitudo nostra quotidie capiet auctarium. Atque his de causis præsentem Lucubrationem studiosissimo affectu offero, ut in ea tanquam in debita gratitudinis & observantiæ volumine nostrum erga vos animum, & meam Auctoris peculiarem devotionem legere valeatis, qui felicissimum vobis regimen perennibus votis impensissimè precor & anguror. Dilingæ 8. Sept. 1713.

Vester

Devotus in Christo Servus

VITUS PICHLER, S.J.

)o(

EGo MATTHÆUS PECKH, Societatis JEsu per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, Dominis *Georgio Schlüter, & Martino Happach*, Bibliopolis Augustanis potestatem facio recudendi *Cursum Theologiæ Polemicæ Universæ*, à P. VITO PICHLER, Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, à deputatis Patribus lectum probatúmque, ac usurpandi Jus Privilegij Cæsarei, ut eis, Auctoréque invitis eundem *Cursum* nemo recudere, vel intra S. R. I. & Provinciarum S. Cæsar. Majestati subjectarum fines importare audeat. Hanc facultatem manu mea & consueto Officij Sigillo firmavi. Landspergæ 1. Septembris 1713.

(L.S.)

MATTHÆUS PECKH.

ELENCHUS TITULORUM.

Prolegomena seu Controversia procœmialis, Pag. 1.

PARS PRIOR.

CONTROVERSIA FUNDAMENTALIS ET GENERALIS I.
De existentia alicujus & unius Religionis veræ à Deo revelatæ.
Proponitur ratio doctrinæ & styli. p. 14.

ART. I. Existit aliquis Deus, *contra Atheos.* 16.

ART. II. Existit unicus tantùm Deus, *contra Gentiles Idololatras.* 22.

ART. III. Datur altera vita, & quidem immortalis, *contra Epicureos & Divinam Providentiam negantes.* 24.

ART. IV. Existit aliqua vera Religio Divinitus revelata, *contra Deistas & Philosophastros Naturales.* 29.

ART. V. Existit unica tantùm vera Religio Divinitus revelata, *contra Libertinos, & Indifferentistas Laxiores.* 35.

ART. VI. Non alia Religio est vera & Divinitus revelata, nisi Chri-

stiana, *contra Paganos & Christi Divinitatem negantes.* 41.
ART. VII. Beatitudo & ultimus finis hominis non sunt voluptates corporis, *contra Turcas.* 48.
ART. VIII. Christus est verus Messias, *contra Judæos.* 52.
ART. IX. Unica ex Christianis est vera Religio, *contra Indifferentistas Strictiores.* 59.
DUBIUM INCIDENS. An desperatum sit de compositione facienda inter Catholicos & Protestantes circa negotium Religionis? 79.

CONTROVERSIA FUNDAMENTALIS ET GENERALIS II.

De Scriptura Sacra.

ART. I. De Verbo Dei Scripto. 83.
§. 1. Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani in suis principijs probare sufficienter non possunt existentiam Scripturæ S. 85.
§. 2. Iidem non possunt sufficienter probare Canonem S. Scripturæ. 89.
§. 3. Iidem non possunt sufficienter probare versionem legitimam, nec puritatem S. Scripturæ. 95.
§. 4. Iidem non possunt sufficienter probare genuinum sensum Scripturæ S. 101.
ART. II. De Verbo Dei non Scripto. 111.
§. 1. Necessariò admitti debet Verbum Dei non-scriptum, seu Traditum. 112.
§. 2. Ex Verbo Dei non-scripto optimè probant Catholici existentiam, canonem, versionem, puritatem, & genuinum sensum Scripturæ. 120.
COROLLARIUM, bene notandum. 128.

CONTROVERSIA FUNDAMENTALIS ET GENERALIS III.

De Ecclesia.

CAPUT I. De Natura, Membris, & Proprietatibus Ecclesiæ. 132.
ART. I. Quid sit Ecclesia, & quænam illius membra. 132.
Solvuntur Objectiones. 144.
Auditur & expeditur M. Renzius. 149.
ART. II. An vera Christi Ecclesia necessariò sit perpetua? 164.
ART. III. An vera Christi Ecclesia necessariò sit semper Visibilis? 137.
ART. IV. An vera Christi Ecclesia necessariò sit infallibilis? 183.
ART. V. Ex hactenus dictis evidenter deducitur, veram Christi Ecclesiam non esse Lutheranam &c. sed Romanam. 193.
CAPUT II. De Notis, ex quibus vera Christi Ecclesia discernitur à falsis Sectis. 197.
ART. I. An & quas notas habeat vera Christi Ecclesia? 197.
ART. II. De Nota Antiquitatis. 203.
Syllogismus 1. De Antiquitate doctrinæ. 204.
Syllogismus 2. De perpetua successione Episcoporum. 220.
Syllogismus 3. De Origine & Auctore Ecclesiæ. 226.
ART. III. De Nota Unitatis. 233.
Syllogismus 1. De Unitate & concordia in doctrina. 235.
Syllogismus 2. De Unitate Capitis visibilis, & necessitate supremi Judicis. 247.
ART. IV. De Nota Sanctitatis. 255.
Syllogismus 1. De Sanctitate doctrinæ. Syl-

Syllogismus 2. De Sanctitate morum. 264.
Syllogismus 3. De Miraculis. 276.
ART. V. De Nota Catholicismi, seu Universalitatis. 290.
Syllogismus 1. de diffusione Ecclesiæ per totum Orbem. 292.
Syllogismus 2. De Conversione Gentilium & Paganorum. 305.
CAPUT III. Quid sentiendum de notis, quas Lutherani assignant. 313.
ART. I. Examinantur duæ notæ, quas Lutherani communiter assignant. 313.
ART. II. Examinantur tres aliæ Notæ, quas superadditM. Lomer. 319.
CAPUT IV. De Capite veræ Ecclesiæ, nimirum de Papa. 330.
ART. I. Romanus Pontifex est Ecclesiæ Caput, Christi Vicarium. 330.
§. 1. Aliquod Ecclesiæ caput, Christi Vicarium, ab ipso Christo constitutum est. 332.
§. 2. D. Petrus fuit illud Ecclesiæ Caput à Christo constitutũ. 336.
§. 3. D. Petrus in Primatu debuit habere aliquos Successores. 341.
§. 4. Romani Pontifices fuerunt, adhuc sunt, & erunt isti Successores. 342.
Series Romanorũ Pontificum. 356.
ART. II. Romanus Pontifex est etiam Caput Conciliorum. 361.
§. 1. De Natura, varietate, & auctoritate Conciliorum. 362.
Series Conciliorum Generaliũ. 366.
§. 2. An Papa sit supra Conciliũ? 379.
Solvuntur Objectiones. 381.
ART. III. An Papa, etiam extra Concilium Generale, sit legitimus Controversiarũ fidei Judex? 385.
Solvuntur Objectiones. 392.
COROLLARIUM. De Analysi seu resolutione fidei. 400.

PARS POSTERIOR.

CONTROVERSIA PARTICULARIS I.

De Justificatione Peccatoris.

ART. I. De Libertate. 405.
ART. II. De Gratia. 411.
ART. III. De Observatione Legis. 415.
§. 1. De Observatione Legis Div. 416.
§. 2. De præceptis Ecclesiæ, nempe Jejunijs, & Festis &c. 423.
ART. IV. De Peccatis. 426.
§. 1. De peccato Personali. 427.
§. 2. de peccato Originali. 434.
ART. V. de Bonis operibus. 439.
§. 1. An dentur aliqua opera bona perfecte? 440.
§. 2. An dentur bona opera supererogatoria? ubi de votis Religiosis, Mortificatione corporis, pijs Peregrinationibus. 442.
§. 3. De Necessitate bonorum operum. 447.
§. 4. De Merito bonorũ operum. 451.
ART. VI. De Justificatione Peccatoris. 461.
§. 1. An homo formaliter justificetur per justitiam inhærentem? 463.
§. 2. An Justificatio fiat per solam fidem? 469.
Solvuntur objectiones. 474.
§. 3. An & quomodo possit homo es-

se

se certus de sua justitia & salute? 479.

CONTROVERSIA PARTICULARIS II.

De Justis & Sanctis alterius vitæ. 482.
ART. I. De Justis in altera vita adhuc purgandis. 482.
§. 1. An existat Purgatorium? 483.
§. 2. An animæ in Purgatorio existentes possint juvari pijs suffragijs? 491.
ART. II. De Sanctis jam in Cœlo existentibus. 493.
§. 1. De Cultu Sanctorum. 495.
§. 2. De Invocatione Sanctorum. 502.
§. 3. De Reliquijs Sanctorum. 518.
§. 4. De Imaginibus Sanctorum. 523.

CONTROVERSIA PARTICULARIS III.

De Sacram. in genere & specie. 530.
CAP. I. De Saaramentis in genere. 530.
ART. I. De Essentia & Efficientia Sacramentorum. 531.
ART. II. de Numero Sacramentorum. 539.
Solvuntur Objectiones. 549.
ART. III. De Sacramentalibus, Ceremonijs, signo Crucis &c. 553.
CAPUT II. De Sacramentis in specie. 558.
ART. I De Baptismo. 558.
ART. II. De Confirmatione. 564.
ART. III. De Eucharistia. 564.
§. 1. An Christus verè & realiter sit præsens in Eucharistia? 567.
§. 2. Quomodo Christus sit præsens? an cum pane? ubi de Transsubstantiatione. 571.
§. 3. Quando Christus sit præsens? an extra usum ubi de asservatione & adoratione panis Eucharistici. 578.
§. 4. Impugnantur specialiter Lutherani Ubiquistæ. 584.
§. 5. De Communione sub una vel utraque specie. 588.
§. 6. De Sacrificio Missæ. 599.
ART. 4. De Sacramento Pœnitentiæ. 607.
§. 1. de Absolutione. 609.
§. 2. De Contritione. Ubi de partibus pœnitentiæ Lutheranorum. 613.
§. 3. De Confessione. 619.
§. 4. De Satisfactione. 629.
§. 5. De Indulgentijs. 636.
ART. V. De Extrema Unctione. 641.
ART. VI. De Ordine. 642.
§. 1. An omnes baptizati sint Sacerdotes? Et Episcopi Jure Divino Superiores Presbyteris? ac Ministri Ecclesiæ exempti à jurisdictione sæculari. 643.
§. 2. De Vocatione Ministrorum Eccl. 648.
§. 3. De Cœlibatu Ministrorum Eccl. 653.
ART. VII. De Matrimonio. 657.
COROLLARIA, summum Lutheranis præjudicium afferentia. 664.

APPENDIX

De Augustana Confessione.

ART. I. Quid sit Confessio Augustana, & quis status quæstionis? 669.
ART. II. An Augustana Confessio sufficientem auctoritatem obtineat à Luthero, ex cujus libris desumpta est? 675.
ART. III An à Carolo V. cui fuit exhibita? 694.
ART. IV. An à Libro Concordiæ, à quo dicitur restituta? 706.
ART. V. An à tota Ecclesia Lutherana, cujus est Symbolum? 710.
ART. VI. An ab Ecclesia Græca, cujus communionem expetijt? 717.
ART. VII. An ab Ecclesia Romana recentiore, quam arguit defectionis? 722.
ART. VIII. An ab Ecclesia Romana antiqua, quam fuisse incorruptam fatetur? 728.
ART. IX. An ab ipsa doctrina, quam continet, & propter quam Confessionistæ se vocant *Evangelicos*? 743.
ART. X. An à sua Constantia, qua semper invariata permansit? 748.
ART. XI. An à miraculosa propagatione, qua invaluit? 753.
ART. XII. An à Scriptura S. in qua sola se fundatam asserit? 759.
Observationes quædam bene notandæ in recitatam Confessionem. 7[illegible].

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PROLEGOMENA.

Seu

CONTROVERSIA PROOEMIALIS.

Summarium.

1. *Qui cupit addiscere scientiam vel artem aliquam, prænôsse eum oportet objectum illius.*
2. *Quid sit Fides, circa quam versatur scientia Polemica.*
3. *Quid Fides Divina, & Humana.*
4. *Quod objectum fidei Divinæ tam materiale quàm formale.*
5. *Utrumque, quamvis obscurum sit, debet esse evidenter credibile.*
6. *Fides Divina includit tria, habitum, actum, & objectum.*
7. *Ei opponitur Hæresis: quid hæc sit.*
8. *Hæretici alij sunt formales, alij materiales.*
9. *Quid sit objectum Theologiæ Polemicæ.*
10. *Quinam Adversarij, contra quos pugnat Polemica, præsertim moderna.*
11. *Quinam vocentur Protestantes,*
12. *Reformati,*
13. *Evangelici,*
14. *Confessionistæ.*
15. *An & quibus liceat vel expediat cum his Sectarijs disputare;*
16. *An præstet cum ipsis disputare aggressivè,*
17. *Vel defensivè.*
18. 19. *Si disputare placeat aggressivè, quomodo id præstandum.*
20. *Quare tam pauci ex Protestantibus convertantur.*
21. *Proponitur ordo doctrinæ totius Operis.*

1. Sciendum 1. Naturam, præstantiam, utilitatem, ac necessitatem alicujus scientiæ vel artis optimè cognosci ex objecto, circa quod illa versatur, & fine, quem spectat. Unde, quod aliarum Disciplinarum Magistri facitare consueverunt, mihi pariter, antequam ipsa Theologiæ *Polemicæ* (seu bellum gerentis contra Infideles, præcipuè Hæreticos) adyta ingrediar, statuendum videtur ejus objectum, & insinuandus finis. Cùm verò horum notitia haberi perfectè nequeat sine aliqua saltem *Fidei* veræ ac Divinæ, eique oppositæ *Hæresis* cognitione prævia, etiam de his aliquid præmittendum censui. Porro cùm potissimùm & ferè constanter contra Hæreticos disputare & certare necesse habeat Controversista, quinam hoc nomine veniant, qualésque hoc tempore & loco Adversarios nactus sit, quos aggrediatur, vel contra quos se defendat, quáve ratione eos debellare quàm facillimè & certissimè valeat, prænôsse juvat.

2. Sciendum 2. *Fidem*, circa quam versatur Theologia Polemica, non esse illam, quæ spectat ad Voluntatem, & sumitur vel pro *Fiducia*, quæ nihil est aliud quàm Spes roborata, & ideo ad Theologiæ Speculativæ tractatum de Spe pertinet: vel pro *Fidelitate*, quæ præbet constantiam in servandis promissis. Sed illam fidem, quæ spectat ad Intellectum, quam D. Paulus, postquam c. 10. ad Hebr. dixit, justum ex fide vivere, statim in principio c. 11. sequentis sic definit: *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ubi vox *argumentum* apertè significat opus Intellectûs, quæ in Græco exprimitur per vocem ἔλεγχος, quam teste Suarez PP. Græci dicunt idem sonare, quod sonat *convictio*, *assensus firmus.* Et postquam idem Apostolus c. cit. intulit, sine fide impossibile esse placere Deo, rationem reddit: *quia accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Quod non ad voluntatem, sed ad Intellectum pertinet, ut patet. Itaque cum S. Augustino l. de Spir. & litt. c. 31. pronuntio: *de hac fide nunc loquimur, quam adhibemus, cùm aliquid credimus, non quam damus, cùm aliquid promittimus.* Addo: *qua aliquid speramus.*

3. Sc. 3. Nobis sermonem non esse de fide Humana, sed Divina. Est autem fides *Divina*, qua firmissimè creduntur vera esse, quæ & quia à Deo revelata sunt, sive qua creditur Deo loquenti & revelanti aliquid: Sicut ex opposito fides *Humana* est, qua creditur homini aliquid asserenti, & vera esse, quæ ab ipso dicuntur. Ex quo patet, fidem Divinam potissimùm differre ab Humana ex objecto formali seu motivo, quod nos inducit & movet ad credendum seu assentiendum. Quantumvis verò Fides Divina sit actus Intellectûs, ut dictum, supponit tamen etiam aliquem actum voluntatis, qui dicitur *Pia affectio*, eò quòd voluntas imperet Intellectui, ut per submissionem proprij judicij ex motivo honestatis & reverentiæ erga Divinam veracitatem assen-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sensum firmissimum & indubitatum præstet veritatibus obscuris à Deo obscurè revelatis, seu Deo obscurè loquenti & revelanti veritates non evidentes. Quo pacto actus fidei, licèt formaliter exerceatur ab Intellectu, denominatur tamen liber & honestus extrinsecè.

4. Sc. 4. Fidei Divinæ objectum esse duplex, materiale & formale. *Materiale* est omne & solum id, quod Deus revelavit vel immediatè Prophetis & Apostolis, vel mediatè per Ecclesiam, concionatores &c. nobis loquens. Ex omnibus autem revelatis principalissimum objectum, quod credi debet, est ipse Deus, specialiter quòd existat, & Remunerator sit. Hebr. 11. *Objectum formale* seu motivum est Deus summè verax & revelans: adeóque duo includit 1. *Veracitatem* Dei infinitam, dum nempe Deus apprehenditur ut Infallibilis in cognoscendo & loquendo, ita ut nec falli, nec fallere possit. 2. *Revelationem*, seu signum aliquod & medium, per quod nobis loquitur, vel aliquid revelat: nam authoritas seu veracitas Dei nudè spectata non potest nobis esse ratio & motivum sufficiens ad credendum aliquid, vel credendum hoc potiùs quàm illud, nisi interveniat aliquod signum, quo mediante nobis innotescat, quòd & quid Deus nobis loquatur, & credendum proponat. Atque hoc signum varijs nominibus Scriptura exprimit, appellando *testimonium, narrationem, Verbum, revelationem &c.* Dei. Quibus verbis indicatur locutio Dei tam activa quàm passiva, ut Scholastici loquuntur, seu conceptus Dei, & signa, quibus conceptum suum nobis manifestat Deus: qualia sunt verba Prophetarum, Apostolorum, Ecclesiæ &c. iis circumstantiis & indiciis vestita, ut prudenter dubitari vel negari nequeat, per ea nobis Deum loqui: quibus insuper accedunt illustrationes internæ & lumen supernaturale. Unde fit, actum fidei Divinæ debere esse firmissimum ac certissimum tam *objectivè*, seu ex parte objecti formalis & motivi, quàm *subjectivè* seu ex parte subjecti vel hominis credentis, qui propter revelationem Dei sibi satis cognitam imperare sibi tenetur firmissimam adhæsionem intellectûs, ita ut paratus sit potiùs omnia alia negare, vel mortem etiam sustinere, quàm veritatem talem à DEO revelatam sibique sufficienter propositam negare, aut in dubium revocare.

5. Sc. 5. Quamvis objectum materiale fidei Divinæ, & ipsa revelatio Divina sint obscura, sive quamvis objectum revelatum esse verum, & Deum illud revelâsse, evidens non sit; *quid enim est fides, nisi credere, quod non vides?* ait S. Aug. tr. 40. in Joan. Ut nempe fidei constet sua libertas & meritum: tamen *evidenter credibile* esse, Deum fuisse nobis locutum, hoc vel illud revelâsse, adeóque & *evidenter credendum*: consequenter non tantùm evidenter dignum creditu, sed etiam sub obligatione credendum firmissimè est, quod Deus revelavit. Fit autem objectum revelatum evidenter credibile & credendum per *Motiva credibilitatis*, ut nuncupamus, quæ talia sunt & esse

debent, ut evidentiâ suâ ita convincant hominem, ut prudenter nullatenus dubitare possit, quin hoc vel illud à Deo revelatum sit, & agnoscat honestatem ac obligationem credendi; atque ita, ut sine nota stultitiæ & sine injuria primæ Veritatis dissentire nequeat locutioni Divinæ hoc vel illud revelanti, tot & tam claris signis ac credibilitatis motivis circumseptæ: cujusmodi locutio est verum miraculum, item propositio alicujus articuli ab Ecclesia Romano-Catholica proveniens, utpote iis signis coruscante, quæ evidenter credibile faciunt, eam esse veram Christi Ecclesiam, adeóque per eam ipsum Deum nobis loqui, ut suo loco demonstrabimus.

6. Sc. 6. Fidem Divinam tria includere, nempe habitum, actum, & objectum materiale fidei: quæ tria sigillatim etiam sumpta Solent appellari Fides conformiter doctrinæ S. Thomæ, qui 2. 2. q. 55. a. 1. ad 1. ait: *Fides quandoque dicitur id, quod creditur, quandoque verò ipsum credere, quandoque autem ipse habitus, quo creditur.* Fundamentum hujus rei habetur in ipsa Scriptura S. Nam. 1. Fides pro *habitu*, seu pro lumine & qualitate supernaturali, instar habitûs permanente in anima, accipitur 1. Cor. 13. *Nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas.* 2. *pro actu* accipitur Mat. 9. *secundùm fidem vestram fiat vobis*, item toto c. 11. Hebr. & ubi in SS. Literis præcipitur Fides tanquam ad salutem necessaria; quia præcepta dantur de actibus. 3. *pro objecto*, seu pro ipso dogmate & doctrina à Deo revelata accipitur Gal. 3. *Ubi venit Fides &c.* Eph. 4. *Unus Deus, una Fides.* Rom. 1. *Fides vestra annuntiatur in Universo mundo.* Item in Symbolo S. Athanasij: *hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmitérque crediderit, salvus esse non poterit.* Porro sumpta pro actu, seu Fides actualis, sic definiri potest: *est assensus certus & obscurus propter infallibile Dei revelantis testimonium.* Atque sic sumpta rectè dicitur Fides *formalis*, sumpta verò pro objecto credito commodè vocatur Fides *objectiva.*

7. Sc. 7. Fidei veræ ac Divinæ directè opponi Hæresim, quæ Græca vox est, & Latinè *Electionem* significat. Unde *Hæretici* dicuntur, qui Fidei & Ecclesiæ veræ, quæ sola Catholica est, contrariam doctrinam eligunt, & suam singularem opinionem sectantur: quare & *Sectarij*, præsertim in Romano Imperio, appellari consueverunt, cùm vocabulum *Hæretici* nimis ipsis exosum sit. Hæresis ferè, sicut de Fide diximus, duplici pariter modo accipi potest, nimirum 1. pro actu intellectûs, seu judicio erroneo, quo quis amplectitur falsum dogma. 2. & frequentiùs pro objecto judicij erronei, seu pro ipso dogmate falso (subinde pro ipsa secta falsa, sicut fides pro ipsa Ecclesia vera) sumpta pro actu intellectûs ita definitur: *est error contra fidem cum pertinacia in eo, qui se Christianum profitetur.* Sumptam pro tali actu intellectûs rectè dices hæresim *formalem*, sumptam verò pro dogmate falso credito hæresim *objectivam*, uti de Fide dictum. Ad hæ-

resim

resim formalem juxta datam definitionem requiritur 1. ex parte Intellectûs *judicium erroneum* contra fidem, seu contra veritatem aliquam à Deo revelatam, & ut talem sufficienter propositam. Hinc propè hæreticus non est, qui exteriùs tantùm ex respectu humano &c. negat aliquem articulum fidei, aut qui dicit, se velle amplecti Sectam falsam; quia tales non assentiuntur dogmati falso, quamvis mortaliter peccent. 2. Ex parte Voluntatis *pertinacia*, sine qua judicium erroneum non est hæresis formalis, ut patet ex Epist. 162. S. Augustini, ubi sic scribit: *qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt &c. nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* 3. Ex parte subjecti *professio fidei Christianæ*; quod iterum habetur ex S. August. qui l. 18. de Civit. c. 51. ait: *hæretici sunt, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resistunt Christianæ;* qui enim Christum omnino non profitentur, *Judæi* sunt vel *Pagani*, non Hæretici. Hæresim in eundem modum definit Jo. Gerardus ferè princeps inter Lutheranos Theologos LL. Theol. de Minist. Eccles. §. 370. dicens: *Hæresis est privata aliqua opinio, quam quis pro dogmate Christiano & fide Catholica sibi amplectendam elegit, eamque pertinaciter defendit.*

3 Sc. 8. Hæreticos dividit in Formales & Materiales. *Formalis* hæreticus est, qui scienter, voluntariè, & pertinaciter adhæret errori contra fidem Catholicam. Est autem pertinacia, ad hæresim requisita, efficax & deliberata voluntas dissentiendi alicui veritati Catholicæ seu à Deo revelatæ, & ut tali sufficienter propositæ per S. Scripturam, vel Ecclesiam, vel aliam generalem fidei regulam, satis probatam ut infallibilem. Rursus desumitur ex S. August. l. 4. de Baptismo c. 16. ubi inquit: *istum nondum hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ Catholicæ fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.* Hæreticus *Materialis* dicitur, qui vel ex ignorantia, vel sinistra instructione seductus, vel falsa apprehensione deceptus adhæret quidem errori contra fidem Catholicam, paratus tamen est eum deponere veritate sufficienter cognita. Et hujusmodi hæretici Materiales (meô quidem judiciô) in Germania sunt plurimi, non obstante, quòd sæpe Catholicis immixti vivant. Qui si interim actu universali credant in genere omnia à Deo revelata, reipsa orthodoxi sunt, & ad Ecclesiam Catholicam pertinent, non minùs ac illi simplices ex Catholicis aut malè instructi, qui subinde aliqua mysteria fidei nostræ perperam apprehendunt, non ritè intelligunt, vel errorem aliquem ignoranter tenent; quem tamen sufficienter corrigunt per generalem fidei actum, quo credunt omnia à Deo revelata: quem actum habere debent. Ad hæreticos materiales etiam reducuntur illi ex Sectarijs, qui laborant ignorantiâ etiam vincibili & culpabili, utpote quam deponere negligunt; quia, quamvis hujusmodi græviter delinquant omittendo debitam diligentiam in inquirenda & amplectenda veritate tanti momenti, propriè tamen & formaliter pertinaces non sunt; quod

enim & quamdiu ignoratur, tamdiu non scienter & voluntariè, proinde nec pertinaciter negatur. His præmissis

9. Dico 1. Objectum (consequenter & finis) Theologiæ Polemicæ est Fides vera ut asserenda, roboranda, & defendenda. Prob. 1. auctoritate S. Augustini, qui l. 14. de Trinit. c. 1. explicans verba Apostoli: *alij datur sermo scientiæ*. 1. Cor. 12. ita discurrit: *Paulus huic scientiæ tribuit illud tantummodo, quo Fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: quæ scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimùm. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi æterna est: aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* Prob. 2. Illud est objectum materiale alicujus scientiæ, circa quod versantur ejus conclusiones: sed conclusiones Theologiæ Polemicæ versantur circa Fidem veram *ut asserendam* (scilicet ostendendo, quid credi debeat tanquam Divinitus revelatum) *ut roborandam* (nempe apud Catholicos firmis argumentis) & *ut defendendam* (nimirum contra Infideles, maximè contra Hæreticos, solvendo eorum objectiones) ergo objectum materiale Theologiæ Polemicæ est Fides vera, ut asserenda, roboranda, & defendenda. Ma. est certa inter Doctos. min. constabit ex decursu, & singulis controversiis, quas pertractabimus. Cæterùm nomine *Fidei* intelligo potissimùm Fidem objectivam, seu objecta, & res divinitus revelatas, & per fidem formalem credendas, sive dogmata, quia ista, per actum vel habitum fidei credita, denominantur *Fides*, & sic complexum ex objecto & actu fidei fit objectum Theologiæ Polemicæ: Ferè sicut ens rationis Logicum denominatur à cognitione Logica, & sic res ut affecta certâ cognitione fit objectum Logicæ *ut scientiæ*.

10. Dico 2. Adversarij, contra quos Belligerans seu Controversistica Theologia Orthodoxa pugnat, à potiori sunt Hæretici, & in Germania nostra hoc præcipuè ævo *Protestantes*, ut nuncupantur, videlicet Lutherani & Calvinistæ, quorum hi *Reformatos*, illi *Evangelicos*, vel *Confessionistas* se se vocitant, & ab alijs vocitari cupiunt. Ratio primæ partis est, tum quia Hæretici præ cæteris Infidelibus verbô & calamô fidem Catholicam, de qua egressi sunt, persequi consueverunt, tum quia SS. Patres, primi Controversistæ, potissimùm disputârunt, suósque calamos strinxerunt adversùs Hæreticos, tum quia Judæorum & Paganorum errores adeò crassi & aperti sunt, ut multo labore opus non sit ad eos detegendos, vel confutandos. Dixi tamen *à potiori*; quia SS. PP. ac alij Theologi Polemici adversùs alios quoque Infideles, nimirum Judæos & Paganos, præsertim Gentiles, arma arripuere & scuta, exemplô ipsius Gentium Doctoris S. Pauli. Quare & mihi decretum est illos in Controversia 1. Fundamentali impugnare. Ratio secundæ partis est,

est, quia in Germania, præsertim in Imperio Romano, ubi vivimus, ferè non alij apertè se se opponunt Catholicæ fidei, ac *Protestantes*. Cùm verò, ubi hæc scribo, Lutherani tantùm commorentur, directè contra hos ordinariè mihi res erit: quamquam ferè omnia applicari facilè valeant, & æqualiter ferè pugnent contra Calvinistas, eò quòd sæpe parem habeant causam, similibus utantur telis, & iisdem ferè clypeis.

11. Quæres, quinam & qua de causa appellentur Protestantes, Reformati, Evangelici, Confessionistæ? R. 1. quamvis nomen *Protestantium* solis Lutheranis proprium sit attenta ejus origine, quæ sic habet: cùm in Comitijs Spirensibus An. 1529. cautum fuisset ut nihil in Religione mutaretur usque ad Concilium, & decretum bellum contra Turcas in Hungariam irruentes, ac propterea à Principibus & Statibus Imperij poscerentur auxilia, contrà protestati sunt Joannes Elector Saxoniæ, Georgius Marchio Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus Duces Luneburgenses, Philippus Landgravius Hassiæ, Wolfgangus Princeps Anhaltinus: quorum *Protestationi* communicatò consiliò se junxerunt plures Civitates, eodem, quo dicti Principes, Lutheranæ doctrinæ veneno infectæ, scilicet Argentina, Norimberga, Ulma, Constantia, Reittlinga, Memminga, Lindavia, Campidunum, Heilbrona Nordlinga, Sant-Gallum &c. Quamvis, inquam, appellatio *Protestantium* spectando ejus originem conveniat ac propria sit solis Lutheranis, defacto tamen sæpe etiam tribuitur Calvinistis, ita ut hoc vocabulum utrisque commune evaserit, utriusque Sectæ professoribus simul applicari solitum, haud dubiè propter communia utrisque studia in contradicendo Catholicis: factúmque est nomen Religionis, quod prius erat Politiæ, saltem ex parte.

R. 2. *Reformatos* se dicunt Calvinistæ, sed malè. 1. quia reformari non potest Ecclesia Catholica in articulis fidei, utpote in qua deficere nunquam potest, aut in errorem labi; à qua tamen reformatione volunt suam nomenclationem trahere. 2. quia Lutherani, Zwingliani &c. eodem jure se possent appellare Reformatos, id est, nullo; per hoc enim, quòd novam doctrinam invexerint, non fiunt statim Reformatores. 3. quia induxerunt dogmata falsa, scelerata, blasphema, quæ bonis moribus summum præjudicium afferunt, ac omne virtutis studium tollunt, latámque sceleribus portam aperiunt, utì de libertate, de fide salvificante, de auctore peccati, de absoluto Dei decreto aliquos ad infernum prædestinantis independenter ab eorum operibus &c. 4. quia Joannes Calvinus, primus Auctor hujus Reformationis, fuit homo notoriè impius & sceleratus, utpote propter turpissimum flagitium stigmate notatus, è Gallia proscriptus, & inter horrendas execrationes morbo pediculari extinctus &c. Beyerlinck in Theat. Vit. Hum. & alij ex Ant. Dæmochares, Vacquetio, præsertim Bolseco in vita. 12.

R. 3. *Evangelicos* se nuncupant Lutherani, sed inmeritò. 1. quia Ecclesiæ sunt re- 13.

rebelles, ejúsque capiti non parent: de his autem Evangelium dicit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Mat. 18. 2. quia asserunt doctrinam Evangelio non conformem, dum bonis operibus negant mercedem, quam tamen Evangelium ipsis toties promittit Mat. 10. & alibi: dum negant ab Evangelio contineri præcepta; cùm tamen Evangelium dicat: *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Jo. 13. dum improbant consilia Evangelica voluntariæ paupertatis, castitatis, obedientiæ, studij perfectionis & omnis justitiæ implendæ &c. cùm tamen Evangelium dicat: *si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo; & veni, sequere me.* Mat. 19. & Paulus: *de virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do.* 1. Cor. 7. *Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Mat. 5. *decet nos implere omnem justitiam.* Mat. 3. Taceo plura. 3. quia tradunt dogmata non tantùm Evangelio contraria, sed & impia, omníque licentiæ spatiosam viam sternentia, dum docent, mandata Dei observari non posse, etiam justum in omni opere bono peccare mortaliter, bona opera non esse necessaria, imò esse noxia, ad salutem, hominem justificari solâ fide, confessionem distinctam peccatorum non esse faciendam homini &c. 4. quia Auctorem vel parentem habent prorsus flagitiosum, nempe Martinum Lutherum, turpem apostatan, votisfragum, perfidum Deo & superioribus rebellem, sacrilegum, superbum, maledicum, obscœnum, mendacem, diabolo familiarem &c. &c. quod adeò vulgatum est & certum, ut nulla tergiversatione celari, vel inficiando in dubium vocari possit. Præclarus novi Evangelij buccinator! 5. quia probare nequeunt, se purius habere Evangelium, quàm Calvinistæ, vel Zvvingliani habeant, consequenter quare præ his sibi arrogent speciosum nomen *Evangelicorum*, quem furantur Catholicis, qui soli totam Evangelij doctrinam profitentur & exercent. Certè nunquam quietè possederunt hunc titulum, nec Catholici unquam dabunt tanquam ipsis debitum vel consentaneum.

R. 4. *Confessionistas* se appellant ijdem Lutherani à Confessione Augustana (Symbolo suæ fidei) de qua in fine annectitur peculiaris tractatus. Et hanc appellationem ipsis indulgeo; quamquam non modò in moribus & doctrina, sed etiam in ipso textu plurimùm jam defecerint à memorata Confessione, cui tamen omnes, ut ut aliàs inter se discordes, se addictos profitentur. 14.

Dico 3. Quamvis disputare privatim cum Sectarijs (Lutheranis & Calvinistis) in Germania Jure Positivo prohibitum non sit Catholicis; tamen Jure Naturali non omnibus, & cum omnibus licitum, minùs consultum est. Assertio optimè probatur illam explicando. Itaque dixi 1. *privatim*, nam disputationes publicas & solennes instituere cum ipsis utique permissum non est sine licentia tam Politici quàm Ecclesiastici Superioris, cùm 15.

possint

possint turbare quietem publicam, & Fidem concernant. Dixi 2. in *Germania Jure Positivo*; nam de Jure Communi disputare de rebus Fidei, etiam privatim tantùm, prohibitum est laicis sub pœna excommunicationis per sententiam infligendæ c. quicunque 2. de Hæreticis in 6. quia nempe laici præsumuntur non esse satis versati in Controversiis, ac proinde non sine periculo tum suo tum audientium congredi cum gente perversa & callida: imò & clericis id prohibitum est ratione inconvenientiæ, sed sine pœna excommunicationis Can. cum quibus causa 24. q. 3. Cui tamen utrique prohibitioni consuetudine contraria derogatum est in Germania, ut adeò tam laici quàm clerici, modò rerum Polemicarum periti sint, in his terris licitè disputent cum Adversariis nostræ fidei. Dixi 3. *Jure Naturali non omnibus licitum est*, nempe ijs, qui non satis habent peritiæ, dexteritatis, quin & firmitatis in fide ac virtutis; hi enim & se & alios periculo succumbendi exponunt, & ruinæ spiritualis. Dixi 4. *cum omnibus*, siquidem, si Adversarii sint Hæretici *materiales*, & se non errare bona fide existiment, videndum est, an rationabiliter sperare possis, talem hominem, quocum disputare vis, convertendum à suo errore ad veram fidem; vel potiùs timendi causam habeas, ne in erronea sua secta perseveret, etiam veritatem Catholicæ fidei edoctus, & suæ sectæ falsitatem: si prius, avidè arripienda est disputatio: si posterius, omittenda; cùm alium non referres fructum ac operæ pretium, quàm quòd ex materiali peccatore formalem faceres, & ut ille, qui priùs propter peccatum hæreseos non fuisset exclusus à cœlo, postea etiam propter peccatum infidelitatis damnaretur. Illud foret optimum factu, si talem hominem, cujus conversionem sperare prudenter non potes, doceas modum eliciendi actum Contritionis perfectæ; siquidem facilè contingit, ut ejusmodi materiales hæretici incidant in alia peccata mortalia v. g. luxuriæ, detractionis, invidiæ & odij erga proximum &c. à quibus peccatis liberari nequeunt per Absolutionem Sacramentalem ob defectum Sacerdotis legitimi, & idcirco aliud medium æternam perniciem evitandi ipsis non supereſt nisi Contritio perfecta, seu dolor de peccatis ex motivo amoris DEI super omnia dilecti elicitus. Atque sic prudentem Zelum & egregiam charitatem erga proximum exerceres. Quòd si verò Adversarius sit pertinax, effrons, & obfirmatus in sua opinione, non expedit cum ipso certamen inire; cùm nulla sit spes fructûs: sed obsequendum consilio S. Pauli, quod tradidit Tito suo c. 3. *hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.* Si tamen alij fortè præsentes forent, qui vel fructum capere ex disputatione, vel; si non acceptaretur oblata pugna, scandalum pati possent, quasi ex necessitate rectè susciperetur disputatio.

Quæres, an *aggressivè* vel *defensivè* tenere se debeat, qui cum Lutheranis aut Calvinistis disputat, seu an partes *Argumentantis* vel *Defendentis* sustinere? R. nisi valdè peritus & versatus sit

16.

sit in Polemicis, longè meliùs ac tutiùs agit, si defensivè se gerat, & onus oppugnandi reiiciat in adversarium. Quòd autem nos Catholici possimus pro libitu eligere partes Defendentis, clarum est, quia nos sumus in possessione Veritatis, & veræ Christi Ecclesiæ; adversarii autem aggrediuntur nos, & ex hac possessione moliuntur deturbare. Ipsi nostram Ecclesiam accusant defectionis, idololatriæ, & errorum in fide, adeóque sunt Actores. Ipsi jactant se Reformatores nostræ Ecclesiæ. Ipsi ab ea defecerunt, & tanquam rebelles subditi ab illius obedientia se subduxerunt. Atqui *Aggressoris* est aggressivè pugnare: *Actoris* probare: *Reformatoris* ostendere errorem: & *perfidi Transfugæ* rationem reddere suæ fugæ & detrectatæ obedientiæ; ut apud omnes indubitatum est. Ergo ipsorum est agere partes Argumentantis, nisi nos sponte illas suscipere velimus.

17. Qui autem *defensivè* se habet, & citò expedire se, & omne argumentum in quavis materia, quod Adversarius in suis principijs afferre potest, statim in cunis suffocare intendit, facillimè poterit, si nempe in dubium vocaverit, vel etiam ipsi negaverit hæc quatuor, vel saltem unum ex ipsis 1. quòd detur aliqua Scriptura S. quæ sit Verbum Dei. 2. transmissâ (si liberaliter velit agere) existentiâ Scripturæ, quòd illa comprehendatur illis libris, quos Adversarius habet pro Canonicis. 3. quòd ipse habeat legitimam versionem, & editionem incorruptam. 4. His omnibus *gratis* (quia nunquam certò & infallibiliter probare poterit in suis principijs) & liberaliter permissis, quòd verba Scripturæ, quæ contra te allegat, habeant illum sensum, quem Adversarius intendit. Hæc omnia si quis neget, uti negare potest, cùm non sint per se nota & evidentia, Adversarium ita constringet, ut pergere, & vel unicum articulum v. g. de numero Sacramentorum, de Justificatione per solam fidem &c. contra nos probare nullatenus possit: siquidem in suis principijs nullum argumentum adducere potest nisi ex Scriptura petitum. Quamdiu autem de illis quatuor punctis dubium manet, nec ea *infallibiliter* probat (quod rejecta Ecclesiæ & Summi Pontificis auctoritate impossibile est, ut demonstro in Tractatu de Scriptura S.) nullum fidei articulum sufficienter & *infallibiliter* probare poterit in æternum, quia ex Scriptura aut sensu Scripturæ dubio evidenter impossibile est aliquid infallibiliter & certò deducere, etiamsi textus cumulentur textibus innumeris, quod facere solent, ut vel obruant vel terreant eos, quibuscum agunt.

Quòdsi placeat disputare *aggressivè*, 18.
consultum est, ut non descendas ad materias particulares v. g. de confessione auriculari, præsentia Christi in Eucharistia, etiam extra actualem manducationem, sine pane &c. sed ut sistas in principijs generalibus, probando nimirum, veram Ecclesiam à Christo fundatam necessariò durare usque ad finem mundi, & quidem ita, ut in errorem circa res fidei labi nequeat. Quo præstito consectarium est, nul-

lam.

lam Ecclesiam esse veram, quæ primùm post tempora Christi fuit introducta, & illam esse veram Ecclesiam hodiedum, quæ fuit aliquando vera. Atqui Ecclesia Lutherana, Calvinistica &c. primùm post tempora Christi fuerunt introducta, nec scitur locus ullus in mundo, in quo per 15. sæcula à Christo usque ad hos Novatores talis doctrina, qualem ipsi tenent, prædicata fuerit &c. Item ipsimet fatentur, Ecclesiam Romano-Catholicam saltem primis sæculis fuisse veram Christi Ecclesiam. Porro ostendes, illam Ecclesiam esse veram, cui conveniunt notæ & signa veræ Ecclesiæ: econtra falsam illam, cui non conveniunt: atqui (subsumes) Ecclesiæ Romano-Catholicæ etiam modernæ conveniunt hæ notæ & signa, nulli autem alteri, ut invenies infrà in Tractatu de Ecclesia. His autem firmatis & complanatis omnes quæstiones controversas complanâsti, omnes articulos nostræ fidei sufficienter probâsti, & debellatum est de omnibus Adversarijs: eò quòd veram Ecclesiam in rebus fidei errare impossibile sit. Proinde (inferes) Ecclesia Romano-Catholica non errat docendo, Christum esse præsentem realiter in Evchariſtia, etiam extra usum, sine pane, peccata homini esse aperienda &c.

19. Alius modus *aggressivè* disputandi posset institui per varias quæstiones. v.g. sic. Vel Ecclesia tua (Lutherane, Calvinista &c.) est nova vel antiqua? Si nova: ergo non est Ecclesia à Christo fundata: si Antiqua: ubi ergo fuit ante Lutherum, Calvinum, per tot sæcula? quis Historicorum ejus meminit? quis unquam ante hos Novatores ita credidit, uti nunc vos? &c. 2. Vel Ecclesia Christi est fallibilis, vel infallibilis: si infallibilis: ergo Romana Ecclesia, quæ etiam juxta vos aliquando fuit Ecclesia Christi, adhuc est vera Ecclesia Christi, quia nunquam errare potuit. Si *fallibilis*: ergo etiam vestra Ecclesia est fallibilis: si fallibilis, nunquam potestis esse certi, utrùm rectè credatis, consequenter non potestis habere fidem firmam, & certam, adeóque nec Divinam, quæ debet tam objectivè quàm subjectivè esse certissima. 3. Vel possunt homines salvari in Ecclesia Romana vel non? si possunt: ergo Lutherus, Calvinus, & eorum assecæ egressi sunt de Ecclesia Salvifica, & pessimè eam deseruerunt cum tanto Reipublicæ & pacis detrimento, cum tanta homi num strage &c. Si non possunt: ergo omnes per 12. vel plura sæcula fuerunt damnati, etiam tot Martyres pro Christo passi effuso sanguine, etiam Augustinus, Hilarius, Bernardus, Dominicus, Franciscus & alij innumeri etiam miraculis conspicui &c. quos & ipsi vocaris *Sanctos*, & aliquos eorum etiam in ipsa Apologia Confessionis vestræ Augustanæ.

Si tam facilè ac solidè convinci pos- 20.
sint Protestantes, quare ergo tam pauci convertuntur ad Ecclesiam Romano-Catholicam, à qua egressi sunt? 2. Aliqui ideo, quia nostra argumenta, & motiva credibilitatis pro nostra Religione, & falsitatis pro sua, non satis sunt ipsis cognita, vel non sufficienter applicata: & hi materialiter errant.

Econtra alij, quibus hæc sufficienter perspecta sunt, ideo non convertuntur, quia nolunt; nimirum vel absterriti *difficultate*, quam apprehendunt in mutanda Religione, aut sibi imaginantur in ijs, quæ reperiuntur apud Catholicos, cujusmodi est confessio peccatorum occultissimorum, necessitas emendandi vitam, & sibi temperandi à vitijs præsertim carnalibus, quibus dediti sunt, jejunia &c. vel prohibiti *respectu humano* erga consanguineos, Patronos, familiam &c. vel retracti *metu* amittendi bona temporalia, officia honorata &c. vel obdurati *mentis superbiâ*, ne videantur falsitatis convicti manus dare, & tamdiu tantaque pertinacia adhæsisse falsæ Sectæ, malamque propugnâsse causam &c. Et hi formaliter, pertinaciter, & damnabiliter errant. His accedunt fraudes Prædicantium, qui odiosè, mendaciter, & calumniosè traducere ac denigrare non cessant doctrinam Catholicorum, Papam, Clerum, Religiosos, præsertim Jesuitas: ut nimirum aversione à teneris annis contra illos conceptâ fugiant, & se suos dedoceri errores non patiantur. Dicunt & clamant, Catholicos non curare Scripturam S. imò contemnere, pluris facere verba hominum & Papæ, quàm Dei & Evangelij, fidem penitus negligere, sola opera commendare, peccatores non ex meritis Christi, sed ex suis meritis justificari & salvari, Sanctos adorare tanquam Deos, Christo præponere Deiparam, in Eucharistia adorare panem, in Consecratione uti magicis incantationibus, Jesuitas esse magos, diabolos, & hinc omnes habere unum pedem caprinum &c. Et sic depingunt Catholicos tanquam Idololatras, Hæreticos, Magos, & sceleratissimos mortalium. Quid mirum, quòd tantopere abhorreant à Religione Catholica imperiti?

Pro utrisque, ut convertantur tandem, & ad ovile redeant diu ac perniciosè errantes oviculæ, imprimis orandus est Deus, in cujus manu sunt corda hominum. Dein huc præsens spectat labor, quem suscepi, & nunc redactum in alium ordinem denuo (sæpius rogatus) publici juris facio, ut nimirum vel ipsi Heterodoxi (si legere dignati fuerint) veritatem nostræ, & falsitatem suæ fidei, clariùs agnoscant, vel à Catholicis ista lecturis (quos simul in Orthodoxa sua Religione plurimùm confirmari cupio ac spero) data occasione intelligant. Antequam verò ipsam rem aggrediar, majoris claritatis gratiâ ob oculos, quem observare placuit, ponendus videtur 21.

Ordo Doctrinæ.

TOtum Opus dividam in duas partes pro numero annorum, quibus Studii Polemici Cursus in nostris Scholis absolvitur. *PRIMA* pars tres complectetur controversias, quas *Fundamentales & Generales* nomino, quia jaciunt prima Fundamenta, & Generalia Principia ponunt, quæ in subsequen-

quentibus vel ſupponere neceſſe eſt : utì ſunt ea, quæ in I. Controverſia ſtatuo *de exiſtentia & unicitate alicujus Religionis à Deo revelatæ, & quidem Chriſtianæ*: vel ex quibus tanquam ex certiſſimis credendorum regulis ſolida eruuntur argumenta ad probandum, quænam ſit Religio, & dogmata à Deo revelata, ac à nobis credenda : utì ſunt, quæ in II. & III. Controverſia diſſero *de Scriptura S. & Eccleſia* : vel quæ ita influunt in deciſionem omnium controverſiarum Fidei circa dogmata particularia, ut ſine illis iſtæ nunquam ritè ac perfectè decîdi valeant, nec ulla lis circa res fidei particulares ſolidè dirimi: utì iterum ſunt, quæ in memoratis duabus Controverſiis, præſertim in ultima *de Eccleſia* ſtabilio. SECUNDA pars ſibi vendicabit iterum tres Controverſias, quas appello *Particulares*, quia agent de materiis particularibus, & iis fidei articulis, Catholicos inter & modernos Sectarios controverſis, qui per ſe non neceſſariò requiruntur, vel ſupponuntur tanquam principia ad ſolidè probandos vel inferendos alios. I. Controverſia tractabit *de Juſtificatione peccatoris* cum annexis materijs. II. De *Juſtis & Sanctis alterius vitæ*, cum huc pertinentibus. III. De *Sacramentis* tum in genere, tum in ſpecie. Quo pacto omnes materiæ, Controverſiſtis per biennium in Scholis ex præſcripto pertractandæ, commodo abſolvuntur ordine. Adijcio in fine Examen Theologicum ſuper *Auguſtana Confeſſione*, quæ Lutheranis omnibus eſt primus & præcipuus *liber Symbolicus*, ut vocant, & pupilla oculi.

PARS PRIOR,

Complectens fundamenta & principia Generalia Theologiæ Polemicæ.

CONTROVERSIA FUNDAMENTALIS ET GENERALIS

I.

De existentia alicujus & unius Religionis veræ à Deo revelatæ.

Proponitur Ratio doctrinæ & styli.

PRimum omnium ex Polemicis Opusculis, quæ in lucem edidi, erat ***Iter Polemicum***, ita indigitatum, quòd eundo per omnes hominum Sectas, vel nullam vel aliquam vel plures Religiones colentium, videlicet Atheorum, Polytheorum, seu Gentilium Idololatrarum, Deistarum, Epicuræorum, Turcarum, Judæorum, Paganorum universim, Libertinorum, Indifferentistarum, Lutheranorum, Calvinistarum, Jansenistarum, & Hæreticorum universim (quas omnes & singulas ex principijs, solo Naturæ lumine notis, falsas esse demonstravi) ad unicam veram Religionem, quæ est Ecclesia Romano-Catholica, veritatis amantem tandem deducat. Nunc, quæ ibi disserui, hoc loco cæteris omnibus præmittenda censui, utpote fundamenta, quæ in subsequentibus necessariò supponi debent tanquam extra omnem controversiam posita, exceptis iis, quæ de Hæreticis universim, ac de Lutheranis, Calvinistis, & Jansenistis in specie disputata sunt, siquidem contra hos agendi multiplex & ferè continua in decursu se se offeret occasio, eò quòd eos debellare præcipuus præsentis laboris Scopus sit. Ad stylum quod attinet, quem in præfato Itinere Polemico sublimiorem ac Oratorio magis vicinum adhibere volui, ratus, cum ratione ornatûs sui qualiscunque delicato sæculo moderno magis arisurum: sed deceptus contrarium experientiâ didici, eò quòd legentes sine intensa ingenij applicatione & fatigatione, quæ saltem minùs Doctis necessaria est in politiori dictione assequenda, in libris Polemicis veritatem quærant, non ornatum. Mutare igi-

tur

tur nunc illum placet in Methodum Scholasticam, qua in reliquis omnibus usus sum, eò quòd ista sit accommodatior pluribus, facilior ad intelligendum, clarior ad docendum, efficacior ad convincendum, &c, quod indè consequens & à me maximè intentum est, utilior omnibus. Adde, quòd res fidei, àquibus æterna pendet salus, ob præstantiam & necessitatem suam exigant planâ & solidâ methodo pertractari, ut faciliùs certiúsque pernoscantur.

Ne autem mireris, Benevole Lector, quòd contra Atheos, Epicureos &c. prævie demonstrare aggrediar existentiam alicujus DEI, alicujus Religionis revelatæ à DEO, Immortalitatem animæ Rationalis &c. nôsse te velim, non paucos ex moderni temporis Pseudopoliticis Atheismum in animo fovere, vel Indifferentismum &c. diceréque in corde suo: non est Deus: non est altera vita: nulla est Religio in Mundo. Vel: omnis Religio, quæcunque sit, placet DEO &c. vel saltem de hujusmodi principijs addubitare. Hi mentem suam vel nunquam vel non perfectè exprimunt, præsertim calamo, ne, quales sunt, etiam alijs appareant sceleratissimi, & nil nisi carnem ac terrena sapientes. Frequentiùs aliquid produnt colloquiô, jam inter notos apertè, jam inter ignotos obscurè, discursûs, ut aiunt, gratiâ, de rebus fidei gravissimis haud aliter ac de novellis aut negotijs politicis differentes, insuper tam ambiguè, ut nescias, cujus sint toni, quid credant, quid negent, cùm omnia negare cuperent. Hos profanæ Politicæ Epicureos Ministros & Nigræ Aulæ alumnos confutare priùs necesse est, haud aliis tamen argumentis, quàm quæ ratio & lumen naturale omnibus inditum subministrat; siquidem Scripturam flocci habent, vel pro libitu tractant, Patres contemnunt vel rident ut simplices Monachos, Miracula explodunt &c. Quo pacto complanatâ sensim viâ ad debellandos ætatis nostræ Sectarios, videlicet Lutheranos præcipuè, tum & Calvinistas, aliósque ab avita fide Ecclesiæ Romano-Catholicæ apostatas accingemur. In hac igitur Controversia I. demonstrabimus 1. existentiam alicujus DEI. 2. unius DEI. 3. providi & justi DEI, qui præmia Bonis & supplicia Malis, vel in hac vel in altera vita certè reddet: unde inferetur animæ rationalis immortalitas. 4. existentiam alicujus Religionis à DEO revelatæ. 5. unius tantùm. 6. & quidem Christianæ. 7. proinde Judæorum. 8. & Turcarum sectas evidenter falsas esse. 9. ex Christianis autem non nisi unicam esse veram. Quibus fundamentis solidè firmatis proximum quidem & ordinatissimum esset mox inquirere, quænam ex tot & tam diversis Religionibus, quæ Christianum sibi nomen adscisçunt, vera sit, ut sic rejectis *Judaismo* & *Paganismo* mox omnis quoque *Hæresis* refelleretur, ac proinde omne *Infidelitatis* genus. Quod fieret, si statim subjungeretur tractatus de *Ecclesia*. At verò, quoniam cum ijs dimicandum est, qui nil nisi Scripturam, seu scriptum DEI verbum, audiunt & obtrudunt, nec alteri argumento vim infallibilem ad probanda fidei mysteria adstruunt, nisi ex SS.

Lit-

teris petitæ, auctoritate omni Traditionibus & Ecclesiæ penitus ademptâ: expedire, quin & necessarium esse judicavi, priùs tractare de *Scriptura*, ubi evidenter contra Adversarios ostendam, etiam ex Verbo Dei non scripto, sive Traditionibus, & Ecclesiæ definientis auctoritate, æquè firma, ac ex Scripturis, argumenta peti posse, quin & debere, cùm sine his nec de Scripturis nec de earum genuino sensu infallibiliter constare queat. Cudere in hoc tractatu priùs arma oportet: quo labore simul Adversarijs eripiemus sua: quo facto nec aggredi nos, nec se à nobis oppugnatos defendere haud satis valebunt ampliùs. Tum demum monstrabimus ipsis illam Ecclesiam, velut turrim Davidicam, ex qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium contra omnes Veritatis Christiano-Catholicæ adversarios.

ARTICULUS I.

Existit aliquis Deus.

Contra Atheos.

SUMMARIUM.

1. *Deus sub triplici ratione consideratur, & existere demonstratur.*
2. *Primò sub ratione Entis improducti, & necessarij.*
3. *Etiam permisso aliquo in infinitum processu.*
4. *Nec obstante, quòd argumentum ducatur à sensu Distributivo ad Collectivum.*
5. *Secundò sub ratione supremi Rectoris, & justi Remuneratoris.*
6. *Tertiò sub ratione Entis summè perfecti.*
7. *Nihil impedit, quòd aliqui vel negent, vel ignorent Deum: aut quòd jubeamur credere existentiam Dei.*

1. SCiendum, *DEI* nomine intelligi 1. Ens à se, improductum, necessarium in existendo, causam primam rerum omnium, & Conditorem totius Universi. 2. Supremum & æquissimum Mundi Rectorem, qui Bonos condignis præmijs afficit ut liberalis Remunerator, Malos verò meritis pœnis persequitur justus Vindex. 3. Ens infinitæ perfectionis, quo nihil majus nihil melius excogitari potest. Hoc ens sub hac triplici ratione consideratum existere, cum Philosophis ex naturali lumine demonstrare aggredior, imprimis quidem sub ratione entis à se, improducti, necessarij, causæ primæ &c. deinsub ratione æquissimi Gubernatoris, & Judicis, demum sub ratione entis perfectissimi. Quamquam enim nemo facilè se Atheum profiteri audeat, postquam

quam tamen Machiavelli principia, qui DEI nomen ad terrendos tantùm & in officio continendos homines excogitatum blasphemavit, placuere multis, vereor sanè, ne pestilens Atheismi venenum etiam eorum animos infecerit, cupientes remotum, qui malefacta castiget, ut liberiùs in flagitia ruere possent. Contra hos

2. Dico 1. Existentia DEI tanquam entis Improducti, Necessarij &c. evidenter infertur ex creaturis actu existentibus, ita ut à nullo sanæ mentis negari possit. Probatur 1. adducendo sequens argumentum: evidens est ab experientia, dari ens productum: ergo & evidens est dari *ens improductum*: ens improductum est Deus: ergo evidenter datur Deus. Consequentia prima, quam solam negat Atheus, sic probatur: ens productum est evidenter productum ab alio priore se (nihil enim potest producere se ipsum, aliàs operari posset, antequam existeret, quod evidenter implicat) ergo est productum ab alio: atqui istud aliud non potest esse ens productum; quia semper redit quæstio, utrùm sit productum ab alio, pariter producto, in infinitum: ergo debet deveniri ad ens improductum, vel admitti processus in infinitum in causis producentibus, qui est impossibilis, vel dici, quòd duo vel plura entia se mutuò produxerint causalitate mutua, quæ evidenter repugnat.

Prob. 2. adducendo aliud medium: evidens est dari ens contingens (hoc est, tale, de cujus essentia est *posse existere vel non existere*) ergo etiam evidens est dari *ens necessarium* in existendo, quod est DEUS. Cons. Prob. si datur ens contingens, seu indifferens ad existendum vel non existendum, evidenter debet dari aliquod ens, quod istam indifferentiam tollat, & entia contingentia determinet ad existendum potiùs quàm non existendum: atqui istud ens, quod debet tollere indifferentiam, evidenter non potest omne esse contingens: ergo evidenter debet dari aliquod ens non contingens, adeóque necessarium, si detur aliquod ens contingens. m. P. si omne ens tollens indifferentiam pariter esset contingens, fieri potuisset evidenter, ut aliquando nullum ens existeret: sed hoc est evidenter falsum; si enim aliquando nihil exstitisset, vel fieri potuisset, ut omnino nihil existeret; hoc ipso nihil ampliùs fuisset possibile & producibile; à quo enim produceretur aliquid, & determinaretur ad existendum, si omnino nihil existeret? ergo non omne ens, entia contingentia determinans ad existendum, potest esse contingens, sed aliquod evidenter debet esse necessarium.

Objicies 1. Utrumque argumentum supponit implicantiam processûs in infinitum: sed non est evidens, implicare processum in infinitum: ergo neutrum evidenter probat existentiam Dei. R. quamvis plurimi optimo jure negent Min, & dicant, evidenter repugnare, infinitam retro seriem causarum jam exstitisse; nihilominus tamen gratis & causæ bonitate freti permittamus Atheo processum causarum & entium producentium ac productorum infinitum, sed talem tamen 1. in quo præ- 3.

scindatur, utrùm omnia entia, ab æterno per infinitam seriem producta, sint producta ab alio producto vel improducto; & an sint causæ adæquatè & absolutè sufficientes, vel tantùm inadæquatè & conditionatè sufficientes; si enim permitteretur Atheo, quòd infinita series entium productorum sit producta ab alio producto, & causæ in infinita serie existentes sint *adæquatè* & *absolutè* sufficientes, daretur ipsi, quod est in quæstione; quia de hoc quæritur, utrùm omnia & singula entia producta sint producta ab alio pariter producto tanquam à causa adæquatè & absolutè sufficiente sine ente *improducto*. 2. talem processum, de cujus possibilitate certò non constet, sed dubitetur adhuc; ut adeò, si per argumentum aliquod evidens consecutivè iterum fortè destrui contingeret, qui ipsi tanquam incertus interea permissus est, processum in infinitum, sibi imputare debeat Atheus, quòd structuram suam tam labili fundamento inædificârit. Hoc itaque processu gratis etiam permisso existentiam Dei adhuc demonstro, &

Sic argumentor: Tota collectio entium successivè productorum, etiamsi fingatur infinita, est producta necessariò ab alio adæquatè à se distincto (cùm evidenter nihil possit vel inadæquatè se ipsum producere) ergo est producta ab ente improducto. Ant. admittere debet Atheus, nisi velit admittere, quòd aliquid se ipsum, vel duo se mutuò producere possint, quod utrumque ratio naturalis horret. Consequentia est clara; si enim omnia producta sint producta ab alio adæquatè ab entibus productis distincto, istud aliud evidenter nequit esse ens productum; aliàs daretur ens productum extra omnia producta, quod in terminis repugnat. Ant. ulteriùs confirmatur: tota collectio infinitorum entium & causarum productarum est sibi insufficiens ad absolutè existendum; quia est conflata ex meris entibus insufficientibus, quæ nullam prorsus habent virtutem ex se, & absolutam, sicut existendi, ita & producendi aliud ens, sed tantùm conditionatam, si ab alio adæquatè à se distincto producantur, & aliquam activitatem accipiant: ergo evidenter requirit causam adæquatè à se distinctam, à qua accipiat suum esse & virtutem operandi. Rem accipe in exemplo: finge infinitum numerum cæcorum, quorum nullus habet oculum ad cliciendam visionem necessarium; vel infinitam copiam pauperum, quorum nullus vel obolum habet: tam parùm videbunt infiniti cæci simul sumpti, ac quilibet seorsim; & tam parùm divites erunt omnes pauperes simul, quàm singuli seorsim: ergo etiam infinita collectio, vel infinita successio entium productorum, de se absolutè & adæquatè insufficientium ad existendum & producendum, erit æquè insufficiens ad absolutè existendum & producendum, quàm singula seorsim; cùm insufficientia addita insufficientiæ non tollat insufficientiam, sicut cæcitas addita cæcitati non tollit cæcitatem, & paupertas addita paupertati non tollit paupertatem, sed potiùs auget: ergo cùm fingas existere vel existitisse infinitas in-

sufficientias ad existendum (nimirum infinita entia producta) necessariò & evidenter admitti debet aliud ens, quod ex se sit sufficiens, & improductum, à quo illa suam existentiam & virtutem producendi accipiant. Audi aliud exemplum: sit catena longissima in aëre suspensa, quam finge extensam sine fine, & habere infinitos annulos, quorum nullus potest pendere sine fulcro sustentante se propter gravitatem suam, qua tendunt ad solum: hi annuli, etiamsi fingas infinitos, cadent deorsum, nisi ad aliquem deveniatur, qui cadere non possit, & simul sustineat reliquos omnes: cùm igitur ad nullum ex tota collectione infinitorum annulorum deveniri possit, qui polleat hac virtute pendendi in aëre sine alio sustentante se, cùm omnes & singuli sint ejusdem naturæ; debet necessariò deveniri ad aliam virtutem extra infinitos istos annulos inter se connexos, à qua sustineatur tota catena etiam infinitè protensa. Sic pariter deveniri debet ad aliquam virtutem extra collectionem omnium productorum existentem, à qua suum esse, & illam, quam habent, operandi virtutem acceperunt. Verbo: ostendi non potest, neque capi, quomodo in meras insufficientias venerit sufficientia producendi, nisi deveniatur ad aliquod ens extra omnia entia producta existens, sibi & alijs sufficiens, quod est Deus.

4. Ob. 2. Hoc argumentum ducitur à sensu distributivo, ut loquuntur Scholæ, ad sensum collectivum: sed hujusmodi argumenta non sunt legitima: sic itique malè infertur: singuli homines habent tantùm unum caput: ergo etiam tota collectio habet tantùm unum caput: possum portare lapidem A. lapidem B. &c. ergo possum portare omnes simul & collectivè sumptos, sicut possum portare seorsim & distributivè acceptos: ergo allatum argumentum non est legitimum & efficax. R. transf. M. D. m. non est legitimum formaliter, hoc est, non bene concludit in omni materia C. m. non est legitimum materialiter, seu in quibusdam certis materijs. N. m. & conf. Evidenter concludit legitimè in allatis exemplis de cœcis & pauperibus; & rectè infertur: singuli cœci non vident: singuli pauperes nihil habent: singuli famelici indigent cibo: ergo etiam omnes simul sumpti. Quando igitur & in quibus materijs concludit legitimè? R. tunc, quando prædicatum convenit partibus subjecti præscindendo, utrùm dicatur de singulis seorsim vel omnibus simul sumptis, & non convenit singulis propter negationem aliarum partium: sic istud prædicatum *indigere cibo* (quia præscindit, utrùm dicatur de famelicis singulis seorsim, vel de omnibus simul sumptis, nec convenit famelicis propter negationem aliorum famelicorum) non tollitur, etiamsi dicatur de pluribus, imò omnibus (etiam, si velis, infinitis) famelicis. Tale prædicatum quoque est esse *productum ab alio*, *esse insufficiens ad existendum &c.* abstrahit enim, sive dicatur de singulis, sive de omnibus, sive etiam de infinitis entibus productis & insufficientibus.

5. Dico 2. Existentia DEI etiam ut suprema

premi Rectoris, Remuneratoris, & Vindicis evidenter demonstrabilis est. Probatur afferendo argumentum sequens: Hæc propositio, ***nullus existit DEUS***, est evidenter falsa: ergo ejus contradictoria est evidenter vera, nimirum hæc, ***aliquis existit DEUS***. A.P. illa propositio est evidenter falsa, ex qua sequuntur evidentes falsitates & absurda manifesta; cùm juxta Dialecticæ Leges falsum non ex vero, sed ex falso sequatur: sed ex hac propositione, ***nullus existit DEUS***, sequuntur evidentes falsitates, & manifesta absurda: ergo. Nisi enim hæc propositio esset falsa, sequeretur 1. actus Religionis, charitatis DEI, timoris DEI &c. esse stultos ac rationi repugnantes: econtra odium DEI, blasphemias &c. esse actus honestos & rationi conformes. 2. nullum virtutis præmium esse sperandum Bonis, nullum sceleris supplicium pertimescendum Malis; cùm nemo esset, qui occulta scelera, aut virtutes heroicas, præsertim in agone exercitas, aut sciret, aut remunerari vel punire posset. 3. homines innumeros & ferè omnes omnium ætatum & locorum, atque ex iis sapientissimos quosque ac integritate vitæ clarissimos, qui semper pro certissimo habuerunt omnes, existere Deum, fuisse deceptos in re gravissimi momenti, ac in fundamento omnis honestatis: econtra pauculos quosdam sceleribus infames, & nulla sapientiæ laude claros (Atheos nempe) veritatem summam esse consecutos &c. Hæ autem & similes sequelæ sunt utique falsitates evidentes & absurda manifesta, rectæ rationi quàm maximè contraria. Hoc argumentum vocatur ***Morale***, non quòd moralem tantùm certitudinem pariat de DEO, sed quòd ad formandos mores serviat.

Dico 3. Existentia DEI etiam ut entis summè & infinitè perfecti, quo melius excogitari nihil potest, demonstrabilis est. Probatur per hoc argumentum: evidens est, unum ens ex illis, quæ actu existunt, esse melius & perfectius altero: sic utique homo est melius quid brutô, plantâ, lapide, aquâ &c. Ergo evidens est dari aliquod ens ex actu existentibus optimum: sed quod ex omnibus existentibus est optimum, evidenter etiam ex omnibus possibilibus est optimum: ergo evidenter datur actu ens omnium tam existentium quàm possibilium optimum, seu tale, quo majus & melius dari ac excogitari nequit, quod est DEUS Optimus Maximus. Subsumptum ostendo: quidquid est possibile, debet posse produci in virtute alicujus causæ actu existentis, ut nemo sanus negat: sed nulla virtus existens potest producere ens se ipsâ melius & perfectius tanquam causa totalis, ut iterum est manifestum, & nemo prudentum negat, cùm saltem in causa principali (consequenter in causa adæquata) requirant omnes ad minimum tantam perfectionem, quantæ est effectus, cui dat existere: ergo aliquid actu existens debet esse virtus & causa totalis (in actu primo) omnium possibilium: atqui hæc virtus & causa est evidenter melior omni possibili & producibili; quia, quod est possibile, non autem existit, caret maxima per-

6.

perfectione, scilicet existentia actuali, quam tamen habet res actu existens. Unde & consectarium est, ens summè perfectum, nempe DEUM, si admittatur possibilis (quod ostendit hoc ratiocinium) necessariò existat actu; cùm debeat habere actu omnem perfectionem possibilem.

Confirmatur considerando mundum & res actu existentes, præsertim solem, lunam, stellas, plantas, animalia etiam minima, præcipuè hominem, in quibus omnibus & singulis tam admirabilis reperitur structura, pulchritudo, symmetria, & ordo, ut oculis & omni ratione captum esse necesse sit, qui prudentissimum, & infinitæ perfectionis Architectum indè non deducat, & DEUM ex his, quæ facta sunt, non videat. Attendat Atheus & seipsum contempletur, nimirum admirabilem sui corporis organizationem, ejúsque virtutem plasticam, ut vocant, potentiam videndi in oculis, & ipsam visionem, potentiam intelligendi in cerebro & ipsam intellectionem, prolocutionem sui conceptûs &c. & admirans, non capiens se, fateri cogetur, se esse opus summè perfecti artificis.

7. Ob. 3. Multi ignorant, vel omnino negant DEUM: sed quod est evidens, ignorari nequit: ergo. 2. Juxta nos credi debet existentia DEI: sed quod evidenter scitur, non potest credi: ergo existentia DEI non est evidens; vel si evidens, credi nequit. R. ad 1. Negando M. quod *multi* ignorent vel negent DEUM; siquidem Plutarchus rectè pronuntiavit, potiùs conspiciendam esse urbem sine solo, quàm sine DEO & Religione. Et Cicero ait, nullam esse gentem tam immansuetam, quæ non, etiamsi ignoret, qualem DEUM habere deceat, tamen habendum sciat. Si aliqui sint, qui ignorant DEUM, indè fit, quia nunquam se seriò applicant ad hanc veritatem cognoscendam, sed sponte ac ex perversa voluntate quasi valvas obducunt, ne hanc lucem videant, & oculos perversè deflectunt vel claudunt, ne ex creaturis Creatorem, quod facillimum foret, cognoscant. Ad 2. D. m. tripliciter, 1. quod evidenter scitur, non potest credi sub illo motivo, sub quo scitur. C. sub alio motivo N. m. DEUM existere credimus sub motivo obscuro Divinæ revelationis, evidenter scimus sub motivo evidentium argumentorum, quæ attùlimus. 2. quod evidenter scitur, non potest credi tunc, quando motiva evidentia per discursum sunt actu applicata, seu in sensu compositio, transeat, quando non sunt actu applicata, seu in sensu diviso. N. m. 3. non potest credi sub illo prædicato, sub quo scitur, transf. sub alio prædicato. N. m. Credimus DEUM sub ratione Remuneratoris supernaturalis, scimus DEUM sub ratione entis improducti, causæ primæ &c. Quamquam ego non negem, DEUM etiam sub his prædicatis credi posse juxta duas priores responsiones.

Urgebis: innumeri Gentiles non agnoverunt verum DEUM: ergo existentia DEI non est evidens. R. N. C. aliud enim est nôsse, quòd detur Deus, & aliud est nôsse, quis ille sit DEUS, & qualis. Priorem veritatem Natura ipsa omnes universaliter docet, non ita po-

fteriorem: ſicut Natura univerſaliter omnes docet, præſtitutam homini eſſe aliquam beatitudinem, non tamen ita docet, in quo conſiſtat illa beatitudo, quæ & qualis illa ſit: Omnes ſcimus, dari continuum, quid autem illud ſit, ignoramus paſſim. Cæterùm tibi nullum moveat ſcrupulum turba Atheorum, præfractè intra ſe DEUM negantium, vel potiùs negare conantium: partim quia eos inſanire hucusque oſtendimus, partim quia ipsimet internis ſtimulis ſupremum Legislatorem & Vindicem agnoſcere compelluntur, adeóque DEUM ſuo ſuffragio vel inviti confiteri: nam & ipſi in ſubitis caſibus (ubi Natura, non Conſilium, operari conſuevit teſte Philoſopho) in ſubitis periculis DEUM & ejus opem inclamant, ob immiſſa mala eum blasphemant, ob admiſſa etiam occultiſſima crimina timent, malefactorum memoriâ torquentur lancinante miſeros conſcientiâ, inſtante morte exhorreſcunt &c. Sed iſta non facerent, niſi agnoſcerent, vel agnoſcere à Natura cogerentur aliquem, qui omnia ſciat, omnia poſſit, omnia condignis præmijs vel ſupplicijs afficiat &c. Quem igitur rationum pondera obſtinatum non permovent ad agnoſcendam DEI exiſtentiam, tandem propria conſcientia convincit.

ARTICULUS II.

Exiſtit unicus tantùm Deus.

Contra Gentiles Idololatras.

SUMMARIUM.

1. *Multos & varios ſuperſtitioſa Antiquitas coluit Deos.*
2. 3. *Sed ineptè, & contra lumen rationis.*
4. *Ex Trinitate Perſonarum non inferuntur tres Dij.*

SCiendum, Quamvis Polytheiſmus, ſeu ſecta plures agnoſcens Deos, ſit
1. evidenter contra lumen rationis, & ſcelus Atheiſmo par, vel etiam majus; innegabile tamen eſt, plurimas & integras nationes, imò antè Chriſti tempora totum fere Orbem in hoc execrandum Idololatriæ ſcelus prolapſum eſſe, & rebus innumeris, etiam viliſſimis, Deitatem & Divinos honores tribuiſſe. Sic Perſæ Cœlum & Jovem tanquam ſuprema Numina coluere: Sic Ægyptij Serapim & Crocodilos ſibi deos fecerunt: Sic Arabes Jovem & Bacchum, Indi Solem, Phryges Lunam adorârunt. Romani, ſicut cæteros populos potentiâ, ita in accumulandis Dijs ſtultitiâ antegreſſi tot Numina ſibi colenda finxerunt, ut ingens volumen vel referendis eorum nominibus vix ſufficeret

Rur.

Ruri deam Rurinam, vallibus Valloniam, Montibus Deum Montinum, domibus deos Penates aut Lares &c. præesse commenti sunt. Credibile tamen non est, prudentiores, quales fuere Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca &c. agnovisse tot Numina, quot ex metu Imperatorum vel insanientis Vulgi exterius adorabant, ut colligere licet ex eorum libris.

2. Dico. Evidenter repugnat, plures dari deos, quàm unum. Demonstratur 1. Si plures sint Dij, vel omnes habent potestatem & libertatem faciendi, quod lubet, vel aliqui tantùm, vel nullus? quidquid dicatur, dicitur aliquid evidenter absurdum & falsum: ergo. m. P. si nullus: ergo nullus omnino est Deus; qualis enim, obsecro, Deus sit, qui caret viribus & libertate disponendi pro libitu? qui dependet ab alijs, qualis Dominus? si aliqui: ergo reliqui non sunt Dij: dein si plures (sive omnes, sive aliqui tantùm) habent potestatem & libertatem faciendi, quod lubèt, possunt facere & velle contradictoria, & contraria. v. g. unus pluvias, alter serenitatem, unus salubrem mortalibus auram, alter pestem, unus te ordinabit ad sceptrum, alter ad mortem: *Muleiber in Trojam, pro Troja stabit Apollo*, unus eam eversam, alter non eversam cupiet &c. Sed hæc & similia sunt evidenter falsa & absurda; nam evidenter ex his Dijs litigantibus non omnes possunt esse victores, cùm talia inter se pugnantia poni nequeant: Miseri igitur dij erunt, qui debent succumbere, & miseri, qui non sine jurgijs, rixis, & diffidijs possunt vincere: implicat autem evidenter miser DEUS: ergo.

Demonstratur 2. Si plures sint Dij, vel omnes sunt inter se æquales, & summè excellunt: vel unus est major cæteris, & solus summè excellit, éstque tale ens, quo majus, & cui æquale nec datur nec dari potest? si unus est major cæteris, solúsque summè excedit: ergo cæteri hoc ipso sunt excluſi de numero Deorum; evidenter enim implicat Deus, qui non sit ens summè excellens, non supremus Dominus, qui alium superiorem se agnoscere debeat. Si omnes sint æquales, hoc ipso nullus erit DEUS, eò quòd nullus sit summè perfectus, habens omnem perfectionem possibilem; cùm singuli careant ijs prærogativis, quæ reperiuntur in cæteris. Porro si plures inter se æquales admittantur Dij, debent admitti numerô infiniti Dij; quod ostendo: ubi aliquando admittitur multiplicatio individuorum possibilis, eam sine fine extendibilem fateri necesse est; quid enim prohibet, cur ex individuis omnino æqualibus addi nequeat secundo tertium, tertio quartum, & sic in infinitum? Si autem aliquando concedas, possibiles esse plures & plures Deos in infinitum, infinitos actu existere inficiari nequis: siquidem in entibus Necessarijs & Improductis (quod dijs proprium esse debet, ut ex nomine & notione Dei patet juxta ea, quæ dicta sunt art. præced. ad initium) perinde est posse existere, & actu existere. At quis non rideat infinitam Deorum multitudinem? Nec terra duos Soles, nec regnum duos patitur reges: & rex regum Divinitatis suæ

3.

suprematéque potestatis non unum, non mille, sed infinitos patiatur socios?

4. Objicies: etiam Christiani adorant tres Deos, tres adorando Personas Divinas: ergo tam absurdum & falsum non est admittere plures Deos. R. N. Ant. & suppositum, quòd cum Personis Divinis multiplicetur Deitas seu Natura Divina: Nos unam Deitatem, unam Voluntatem Divinam admittimus, unam Sufficientiam, Potentiam, Sapientiam infinitam, in triplici Personâ subsistentem, unum Omniscium, unum Omnipotentem, unum Immensum, unum Dominum, consequenter & unicum adoramus Deum. Aliter longè se res haberet in pluribus Dijs; nam quilibet eorum esset alius à cæteris Deus, alius Intellectus, alia Voluntas, Potentia &c.

ARTICULUS III.

Datur altera vita, & quidem immortalis.

Contra Epicureos & Divinam Providentiam negantes.

SUMMARIUM.

1. *Epicuri assecla putant, vel potiùs optant animam perire in morte hominis.*
2. *Sed ex lumine naturali evidens est, illam saltem per aliquod tempus debere existere separatam à corpore,*
3. 4. *Imò exigere æternùm existere, adeóque immortalem esse.*
5. *Virtus ipsa non est sibi sufficiens præmium, nec scelus sibi competens pœna.*
6. *Anima aliquando existens à corpore separata semper exigit existere, quia semper habet finem.*
7. *Quæ contra Immortalitatem animæ rationalis adducuntur, levia sunt.*

1. SCiendum, quamvis fide divina credendum sit, animam hominis post fata superstitem esse, ac æternùm durare; idipsum tamen contra Epicuri asseclas &c. tanquam fundamentum omnis honestatis ratione Naturali demonstrandum est, animam rationalem nimirum talis esse Naturæ, ut exigat perpetuam sui conservationem, adeóque immortalitatem habere *naturalem* (non *essentialem*, quæ soli DEO competit) ut hoc pacto homines carni & sceleribus immersos, qui se ipsos lactare contendunt inani spe, animam à corpore separatam simul perire, communem cum bestijs interitum optantes, postquam moribus & vitâ in bestias commigrarunt, ne metu futurorum suas sibi voluptates reddant amaros: ut, inquam, hos terrenis immersos homines salubri timore perculsos à periculoso suo sopore excitemus, quò aperi-

tis tandem oculis sua videant discrimina, ac meliorem, quàm hujus vitæ amaras delicias, felicitatem quærant. Itaque

2. Dico 1. Evidens est, animam rationalem hominis post mortem hominis saltem aliquanto tempore manere superstitem. Probatur. Evidens est, Deum esse Providum & Justum: ergo evidens est, animam rationalem saltem aliquanto tempore post mortem hominis supervivere. Ant. est clarum, quia DEUS, utpote ens illimitatum & infinitè perfectum utique non potest esse tam insipiens, ut rebus, quas condidit, præsertim homini, non præstituat finem, & ad hunc finem suppeditet media (in quo consistit Providentia) nec utique potest turpissima injustitiæ labe aspergi. Cons. prob. Si anima post mortem hominis non superviveret, sæpe gravissima flagitia manerent impunita, præsertim illa, quæ in ultimo vitæ articulo à morientibus perpetrantur; & præclarissimæ virtutes, præsertim in agone fortiter exercitæ (ut siquis pro patria, pro DEO mortem oppetat) debitô carerent præmiô: Sed si hoc fieret, DEUS nec Providus esset nec Justus: ergo. Non *Providus*, quia vellet, ut homines bene piéque viverent, ac virtutes heroicas exercerent, interim tamen medium ad id summè necessarium non suppeditaret, scilicet præmium pro vita honestè & sanctè, pœnas autem pro vita sceleratè & impiè traductâ & finitâ. Non *Justus*, quia improbos diuturna felicitate bearet sæpe per totam vitam, nunquam propter scelera sua puniendos; probos verò sibique obsequentes multa vexaret calamitate sæpe per totam vitam, nunquam ob suas virtutes ullam consecuturos felicitatem. Certè futuri mali metum & secuturi boni spem Natura omnibus indidit, imò indere debuit, ut homines haberent sufficiens frœnum, quo retrahantur à vitijs, & sufficiens calcar, quo stimulentur ad ardua virtutum. Quod autem Natura universali docet magisterio & instinctu, manifestè à Deo est, & falsum esse nequit.

3. Dico 2. Si anima rationalis à Corpore separata aliquanto tempore vivit & existit, evidenter semper exigit vivere, consequenter naturaliter immortalis est. Prob. 1. Illud exigit semper existere vel vivere, quod semper habet finem, propter quem existit vel vivit, & nullum contrarium, quod exigat ejus destructionem: item cujus causa conservativa nunquam deficit, & quod non dependet ab alio tanquam fulcro, nimirum subjecto aliquo. Atqui anima rationalis semel existens post mortem hominis semper habet finem, nullum contrarium: item semper habet indeficientem causam sui conservativam, nec dependet à subjecto tanquam à fulcro: ergo exigit semper existere & vivere, adeòque naturaliter immortalis est. M. est clara ab inductione, quia quidquid naturaliter desinit esse, desinit propter unam ex allatis quatuor causis: patet id ipsum ex eo, quia DEUS ut Author Naturæ debet rem tamdiu conservare, quàm diu res exigit conservari: sed res exigit conservari tamdiu, quàmdiu non datur a-

gens fortius contrarium, vel non subtrahitur fulcrum, cui innitur, & quamdiu habet finem adhuc aliquem primarium, propter quem est producta. m. quoad ultima duo membra est evidens; nam causa conservativa (sicut & productiva) est DEUS solus, qui utique non deficit: à subjecto autem tanquam à fulcro utique non dependet, dum actu jam existit separata à corpore, suo quondam subjecto. Igitur probanda sunt priora duo membra: primum de *fine*, de quo est maxima lis, sic ostendo: naturalis finis animæ rationalis primarius est duplex, constituere totum compositum unà cum corpore, & operari modo sibi conformi, scilicet eliciendo, intellectiones & volitiones; prior finis patet indè, quia non producitur primitus, nisi statim recepta in corpore; posterior hinc, quia propter dictas operationes potest existere saltem aliquanto tempore separata à corpore: sed hunc finem posteriorem obtinere potest per totam æternitatem; quia, si semel possit cognoscere & velle separata à corpore, semper potest; cùm idem manens idem semper faciat idem: ergo. Secundum membrum de *contrario* sic demonstro: Si anima post mortem haberet contrarium, tunc illud vel esset substantia vel accidens? non substantia, quia nulla substantia immediatè formaliter & in se est contraria alteri: non accidens: quia vel esset accidens materiale vel spirituale? materiale non adversatur formæ spirituali, præsertim non ampliùs unitæ corpori, spirituale verò recipitur in illa tanquam suo subjecto connaturali: ergo nullum datur contrarium, animæ destructionem exigens.

Prob. 2. Evidenter impossibile est, ut verum non sit, quod pro vero habent & semper habuerunt sapientes & probi omnes omnium nationum, omnium temporum, dissentientibus solùm paucis & flagitiosis homulis: atqui animam hominis esse immortalem pro vero habent & semper habuerunt sapientes & probi omnes omnium nationum, omnium temporum, paucis tantùm (Epicureis nempe & Machiavellistis carni immersis) contrarium somniantibus, & vix eloqui ausis: ergo evidenter impossibile est, verum non esse, quòd anima hominis sit immortalis. Ma. constat, quia Natura non potest tam universalem sensum, qui tamen falsus sit, omnibus implantare; aliàs enim censeretur Deus nos decipere, & sequeretur, Deum omnibus probis, & sapientibus voluisse abscondere veritatem aliquam maximi momenti, revelare autem paucis quibusdam sceleratis; quod per se absurdum est & blasphemum dictu. Min. ostenditur ex ritibus & dogmatis omnium nationum ac populorum, Christianorum, Judæorum, Paganorum, & Gentilium, qui omnes in hoc conspirant. De Christianis, etiam hæreticis, id apertè profitentibus, patet ex singulorum Symbolis: de cæteris patet ex libris Historicis, & etiam indè colligitur, quòd tot & tantos honores superstitiosè etiam exhibuerint defunctis: quòd de mortuis non nisi bene loquendum censuerint: quòd totis viribus perennem sibi gloriam & beatitu- 4.

dinem

dinem nunquam finiendam comparare conati sint &c. Conspirant antiqui Philosophi Trismegistus, Socrates, Thales Milesius, Diogenes, Pythagoras, Plato &c. Singuli cum longa suorum Scholarum appendice. Aristoteles quamvis nonnunquam videatur dubiè loqui, satis tamen clarè immortalitatem animæ rationalis asserit l. 2. de anima tex. 21. ubi ait: *intellectum* (scilicet animam rationalem) *esse aliud genus animæ, & hoc solum posse separari* (à corpore) *sicut perpetuum à corruptibili.* Conspirant denique, vel nolentes, Adversarij nostri, ab instinctu naturali & conscientia sua compulsi, quæ ipsis nescio quæ mala post mortem ingratò præsagiò minitatur. Edicant hi tales, unde tantus ipsorum horror, tanta trepidatio in agone, vel mortis periculo? quid timent, si parem cum brutis exitum exspectant? quare ita horrent cadaver hominis mortui, non item cadaver equi vel bovis? cur cum exuvijs mortui hominis pernoctare non audent? vel si audent, cur ita reluctantem experiantur naturam?

5. Ob. 1. Ipsa virtus est sibi sufficiens præmium, & impietas sibi sufficiens pœna: ergo non est necesse, ut anima post mortem hominis maneat superstes ad recipiendum præmium vel pœnam. A.P. Ex virtute nascitur gaudium, quies, bona fama: scelus verò secum trahit remorsum conscientiæ, inquietudinem, infamiam: ergo. R. N. A. siquidem multi moriuntur in nobilissimis virtutum, alij in turpissimis vitiorum actibus: ubi isti actus sua habent præmia vel supplicia? utique animam mortuam non mulcet gaudium, quies, & fama: nec remorsus conscientæ, inquietudo, aut infamia affligit. Dein multi insigniter scelerati nullum ampliùs remorsum conscientiæ sentiunt, famam non curant, imò in sceleribus quærunt gloriam: vel si sentiunt remorsum, hic ipse remorsus satis indicat aliud supplicium imminens, cujus metum Natura omnibus implantare debuit: tolle metum ulterioris supplicij, & mox omnis cessabit remorsus. Accedit, quòd prorsus ineptum esset & stolidum, si DEUS præcipiens actionem honestam, subinde valde difficilem, non aliam promitteret vel exspectandam proponeret mercedem, quàm ipsam actionem honestam, ejúsque difficultatem: vel si prohibens vitium non aliud statueret supplicium, quàm quod secum fert ipsum vitium. Hæc utique grata foret sceleratis hominibus pœna, præsertim voluptuosis.

Ob. 2. Finis animæ, separatæ aliquando à corpore, non semper durat: ergo 6.
nec anima. A. P. finis animæ, post mortem aliquanto tempore permanentis, est præmium vel supplicium: sed præmium vel supplicium non semper durat, saltem evidens non est, illud esse æternum: ergo. Confirmatur: ideo post mortem hominis exigit anima existere & permanere, quia ipsi debetur præmium vel supplicium pro bene vel malè actis: ergo cessante hoc fine, qui non evidenter durabit æternùm (quare enim ignis 100000. annorum non sit sufficiens supplicium, & maximum gaudium 100000. annorum non sufficiens

præmium pro brevis vitæ malè vel bene gestis?) cessabit & anima. R. N. A. Ad P. D. M. finis adæquatus est recipere præmium vel supplicium. N. M. inadæquatus C. M. Percipere præmium vel supplicium est tantùm finis moralis, qui fortè non evidenter æternùm durat (quòd enim defacto præmium beatorum & supplicium damnatorum duret in æternum, certissima Fides docet, & ex ipsum aliqui evidens esse putant ex o capite, quia aliâs homines non satis efficaciter allicerentur ad bene agendum in omnibus, valde arduis, circumstantijs, & ad fugienda vitia, quando occurrit ingens difficultas) verùm licèt aliquando cessaret finis moralis spectando evidentiam naturalem, nunquam tamen cessabit alter finis, nempe physicus, qui consistit in cognitionibus & volitionibus circa alia objecta, quæ non necessariò habent rationem præmij vel supplicij, propter quas anima, semel post separationem à corpore existens, exigit naturaliter semper existere. Ad Confirmationem D. A. ideo tantùm, N. A. ideo & simul propter alias operationes sibi convenientes, abstrahendo, utrùm ex habeant rationem præmij vel supplicij, nec ne. C. A. & N. C. Ex operationibus, in quibus consistit præmium vel supplicium animæ, evidenter quidem cognoscitur, animam post mortem supervivere: ex eo autem, quòd aliquando possit supervivere separata à corpore, infertur ulteriùs, eam perpetuò exigere vivere, cùm semper possit aliquas cognitiones & volitiones elicere, adeóque semper habeat finem suum physicum. Id verum est, quòd independenter à præmio vel supplicio, quod anima in hac vita promeretur, non tamen recipit, non ita evidens sit, animam extra corpus existere, & operationes naturæ suæ congruas elicere posse, sicut evidens fit ratione hujus præmij & supplicij.

Ob. 3. Quod naturaliter producitur ex nihilo, etiam naturaliter potest redigi in nihilum: sed anima rationalis naturaliter producitur ex nihilo à DEO: ergo: non enim requiritur major virtus ad annihilandum quàm ad creandum. 2. anima rationalis naturaliter producitur, quando in Embrione adsunt debitæ dispositiones ad unionem cum corpore: ergo etiam naturaliter destruitur, quando in corpore adsunt dispositiones debitæ ad dissolvendam unionem cum corpore. 3. Anima in corpore existens non habet vitam immortalem: ergo neque separata à corpore. R. ad 1. D. M. etiam naturaliter potest redigi in nihilum, si detur in creaturis aliqua exigentia ad destructionem animæ C. M. si nulla detur exigentia ad ejus destructionem N. M. DEUS ut Author Naturæ nihil agit, nisi ad exigentias creaturarum: nihil autem, ut suprà vidimus, exigit destructionem animæ, à corpore aliquando separatæ. Ad 2. N. C. & paritatem: ad productionem animæ datur exigentia, quando positæ sunt omnes dispositiones ad unionem illius cum corpore, non autem datur exigentia ad destructionem, quando positæ sunt dispositiones ad unionem illius cum corpore destruendam; cùm anima etiam destructâ unione ad corpus, & destructo homine, habeat 7.

ad-

adhuc finem suum primarium, & operari possit: quamdiu autem res operari potest, tamdiu habet jus & exigentiam existendi; *esse enim est propter operari.* Ad 3. iterum N. C. & paritatem; quia nihil est, quod exigat destrui animam separatam à corpore; plura tamen dantur, quæ vitam ejus corporalem destruere possint & destrui exigant, uti morbi, vulnera &c. Deinde rectè negaretur etiam A. quia anima, etiam in corpore adhuc existens, est & rectè dicitur immortalis, cùm nunquam moriatur ipsa, sed tantùm homo, qui est & dici debet mortalis, eò quòd moriatur aliquando per separationem animæ à corpore.

ARTICULUS IV.

Existit aliqua vera Religio Divinitus revelata.

Contra Deistas & Philosophastros Naturales.

SUMMARIUM.

1. *Nemo est, qui neget omnem omnino Religionem.*
2. *Quid sit Religio.*
3. *Debet revelari homini vel per lumen naturæ, quod dicitur revelatio Dei* necessaria,
4. *Vel per lumen fidei, & revelationem* liberam.
5. *Status quæstionis.*
6. *Admittenda est aliqua Religio* liberè revelata.
7. *Quia revelatio Dei* necessaria *nimis est universalis.*
8. *Quia omnes Nationes communi persuasione judicarunt semper, se profiteri Religionem* liberè revelatam.
9. *Quæ nunc suppositâ notitiâ de Christo prudenter est innegabilis.*
10. *Nec Lex & lumen naturæ satis determinat,*
11. *Nec determinare est penes superiores,*
12. *Nec penes quemlibet hominem, quo modo colendus sit Deus.*
13. *Non est contra rationem aliqua credere, quæ superant rationem naturalem.*
14. *Cur Deus voluerit nos dirigere non per solum rationis, sed etiam per fidei lumen,*

1. SCiendum 1. Suppositâ existentiâ DEI, ejúsque infinita perfectione ac Providentiâ, quæ contra Atheos & Epicureos evidenter demonstrantur à Philosophis & Theologis Speculativis, neminem esse tam bardum & stolidum, ut neget omnem omnino Religionem, etiam *Naturalem*, seu illum cultum DEI, quem Natura cuilibet suggerit, utpote quæ omnibus sanæ mentis uni-

versim dictat, Auctorem rerum omnium, totius Universi Dominum, Rectorem Mundi sapientissimum, Ens infinitè perfectum, Deum optimum maximum aliquo modo amandum, glorificandum, adorandum, certisque ritibus colendum (ut hoc cultu mediante suam, quam naturaliter appetit felicitatem, obtineat homo) adeóque aliquam in Mundo Religionem esse necessariam. Quippe

2. Sciendum 2. Religionis nomine intelligi certam rationem & modum colendi Deum, vi cujus ipsi placere possimus in hac vita, & in altera (suppono enim animæ rationalis immortalitatem tanquam evidenter paulò antè demonstratam ex principijs lumine naturali notis) obtinere felicitatem, ad quam creati sumus, & cujus obtinendæ stimulos ipsa Natura indidit universis. Data explicatio est explicatio Religionis in abstracto: nam Religio in concreto est congregatio hominum certâ normâ Deum colentium, & vocatur communiter Ecclesia.

3. Sciendum 3. Normam & modum colendi Deum debere proficisci ab ipso DEO; nisi enim colatur, prout ipse vult coli, cultus ipsi gratus non est. Unde suam voluntatem, & se colendi modum, homini manifestet necesse est, sive dein id fiat per lumen naturale, homini inditum, sive per specialem aliquam revelationem, naturali lumini superadditam. Et hinc duplex potest distingui Religio, *Naturalis* & *Revelata*. Prior, quam voco naturalem, solùm in genere dictat, DEUM esse colendum, & ea facienda, quæ dictat Jus Naturale, adeóque præter lumen & legem Naturæ nihil involvit: qui instinctus naturalis est revelatio quædam divina, per quædam principia universalia instruens hominem, qualiter se erga Deum & proximum gerere debeat. Vocatur hæc revelatio *necessaria*, quia Deus non potuit creare hominem sine ejusmodi principijs & veritatibus innegabilibus, ipsi impressis: cujusmodi veritates sunt: *Deus est colendus, parentes sunt honorandi, non faciendum alijs, quod sibi quis fieri non velit, &c.*

Posterior, seu Religio revelata, lumini naturali superaddit lumen fidei, qua creditur DEO loquenti, & suam voluntatem distinctiùs revelanti per certa signa. Juri verò Naturali superaddit Jus Positivum, & Legem Divinam, qua homines obligantur ad certas actiones & ritus, quibus honorari vult DEUS. Et hæc revelatio, qua DEUS certos & singulares ritus, quibus honorari vult, homini manifestat, vocatur *Libera*, quia liberum est DEO ex innumeris possibilibus ritibus, quibus coli potest, hunc vel illum eligere & revelare. Proinde in Religione *Revelata* reperiuntur hæc duo. 1. *Oracula Divina*, seu locutio & revelatio divina libera, cui credendum & auscultandum per *fidem*. 2. *Mandata Divina*, seu Lex à DEO specialiter lata, cui obediendum per certas *actiones* honestas, & rectas. Per *fidem*, qua creduntur ea, quæ DEUS liberè revelavit, rectè sentitur de DEO, ejúsque voluntas cognoscitur: per *actiones* honestas, quibus observantur mandata DEI, ejúsque voluntas impletur, rectè colitur DEUS

4.

per

per ambas denique hominis promovetur felicitas.

5. Sciendum 4. Quæstionem hìc esse, an necessariò admittenda sit Religio *Revelata*, an verò sufficiat *Naturalis*, ut olim sensisse dicuntur Philosophastri quidam, omnem omnino ritum, quem lumen & lex naturalis seu revelatio Dei necessaria suggerit, ad colendum Deum pro sufficienti Religione approbantes, per quam homo ad felicitatem sibi præstitutam pertingere possit. Tales fortassis etiamnum reperiuntur complures, qui cum Libertinis & memoratis Philosophastris saltem occultè sentiunt, lumine & Lege Naturæ contenti, nec alijs Divinis Oraculis fidem, nec alijs Dei jussis (imò nec istis) obedientiam præstant, nisi foris ad speciem. Contra hos *Deistas* dictos

6. Dico. Admittenda est Religio aliqua liberè revelata à Deo. Hoc est, præter ea, quæ docet & præcipit ipse naturalis instinctus, credenda sunt certa mysteria, & observanda quædam præcepta, specialiter & liberè à DEO revelata.

7. Probatur 1. Lumen Naturæ, seu Revelatio Dei necessaria solummodo docet in genere, quòd Deus sit colendus eo modo, quo vult coli: quis autem sit iste modus determinatus circa materiam, ritus, locum, tempus, aliaque adjuncta, non docet. Atqui hoc non sufficit, sed debet homini constare necessariò de modo determinato, quo Deus vult coli, quoad materiam, ritus, locum, tempus, aliaque adjuncta. Ergo Lumen Naturæ, seu Revelatio necessaria non sufficit, sed præter illam debet dari lumen fidei & Revelatio DEI libera, hoc est, Religio aliqua liberè & specialiter à DEO revelata, quæ hominem doceat illum determinatum modum, quo DEUS vult coli. Maj. est clara; si enim Lumen Naturæ nos doceret in particulari, per quas actiones externas & internas, per quos ritus quoad tempus, locum, aliaque adjuncta determinatos coli velit DEUS, nunquam potuisset oriri tanta Religionum varietas, quantam Mundus semper in se discissus aspexit: cùm omnes homines in ijs, quæ singulorum mentibus impressit Natura, vel potiùs Auctor Naturæ, conspirare unversali consensu soleant. Nimirum cultus in genere, quo Deum ab homine afficiendum esse lumen Naturæ dictat, & quem Deus exigere potest, est tam varius, & quoad materiam, circa quam versari debeat, ritus, locum, tempus, & alia adjuncta ita differens, & multiplex, ut is omnis ab homine præstari nequeat: item aliquæ actiones, licèt eas honestissimas esse lumen Naturæ dictet, sunt adeò difficiles, ut homini tam infirmo à Deo severè præcipi nequeant sine nota imprudentiæ & tyrannidis. Naturæ igitur lumen non determinat illum modum, quo DEUS in particulari (Nam cultus in genere, seu cultus ut sic, qui non sit circa certam materiam, cum certis ritibus, certo tempore, & loco, non est possibilis à parte rei) ab homine coli velit. Unde pariter evidens sit Min. quòd nimirùm debeat necessariò constare homini per revelationem Dei liberam, qualem cultum in particulari, circa quam materiam, quas actiones exter-

externas & internas, quos ritus, quo tempore, & loco, &c. exercere debeat, ut cultum DEO gratum exhibeat. DEO enim gratus esse non potest cultus, nisi quem ipse voluerit: quem verò velit, homo scire nequit ex solo naturali lumine; ac proinde necesse est, ut DEUS eum liberè revelet. Atque sic necessaria fit Religio aliqua *Revelata*. Et quidem ita revelata, ut de revelatione facta prudenter dubitari nequeat, nisi enim DEUS ijs signis ostenderet, à se hunc vel illum modum, quo coli cupiat, revelatum esse, ut de hac revelatione prudenter nemo possit ambigere, qui ea signa cognovit; obligare non posset homines ad ejusmodi modum recipiendum.

Ex quibus consequens est, hominem obligari 1. Ut DEO, certum se colendi modum revelanti, firmiter credat. 2. Ut DEO certum cultum præscribenti diligenter obediat. Adeóque Religio Revelata ex parte DEI requirit Revelationem & Legem, ut hominibus constet, quid nôsse & quid facere oporteat ad DEUM ritè colendum: ex parte hominis verò requirit fidem & obedientiam: illâ cognoscit, istâ exequitur voluntatem DEI: illâ intellectûs, istâ voluntatis supremum obsequium præstat DEO: utraque autem potentiâ tam internum, credendo & amando, quàm externum, exteriùs profitendo fidem & mandata explendo, cultum exhiber.

8. Probatur 2. Ex universali omnium hominum persuasione, & communi totius humani generis sensu: qui sensus communis & universalis persuasio, utpote à DEO Auctore Naturæ omnibus indita, tam parùm fallere potest, quàm parùm fallunt prima principia; DEUS enim & Natura non possunt universalem immittere errorem; aliàs DEUS mentiri (quod dicere stulta foret blasphemia) & nos nihil habere certi possemus (quod dicere cæca foret dementia) Jam verò quòd sit Universalis omnium, cæteroquin moribus, culturâ, studijs, genio, educatione, loco, tempore &c. plurimùm inter se dissidentium hominum, & consequenter à Natura implantata persuasiô, existere aliquam in Mundo Religionem à DEO revelatam specialiter & liberè, sic probatur. Totum genus humanum potest redigi ad quatuor classes, scilicet 1. Ethnicorum, seu Gentilium, & Paganorum. 2. Mahumetanorum, seu Turcarum. 3. Judæorum & omnium eorum, qui crediderunt vel adhuc credunt in Christum venturum. 4. Christianorum, seu omnium eorum, qui profitentur Religionem à Christo, quem jam venisse credunt, profectam & doctam. Atqui isti omnes omni tempore & omni loco judicabant, & adhuc judicant, se profiteri Religionem à DEO vel Dijs specialiter revelatam; quippe *Gentiles* existimant, suam Religionem provenire ab Idolis, quæ sibi loqui, & certa sacrificia, ritus, & mandata, quibus certum sibi cultum expetebant, præscribere semper experiebantur. *Mahumetani* credunt, suam Religionem proficisci à suo Mahomete, quem habent pro maximo propheta, cui Deus per Archangelum Gabrielem suam vo-

lun-

suntatem revelaverit. *Judæi* mordicus tenent, suam Religionem olim Patriarchis à Deo revelatam, & à Moyse Deo dictante tabulis conscriptam & promulgatam esse. *Christiani* denique dicunt, suam Religionem à Christo Deo-Homine in Mundum esse invectam, loquente nobis DEO in Filio. Nec fuit unquam gens tam inhumana, quæ non suos popas, sacrificulos, altaria, templa, & certos DEUM vel DEOS colendi ritus habuisset, rata, ejusmodi cultum, tanquam divinitus sibi revelatum, placere Superis, ac se obligari ad eosdem hac ratione colendos.

Neque hujus argumenti robur enervat, quòd pauci quidam, naturæ, imò carni, nimis immersi Philosophi olim, & nunc in omnem licentiam effusi Libertini, contrarium sentire conentur; aliàs enim ex communi hominum judicio & universali persuasione neque existentiam Dei contra Atheos, neque immortalitatem animæ hominis contra Epicureos, neque honestatem virtutis v. g. temperantiæ contra helluones evidenter probabis, imò nec albedinem nivis, & existentiam motûs contra aliquos ex antiquis Philosophis.

9. Probatur 3. Est prudenter innegabile, quòd Christus sit DEUS: sed Christus revelavit Mundo certa Mysteria, quæ credi, & certam Legem, quæ observari debeat ad se colendum, & hominem salvandum, adeóque liberè & specialiter revelavit Mundo aliquam Religionem: ergo est prudenter innegabile, quòd defacto aliquam Religionem Mundo specialiter & liberè revelaverit Deus. Ma. probabitur articulo sequente. Min. est certa certitudine & evidentiâ facti. Utrùm autem Religio, divinitus liberè revelata, necessariò sit *supernaturalis*, seu ordinari debeat ad hominem perducendum ad felicitatem *supernaturalem*, qualis defacto est Christiana, nihil hìc interest decidere. Certè cùm status puræ naturæ non fuerit impossibilis, non video, cur in hoc statu non potuisset aut debuisset à DEO revelari hominibus aliqua Religio, quæ duceret eos ad felicitatem naturalem.

Ob. 1. contra 1. probationem. Ipsa Lex Naturæ satis nobis intimat voluntatem DEI, ac determinat modum, quo DEUS velit coli, dum nempe dictat, *honorandos esse parentes & superiores, neminem lædendum, jus suum cuique tribuendum &c.* ergo opus non est speciali & libera revelatione DEI. Et sanè, nisi Lex Naturæ sufficeret ad hominem perducendum ad suam felicitatem, valde esset inutilis & imperfecta. 2. Satis est, si Superiores determinent Jus Naturale, & præscribant certas leges honorandi DEUM: ergo Religio non debet esse revelata à Deo. 3. Quilibet per se ipsum potest sibi determinare modum colendi Deum, & sic sine revelatione DEI libera Deum colere, prout vult DEUS; cùm enim DEUS per revelationem necessariam seu Legem Naturæ præcisè præcipiat se coli, non autem præcipiat modum se colendi, censendus est illius determinationem reliquisse in arbitrio hominis. 10.

R. N. Ant. Nam Religio jubet nos

DEUM colere tanquam *supremam Excellentiam* : sed honorare parentes, neminem lædere &c. sunt longæ aliæ virtutes, aliámque honestatem spectant: ergo quando Natura dictat parentes esse honorandos, neminem lædendum &c. non dictat Deum colendum tanquam *supremam Excellentiam*, ergo non dictat (quod tamen Religio ex essentia sua debet) nec satis determinat cultum DEO debitum, quem in genere eadem dictat Natura. Deinde priùs constare debet, quomodo colendus sit DEUS, deinde primùm, quomodo honorandi parentes &c. ne fortè impij simus in DEUM, dum nimis volumus esse pij erga parentes. Nec propterea Lex Naturalis est inutilis, aut manca dicenda, quòd non omnia doceat distinctè; quia utilis est ad hoc, ut homo se tamdiu ad honestatis naturalis leges contineat, quamdiu distinctiorem DEI revelationem & peculiarem modum colendi DEUM non satis compertum habet: & sicut anima non debet dici imperfecta & manca, quòd non sola completè constituat hominem, ita nec Lex Naturæ, quòd non sola completè doceat hominem.

11. Ad 2. quæro, unde nobis constet, quòd penes Superiores sit potestas declarandi nobis & determinandi certum cultum, qui DEO sit gratus, & quòd Superiores nihil imperent voluntati Divinæ contrarium? Certè non nisi ex Revelatione DEI libera; ex qua constet, utrùm & quid DEUS ipse præceperit. Deinde etiam ipsi Superiores tenentur DEO gratum cultum pendere: ergo debent hunc discere ab alijs Superioribus, & hi iterum ab alijs, donec deveniatur vel ad DEUM ipsis liberè revelantem, vel ad Superiores exleges, qui ad nullum DEI cultum determinatum obligentur.

Ad 3. imprimis eo ipso, quòd Deus per certa signa non revelâsset positivè, quo cultu determinato honorari vellet, tacitè quasi & negativè revelâsset, se reliquisse homini potestatem determinandi certum cultum; adeóque hoc silentium DEI esset aliqua sufficiens revelatio libera; nam sine ejusmodi saltem tacita DEI concessione non deberet homo propria auctoritate certum cultum determinare. Deinde licèt Deus potuisset absolutè per hujusmodi silentium tacitum dare licentiam certum cultûs divini modum sibi præstituendi: defacto tamen Deum positivè & per certa signa revelâsse, quæ de se credi, & ab hominibus fieri ad obtinendam salutem velit, patet ex 2. & 3. probatione nostra. Siquis tamen in particulari invincibiliter fors posset ignorare, Deum positivè nihil revelâsse, talis rectè sequeretur ductum rationis, & sibi determinaret modum colendi Deum. Si verò videns universalem hominum persuasionem, & audiens de signis liberæ revelationis Divinæ, nec tamen in hanc diligenter inquireret, jam affectatæ ignorantiæ, adeóque culpæ & pœnæ reus efficeretur. 12.

Ob. 2. Est contra rationem aliqua credere, quæ superant rationem: sed Religio *revelata supernaturalis* (qualem diximus defacto dari in Mundo) proponit aliqua credenda, quæ superant rationem: ergo. R. N. M. Quamvis 13.

vis enim ratio naturalis non doceat nos mysteria supernaturalia, docet tamen evidenter, dari ejusmodi mysteria rationis naturalis captum excedentia, eaque à DEO revelari posse, & consequenter suppositâ revelatione nos obligari ad ea credenda fide firmissima. Quid enim rationi naturali magis obvium est, quàm quòd DEUS aliqua sciat, quæ captum naturalis rationis excedant? alioquin enim non foret infinitè sapiens: sicut non foret infinitè potens, si nihil posset producere, quod vires nostras naturales superet. Et quid rationi naturali adeò evidens, quàm quòd firmissima fide credere teneamur omnia, quæ nobis revelaverit Deus? id enim exigit summa ejus in loquendo Veracitas & infinita Authoritas.

14. Quæres, cur DEUS defacto voluerit homines ad ultimum suum finem dirigere non solùm per *lumen rationis*, sed potissimùm etiam *per lumen fidei supernaturalis*? R. ideo, quia decet, ut creatura rationalis & libera Deo Auctori suo supremum præstet obsequium tam *intellectûs* quàm *voluntatis*: sed supremum obsequium intellectûs præstare nequiret, si per solum rationis lumen dirigeretur; quæ enim gloria redundaret in DEUM, si ea tantùm de se sentiri exigeret, quæ nobis evidens dictat ratio, & quæ negare non possumus absolutè? Magna tamen in Deum redundat gloria, si ea liberè credamus firmissimè propter authoritatem DEI loquentis, quæ obscura sunt, & videri nequeunt. Deinde tam sublimes veritates defacto revelatæ sunt à DEO, ut omnem naturalem intelligendi vim longè superent, uti Deum esse unum & trinum, DEUM assumpsisse naturam humanam &c. Et ad has veritates opus est lumine fidei, quod incipit, ubi lumen naturæ deficit, & certissimè, quamvis obscurè, nos docet summa mysteria.

ARTICULUS V.

Existit unica tantùm vera Religio Divinitus revelata.

Contra Libertinos & Indifferentistas laxiores.

SUMMARIUM.

1. *Quid intelligatur per Indifferentismum.*
2. *Potest considerari duplex, Universalis & Particularis.*
3. *Indifferentismus Universalis sustineri non potest: quia alias Deus approbaret Religiones contradictorie sibi oppositas.*
4. *Et quia est contra universalem hominum persuasionem, quemvis in sua Religione salvari posse.*
5. *Dein quia omnis Religio Pagana habet aliquas saltem falsitates apertas & Leges rectæ rationi adversantes.*
6. 7. 8. 9. *Solvuntur objectiones.*

1. SCiendum 1. Per Indifferentiſmum intelligi talem ſectam hominum, qui ſibi perſuadent, vel ſaltem conantur ſibi perſuadere, quòd in omnibus, vel in pluribus Religionibus, etiamſi diverſa inter ſe Dogmata ac Leges habeant, poſſit obtineri ſalus. Seu quòd homines diverſarum ſectarum, & quilibet in ſua, ſalvari poſſint. Qui ita perversè ac perniciosè ſentiant, plures exiſtunt, quàm profitentur exteriùs. Ferè ſicut non deſunt, qui dubitent de DEI exiſtentia & animæ rationalis immortalitate, Machiavelli Sectatores occulti, exteriùs tamen id profiteri non audent propter abſurditatem & evidentem falſitatem hujus doctrinæ; ita non deſunt, imò plurimi etiam defacto, præſertim ex hæreticis & modernis Sectarijs, probabiliter reperiuntur, qui Indifferentismum in animo foveant, exteriùs autem erubeſcant fateri.

2. Sciendum 2. Indifferentiſtas dari duplicis generis. Alij enim, & abſurdiores, ſunt illi, qui docent, quemlibet in ſua ſecta poſſe ſalvari: modò in unum DEUM credat, cúmque colat juxta ſuæ ſectæ leges, ſive dein Judæus, Turca, vel Chriſtianus ſit (defacto enim iſtæ duntaxat tres Religionum claſſes unum DEUM venerantur) Quod hominum genus propterea appellare placet *Indifferentiſtas Laxiores* vel *Univerſales*, quia nimis univerſaliter quibuscunque ſalutem promittunt, vel etiam *Indifferentiſtas Paganos*, quia nullus ferè Chriſtianorum ita laxat cœli portam, ſaltem apertè. Alij verò, paulò modeſtiores quoad hoc punctum, ſcilicet Chriſtiani quidam, hæretici tamen vel Sectarij, reſtringunt hanc laxitatem nonnihil, & privilegium conſequendæ ſalutis ſolis & omnibus Chriſtianis conceſſum eſſe ajunt, aſſerentes, Religionem & fidem Chriſtianam, ſicut neceſſariam, ita & ſufficientem eſſe, ut quilibet Chriſtianus ſalvari queat juxta ſectam ſuam vivens, ſive dein Catholicus, ſive Lutheranus, ſive Calviniſta (quæ tres Religiones in Romano Imperio maximè vigent & tolerantur) ſive etiam Zwinglianus, Anabaptiſta &c. fuerit. Hos propter hanc reſtrictionem vocare placet *Indifferentiſtas ſtrictiores* vel *Particulares*, vel *Indifferentiſtas Chriſtianos*. Hos Art. IX. impugnabo, contra priores hoc loco

3. Dico. Indifferentiſmus Laxior ſeu Univerſalis ſuſtineri non poteſt. Probatur 1. Non omnis Religio, etiamſi credat in unum DEUM, eſt à DEO: ergo nec omnis ducit ad DEUM: ergo non eſt perinde ad conſequendam ſalutem, utrùm quis Judæus, Mahumetanus, aut Chriſtianus fuerit. Conſ. prima patet; quomodo enim DEUS approbet, aut præmio afficiat Religionem, non à ſe introductam, ſed à diabolo invectam, quæ proponit articulos ſua Majeſtate indignos, rectæ rationi diffórmes, & ad ſcelera inducentes? A.P. Religiones illæ, quas ad ſalutem ſufficere dicunt, inter ſe pugnant, & ſibi mutuò contradicunt: ergo non omnes poſſunt eſſe à DEO, cùm DEUS contradictoria teſtari, vel contraria præcipere, utique nequeat. A.P. Religiones v.g. Mahumetana & Chriſtiana docent contradictoria, &

præ-

præcipiunt contraria ; Christiana enim docet, DEUM esse unum & trinum, atque Christum esse Naturalem DEI Filium, Mahumetana utrumque negat: Religio Christiana præcipit adorari Christum in Evchariſtia, prohibet sub amissione æternæ salutis fornicationem, libidinem Vagam, perjurium, vindictas privatas ; Mahumetana Christum in Evchariſtia adorari prohibet ; cætera suis concedit : ergo.

Confirmatur. Qui non profitetur unum DEUM, nec agnoscit beneficium creationis, etiam juxta Adversarios non potest salvari ; quia Deum Creatorem non agnoscens non potest ipsi debitam servitutem præstare : ergo nec ille salvari potest, qui non profitetur Christum, nec agnoscit beneficium Redemptionis ; quia ignorans Christum Redemptorem non præstare potest debitam tanto Benefactori gratitudinem & servitutem, quam postulat beneficium Redemptionis, quod majus ac mirabilius est, magisque extrinsecam DEI gloriam promovet, quàm beneficium Creationis.

Prob. 2. Si quilibet in sua secta potest salvari, tunc vel ille tantùm, qui observat legem suæ Religionis, vel etiam ille salvari potest, qui non observat ? neutrum potest dici ; non hoc posterius ; quia qui non observat legem suæ Religionis, supplicium potiùs quàm felicitatem promeretur, quia non colit & servit DEO, prout ipsi serviendum agnoscit. Nec dici potest primum, quod ille salvetur, qui observat talem legem : nam quæro : vel potest talis mutare suam sectam, vel non ? si non potest, tenetur permanere Judæus, vel Mahumetanus &c. si talis natus, & consequenter in alia secta salvari nequit. Si autem potest mutare & mutat, hoc ipso non observat legem suæ Religionis : ergo peccat, reúsque fit supplicij, non dignus præmio & felicitate.

Prob. 3. ex universali hominum persuasione, quæ non fallit, utpote à DEO Auctore Naturæ indita. Quippe omnes vel ferè omnes omnium temporum & locorum Nationes judicârunt, non omnem Religionem sufficere ad salutem, nec in qualibet ritè, ac ut oportet, coli Deum, ut constat ex tot bellis, pro Religione semper ardentissimè gestis ; quid enim opus fuisset tantum humani sanguinis fundere, nisi credidissent zelosi mortales, non omnem Religionem suos cultores promovere ad salutem ? 4.

Confirmatur. Pro pluralitate Religionum stat unus duntaxat testis, scilicet tuus sensus, Indifferentista : contra pluralitatem verò stant duo, tu & ego ; ego quidem, quia assero, unicam esse Religionem, quæ ducat ad salutem ; tu verò, quia dum asseris, omnes ducere ad salutem, fateris, etiam illam unicam, quam ego salvificam dico, ducere ad salutem : ergo, si sapis, in re tanti momenti in meas partes debes concedere, non tantùm rationibus, sed etiam testibus convictus.

Prob. 4. Religio, quæ vel unicam falsitatem docet, aut leges habet contra rectam rationem, ac Divinæ Sanctitati repugnantes, non potest esse vera, DEO placens, & præmio æternæ 5.

salutis digna: sed omnis Religio Pagana (seu non Christiana) docet unam vel plures falsitates apertas, ac leges habet rectæ rationi ac Divinæ Sanctitati adversantes; quippe Mahumetanismus, & Judaismus nunc exstans, non solùm negant Divinitatem Christi, quæ tamen evidenter est credibilis tum propter eximiam Christi, se Deum asserentis; Sanctitatem in moribus integerrimis, Sapientiam in sermonibus, Potentiam in miraculis & prodigijs innumeris, tum etiam propter similem sanctitatem, sapientiam, & virtutem in Christi doctrina relucentem, ita ut, licèt Sensibus Mundo & Orco contraria, captúque difficilia docuerit, tamen per totum Mundum propagata, & omnibus Nationibus persuasa fuerit, non obstantibus gravissimis persecutionibus Gentilium &c. Sed insuper etiam docent alia falsa & absurda, atque perversa morum decreta vel dant vel permittunt; Mahumetanismus enim docet, felicitatem hominis consistere in voluptatibus corporis, approbat perjurium, libidines &c. Judaismus verò ineptissimis scatet fabulis Thalmudicis v. g. DEUM plures ante Mundum conditum produxisse creaturas, ac iterum destruxisse, ut sic addisceret artem fabricandi Mundum: Deum præcepisse Judæis, ut, quocunque demum modo possent, nocerent Christianis &c.

6. Ob. 1. Omnes cujuscunque sectæ, etiam Judæi & Turcæ, putant se habere veram fidem & veram Religionem: ergo si errant, solùm errant errore invincibili seu inculpabili coram DEO, qui non excludit à felicitate æterna: ergo omnes in qualibet secta possunt obtinere felicitatem æternam, & salvari: ergo immeritò una Religio execratur alteram ut impiam & damnabilem. R. 1. Trans. totum enthymema primum. N. illatum, vel dist. ergo omnes possunt salvari in qualibet secta, per accidens, & propter ignorantiam invincibilem, Trans. per se & vi talis sectæ. N. illatum. Etiamsi aliquis bona fide putaret, suam sectam esse à DEO & veram Religionem, tamen Religio in se propter ea non fit bona, aut salvifica, sed manet impia & damnabilis: qui tamen hoc invincibiliter ignorat, non damnatur quidem propter hunc errorem invincibilem, utpote qui coram DEO peccatum non est; imò si crederet talis, quæ sunt necessariò credenda necessitate medij, ac haberet desiderium saltem implicitum Baptismi, v. g. eliciens actum amoris DEI super omnia aut contritionem, salvaretur, sed per accidens, & non vi suæ sectæ falsæ. R. 2. D. A. putant bona fide & sincerè, se habere veram Religionem. N. A. Mala fide & cum errore vincibili C. A. & N. C. Iis notis & signis Christiana Religio splendet, ut in comparatione illius nulla secta, nec Ethnica, nec Mahumetica, nec Judaica possit esse probabilis: imò hæ sectæ continent in se tam absurdam tum fidei doctrinam, tum morum disciplinam, saltem in uno vel pluribus punctis, ut per se cuilibet homini prudenti meritò fiant suspectæ & damnabiles, si applicet mentem; si autem ratio & conscientia ipsis dicter, has leges, has doctrinas non esse rationi conformes, honestati naturali con-

tra-

rarias &c. non ampliùs sunt in bona fide & errore invincibili, sed incipiunt esse culpabiles, ac tenentur veritatem & meliorē Religionem pro viribus inquirere.

7. Ob. 2. Nonnulli Doctores in Romana Ecclesia docent, barbaris gentibus, qui notitiam Christianæ Religionis non habent, sufficere naturalem notitiam de DEO & Lege Naturæ, quam si observent, eos non damnari, sed salutem æternam consequi: ergo idem dicendum de qualibet secta etiam Ethnica, Mahumetana, Judaica, & Christiana. R. 1. N. ant. objiciens non refert nominatim illos Doctores Catholicos, fortè quia nullum scit, qui omnino sic doceat; & planè nec ego ullum scio, nisi fortè Vega ita senserit. Nôrunt etiam Catholici Doctores, *sine fide impossibile esse placere Deo*: ad Hebr. 11. Notitia autem naturalis DEI ex creaturis hausta non est *fides*; nam fides est de *rebus non apparentibus* teste eodem Apostolo loco cit. Id tamen scio, communem Catholicorum cum S. Thoma q. 14. de Veritate. art. 11. ad 1. tenere, talem hominem barbarum in sylvis enutritum, si sequeretur ductum rationis in faciendo bono & fugiendo malo, non periturum, sed DEUM vel per internam inspirationem ea, quæ sunt necessaria, ei revelaturum, vel aliâ viâ curaturum, ut talis necessaria addisceret: *Cùm DEUS facienti, quod est in se, non deneget gratiam.* Adeóque talis non salvaretur solùm propter naturalem notitiam de DEO & lege Naturæ. R. 2. Transf. ant. N. Conf. tum quia talis est in bona fide, in qua non omnes barbari, Judæi &c. sunt, licèt fortè multi ex Judæis & Turcis invincibiliter ignorare possint falsitatem suæ sectæ: tum quia non salvaretur vi suæ sectæ, uti dictum in objectione præcedente: nam nullus, qui invincibiliter ignorat falsitatem suæ sectæ, damnatur propter infidelitatem, sed propter alia peccata mortalia, quæ facilè perpetrantur ab infidelibus contra rectam rationem, & contra legem Naturæ. Si autem legem Naturæ observarent tales invincibiliter errantes, non damnarentur, sed venirent ad locum, quo deveniunt parvuli ante Baptismum decedentes, nisi DEUS modo extraordinario illos doceat ea, quæ sunt necessaria ad salutem necessitate medij; quod DEUM facturum esse cum S. Thoma probabiliter docent Theologi, & nos verum esse judicamus.

8. Ob. 3. Potest Christiana Religio salva consistere, etiamsi alias sectas patiatur juxta se, & salvificas fateatur: ergo nimis est dura erga alias sectas, eas damnando. A. P. Ecclesia Judaica, quæ juxta Christianos olim fuit vera, plurimas habuit sectas, easque toleravit ut bonas, scilicet Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum: ergo etiam Christiana Religio potest esse vera & salva consistere, etiamsi præter se alias toleret ut bonas & salvificas. R. N. A. Si enim Christiana Religio pro veris agnosceret alias sectas, eo ipso incideret in errorem, consequenter nec ipsa esset vera: Religio enim, quæ vel unicam falsitatem docet, jam vera & a DEO non est; cùm DEUS loqui falsum nequeat. Ad prob. dico, diversitatem sectarum in Ecclesia Judaica nihil face-

facere ad rem, quia Judaicæ sectæ omnes conveniebant in ijs, quæ ad substantiam pertinebant, & pro articulis fidei definita erant, exceptis Sadducæis, qui probabilissimè fuerunt homines Athei, ut testatur Josephus l. 2. de bello Judaico; negârunt etiam Resurrectionem, Angelos, Spiritus teste D. Luca Act. 23. qui proinde cum Judæis fidelibus non constituerunt unam Ecclesiam. Pari modo nec Judæi, Mahumetani, Ethnici cum Christianis possunt constituere unam Religionem, quia etiam in substantialibus differunt tam fidei dogmatis, quàm morum præceptis, atque in ijs rebus, quæ pro fidei articulis sunt definitæ.

9. Ob. 4. & principaliter. Placere possunt, & placent etiam Principi aut Regi terrestri ritus diversi & inter se oppositi, quibus diversæ Nationes colunt eundem Regem: ergo etiam diversi ritus & sententiæ hominum, quibus unum ac eundem Deum colere cupiunt diversæ sectæ & Religiones hominũ, placent Deo: ergo in diversis sectis & Religionibus hominum potest obtineri salus; quia in omnibus colitur DEUS, quod ipse ab hominibus exigit. R. N. C. & paritatem. Nam ritus, quibus coli ab hominibus vult DEUS, sunt & debent esse revelati à DEO, ut art. 4. præced. ostensum est, consequenter non possunt esse oppositi ita, ut præcipiat his ritum, quem alijs prohibet; nisi ostendatur, his à DEO injunctum esse alium se colendi modum, quàm alijs. Dein cultus DEI non consistit in ritibus tantùm, sed vel maximè etiam in obsequio nostri intellectûs, quo firmissimè creduntur omnia & sola illa, quæ DEUS revelavit; nam Religio præcipuè proponit res credendas fide Divina, & non solùm faciendas; imò & res faciendæ, quas præcipit DEUS, supponunt actum fidei, quo certificamur, DEUM præcepisse (vel prohibuisse) hoc vel illud. Atqui impossibile est, ut DEUS circa idem objectum diversis revelet diversa & inter se opposita, vel etiam contradictoria v. g. Verbum Divinum esse incarnatum, & non esse incarnatum, Christum in Eucharistia esse præsentem quoad suam Humanitatem realiter, & non esse præsentem &c. Ergo liberum non relinquit DEUS hominibus, ut aliquid credant vel non credant sufficienter revelatum, ut hoc credant vel aliud, ut istud faciant vel non faciant vel aliud agant. v. g. ut Christum adorent in Eucharistia, vel non adorent, vel etiam contemnant &c. Ritus diversi & oppositi possunt placere eidem Regi terrestri, quia vim suam habent ab æstimatione, & voluntate hominum, & per illos obtinet Princeps finem suum, quamdiu non præcipit certos ritus ac determinatos ab omnibus observandos. Econtra dogmata fidei, quæ credi debent in omni Religione, necessariò dependent à Revelatione DEI, quæ circa idem objectum apud diversos non potest esse diversa, aliàs mentiretur DEUS. Item DEUS sufficienter defacto revelavit etiam actiones & ritus, quibus coli se præcipit. Ergo nisi dogmata revelata determinatè credantur, & nisi actiones præceptæ determinatè fiant, Deus non obtinet finem suum, scilicet obsequium intellectûs nostri,

& submissionem voluntatis in ijs faciendis, quæ ipse vult. Nec est hominis Deum colere pro libitu suo.

Accipe rem in exemplo. Catholici credunt, Verbum esse incarnatum, Turcæ credunt, non esse incarnatum: Catholici Christum adorandum prædicant, Judæi contemnendum. Jam quæro: vel Deus utrumque revelavit, Verbum esse incarnatum & non esse incarnatum? & Deus erit mendax: vel revelavit neutrum? & utraque Religio est falsa, & neutra placebit: vel revelavit unum duntaxat? & altera Secta, quæ id negat, est infidelis, erronea, & Deo exosa, consequenter non salvifica: ergo Religiones oppositæ non sunt salvificæ. Eodem modo procede de Christo adorando.

ARTICULUS VI.

Non alia Religio est vera & Divinitus revelata, nisi Christiana, seu quæ profitetur, Christum esse verum DEUM.

Contra Paganos, & Christi Divinitatem negantes universim.

SUMMARIUM.

1. *Ubique certissima & constanti fama vulgatum est, fuisse aliquando hominem prorsus mirabilem, qui dicebatur* JESUS *Christus.*
2. *Cujus Divinitas inconcussis argumentis probatur,*
3. *Imprimis quidem ex ipsa Persona Christi.*
4. *Deinde ex ejus doctrina, mirabiliter propagata.*
5. *Demum ex ejus operibus, seu miraculis.*
6. *Quæ in Christi nomine etiam patrata sunt ab illius Discipulis.*
7. *Quare miracula Christi, ac ejus invocato nomine facta, non debeant esse suspecta.*
8. *Dilemma ex* S. *Augustino desumptum.*
9. *Confirmatur Divinitas Christi ex vaticinijs Prophetarum.*
10. *Ut adeò non tantùm sit evidenter credibilis, sed etiam evidenter credenda.*

1. SCiendum 1. Toti Mundo notum esse, quòd aliquando fuerit in Judæa Vir prorsus admirabilis, JESUS nomine, innocentiâ vitæ, sanctitate doctrinæ, & factis stupendis celebratissimus, quem Christiani adorant ut

verum Deum verúmque hominem, Turcæ venerantur ut magnum & prodigijs clarum Prophetam, Judæi verò detestantur tanquam Seductorem ac hominem blasphemum, quem etiam, quia Filium DEI naturalem se dixit, ingenti barbarie affixum cruci crudeliter occîderunt. Hæc & similia de Christo adeò certa sunt evidentiâ facti, ut saltem fides humana ijs denegari non possit sine stultitiæ & pervicaciæ nota. Et quamvis Pagani & Gentiles Evangelistarum de Christo historiam pro Verbo Divino non habeant: si tamen ijsdem (præsertim quia hæc scripserunt ijs temporibus statim, quibus acciderunt publicè in urbe Jerosolymitana, aliisque celebrioribus locis) uti & alijs Historiographis, ea passim confirmantibus, & insuper communi famæ, non crederent; non minùs ridendi forent, quàm siquis credere renueret, fuisse aliquando in Mundo regionem, quæ Judæa, urbem, quæ Roma, & hominem, qui Aristoteles, aut Mahumetes &c. dictus sit.

2. Sciendum 2. Religionem Christianam non posse firmam consistere, & pro vera Religione haberi, nisi tam firmis & inconcussis argumentis stabiliatur Christi Divinitas, ut à nemine, qui hæc argumenta ritè apprehendit, sine stultitia & Divinæ Majestatis injuria manifesta negari ullatenus possit. Talia nunc argumenta breviter adducam, non quidem ex Sacris Scripturis *quà Divinis*, tum quia res est contra Paganos, qui Scripturas nostras pro Divinis non agnoscunt, tum quia contra Arianos, qui Scripturarum textus eludunt, in alio sensu explicatos; sed ea depromam ex ipsa Christi persona, ejus verbis, & factis, communi fama & Historiarum consensu ita comprobatis, ut ex ijs cuilibet intellectui rectè disposito manifestum ac evidens fiat, Divinitatem Christi prudenter & sine piaculo negari non posse, sed eam evidenter non modò credibilem, verùm etiam credendam esse. Qua veritate suppositâ per se sequitur, Religionem, quæ profitetur Christum esse verum DEUM, esse veram, omnes autem sectas, quæ id negant, esse falsas. Proinde

Dico. Christus est verus DEUS. 3.
Probatur 1. ex Persona Christi. Vel Christus est verus DEUS, vel fuit homo sceleratissimus: Christus non fuit homo sceleratissimus: ergo est verus DEUS. M. est clara; quia Christus tam per se quàm per suos discipulos se asseruit Filium DEI naturalem, & propter hanc causam à Judæis crucifixus est: vel igitur asserendo se Deum dixit verum vel falsum? si verum: ergo est verus DEUS. Si falsum: ergo fuit homo sceleratissimus, utpote per summam blasphemiam tantis studijs sibi arrogans Divinitatem, imò majoribus, quàm ipse Lucifer; & simul in re gravissima per intolerabilem impostoram decepisset homines. Jam probatur m. quòd nempe Christus non fuerit homo sceleratissimus, & quidem evidenter 1. ex ejus vita & gestis, quæ fuerunt adeò sceleris pura, ut summi ejus & capitales inimici omni sua inquisitione non invenerint verum crimen, sed falsis testibus & meris calumnijs ad Pilatum detulerint innocentem, ipso pub-

publicum ejus innocentiæ testimonium perhibente Ethnico Judice. 2. Ex doctrina Christi, quam tradidit purissimam & sanctissimam. 3. Ex stupendis prodigijs, quæ patravit, quibus tanquam proprio charactere DEUS nec solet, nec potest hominem improbum ejusque doctrinam commendare.

Confirmatur. Vel Christus est verus DEUS, vel fuit homo stultissimus: non fuit homo stultissimus: ergo est verus DEUS. M. iterum est clara; quia Christus se gessit pro DEO, & talem se edixit: vel igitur verum dixit; & est verus DEUS: vel falsum; & fuit stultissimus; non enim est major stultitia, quàm si purus homo se gerat pro DEO, & alijs id persuadere nitatur. Sic utique ab omnibus habentur pro stultis tres illi, quorum unus se Patrem æternum se asseruisse dicitur, alter Spiritum S. & tertius SS. Trinitatem. Et sanè summa fuisset Christi stultitia, conantis introducere Religionem novam DEO, hominibus, & dæmoni inimicam: DEO quidem, quia DEUS nihil magis aversatur quàm cultum ejus, qui se falsò Deum asserit: hominibus, quia Religio Christi reluctatur summopere cupiditatibus hominum: dæmoni, quia Religio Christi oppugnat vitia, & proscribit dæmonis cultum in evertendis Idolis. Itaque probatur m. quòd nempe Christus non fuerit stultissimus, & quidem evidenter 1. quia duodennis adhuc instituit Doctores veteranos Judæorum. 2. Quia tam sapienter docebat ad populum, ut multa millia ei auscultando obliviscerentur etiam cibi, alij verò testarentur, nunquam sic locutum esse hominem. 3. Quia novit dexterrimè respondere Scribis & Pharisæis, eos confundere, & elingues reddere. 4. Quia novit etiam futura, & secreta cordium. 5. Quia doctrinam reliquit mundo admirandam, & cœlesti sapientia plenam. 6. Quia nec ipse nec ipsius doctrina unquam potuit falsitatis vel ignorantiæ convinci etiam à lynceis & malevolis censoribus. 7. Quia nec Gentiles, nec Mahumetani, nec Judæi, jurati hostes, unquam ausi sunt affirmare, Christum fuisse fatuum, aut stultum; aut Christianos, moribus & scientijs excultissimos, insimulare stultitiæ, cujus tamen insimulari meritò possent, si homini fatuo & stulto, Divinitatem affectanti, fidem haberent.

Probatur 2. Ex doctrina. Tam mirabiliter propagata est doctrina, quam Christus de se, & summis mysterijs spargere cœpit, ut id fieri non potuisset absque peculiari virtute Divina, qua utique puri hominis doctrina caret. Consideremus enim hujus propagationis circumstantias; nam 1. erat doctrina ipsa valde ardua captu & factu, quippe inter alia proponebat credendum, *Deum quidem esse unum in essentia simul tamen trinum in Personis, Verbum seu Filium DEI Naturalem assumpsisse carnem humanam, ac in ea passum, crucifixum, & mortuum esse pro suis inimicis, eundem Filium DEI incarnatum ad verba Sacerdotis poni quotidie sub specie panis & vini, ac à fidelibus manducari* &c. Sic inter alia difficilia factu jubebat multa vitiosæ sensualitati ac hominum superbiæ contraria.

ria. v. g. ut *frœnentur cupiditates divitiarum & voluptatum carnis, ut ignoscatur, imò diligantur inimici, fiat confessio peccatorum etiam occultissimorum coram homine. &c.* 2. Auctor hujus doctrinæ, scilicet Christus ipse, suffixus est inter duos latrones in crucem probrosissimam. 3. Doctores, quos Christus ad hanc suam Doctrinam disseminandam misit in mundum universum, erant homines pauci, rudes, illiterati, & plerique piscatores, nulla nobilitate, potentiâ, divitijs &c. præditi. 4. Mundus, cui persuaderi debebat, eo tempore jacebat propemodum totus in abysso atrocissimorum scelerum Idololatriæ, libidinis, avaritiæ, crudelitatis &c. 5. Opponebant se Principes Mundi, Imperatores, Reges, & armata tyrannorum sævitia: obsistebant sapientiæ & Philosophiæ prima capita: Gentiles ridebant crucifixum DEUM: Judæi blasphemabant velut Fictitium Messiam: obstabat crassa & latè dominans rerum divinarum ignorantia: renitebatur ubique effrænis vivendi licentia: & ipse tenebrarum Princeps, metuens Regno suo, nullum non movebat lapidem ad eliminandam & supprimendam Christi doctrinam. 6. Brevi temporis spatio non solùm in una vel altera urbe, Provincia, Regno, sed per totum Mundum promulgata non solùm, sed etiam ferè ubique à plurimis recepta est hæc doctrina, quæ Christum prædicabat verum Deum, nec quicquam renitente Orco, Gentilium potentiâ, Judæorum dolô. Quis igitur prudens inficias ibit, non absque peculiari virtute divina fuisse propagatam doctrinam, qua Christus prædicabatur Mundo tanquam verus DEUS, Mundique Redemptor? Quis autem vel somniare poterit, Deum tam mirabiliter sua virtute posse & velle propagare doctrinam falsam? Ergo Christus est verus Deus.

Confirmatur 1. ex innumeris prodigijs, quibus Deus velut suo sigillo confirmavit doctrinam de Divinitate Christi ab Apostolis, & alijs annunciatam, quibus pleni sunt libri Historici. Confirmatur 2. ex sapientia tot Doctorum, quos obstupuit Mundus: ex fortitudine Martyrum, quorum non est numerus in omnibus Mundi partibus, in omni sexu, in omni ætate, in omni tormentorum genere: ex sanctitate prodigiosa tot Confessorum, Anachoretarum, Virginum, & præsertim Religiosorum utriusque sexus: qui omnes unanimi consensu, & profuso sanguine, spreto honore, projectis opibus, doctrinam de Christi Divinitate amplexati, tutati, & testati sunt. Confirmatur 3. ex eo, quia doctrina Christi nunquam potuit vel in minimo convinci falsitatis & erroris ab astutissimis Sophistis tanto sæculorum lapsu; cùm tamen in alijs doctrinis omnibus, quæ Christum non profitentur, uti est Gentilium, Paganorum, & Judæorum, plures manifestæ falsitates & errores contra rationem naturalem facilè deprehendantur.

Probatur 3. ex operibus seu miraculis Christi: si Christus vel unicum patravit verum miraculum ex propria virtute, aut in confirmationem suæ doctrinæ, tunc evidenter est innegabilis ejus Divinitas: sed Christus non unum 3.

dun-

duntaxat verum patravit miraculum, sed plura: ergo. Ma. est evidens; quia verum miraculum est opus vires totius naturæ creatæ, Angelorum, hominum, dæmonum excedens, & à solo DEO patrabile: ergo si Christus propria virtute patravit vel unicum verum miraculum, Divinitas ipsi negari nequit: aut si vel unicum fecit miraculum in confirmationem suæ doctrinæ, hoc ipso erit verus DEUS, quia docuit, se esse verum DEUM; implicat enim evidenter, ut DEUS miraculo, tanquam suffragio sibi proprio, approbet falsum, cùm ejusmodi signo, tanquam sua locutione & testimonio, homines induceret in errorem, & à suo cultu averteret. Min. pariter innegabilis est, & constat ex historia Evangelica, toti orbi nota. Ibi narratur 1. Christum fuisse natum ex Virgine, conceptum sine virili semine, prænuntiatum ab Angelo, adoratum à Pastoribus, ad præsepe accitis ab Angelica voce, demonstratum tribus Magis à stella, qui è longinquo adventantes eum adorabant tanquam verum DEUM in paupere stabulo pannis involutum. 2. Duodennem in templo docuisse Doctores. 3. In Cana Galileæ aquam mutâsse in vinum. 4. Tempore prædicationis suæ cæcis contulisse visum, surdis auditum, claudis rectum incessum, mutis loquelam, paralyticis membrorum usum, morbidis sanitatem, energumenis libertatem à dæmone. 5. Imò mortuis vitam, uti Lazaro jam sepulto, filio viduæ in Naim ad sepulchrum elato, & puellæ Archisynagogi. 6. Paucis panibus multa hominum millia satiâsse. 7. Procellosum mare solo jussu pacâsse, siccis pedibus calcâsse. 8. Prædixisse futura; & cognovisse secreta cordium. 9. Inimicam cohortem his verbis *ego sum* ter in terram prostraviisse, & uni ex illa resectam auriculam mox redintegrâsse; ipso in cruce exspirante commotam esse terram, scissas petras, mortuos prodijsse redivivos ex monumentis apertis; solem per tres horas præter omnem naturæ cursum universo orbi obscuratum. 10. Ipsum verò tertia die resurrexisse à mortuis clausô sepulchrô. 11. Clausis januis ingressum esse ad discipulos, iisque sæpius se visendum, imò vulnerum relictas cicatrices præbuisse palpandas. 12. Triumphantem ascendisse ad cœlos, relictis suorum pedum vestigijs; & intuente discipulorum turba. Quis igitur neget, Christum fecisse miracula, omnem Angelorum, hominum, & dæmonum virtutem excedentia? Certè si diabolus posset suscitare mortuos, obscurare solem per universam terram, cognoscere futura & cordium secreta, eáque revelare, pridem feciisset in gratiam veneficorum &c. Quòd autem Christus similia fecerit propria virtute, insinuatur sæpius ab ipsis Evangelistis, præsertim dum dicunt, eum *resurrexisse*, *ascendisse*, *imperâsse ventis*, *& mari* &c. Quòd autem facta sint ad confirmationem ejus doctrinæ, clarum est, quia DEUS tanta miracula patrando per Christum clarissimè testificatus est, Christum à se amari, consequenter vera & sibi grata esse, quæ à Christo docebantur. Imò DEUS fuisset obligatus aliud adhuc longè excellentius mi-

miraculum patrare, quo omnibus palàm fieret, miracula Christi esse spuria & falsa, & Christum non esse Deum; ne scilicet Deus ipse tot ac tam manifestis signis deciperet universum orbem, ac in errorem induceret circa rem summi momenti. Sed

Si cui fortè, quamvis immeritò, suspecti forent Evangelistæ & Scriptores Christiani, audiat Scriptorem ex Judæis celeberrimum, nempe Josephum, qui l. 18. Antiquit. c. 4. de Christo ita scripsit: *Eo tempore fuit JESUS, vir sapiens (si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operator, & Doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Judæis, quàm de Gentibus Sectatores habuit) Christus hic erat* &c. Item audiat, quid Mahumet in Alcorano c. Elbachera dicat, Deum sic sibi loquentem inducens, *Dedimus JESUM Filium MARIÆ, ut faceret miracula, & prodigia manifesta, & fecimus eum per Spiritum S. & insufflavimus in MARIAM de Spiritu nostro, & conceptus est Christus virtute Dei de Matre sanctissima & purissima super omnes mulieres.*

6. Sed & Discipuli Christi, invocato solius Christi nomine ac virtute, fecerunt semper illustrissima miracula. Sic Petrus in nomine JESU claudum subitò sanatum jussit ambulare: Joannes in ferventi oleo illæsus perstitit: isti & alij innumeri, etiam post Apostolorum tempora, solius Christi ope implorata, aut solo crucis signo cæcis visum, surdis auditum, ægris sanitatem, mortuis vitam reddiderunt, ut referunt viri fide dignissimi Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius, Athanasius Augustinus, Bernardus, Bonaventura &c. Sic tota Germania in suo Bonifacio: tota Anglia in suo Augustino: tota Hibernia in suo Patritio: tota Dania in suo Remberto: India in suo Francisco Xaverio agnovit verum miraculorum patratorem; qui omnes fidem Christianam & Christi Divinitatem prædicantes, innumeris miraculis eam comprobârunt, id ipsis promittente ipso Christo. Qui verò hæc omnia revocare in dubium vellet, aut præfractè negare, protervus sanè & impudens foret, tot historias, & Scriptores summæ auctoritatis spernendo, & totum mundum levitatis stolidæ ac nimiæ credulitatis arguendo: imò apertè desiperet non minùs, ac ille, qui negaret, fuisse olim hominem, Julium Cæsarem nomine, qui suis armis Gallias subjecisset imperio Romano, aut Romanos suum Dominium extendisse ad plurimas provincias, quas bellica virtute sibi subjugâssent &c. aut alia, quæ communi calculo à profanis Historicis referuntur, & communi fama probantur.

Dices. Non omnia statim habenda 7.
sunt pro miraculis, quæ videntur esse miracula; cùm experientiâ constet, effectus ipsæpe naturales, vel dœmonis præstigias fuisse, quæ ab imperitis prodigia esse credebantur. R. Effectus naturales non sunt tam repentinæ curationes, solo verbo, vel crucis signo, in momento factæ, resuscitatio mortuorum, obscuratio solis per universam terram, conversio aquæ in vinum.

num &c. Multò minùs præstigiæ diaboli censeri debent, ubi 1. de nullo commercio cum diabolo constat, sed potiùs oppositum, dum ipsi dæmones pelluntur ex corporibus obsessorum, utut reluctantes. 2. Ubi nulla peregrinarum vocum incantamenta, inanes ceremoniæ, & gesticulationes. 3. Ubi omnia fiunt publicè inspectantibus & ringentibus acerrimis hostibus, solo vocis imperio, simplici contactu, pio in cœlum obtutu, sola Divini Nominis invocatione &c. 4. Ubi finis non est vana gloria, curiositas vitiosa, pretium & lucellum temporale &c. Sed sola Divini Nominis gloria, major DEI cognitio, æstimatio, & amor &c. dæmonum confusio, hominum utilitas præsertim spiritualis, morum correctio, virtutis incrementum. 5. Ubi is, qui miraculum facit, eximijs virtutibus, & rarâ vitæ sanctimoniâ conspicuus est. Quæ omnia in miraculis Christi, ac ejus Discipulorum deprehenduntr. Ubi autem hæ circumstantiæ comitantur insolitum & prodigiosum factum, nulla suspicio fraudis aut præstigiarum diabolicarum locum habere debet; cùm ad DEI Providentiam spectet, insolitos effectus & in speciem prodigiosos non permittere, quorum falsitas ex ejusmodi signis dignosci nequeat. Verùm demus & hoc, nullum ex omnibus, quæ passim narrantur, à Christo, vel in Christi nomine factis prodigijs veri miraculi gradum attigisse (quod equidem evidenter inredibile & impossibile judico) nemo tamen ratione præditus inficias ibit, summum miraculum fuisse, quòd Mundus sine miraculo crediderit in Christum, à Judæis tam crudeliter & ignominiosè habitum, eúmque adoraverit tanquam Filium DEI Naturalem, ac illius doctrinam tam arduam, sibi, carni, dœmoni, adeò adversantem, nullo adactus miraculo receperit. Unde cum D. Augustino l. 22. de Civit. DEI c. 5.

8. Sic argumentor. Vel Christus in confirmationem suæ Divinitatis, & doctrinæ, edidit miracula vel non? si edidit, evidenter est innegabile, eum fuisse verum DEUM: si non edidit, tunc ingens & maximum miraculum est, quòd Mundus hominem, adeò contemptum, humiliatum, crucifixum pro DEO agnoverit, ejúsque doctrinam tam creditu, quàm factu adeò difficilem receperit, per paucos, pauperésque piscatores, & illiteratos sibi propositam. Quod miraculum eò quidem excellentius foret, quo difficilius est expugnare obluctantium mentes & corda, quàm corpora motui obsistentia; nam istud etiam Angeli possunt, quodlibet Corpus, quò volunt, movendo; illud autem, nempe intus pro arbitrio movere animos, solius Divinæ Virtutis opus est.

9. Nihil jam dicam de vaticinijs Prophetarum Isaiæ, Danielis, Davidis &c. qui sicut Messiæ seu Christi Redemptoris Nativitatem ex Virgine in Bethlehem Juda, stellam, adventum, & munera Magorum, fugam in Ægyptum & reditum, miracula in sanandis ægris, surdis, claudis, cæcis &c. dolores, vulnera, mortem, descensum ad inferos, resurrectionem à mortuis, ascensionem ad cœlos, prædicationem doctrinæ per Apostolos, conversionem Gentium ad Chri-

Christum &c. prædixerunt, antequam evenirent, ut videre est apud Thyrsum Gonzalez adversus Mahumet. p. 1. l. 1. c. 6. & seqq. Bellar. in Conc. de fid. conc. 4. & alios; ita etiam testati sunt ipsius Divinitatem: adeóque sicut fuerunt veridici prædicendo vitam, doctrinam, & Ecclesiam Christi, ita veridici fuisse censendi sunt asserendo ejus Divinitatem; quam veracitatem à nemine nisi à DEO habere possunt Prophetæ de rebus futuris vaticinantes.

10. Atque ex his, quæ hactenus diximus, non modò rectè infertur, Christum esse verum DEUM, ejúsque Divinitatem evidenter credibilem, verùm etiam evidenter esse credendam, & quidem ex obligatione gravi, ita ut coram DEO inexcusabiles sint, qui visis vel auditis tot signis & argumentis tam evidentibus non credunt in Christum, ac Religionem Christianam non amplectuntur. Cùm nulla alia Religio, quæ Christum non agnoscit pro vero DEO, eique servit, possit esse vera & salvifica: neque plures Religiones inter se oppositæ, uti sunt Gentium, Turcarum, Judæorum, & Christianorum, possint esse veræ, DEOque placere, ut partim diximus, partim dicemus.

ARTICULUS VII.

Beatitudo & finis ultimus Hominis non sunt voluptates Corporis.

Contra Trucas.

SUMMARIUM.

1. *A Paganis universim sumptis fit transitus ad eos in specie, nempe ad Turcas.*
2. *Qui originem ducunt à Mahumete: quis iste fuerit.*
3. *Quale monstrum Turcismus.*
4. *Nefanda scelera suis permittit.*
5. *Ac lepidissimas fabulas, & absurda manifesta in libro Thalmud proponit.*
6. *Inter alia beatitudinem hominis, etiam in altera vita, constituit in voluptatibus corporis.*
7. 8. 9. 10. *Quod evidenter absurdum & falsum est.*
11. *Turcæ nec ex ratione, nec ex miraculis, nec alio modo efficaciter probare possunt, suam Sectam esse veram, imo evidentissimam habent præsumptionem contra se.*
12. *Quales delicias aliquando habitura sint corpora Beatorum juxta Catholicos.*

Scien-

1. SCiendum 1. postquam omnium Paganorum, & Christi Divinitatem negantium, manifestus error rejectus est in genere, probandò Divinitatem Christi argumentis fortissimis, rectè gradum fieri ad eos in specie confutandos, præcipuè autem duas illorum sectas præ cæteris notas, magnam Mundi partem occupantium, vel omnes pervagantium, nimirum Turcarum &
2. Judæorum.

Sc. 2. Turcas à Mahomete originem ducere, cui tanquam sectæ suæ auctori non quidem Divinitatem, propemodum tamen Divinos honores tribuunt. Fuit autem Mahometes homo plebeius, in Arabia ortus ex patre Pagano, ex matre Judæa, initiò Idolorum cultor in Mecha; donec viduæ cujusdam divitis camelos pascens, illam denique uxorem nactus est. Hujus opibus potens effectus varijs machinis ad gentis suæ regnum superbè aspiravit, cúmque insidijs, rapinis, incursionibus se nihil profecturum videret, Religionis tandem adminiculo perrumpere haud vana spe constituit. Quare Divinum Prophetam mentitus Sergium Monachum, hæresi Nestoriana infectum, sibi junxit, & Nestorianus effectus est. Id subodorati Judæi, qui se illi adjunxerant, dolosè præcaverunt, ne Mahumetes verè Christianus evaderet: hinc homini rebus novis inhianti fabulas suas insibilârunt. Unde non mirum, quòd *Alcoranus* (ita Mahometes vocabat librum suæ novæ doctrinæ, quem sibi à Gabriele Angelo per partes allatum fabulatus est) tam Judæorum fabulis, quàm hæreticorum commentis repletus totam iniquitatis plenitudinem in se contineat. Natus est pestilentissimus homo die Veneris, quem Turcæ propterea locò diei Dominici celebrant, sua verò dogmata spargere cœpit sub annum 630. (somnolenter imperante Heraclio Cæsare) apud Agarenos (alij Saracenos dicunt) Arabiæ populos, qui Cæsari rebelles Mahometem opibus potentem in ducem sibi elegere, atque incredibili celeritate maximas Asiæ partes cum Africa & aliqua Hispaniæ parte inundârunt. Per sex annos dominatum exercens, & sectæ suæ, pestem diffundens à suis veneno sublatus est anno ætatis quadragesimo.

Sc. 3. Turcismum esse monstrum quoddam horrendum ex multiplici superstitione ac hæresi conflatum: siquidem *à Judæis* habet multitudinem uxorum, libellum repudij, horrorem carnis suillæ, circumcisionem, creberrima baptismata &c. Ab Hæreticis *Arianis*, Verbum non esse DEI Filium Patri Consubstantialem: *à Nestorianis*, Christum de Virgine quidem natum, non tamen DEUM, sed purum hominem esse: *à Manichæis*, Christum neo passum nec mortuum esse, & à vino esse perpetuò abstinendum: *ab Epicuro*, summam beatitudinem hominis in hortorum amœnitate, uxorum multitudine, cibo & potu, aliisque corporis voluptatibus positam esse, & quidem (in quo Turcæ superant immensùm Epicureos, bis stolidi) etiam in futura vita, quam supereſse post mortem non negant, uti colligitur tum ex Alcorano, tum ex Joanne Andrea, priùs Mahumetanorum popa, postmodum

3.

Christiano, qui affirmat, Turcas credere, quòd DEUS post lautas epulas, alterius vitæ, inter Virginum amplexus Mauris paratas, remotis demum velis faciem suam ipsis ostensurus sit: postquam verò faciem DEI viderint, abituri sint in aliam Paradisi mansionem, ibique per totam æternitatem mansuri cum pulcherrimis fœminis, ut ex cibo, potu, & mulierum consortio æternas capiant delicias. Quibus tamen potissimùm fruituros edixit Mahumetes, qui vel hostem occidissent, vel ab hostibus occisi fuissent, ut nimirum suos in bello fortes efficeret callidus impostor; cùm enim ad confirmandam suam sectam nullum posset edere miraculum, in virtute gladij se missum asseruit.

4. Sc. 4. Mahometem, ut facilius tam Judæos quàm Christianos ad se pertraheret, finxisse se divinitus missum ad hoc, ut Legem utrisque datam mitioribus præceptis temperaret. Unde quasi privilegiorum instar permisit suis fornicationem, libidinem vagam, aliaque nefanda, item perjurium assertorium, vindictas privatas, prædationes regnorum sine titulo. Christum non omnino negant Turcæ, sed Magnum & Sanctum fuisse Prophetam, nunquam peccâsse, multa edidisse miracula, ascendisse ad cœlos, ibi tamen ad pedes Mahumetis sedere credunt.

5. Sc. 5. Alcorano lepidissimas fabulas esse insertas v. g. dœmones sæpius conscendisse cœlum ad intelligenda secreta Dei, sed, cùm Deus aliquoties sentiret, sua arcana hostibus esse patefacta, iratum creâsse stellam lucidissimam, quæ exploratores istos vel prodat, vel accensis titionibus fuget. Alibi refert Mahometes in eodem Alcorano, cornua disfractæ Lunæ à se intra manicas subuculæ redintegrata: item omnes arietes, quos Mahumetani in festis Paschalibus sacrificant, surrecturos ad judicium, & oraturos pro Sacrificantibus. Ne verò tam lepida, tam absurda, tam pudenda & nefanda contemnerentur ut futilia & rectæ rationi dissona, si ad exactæ disquisitionis examen revocarentur, de traditis à se dogmatis & præceptis disputari vetuit astutus Nequam.

Sc. 6. Quamquam hæc & similia ingenuo homine adeò indigna sint, & tam apertè falsa, ut ea retulisse refutâsse sit; eò quòd lumen rationis dictet, talem Sectam, quæ tam impia, tam manifestè absurda, & falsa docet vel approbat, à DEO non esse; unum tamen, quod de hominis felicitate & fine ultimo, etiam alterius vitæ, tradidit spurcissimus ganeo, paucis impugnandum duxi, ut major hujus abominandæ Sectæ aversio in omnium nascatur animis, nullúsque ex Christianis fœdissimum Mahumetis paradisum vel quærat in terris, vel stolidè optet post mortem. Itaque contra Turcicum Paradisum 6.

Dico. Evidenter absurdum & falsum est, beatitudinem hominis & finem ultimum consistere in voluptatibus Corporis. Probatur 1. beatitudo ex communi hominum sensu communiter definitur esse *status omni bonorum aggregatione perfectus*, debétque esse bonum tam perfectum, ut satiet omnem hominis appetitum: sed bona & voluptates 7.

tates Corporis evidenter non ſatiant omnem hominis appetitum : ergo. M. P. Appetitus hominis eſt duplex, ut conſtat, rationalis & ſenſitivus: ſed appetitum rationalem, qui tamen eſt præcipuus, non ſatiant bona & voluptates Corporis (quidquid ſit de appetitu ſenſitivo ; nec enim iſtum ſatiari mihi certum eſt) ergo non ſatiant omnem hominis appetitum. M. P. Intellectus eſt capax boni ſpiritualis & æterni: ergo non poteſt ſatiari bonis corporalibus & perituris.

8. Prob. 2. Per ſe abſurdum & indecens eſt, felicitatem & finem hominis eſſe talem, ut in ejus adeptione oporteat erubeſcere : ſed in adeptione voluptatum carnis, præſertim Venereæ, erubeſcunt homines ingenui : ergo in his conſiſtere felicitatem & finem hominis, per ſe abſurdum & indecens eſt. Min. prob. Nemo ingenuus eſt, qui non erubeſcat, & pro contumelia habeat, ſi ipſi dicatur, quòd ad comedendum, bibendum, & carnis illecebris vacandum creatus ſit. Major ſum & ad majora natus, quàm ut corporis mancipium ſim, ajebat Seneca gentilis Philoſophus. Edendum eſt, ut vivamus, non vivendum, ut comedamus.

9. Prob. 3. Beat tudo eſt hominis ſummum bonum : ergo licitum eſt illam quærere in omni re ; cùm in omni re liceat tendere ad finem ſuum, imò oporteat. Proinde ſi beatitudo & finis hominis ſint voluptates carnis & corporis, licita erit omnis libidinum turpitudo, comeſſationes, ebrietates, furta, rapinæ, homicidia, aliáque ſcelera graviſſima, quæ tamen ab omnibus, qui ſanæ mentis ſunt, inſtigante Natura habentur ut illicita & abominanda: Ubi enim licitus eſt finis, licitum eo ipſo debet eſſe adhibere media ad talem finem, ut evidens eſt. Sed (ad rectæ rationis tribunal appello) quid legi Naturali ac Divinæ magis adverſatur, quàm prædicta facinora?

10. Prob. 4. exagitando nonnihil ſpurciſſimum hunc paradiſum, & ejus abſurditates protrahendo in medium. Edicant Turcæ : num eriam fames & ſitis erit in ipſorum cœlo ? ſi aſſerant ; planè miſeram habent felicitatem ; ſi negent, non ita bene ſapiet cibus & potus, ſi verò tamen ſapiat, certè feliciores erunt illi, quibus ſunt colla anſerina, ut ſic major pars hac guloſa felicitate frui valeat. An per cibum & potum nutrienda ſunt corpora Sanctorum ? ſi aſſerant, ſimul introducunt corruptionem fœtoris matrem ; ubi enim nutritio, ibi corruptio ; aliàs corpora in immenſum augerentur : ſi negent ; quò igitur deveniunt tot armenta & dapes devoratæ ? an fortè in porcos, oves, & boves novos convertuntur poſt abliguritionem, unde novæ inſtruantur epulæ ? Ad cubilia hujus Paradiſi ob fœtorem caſto animo non ferendum pudet tranſire. Vah paradiſi proſtibulum! ſuper quo plura deducere pudicus horret calamus.

11. Supereſſent plura argumenta ad fœdiſſimam Turcarum Sectam refellendam, quæ brevitatis cauſâ omitto. Id ſolùm adverto, quòd Mahumetes nec ratione, nec auctoritate Sanctorum & Doctorum virorum, nec miraculis, nec alio modo efficaciter probare poſſit, ſuam

suam Sectam esse meliorem illis, ex quibus partim acceptatis, partim rejectis, coagulavit suam: ergo sicut falsæ sunt Sectæ Judæorum & Hæreticorum, ex quibus surrexit Mahumetanismus, ita & falsa est Secta Turcarum. Accedit, quòd ante adventum Mahumetis per sex sæcula fuerit fides vera in Mundo, in qua homines salvabantur, imò esse debuerit, ut nemo prudens negaverit: ergo qui introduxit novam veteri, miraculis sacrisque litteris & alijs indicijs comprobatæ, contrariam, nec probat, veterem esse abrogatam, & novam profectam à DEO, est manifestus Impostor: sed Mahumetes nullo modo probat &c. ergo.

12. Objicies fortè. Etiam juxta multos Catholicos Doctores corpora Beatorum olim habebunt suas delicias in cœlo: ergo tam absurdum non est felicitatem hominis constituere in delicijs corporis. R. D. A. habebunt delicias Venereas & tales, quæ percipiuntur ex comessationibus & potationibus. N. A. habebunt alias limpidiores; & quæ bestiis non sunt communes. C. A. vel subdist. & in his sensilibus delicijs consistet perfecta hominis beatitudo. N. A. aliqua portio illius, & quidem longè ignobilior. T. A. & N. C. Sicut anima rationalis est hominis pars nobilissima, ita etiam decet, ut optima felicitatis portio ipsi obtingat, quæ scilicet præcipuas illius potentias, Intellectum & Voluntatem, perfectè satiet, Intellectum quidem cognitione & visione summi Boni, Voluntatem verò ejusdem amore & fruitione.

ARTICULUS VIII.

Christus est verus Messias.

Contra Judæos.

SUMMARIUM.

1. *Judæi defacto inter Biblia sua, plurimùm corrupta, etiam numerant Thalmud, librum fabulis & blasphemijs infamem.*
2. *Eorum præcipuus & fundamentalis error est in eo, quod adhuc exspectent Messiam venturum, & Messiatum negent Christo.*
3. *Quid intelligatur per Messiam.*
4. *Christum esse verum Messiam evidenter credibile & prudenter innegabile est, ut deducitur ex Scripturis utriusque Testamenti, & Miraculis Christi.*
5. *Quin & ex miraculis Discipulorum Christi.*
6. *Confirmatur efficacissimo dilemmate.*
7. *Ex gravissima vindicta, qua Deus*

us tam longo jam tempore perſequitur Judæos.

8. *Quæ habet rationem pœnæ Talionis.*

9. *Judæi defacto nullum ampliùs habent motivum credibilitatis pro ſua Religione: quæ autem ex Antiquis abducunt, magis ſerviunt pro confirmando Chriſti Meſſiatu & legis novæ veritate.*

10. *Oſtenditur ulteriùs Synagogæ modernæ falſitas dupliciter.*

11.12. *Diluuntur eorum objecta.*

1. SCiendum 1. Judæos olim habuiſſe veram Religionem à DEO revelatam, veram ſcilicet fidem de rebus à DEO revelatis, & veram legem divinitus latam: quam utramque infallibiliter diſcebant tum ex traditionibus tum ex libris Divinis Antiqui Teſtamenti. Quos libros quamvis hodiedum adhuc habeant pro Verbo DEI, non tamen incorruptos poſſident, ſed manifeſtis erroribus turpiter fœdatos. Siquidem hæc miſera & cæca gens pro Verbo DEI agnoſcit librum quemdam *Thalmud* dictum, à varijs Rabbinis conſcriptum, varijs fabulis & blaſphemijs infamem, & turgentem ineptijs, quas puro Verbo DEI Veteris Teſtamenti addiderunt vel ſimplices vel ſacrilegi Rabbini. Audiamus aliquas hujusmodi fabulas & blaſphemias libro Thalmud inſertas, & à Judæis credendas. Locum in cœlo eſſe, ait hic liber, ab aliorum conſortio remotum, in quem DEUS identidem ſe recipiat, ibique magnis fletibus deploret, quòd templum Jeroſolymitanum everti, & tam charum ſibi populum Judæorum ita diſpergi paſſus ſit, quoties etiam meminiſſet calamitatum, quibus eam gentem afflixit, toties manu utraque pectus ſibi tundere DEUM, & calentes duas lacrymas in Oceanum effundere. Eundem tres primas cujuslibet diei horas dare ſtudio Moſaicæ Legis &c. aſtutè mentitum eſſe, dum pacem ſtabilijt inter Saram & Abraham: plures ante conditum Mundum produxiſſe creaturas, iterúmque deſtruxiſſe, ut ſic addiſceret artem fabricandi mundum: Judæis præcepiſſe, ut vi, dolô, furtô, uſurâ, aut quocunque demum modo poſſent, raperent bona Chriſtianorum. &c. Verùm utut hæc evidenter abſurda & falſa ſint, tamen

Sc. 2. præcipuum, in quo cæteri plerique fundantur, errorem Judæorum eſſe, quòd putent Meſſiam in libris Antiqui Teſtamenti promiſſum, necdum veniſſe, adeóque Chriſtum, ſicut DEUM verum, ita nec Meſſiam eſſe, ſed alium adhuc exſpectandum perperam credant. Quo errore principali maximè differunt à Chriſtianis, qui credunt inconcuſſa fide, Chriſtum eſſe verum DEUM (quod ſuprà contra Paganos univerſim, proin & contra Judæos eandem Divinitatem negantes oſtenſum eſt) & verum quoque Meſſiam eſſe. Unde patet, Chriſtianiſmum ſucceſſiſſe Judaiſmo, Eccleſiam Synagogæ, eò quòd adveniente Meſſia conſequens & neceſſarium ſit exſpirare fidem in Meſſiam venturum, & commutari in fidem de Meſſia præſente, Legésque Ceremoniales & alia, quæ erant figura & umbra 2.

bra futurorum, adventante novo Legislatore promisso, tanquam Figurato & Luce, vel cessare vel immutari.

3. Sc. 3. Per Messiam intelligi Mundi Salvatorem à DEO promissum, & à Prophetis prænuntiatum, qui tolleret peccata Mundi, & homines propter peccata sub diaboli potestate constitutos, & inferni reos, liberaret, ac in libertatem filiorum DEI reconciliatos assereret, Legémque Gratiæ constitueret. Hunc jam venisse, & præter Christum, quem Christiani adoramus, alium non venturum, si evicerimus, Judaismum ex fundamento convellimus. Id quod in Christi nomine effectum eo, &

4. Dico. Evidenter innegabile est, Christum esse verum Messiam. Prob. 1. Prudenter innegabile est Christo convenire signa veri Messiæ, à Prophetis & Scripturis Sacris (quibus etiam Judæi fidem vel Divinam tribuunt, vel saltem humanam negare nequeunt) indicata, & vaticinia Veteris Legis de promisso Messia: erga etiam prudenter (adeóque & evidenter) innegabile est, Christum esse verum Messiam. A. P. Prophetæ in Scripturis Veteris Testamenti prædixerunt locum, nempe Bethlehem, ubi nasceretur Messias, tribum, nimirum David, ex qua ortum duceret, pauperem & humilem victurum, occidendum à Judæis, resurrecturum à mortuis, Leges sanctissimas laturum, Apostolos missurum in Universum Orbem, convertendas ad ipsum gentes per omnia mundi regna &c. ut facilè probari posset varijs textibus, si hoc loco tam scrutari Scripturas mihi constitutum foret, quàm rationis lumen attendere: quæ omnia in Christo clarissimè adimpleta sunt, ut nemo ignorat ex Prophetijs & Evangelicis Historijs. Afferamus saltem unicum textum, ex quo facilis erit conjectura de alijs. Isaias Propheta c. 35. v. 5. & 6. sic vaticinatus est de Messia: *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet, sicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Ecce! quatuor miraculorum genera, tanquam opera & signa veri Messiæ, patefecit Divinus Vates: atqui prudenter innegabile est, hæc quatuor miraculorum genera tempore Christi, imò ab ipso Christo fuisse edita, utì Historia Evangelica toti orbi notissima, sub ipsa Christi tempora in Mundo ubique vulgata, quæ tantæ auctoritatis est, ut fides saltem humana prudenter negari ipsi nequeat, clarissimis verbis testatur. Audiatur Matthæus c. 15. v. 30. & 31. *Accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos: ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes.* In ejusdem Evangelicæ Historiæ libris narratur suscitatio Lazari jam sepulti, facta à Christo, obscuratio solis, scissuræ petrarum, aliaque prodigia innumera, quæ vel in vita vel morte vel Resurrectione Christi contigerunt, patrata vel ab ipso, vel à DEO in contestationem Messiatûs ipsius. Certè opera tam stupenda & totius Naturæ vires lon-

longissimè supergressa inaudijt ferè totus Orbis, iisque subscripsit Christum acceptando & adorando tanquam verum Messiam, & plurimi etiam ex ipsis Judæis, qui tot ac tanta signa vel ipsi viderunt præsentes, vel innumeris testibus convicti didicerunt ex auditu. Quæ miracula evidentissimum præbent testimonium Christo, illa patranti, vel pro ipso patrata.

5. Quin imò non solùm ipse Christus, sed & Discipuli ejus, Christi nomine invocato, illustrissima ediderunt miracula, & adhuc edunt. Petrus in nomine JESU claudum ambulare jussit subitò sanatum: Joannes in ferventi oleo illæsus perstitit: alij innumeri cœcis visum, surdis auditum, ægris sanitatem, imò & mortuis reddidere vitam solo Crucis signo, vel solius Christi implorata ope, ut testantur non modò Historiæ Ecclesiasticæ, sed etiam Politici Scriptores maximæ auctoritatis, quibus omnibus negare fidem proterva temeritas est, & risu digna stoliditas. Quid quòd ipse Josephus, Scriptor Judæus, hanc de Christo sententiam protulerit: *Eo tempore*, aiebat, *fuit Jesus vir sapiens (si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operator &c.) Christus hic erat &c.* Innegabile igitur est, Christum, ejusque discipulos in virtute Christi plurima patrâsse miracula, quæ totum ferè mundum eò permoverunt, ut Christum à Judæis Cruci affixum, & contumeliosissimè habitum, meritò pro DEO & vero Messia agnitum adoraret, non ignarus, opera tam admiranda patrare non hominis, sed solius DEI virtutem esse, minimúmque in puri hominis viribus constitutum.

Confirmantur dicta hoc efficacissimo 6.
dilemmate: vel Christus edidit miracula vel non? si edidit, clarum est eum esse Messiam, pro quo se gessit, & adorari se passus est, nec purum hominem: si non edidit, hoc ingens & maximum miraculum est, quòd Mundus eum receperit pro Messia & DEO, utpote adeò contemptum, humiliatum, & tam exquisitis tormentis occisum, præsertim cùm doctrinam valde arduam captu, sensibus difficilem, & quidem per paucos pauperésque piscatores prædicaverit.

Probatur assertio nostra 2. ex gravis- 7.
sima vindicta, qua DEUS persecutus est & adhuc persequitur Judæos, Chtistum non modò Messiam esse negantes, verùm etiam crudelissimè interficientes. Unde sic argumentor. Vel Christus fuit verus Messias & naturalis DEI filius, pro quo se gessit & haberi voluit: vel Judæi non peccârunt occidendo Christum: hoc posterius est evidenter incredibile: ergo prius, nempe Christum fuisse & esse verum Messiam & naturalem DEI filium, est evidenter credibile. Ma. patet; si enim Christus fuisset purus homo & non Messias, qualem se gessit, & prædicari à suis discipulis voluit, utique non peccâssent Judæi, sed potiùs præclarum obsequium præstitissent DEO, cùm dignis tormentis & nece ulciscerentur injuriam DEO illatam ab homine, in re summi momenti decipiente tot homines, & ipsam etiam Divinitatem affectante. Min. prob,

Si

Si Judæi non enormiter peccâssent occidendo Christum, non potuisset DEUS in ipsis hanc necem Christo illatam ulcisci gravissimis pœnis & longissimo tempore: sed DEUS hanc necem gravissimis pœnis ultus est & etiamnum ulciscitur, adeóque jam per 17. ferè sæcula; statim enim post hanc necem cœperunt ærumnæ & calamitates maximæ Judæorum, quales nunquam propter aliud scelus, nec tanto tempore, ipsis inflixit DEUS: paucis post hoc immanissimum Deicidij flagitium annis Titus & Vespasianus, prout Christus vaticinando prædixerat Luc. 14. molitus est Urbi Jerosolymitanæ & Templo excidium; quod excepit turpis dispersio per orbem & triste exilium, quo hodiedum plectuntur, destituti Rege, Templo, Prophetis, Sacerdotibus, Oblationibus & Victimis: secutum est odium universale & contemptus, quo omnes nationes persequuntur Judæos, ac despiciunt &c. quæ utique sunt pœnæ gravissimæ non modò affligentes corpus, sed & bonis spiritualibus privantes animam. Quòd autem Judæi hæc tanta supplicia patiantur propter necem Christo illatam, qui tamen clarissimis signis se Messiam in Lege promissum ipsis probaverat, manifestum fit partim ex eo, quòd statim cæperint hæ calamitates post Christum occisum, & aliud tam enorme scelus, propter quod plectantur, non sciatur: partim quia hæc supplicia sunt longè majora, quàm fuere illa, quibus olim castigati sunt Judæi propter peccata alia, etiam gravissima, Idololatriæ, occisionis Prophetarum &c. illa enim supplicia non durabant tanto tempore, non privabant omni solatio, Prophetis &c. quippe Captivitas Babylonica, quæ fuit fortassis maxima Judæorum pœna ante Christum occisum, durabat tantùm 70. annis, neque illo tempore defuerunt Prophetæ, qui Judæos solabantur spe Redemptionis &c. partim ex vaticinijs Prophetarum clarè deducitur. Audiamus unicum Danielem, qui c. 9. ita vaticinatus est: *Post hebdomades 62.* (hebdomas juxta Interpretum communem sensum dicit hìc spatium 7. annorum) *occidetur Christus, & non erit populus, qui eum negaturus est, & civitatē, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo* (nempe Romani cum Tito duce) *& finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio --. deficiet hostia & Sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Pensentur bene singula verba, & claro veritatis radio faciat aditum obdurata & excæcata Gens. Ergo Judæi occidendo Christum longè graviùs peccârunt, quàm occidendo Prophetas, adorando vitulum aureum &c. Ergo occidendo Christum occiderunt plusquam Prophetam, ipsum Messiam, & Filium Dei, pro quo se gesfit, & qualis haberi voluit.

8. Pro majori adhuc efficacia hujus argumenti adverte 1. DEUM in excidio Jerosolymitano adversùs Judæos usum pœnâ Talionis, hoc est, eodem ferè modo eos afflixisse, quo ipsi priùs sævierunt in Christum, ut nemo non videret, unde & quam ob causam Judæos tot mala oppressérint: cæpta est obsidio Jero-

Jerosolymæ in monte Oliveto, ubi Christum velut latronem comprehenderunt, ac tyrannidis suæ fecerunt initium: obsessa est populosa civitas ferijs Paschalibus, cùm in eam tricies centena millia 3000000. Judæorum confluxissent, quo eodem tempore Christum coram innumerabili hominum multitudine inter duos latrones suspenderunt è Cruce: venditus est Christus 30. argenteis, Vespasianus capta Urbe vendidit 30. Judæos uno denario, & taliter venditorum numerus superavit 30000. Judæorum: captus est Christus, capti quoque sunt 97000. nonagies septies mille Judæi: Christus inclusus est arctæ custodiæ, Titus muro ferè 5000. passuum Judæos concluſit velut retibus ferarum instar: Christus fuit multiplici contemptu & subsannatione illusus, Judæorum tanta fuit & adhuc est vilitas, ut properandum probrosius esse censeatur unicam habere guttam Judaici sanguinis, quàm esse latronem, incestuosum, hæreticum: Christus fuit cruci affixus, Judæorum tantus numerus pependit è crucibus jubente Tito, ut tandem corporibus cruces, & crucibus spatium deesset: sitiens JEsus aceto ac felle potatus est, Judæi extrema fame horrendùm excruciati coria, cingula, calceamenta, & fœdissima quæque, imò & proprios infantes vorare cœperunt, cloacas & stercora rimati, ut invenirent, quo rabidam famem sedarent: Christus denique fuit occisus, Judæorum in illa obsidione vel ferro vel igne perierunt undecies centena millia 1100000. Vid. Stengel. de Judicijs Divinis to. 3. c. 53. Adverte

R. P. Pichler Theol. Polemica.

2. Diabolum, qui ante Christi Adventum Judæos sæpissime conatus & solitus est impellere ad Idololatriam, jam verò non ampliùs ad hoc scelus instigare. Sciebat nimirum Spiritus nequam, Judæorum Sacrificia, & cæremonias ante Christi Adventum, multùm placuisse DEO, nunc verò nihil valere ampliùs, nec esse aliud, quàm vanas, inutiles, & DEO exosas superstitiones. Unde non est, cur eos abstrahat ab his perversis ritibus, quibus non tam colitur quàm offenditur DEUS.

Probatur 3. Judæis nullum ampliùs 3. suppetit motivum, ex quo Antiqua Lex ipsis fiat evidenter credibilis, quod motivum non pariter pugnet pro Lege Nova. Item omni destituri sunt motivo, ex quo reddatur credibile, Prophetas & Legislatores v. g. Isaiam, Moysem, fuisse Divinitus missos, quo uti non possint Christiani ad suadendum, Christum fuisse Messiam in Lege promissum: ergo si admittunt Prophetas & Moysem, si Legem Antiquam; etiam admittere debent Christum & Legem Novam. Nam Prophetas, Moysem, Antiquam Legem agnoverunt tanquam missos & datam à DEO, quia illi habebant donum prædicendi futura, patrandi prodigia, & quidem in confirmationem Legis Antiquæ: atqui hæc prærogativa pariter, imò longè magis reperta est in Christo & pro Lege Nova: ergo. Et quo modo Judæi contra Gentiles probant, vera fuisse miracula Moysis & Prophetarum, eodem Christiani contra Judæos probare possunt, vera fuisse miracula Christi & ejus asseclarum.

10. Confirmatur 1. Judæi, post Christi adventum carent omnibus signis, quibus olim eorum Religio facta est credibilis evidenter præ omni alia Secta, scilicet carent Miraculis, Prophetijs, Sanctitate eximia tum doctrinæ tum morum &c. Unde confirmatur 2. Fides Judæorum hodie hauritur ex libro Thalmud, quo nihil fabulosius aut ineptius; neque Scripturam Veteris Testamenti habent ampliùs puram & incorruptam. Quin Thalmud passim ita infamis est, ut Judæi, qui fidem ei tribuunt, fabulas credere & mendacia existimentur. Et hinc forsan originem sumpsit, quòd Germani fabulas & mendacia vocitent phrasi vernacula Juden. Ergo Judæorum Religio vera non est, imò ne quidem prudenter credibilis ampliùs, sed apertè falsa & superstitiosa. Confirmatur 3. ex c. 49. Gen. 10. ubi sic dicitur: *non auferetur sceptrum de Juda & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium*, id est, Messias, ut vertit interpretatio Chaldæa: atqui sceptrum tempore Christi fuit ablatum à Judæis in Herode, qui non Judæus erat, sed Idumæus: ergo.

11. Ob. 1. Judæi habent illa signa pro veritate suæ Religionis, quæ à Catholicis afferuntur pro veritate suæ Ecclesiæ: ergo vel Religio Judæorum est vera, vel neque Catholicorum est vera. A. P. Signa, quæ pro veritate Ecclesiæ Catholicæ afferuntur, sunt Antiquitas, Universalitas, perpetua Visibilitas, Miracula, Sanctitas: sed hæc signa omnia reperiuntur etiam in Religione Judaica; quia illa imprimis est antiquissima in toto orbe. 2. Nulla ferè est regio, in qua non sunt Judæi. 3. à tempore Moysis usque ad præsens videri potuit Religio Judæorum. 4. Miracula Religionis Judaicæ ita sunt nota, ut nemo ignorare possit, scilicet stetisse solem ad imperium Josue, mare fuisse divisum ad faciendum transitum populo Israelitico &c. 5. Sanctitatem illius probant viri sanctissimi, Moyses, Aaron, David, Ezechias, Isaias &c. ergo. R. N. A. Ad probationem transeat M. hæc enim sunt quidem aliqua, non tamen omnia Ecclesiæ Catholicæ signa. N. m. Ad ejus probationem 1. dico; quamvis fuerit antiquissima & à DEO illata in Mundum, tamen non fuit illata, ut duraret semper in tali forma, sed ut mutaretur in melius tunc, quando advenisset Messias, novus Legislator à DEO promissus, cujus illa erat exspectatio, umbra, & figura. Et eam defacto esse repudiatam, desertam, ac reprobatam à DEO, manifestè patet ex dictis, & peculiariter ex eo, quòd cœperit esse sine templo, sine altari, sine sacrificio &c. sine quibus nulla est Religio. Ad 2. non sufficit ad universalitatem Ecclesiæ, si una vel altera familia hinc indè dispersa per orbem habitet negotiationis & mercimoniorum causâ, sed requiritur, ut eadem Religio inter omnes nationes & populos cultûs Divini causâ diffusa sit, eúmque publicè exerceat. Ad 3. Verè visibilis Ecclesia debet esse instar Montis super alios montes exaltati, ut prænuntiavit Isaias c. 2. Sed Synagoga Judæorum non est talis mons ita exaltatus, cùm non tantùm à Christianis, sed etiam à Gentilibus

bus habeatur pro omnium contemptibilissima. Ad 4. & 5. post Christi adventum Judæi pro sua secta nullum amplius miraculum, nullum virum egregiè sanctum & prodigiosum allegare possunt. Miracula autem Mosis, Eliæ, Josue &c. quin & sanctitas similium virorum nihil prosunt Judæis de facto; dum enim clarebant isti viri miraculis & sanctitate, Synagoga fuit adhuc vera Religio, & prodigia facta sunt in bonum Religionis Christianæ, quia facta sunt in confirmationem illius Religionis, quæ exspectabat Christum, tum nondum præsentem. Cæterùm miracula in confirmationem Religionis, quæ adorat Christum tanquam Messiam præsentem, longè excedunt, præsertim numerô, illa Antiqui Testamenti.

11. Ob. 2. Messias à Prophetis dicitur venturus cum gloria & Majestate magna, eúmque ignis & flamma præcedet &c. ut testantur David & Isaias: sed adventus Christi non fuit talis: ergo. R. D. M. Messias venturus ad judicandum C. M. venturus ad redimendum & salvandum. N. M. duplexà Prophetis describitur Adventus Messiæ, unus ad redimendum, alter ad judicandum; in illo Messias dicitur pauper, humilis, mitis, despectus, novissimus virorum, venditus, occisus, ut legere est apud Isaiam & Zachariam. Duplicem hunc adventum pulchrè insinuavit David Ps. 95. dicens: *Quia venit, quoniam venit judicare terram*: propter primum ejus adventum, quia fuit simplex & humilis, Propheta dicit simpliciter, *quia venit*, propter secundum verò, quia erit cum virtute magna ac terribilis, addit, *quoniam venit judicare terram.*

ARTICULUS IX.

Unica ex Christianis est vera Religio.

Contra Indifferentistas strictiores.

SUMMARIUM.

1. *Indifferentista strictiores sunt in duplici differentia.*
2. *Enumerantur quidam.*
3. *Impugnantur illi, quibus sufficit credere in Christum, simpliciter & confusè tantùm.*
4. *Et illi, quibus sufficit explicita fides præcipuorum tantùm articulorum de Christo, quia hoc est contra Scripturam.*
5. *Et contra evidentem rationem.*
6. *Adde, quòd diversæ Religiones Christianæ non in eodem sensu accipiant præcipuos de Christo articulos.*
7. *Et quòd vel unicum articulum à DEO sufficienter revelatum negare sit gravissimum crimen, & ex fideli faciat infidelem.*
8. *Accedit sensus primitivæ Ecclesiæ,*

quam omnes Sectæ Christianorum agnoscunt fuisse puram ab errore.

9. *Item sensus communis modernorum Christianorum omnium exceptis Indifferentistis.*
10. *Ex absurdis sequelis impugnatur ulterius Indifferentismus.*
11. *Et rursus ex Scriptura.*
12. *Quam totam tollere potes, si sufficit præcipuos de Christo articulos credere.*
13. *Demum unde probat Indifferentista, requiri & sufficere, si quis credat præcipuos articulos v. g. in Symbolo Apostolorum contentos?*
14. *Articuli fidei malè dividuntur in substantiales & accidentales, seu in necessarios & arbitrarios.*
15. *Quia omnes sunt æqualiter veri & certi.*
16. *Quia nec ab Adversarijs potest determinari, quinam sint substantiales & accidentales.*
17. *Et quia quilibet Christianus debet saltem implicitè credere omnia à DEO revelata.*
18. *An & quando sufficere possit credere præcipuos fidei articulos.*
19. *Quid dicendum ad textus & exempla Scripturæ,*
20. *Et ad praxim primitivæ Ecclesiæ.*
21. *Illos articulos, qui inter Christianos controversi sunt, DEUS non voluit esse liberos creditu, imò nec velle potuit.*
22. *Ecclesia Romana nunc nihil credit contra Antiquam.*
23. *An & quomodo credibile sit Sectarios, cæteroquin moratissimos, perire.*
24. *An tam pauci sint in vera fide, ut Sectarij dicunt.*
25. *An Sectarijs justa fuerit causa desciscendi ab Ecclesia Romana.*
26. *An Symbolum Apostolorum contineat omnia creditu necessaria.*
27. *Tota Ecclesia nec in errorem merè materialem incidere potest.*
28. *Quid dicendum de articulis, quos Catholici vocant necessarios necessitate medij, & præcepti.*
29. *Quomodo DEUS velit omnes homines salvos fieri.*

1. SCiendum 1. Superiùs Art. 5. satis superque confutatos esse Indifferentistas *Laxiores*, seu Libertinos, his autem valdè vicinos esse Indifferentistas, quos appellare placuit Indifferentistas *Strictiores*, eò quòd adeptionem salutis restringant ad solam, & omnem Christianam Religionem, ita ut quivis in qualibet Religione, quæ Christum profitetur, æternam beatitudinem consequi valeat, asserentes, illud discrimen, quod inter Catholicos, Lutheranos, Calvinistas &c. intercedit, non esse substantiale, nec in fundamento fidei, sed solùm circa res ad salutem non necessarias; cùm omnes credant in unum DEUM, in unum Christum Redemptorem, omnes per baptismum renati sint &c. Hos nimis laxos & pseudo-politicos homines alij vocant etiam *Adiaphoristas*, *Syncretistas*, vel etiam Liberi-

tinos: ipsorum verò Secta dicitur *Indifferentismus, Adiaphorismus, Syncretismus.* Dividuntur in duas classes præcipuas. Prima est eorum, qui putant sufficere, modò credatur in Christum modo quodam confuso, etiamsi in specie & explicitè non credantur præcipua de Christo mysteria v. g. Passio, Resurrectio, duplex Natura per Unionem Hypostaticam conjuncta in unam Personam &c. Et tales sunt pauci. Altera classis est eorum, qui docent, requiri & sufficere ad salutem, si quis credat præcipua de Christo mysteria, seu præcipuos articulos tum de Christo, tum etiam de SS. Trinitate, quos articulos vocant *Fundamentales, Substantiales, Essentiales*, & ad salutem *Necessarios*: reliquos autem vocant *Accidentales, Arbitrarios, Adiaphoros*, quos credere vel non credere pro libitu quis possit, & citra periculum salutis. Jam ingens inter hos diversitas est, quinam sint illi articuli substantiales? nam alij dicunt, eos contineri in Symbolo Apostolorum, alij in hoc simul & in Symbolo Nicæno, & S. Athanasij: alij in Catechismo Lutheri &c. imò nec defuit, qui dixit, inter articulos substantiales etiam esse credere, quòd Papa sit Antichristus. Ubi adverte diligenter, Indifferentistas docere, quòd articuli accidentales non solùm ignorari, sed etiam negari possint salvo fidei fundamento. Ita *Auctor Resp. ad 24. dubia Christiani scrupulis agitati f. 28. qui libellus hic Augustæ editus est anno 1702.*

2. Sciendum 2. Illos, qui dicunt, quòd præcipuos articulos de Christo & SS. Trinitate oporteat, atque sufficiat ad salutem, credere tanquam fundamentales, fuisse ac esse sat magno numero, inter quos censentur Zeno Imperator apud Evagrium, & Apelles Marcionista antiquus hæreticus apud Eusebium. Item Eras. Roterodamus, Marcus Ant. de Dominis Apostata, Georgius Cassander, Bernardinus Ochinus, Theodorus Beza, Jo. Crocius, Jo. Serranus, Georg. Calixtus, Thomas Hobbesius, & alij multi in Comitijs Ratisbonensibus anno 1653. & 54. Accenseri possunt Syncretistæ, & Pietistæ, circa annum 1686. exorti in Saxonia, & in Wirtenbergia, ut audio, multùm invalescentes, qui tamen genuinos se Lutheranos dicunt. Idem faciunt Politici quàm plurimi, qui se profitentur Confessionistas seu Lutheranos, & tamen Catholicos æquè & Calvinistas, ac Lutheranos, salvari posse tenent, utpote credentes in Christum, juxta illud Jo. 3. v. 15. *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed vitam æternam habeat.* Quibus accenseri possunt multæ Heterodoxorum aulæ, in quibus (ut retulit mihi vir doctus, & insigniter probus, qui relicto Lutheranismo simul & honorifico in Castris munere ad Ecclesiam Romanam redijt) Principum liberi educantur secundùm principia Indifferentismi, ne scilicet scrupulosè nimis arctata Religio splendidis cum tempore Matrimonijs obstet, aut alteri propitiæ sorti. Primúmque nuper, nimirum sex abhinc annis, Fabricius quidam Lutheranæ Theologiæ Doctor ac Professor Altdorffii & Helmstadij publico scripto defendit, Principissam

Wolffenbitelianam, Sereniſſ. Hiſpan. Regi Carolo Auſtriaco (nunc Cæſari) deſponſatam, bonâ conſcientiâ ad Catholicam Religionẽ tranſiiſſe, eò quòd etiam in hac ſalutẽ ſuam conſequi poſſit. Idem apud hunc in Conſid. var. Controv. ſentiunt Dirrius & alij. Imò ipſus ego propriâ experientiâ ſæcularis adhuc didici, non paucos in hac urbe Auguſt. hoc ſuavi veneno infectos eſſe: nec vana mihi eſt ſuſpicio, plures hac inani ſpe lactari, qui tamen id exteriùs non prodant.

3. Dico 1. Falſum eſt, ſalvari poſſe omnes, qui ſimpliciter, & confusè tantùm credunt in Chriſtum, nec in particulari credunt præcipua de Chriſto myſteria. Probatur. Si omnes ſalvari poſſunt, qui credunt in Chriſtum ſaltem confusè, tunc potuerunt ſalvari omnes Hæretici antiqui, qui fuerunt temporibus Apoſtolorum, & in primitiva Eccleſia: ſed hoc non poſſunt admittere iſti Indifferentiſtæ: ergo non omnes, qui credunt in Chriſtum confusè & quomodocunque, ſalvari poſſunt. Ma. eſt clara; quia omnes Hæretici ſaltem aliquo modo & confusè credebant in Chriſtum; aliàs non fuiſſent Hæretici, ſed omnino Pagani. m. P. Si iſti Indifferentiſtæ admittunt, omnes Hæreticos antiquos potuiſſe ſalvari in ſuis ſectis, tunc erroris arguunt 1. Apoſtolos, qui Hæreticos acerrimè ſunt perſecuti tanquam Antichriſtos & anteambulones Antichriſti, eósque habebant pro hominibus damnatis; nam omiſſis alijs S. Paulus ad Titum 3. ait: *Hæreticum hominem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt, cùm ſit proprio judicio condemnatus.* Arguunt 2. totam & univerſam Eccleſiam primævam, quæ tamen juxta hos Indifferentiſtas fuit vera Chriſti Eccleſia, & damnavit Hæreticos antiquos. Arguunt 3. ipſum Chriſtum, qui Hæreticum, quia non audit Eccleſiam, haberi voluit *ſicut Ethnicum & Publicanum.* Mat. 18. 4. Denique arguunt ipſum DEUM, qui contra Sectarios & Hæreticos illos innumeris miraculis & vaticinijs conſtanter pugnavit.

Eadem. m. ulteriùs confirmatur ex alijs adhuc ſequelis; nam ſi Indifferentiſtæ admittant, etiam antiquos Hæreticos omnes potuiſſe ſalvari, ſcilicet Arianos, Macedonianos, Neſtorianos, Eutychianos, Pelagianos, Novatianos, Donatiſtas, Montaniſtas &c. Sequitur 1. Vana fuiſſe omnia Concilia contra Sectarios tanto labore coacta. 2. Irrita & iniqua fuiſſe tot anathemata, quæ fulminabantur à Concilijs in Hæreticos. 3. Fruſtra ſudâſſe Patres in exſcindendis Hæreſibus. 4. Crudeliter egiſſe Imperatores & Pontifices, qui tot ac tam graves pœnas ſtatuerunt contra Hæreticos. 5. Deceptos fuiſſe tot Martyres, qui maluerunt perdere vitam, quàm approbare hæreſim. 6. Delirâſſe omnes Orthodoxos, qui templa, cœtus, conſortia, & libros Hæreticorum tanto ſtudio ſibi fugienda duxerunt. 7. Stulteſcere omnes Chriſtianos, qui ſibi in rebus fidei contradicunt, ſéque mutuò exagitant. 8. Inter Chriſtianos non reperiri poſſe ullum Hæreticum, Pſeudo-prophetam, Magiſtros mendaces, Lupos rapaces, qui animas pervertant & in exi-

tium

rium trahant; cùm omnis Christianus saltem confusè confiteatur Christum. Ad quid ergo tam severè nos jubet cavere Christus. Mat. 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces?* Quid veritatis habent illa Christi & D. Petri vaticinia? *Multi Pseudo prophetæ surgent, & seducent multos.* Mat. 24. *In vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* 2. Petri 2. v. 1.

Sufficiunt hæc ad tam absurdam, rationi tam dissonam, & tam paucorum sententiam confutandam. Accingo me itaque ad alteram classem, quæ plures habet Patronos, non tamen meliores rationes, &

4. Dico 2. Falsum est, salvari posse omnes, qui credunt in Christum, distinctè credendo scilicet potissimos articulos, in Symbolo Apostolico comprehensos, nempe tam Lutheranum, Calvinistam, Anabaptistam, Sacramentarios &c. quàm Catholicum. Prob. 1. In Ecclesia Christi sicut unus est Dominus, ita una est fides: sed in diversis sectis, quæ agnoscunt Christum, non una est fides: ergo in diversis sectis, licèt Christum agnoscant, non est Ecclesia Christi, & vera Religio; cùm *fides* sit forma denominans Religionis; nam Religio seu Ecclesia est *cœtus fidelium.* Sed extra Ecclesiam Christi non est salus: ergo. m. est in professo apud omnes Sectarios; nam Calvinista non fatebitur se eandem omnino fidem habere cum Lutherano, Zwingliano, Catholico &c. neque Lutheranus fatebitur, fidem sibi communem esse & eandem cum omnibus Christicolis. M. P. ex D. Paulo Eph. 4. v. 4. ubi dicitur: *Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium.* Quasi diceret Apostolus, æquè impossibile esse, plures dari fides & Religiones veras, inter se oppositas, quàm impossibile est dari plures, quàm unum verum DEUM, Dominum, & Spiritum, à quo vera Religio provenire, & Ecclesia vera dirigi debet.

5. Prob. 2. Falsa fides est idem ac nulla fides: sed qui nullam habet fidem, non potest placere DEO & salvari: ergo neque, qui falsam habet fidem: sed plurimæ sectæ Christianorum necessariò sunt falsæ: imò omnes sunt falsæ præter unicam: ergo non nisi in unica ex omnibus possunt homines salvari. Subsumpt. P. Implicat, ut plures fides è diametro sibi oppositæ, & quæ docent contradictoria dogmata, simul sint veræ: sed diversæ inter Christianos fides plurimæ, imò omnes, licèt potissimos articulos de Christo profiteantur, sunt è diametro oppositæ, & docent contradictoria dogmata: ergo plurimæ imò omnes præter unicam non sunt veræ, sed falsæ. m. ostenditur, quòd scilicet fides diversæ, licèt habeant potissimos articulos de Christi Divinitate, Humanitate, Nativitate ex Virgine, Passione &c. doceant contradictoria: Fides Catholica v. g. quæ est diversa & distincta à Lutherana, Calvinistica, & ab indifferentissimo, docet has propositiones: *Dantur septem Sac-*

Sacramenta à Christo Domino instituta: Christus est verè præsens sub speciebus Eucharisticis: unica tantùm Religio, scilicet Catholica, est talis, in qua obtinetur salus: sed has propositiones negant prædictæ tres sectæ, primam quidem Lutherana, secundam Calvinistica, tertiam Indifferentismus: ergo docent contradictoria; cùm, quod una affirmat, altera neget.

Accedit diversitas maxima in moribus & cultu Divino, quæ ortum ducit ex diversis dogmatis: sic nos Catholici adoramus Eucharistiam, alij autem, licèt Christianos se vocent, pedibus calcant: nos genuflexi preces fundimus, sacrificamus, jejunamus, castigamus corpus cilicijs & flagellis, Sacramenta septem suscipimus, castitatem aliasque virtutes ac virtutum actus vovemus, & reddimus DEO &c. alij econtra, uti Lutherani, licèt Christiani vocentur, & aliquo modo sint, unica ferè Cœnâ suâ, eâque vacuâ, & auscultatione concionum contenti sunt. Non igitur omnes colunt DEUM aut Christum cultu vero, quo coli desiderat, sed multi falso ac spurio, moribus longè dispares.

Confirmatur. Non sufficit ad salutem, ut ipsimet adversarij fatentur, credere & colere DEUM, sive is verus sive falsus sit DEUS: ergo nec sufficit adhærere Religioni, seu hæc vera seu falsa sit: vera autem non potest esse, nisi una: ergo &c.

6. Prob. 3. Non omnes Sectæ Christiani nominis, licèt videantur credere potissimos articulos fidei in Symbolo Apostolico contentos, illos credunt: ergo non in omnibus sectis Christiani nominis obtinetur salus. P. A. 1. Non omnes credunt articulos Symboli in eodem sensu, ut in peculiari libro demonstrat Forerus, v. g. articulum *de descensu Christi ad inferos* aliter intelligunt Calvinistæ, qui putant, ibi significari, Christum sustinuisse tormenta damnatorum, & dubitâsse de sua salute; aliter intelligunt Catholici & Lutherani, qui putant, expositionem Calvini esse blasphemiam; aliter alij intelligunt, qui putant Christum descendisse ad inferos, nihil esse aliud, quàm esse illatum sepulchro &c. Prob. 2. Idem ant. Articulum. 9. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, licèt Sectarij verbô teneant, re ipsa tamen negant; nam juxta ipsos sancta Ecclesia Catholica, quæ primis post Christum trecentis & amplius annis floruit, postea à vera fide defecit, facta adultera, atque multis sæculis in hoc adulterio & erroribus perduravit: sed talis Ecclesia, quæ defecit, errat, ac in tanta flagitia ruit, non est *sancta & Catholica*.

Prob. 4. Ut aliquis fiat salvus, non 7.
sufficit servare unum, duo, vel tria mandata, sed necesse est servare omnia, juxta illud Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Mat. 19. Item juxta illud Jac. 2. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus; qui enim dixit, non mœchaberis, dixit & non occides*. Quasi diceret Apostolus: punietur quasi totius legis violator, quia contempsit ipsium Legislatorem, qui totius legis est Auctor. Jam infero à pari: ergo neque ad salutem sufficit duos, tres, vel plures articulos credere,

dere, sed necesse est omnia, quæ DEUS nobis revelavit, & per Ecclesiam credenda proposuit, credere: & qui unum articulum negaverit, etiamsi reliqua omnia credat, factus est reus totius fidei, nimirum quia contemnit primam Veritatem DEUM, qui non minùs hunc, quàm alios articulos revelavit: insuper contemnit Ecclesiam, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. non minùs hunc, quàm alios articulos proponentem. Et hinc non minùs est hæreticus, qui unum articulum sufficienter revelatum à DEO, & ab Ecclesia propositum, negat pertinaciter, quàm qui centum; quia æquè contemnitur auctoritas Dei revelantis, & Ecclesiæ affingitur error. Item ex hoc ipso patet, quòd, qui vel unicum negat articulum, ille nullum credat fide *Divina*, quia non credit propter auctoritatem DEI, utpote quam spernit, aliquos articulos non credendo. Id quod pulchrè indicavit jam pridem S. August. dum l. 13. contra Faustum c. 3. sic ait: *qui in Evangelio, quod vultis, creditis, quod non vultis, non creditis, vobis potiùs, quàm Evangelio creditis.*

8. Prob. 5. Ex sensu primævæ Ecclesiæ, cui nulla secta Christiana refragari potest; quem sensum satis nobis indicat Athanasius in suo Symbolo, quod ita incipit: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Atqui Symbolum S. Athanasij, uti & Evangelium, cui credendum esse Augustinus paulò antè edixit, præter articulos in Symbolo Apostolico contentos continent plurimos alios: ergo non sufficit ad salutem credere tantùm articulos Symboli Apostolici. Conspirat S. Fulgentius l. de fide c. 38. *Firmissimè tene*, inquit, *& nullatenus dubites, non solùm omnes Paganos, sed etiam omnes Judæos, Hæreticos, atque Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.* Hæc nempe semper fuit Patrum omnium indubitata doctrina, ut eos evolventi patebit. Neque dissentientes in uno vel altero puncto fidei tolerabant ut adhuc futuros cœli cohæredes, sed ut Hæreticos damnabant. Neque in Concilijs deliberabant de ejusmodi rebus controversis tanquam de quæstionibus merè Scholasticis, sed tanquam de articulis summi ad salutem nostram momenti.

9. Prob. 6. Ex communi sensu moderno omnium Ecclesiarum; nam non modò Catholici excludunt alias sectas à Regno cœlorum, sed etiam Sectarij. Vah! quanta in ipsis exardescunt certamina? Puritani in Anglia damnant Protestantes, Protestantes damnant Sacramentarios, hi & illi Anabaptistas &c. ergo sectæ ipsæ, quas Indifferentistæ tueri volunt, tanquam ad salutem obtinendam sufficientes, suo judicio & facto ipso adversantur, ut adeò miser Indifferentista, dum cupit omnibus patrocinari, omnes habeat adversarios, & neminem ex omnibus Sectarijs Patronum, qui nempe nondum à sua secta ad Indifferentismum defecerunt.

10. Prob. 7. Ex varijs & absurdis se-

quelis. Nam si omnes, qui credunt articulos Symboli Apostolici, possunt salvari in sua secta, sequitur 1. etiam potuisse salvari Pelagianos, qui negabant peccatum originale & necessitatem gratiæ internæ: Nestorianos, qui duas in Christo personas constituebant: Macedonianos, qui Spiritum Sanctum minorem esse volebant Filio: Novatianos, qui lapsos ad pœnitentiam recusabant admittere &c. quia hi omnes credebant omnia, quæ de Christo tradit Symbolum Apostolicum. Sed his adjudicare salutem est primævam Christi Ecclesiam & totam Antiquitatem erroris arguere per summam proterviam.

Sequitur 2. Salvandos illos, nec hæreticos fore, qui negarent baptismum & omnia Sacramenta, quia nihil de his in Symbolo Apostolico.

Sequitur 3. Etiam Idololatras posse salvari; nam Catholici (ut eos Sectarij licèt falsò accusant) sunt Idololatræ, quia pani Eucharistico deferunt divinos honores, & tamen credunt articulos Symboli Apostolici: atqui absurdum est admittere ad salutem Idololatras, quos neque Indifferentistæ Laxiores salvandos credunt, quia adorando creaturas pro DEO nimis stulteseunt contra lumen naturale, nec verum DEUM colunt, sine quo cultu nulla est Religio possibilis.

Sequitur 4. Malè fecisse Paulum, quòd à salute per Christum obtinenda excluserit Galatas, eò quòd crederent præter fidem Christi etiam necessariam sibi esse Circumcisionem, dum c. 1. ad Galatas clarè & severè pronuntiat: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*: ergo & alia, quàm quæ continentur in Symbolo Apostolico, credenda, facienda, vel omittenda sunt illi, qui salutem sperat.

Sequitur 5. Pessimè fecisse Majores tuos, ex quibus velut malo ovo infausta soboles ortum habes, pestilens Indifferentista, Majores, inquam, tuos, scilicet Lutherum ejúsque asseclas omnes pessimè fecisse, quòd à Romana Ecclesia desciverint perduelles; si enim quivis Christianus in sua fide, in qua natus est, possit salvari, quid, quæso, opus fuit tanto tumultu, tanta effusione sanguinis, tot ac tam diuturnis bellis, quibus misera Germania nostra propter dissidentium in fide Novatorum turbas lacerata est, ut introduceretur nova Religio Christiana, nec melior nec tutior antiquâ? Ex hac enim scissione emerserunt tot bella, lites, seditiones, rebelliones, aversiones animorum, contentiones, mutuæ persecutiones, factiones, dissensiones, & alia mala innumera. Quo jure Majores tui rapuerunt tot bona & ditiones Ecclesiasticas? Quo titulo tot Templa, Monasteria, & integras Diœceses ac Provincias suis possessoribus eripuerunt armata vi? Urgeatur hæc interrogatio; nec enim video, quid Indifferentista reponere possit.

Sequitur 6. Indifferentistas prorsus imprudenter agere, dum viam incertam pro certa eligunt ad cœlum: quippe Ecclesia Catholica, quam ipsi non sequuntur, est via certa ad salutem, quia non solùm Catholici, sed & Indifferentistæ ipsi fatentur, in ea posse obtineri salutem: econtra Indifferentismus est

via

via prorsus incerta ac dubia, quia omnes Catholici, & plerique etiam Sectarij eum detestantur, ac erroneum judicant, atque ab æterna salute arcent Indifferentistas.

11. Confirmantur dicta ulteriùs 1. ex Sacra Scriptura Isa. 16. v. 12. dicitur: *Gens & Regnum, quod non servierit tibi, peribit.* 2. *Qui Ecclesiam non audit, neque ei obtemperat, habendus est sicut Ethnicus & Publicanus.* Matth. 18. v. 17. Sed non omnes Christiani, qui inter se habent diversa dogmata & leges, audiunt, vel obtemperant Ecclesiæ, quæ utique debet esse *una* & concors in doctrina; sed obtemperant pluribus sectis. 3. Arca Noë fuit typus Ecclesiæ: sed extra Arcam nemo fuit salvatus. 4. Ecclesia est *Sponsa Christi.* Oseæ 3. v. 19. 20. Isa. 2. v. 5. Christus autem habet Sponsam unicam, & qui ex hac Sponsa natus non est, spurius est. 5. Ecclesia est corpus, Christus verò Caput, ut omnes fatentur Christiani: ergo omnia Ecclesiæ membra debent huic corpori esse unita; aliàs non habent Spiritum Christi, quem membra debent habere à capite: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, hoc est, ad Christum seu vitam æternam non pervenit, ut explicat S. August. de unit. Eccles. c. 16. 6. Ecclesia est *ovile Christi*: extra ovile Christi non sunt oves Christi; qui autem non sunt oves Christi, sunt hædi, non salvandi.

12. Confirmantur 2. Si satis est credere articulos in Symbolo Apostolico expressos, poteris è medio tollere totam Scripturam Sacram tam veteris, quàm novi Testamenti, vel tota Biblia ad unum folium redigere: sed quis Sectariorum, quorum unicum fundamentum, solatium, & scutum sunt Biblia Sacra, admittet talem hominem salvari posse? ergo Indifferentismus Sectariorum, qui omnibus, qui profitentur articulos Symboli Apostolici, promittit salutem, est fallax. M. constat; quia Symbolum Apostolicum nec in novi, nec in veteris Testamenti libris Canonicis continetur, vel si contineretur, unum folium non excederet. Imò Scriptura ipsa non ampliùs esset curanda, quoniam neque de hac fit mentio ulla in Symbolo Apostolorum. Quarationem multis curis in perveſtigando Scripturæ sensu simul & semel liberaremur.

Confirmantur 3. Nullo jure, nulla 13.
authoritate, nulla ratione asserunt Indifferentistæ, ea solùm ad substantiam fidei ac Religionis pertinere, quæ in Apostolico Symbolo continentur. Cur magis spectet ad substantiam fidei, Christum esse natum ex Virgine, non ex fœmina qualicunque, passum sub Pontio Pilato, non sub alio Præside, & quidem in cruce, eum sepultum fuisse post mortem, ac descendisse ad inferos &c. quàm esse ejusdem cum Patre substantiæ, unitum humanitati non affectivè tantùm, sed physicè, in unam tantùm personam, omnes peccâsse in Adamo, & ideo omnibus necessarium esse Baptismum, item necessariam esse Evchariſtiam &c. cùm tamen ista non sint in Symbolo, bene tamen illa?

Dico 3. Non rectè fit discrimen in- 14.
ter articulos fidei, ita ut aliqui vocentur substantiales, essentiales, fundamen-

mentales, & necessariò credendi; alij autem accidentales & adiaphori, quos credere vel discredere pro libitu quis possit salva fidei integritate.

25. Prob. 1. Omnes articuli, à DEO revelati, sunt æqualiter veri ac certi: ergo vel omnes, vel nullum credere tenemur. A. est clarum; quia hoc ipso, quòd sint revelati à DEO, nituntur infallibili auctoritate Divina, fallere & falli nescia, propter quam auctoritatem solam articuli substantiales & fundamentales, ut vocant, sunt infallibiliter veri ac certi. C. P. qui negat articulum, quem tu *accidentalem* vocas, & quem à DEO revelatum esse sufficienter agnoscit, æquè spernit auctoritatem DEI, talem articulum testantis, quàm qui negat articulum *substantialem*: ergo vel utrumque vel neutrum tenemur credere; ratio enim & motivum, quod ad credendum nos obligat, est prorsus idem, scilicet *revelatio Divina*, vel *auctoritas DEI loquentis*, quæ non minùs spernitur, si negetur ipsi fides, dum res parvas testatur, quàm dum majores affirmat.

26. Prob. 2. Non potest ab adversarijs determinari, quinam sint articuli substantiales, & quinam accidentales tantùm: ergo hæc distinctio articulorum non rectè instituitur. A. P. vel enim desumunt ex Sacra Scriptura, vel ab Ecclesia, vel ex spiritu privato? non ex Sacra Scriptura, quia hæc nullibi mentionem facit de articulis essentialibus vel substantialibus, & de accidentalibus vel arbitrarijs: non ab Ecclesia, quia hanc volunt esse conflatam ex pluribus sectis, quarum nulla cum altera convenit, sed hæc istud, alia aliud necessariò credendum clamat: non ex spiritu privato, quia hic est infamis omnium errorum Magister, & omnium dissensionum origo. Unde

Confirmatur hoc argumentum: ipsimet adversarij non conveniunt in statuendis articulis substantialibus & necessariò credendis, dum aliqui plures, alij hos, alij alios assignant: quidam asserunt, articulos substantiales contineri in Symbolo Apostolico, alij autem in tribus symbolis, nimirum Apostolico, Nicæno, & S. Athanasij, alij in primis quatuor Concilijs, alij in magno & parvo Catechismo Lutheri. Quis ergo prudens sequatur hos Novatores, facientes discrimen inter articulos fidei, quorum aliquos necessariò oporteat credere, alios autem credere vel repudiare liberum sit; cùm prorsus incertum sit, quinam sint articuli isti substantiales? Accedit, quòd utique fundamentalis & ad salutem necessarius articulus sit de Mysterio Evchariſtiæ, de veræ Evchariſtiæ sumptione, de Prædestinatione, & Baptismi necessitate &c. & tamen quantùm in his articulis discrepant tum Lutherani inter se, tum Lutherani & Calvinistæ &c. Neque isti articuli continentur in Symbolo Apostolico &c.

Prob. 3. Quivis verè Christianus debet habere hunc actum: *Ego credo omnia, quæ DEUS revelavit*: ergo nullum articulum, quem Deus revelavit in Scripturis vel alio modo, à fide potest excludere; aliàs enim haberet fidem prorsus chymæricam, & sic diceret: *Ego credo omnia à DEO re-* 27.

ve-

velata, &: *Ego aliquid à DEO revelatum non credo*, quod esset sibi contradicere; sicut ille sibi contradiceret, qui hoc modo sentiret: *Omnis homo est redemptus à Christo; aliquis homo non est redemptus à Christo.* Adeóque licèt non teneamur omnes articulos à Deo revelatos credere distinctè, singulariter, & fide explicitâ; tenemur tamen nullum negare, quando constat sufficienter, eum esse revelatum à Deo; item tenemur saltem omnes credere confusè & implicitè, dicendo: *Ego credo omnia, quæ Deus revelavit.*

Neque dicas, DEUM nos non obligare ad omnes articulos credendos, licèt eos revelet, quorum fides nimirum non multùm ad salutem conducit v. g. credere, quòd Martha fuerit soror Mariæ, quòd canis Tobiæ moverit caudam, quòd detur Purgatorium, & quæ alia sunt levioris momenti, sunt utique talia, sine quibus haberi potest tota integritas fidei. Neque hoc, inquam, dicas; est enim prorsus impossibile, ut DEUS hominibus aliquid asserat & revelet, illis tamen liberum & arbitrarium relinquat illud credere vel repudiare: utique DEUS non potest ita vilipendere suam auctoritatem. Quamvis sua fidei integritas constaret, licèt ad speciem leviora quædam (inter quæ immeritò numeratur Purgatorium) à DEO non fuissent revelata; postquam tamen constat, ea à DEO nobis esse revelata, fieri non potest, ut sine gravi DEI injuria ea discredamus; quippe hoc idem esset, ac dicere, DEUM in rebus minoris momenti fallere & mentiri, licèt in majoribus decipere non velit. Unde qui articulos substantiales tenere & firmare cupit repudiatis alijs, totum fidei fundamentum evertit, & ex fide Divina facit Humanam, cùm potiùs sibi credat, quàm DEO loquenti. Deinde unde scis, DEUM obligare solùm ad credendos articulos primarios? ubi DEUS hoc asseruit? ubi determinavit illos articulos? quare est articulus substantialis necessariò credendus, quòd Christus *sub Pontio Pilato* passus sit, & quare non sit articulus substantialis de Purgatorio? de præsentia Christi in Eucharistia? &c.

Quæres, an nunquam sufficiat ad salutem fide explicitâ & distinctè credere præcipuos articulos fidei, in Symbolo Apostolico contentos? R. Sufficere, si triplex conditio adimpleatur. 1. Si credas explicitè 12. articulos Symboli Apostolici secundùm verum & legitimum sensum. 2. Si nullum habeas errorem fidei veræ contrarium. 3. Si reliquos articulos à DEO revelatos saltem implicitè credas. Si verò tres istas conditiones & comites non habeat tua fides, qua credis articulos Symboli Apostolici, habes fidem erroneam, humanam solùm, ac primæ Veritati DEO injuriosam, cujusmodi fides utique DEO placere nequit. Atqui (subsumo, & hactenus dicta ulteriùs confirmo) non omnes Christiani credunt articulos Symboli in legitimo & vero sensu, tenentur variis erroribus, & non omnes reliquos articulos à DEO revelatos credunt, sed multi faciunt discrimen, uti constat ex dictis: ergo. 18.

19. Ob. 1. Joan. 2. dicitur: *Ut omnis, qui credit in ipsum* (scilicet Christum) *non pereat, sed habeat vitam aternam.* Et Joan. 17. *Hæc est vita aterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum.* Item Marci ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*: atqui omnes Christiani sunt baptizati, credunt in Christum & unum DEUM: ergo omnes Christiani (licèt Catholici non sint) erunt salvi. R. Per hos & similes textus probari quidem, quòd ad salutem necessarius sit Baptismus & fides in Christum atque in unum DEUM, vel explicita, vel implicita saltem; non tamen probatur, hæc sufficere; aliàs enim nec requireretur fides in Spiritum Sanctum, neque de Resurrectione mortuorum &c. quod utique Adversarij non admittent. Debent igitur ista credi & fieri, quæ in similibus textibus revelantur, vel præcipiuntur, debent tamen insuper & alia credi & fieri, quæ in alijs Scripturæ textibus vel revelantur vel præcipiuntur v. g. debet credi una Ecclesia, *& eum, qui illam non audierit, habendum esse sicut Ethnicum.* Mat. 18. adeóque damnandum.

Dices 1. Latro in cruce nihil aliud credidit, quàm Christum, & tamen fuit salvatus: ergo omnis, qui credit in Christum, salvabitur juxta illud. Joan. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam aternam.* 2. S. Paulus Corinthios vocat *Sanctos* propter invocationem Nominis JESU, seu propter fidem in Christum, licèt inter illos essent schismata, ut patet ex 1. Cor. 1. & 3. R. ad 1. Latro explicitè quidem solum credebat Christum, implicitè tamen omnia alia, quæ DEUS revelavit, ipsi tamen nondum erant cognita & sufficienter proposita: credidit igitur in Christum, cætera tamen non negavit, uti tamen faciunt Sectarij, qui plures articulos sibi satis propositos negant. negant v. g. præsentiam Christi in Evcharistia, Purgatorium &c. Ad 2. Schisma & dissensio Corinthiorum non fuit circa res fidei, sed circa præstantiam eorum, qui ipsis Evangelium annuntiaverant, dum quidam dicebant: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Zephæ,* alij verò dicebant, *se sequi Christum.* Vel si fuisset etiam circa res fidei dissensio, isti tamen Corinthij non fuerunt pertinaces, uti sunt hæretici, sed docibiles: nec unquam res venit ad rupturam & separationem. Cæterùm eadem fuit Pauli, Apollo, & Zephæ, hoc est, Petri fides: at Romani Pontificis, Lutheri & Calvini, non est eadem fides. Apud Corinthios igitur fuit contentio ambitionis, inter nos verò & Sectarios est contentio Religionis & fidei.

20. Dices 2. Etiam in primitiva Ecclesia fuerunt dissensiones inter fideles, imò & inter ipsos Apostolos, nec tamen propterea statim scissa est Ecclesia, nec una pars alteram damnabat: ergo nec nos debemus damnare eos, qui in quibusdam à nobis dissentiunt, sed agnoscere tanquam Fratres. A. P. 1. Act. 15. Quidam dicebant, necessariam esse Circumcisionem, & observandam adhuc esse legem Moysis etiam ab ijs, qui ex Gentibus receperunt Christum. 2. Paulus

Paulus & Barnabas inter se dissenserunt de Marco recipiendo, & cùm non possent componere litem, diversi abierunt, ut legere est in dicto c. 15. Act. 3. Ipsimet Petrus & Paulus dissensiones habuerunt, & Paulus ad Gal. 2. ait, se Petro in faciem restitisse, quia reprehensibilis erat. 4. Fideles Act. 11. disceptârunt adversùs Petrum, quòd introisset ad varios præputium habentes, & cum illis manducâsset.

R. 1. Generaliter D. A. fuerunt dissensiones in quibusdam factis moralibus, vel etiam in rebus fidei, sed nondum definitis, C. A. in articulis fidei jam definitis. N. A. & C. Licitum est dubitare, disputare, & liberè sentire etiam de rebus fidei, quamdiu definitæ & declaratæ non sunt ab Ecclesia universali pro articulis fidei: sic hodiedum de multis disputamus, & dubitamus in scholis: sic diversæ sunt scholæ Thomistarum, Scotistarum, Recentiorum. Sed isti omnes parati esse debent ad amplectendam decisionem Ecclesiæ; si fortè Ecclesia alterutrum velit decidere & definire. Longè alia sunt dissidia inter nos Catholicos & Sectarios, isti propter Baptismum vocari quidem possunt nostri fratres, sed Matri perduelles & exhæredes, nec enim habebunt Christum ut Patrem, cùm Ecclesiam habere nolint ut Matrem. R. 2. Speciatim, &

Ad 1. prob. dico, illam dissensionem circa observationem Legis Mosaicæ non repugnâsse fidei, quia Mosaicæ Legis abrogatio tum nondum erat definita ab Ecclesia. Ad 2. Dissensio inter Paulum & Barnabam non fuit de re fidei, sed de quodam facto morali, an nempe Marcus in socium Missionis Evangelicæ esset assumendus. Ad 3. Par est responsio; nam Paulus non restitit Petro in re fidei, sed improbabat tantùm aliquod factum illius morale; quòd nempe Judaismum simulaverit, seu Judæis se accommodaverit, dum quasdam cæremonias Judaicas in gratiam Judæorum retinebat, patrijs legibus se publicè accommodans. Unde Petrus, cùm Paulus apertè & candidè suam mentem in contrarium ipsi aperuisset, Jerosolymis coëgit Concilium, & hanc controversiam terminavit; antea autem nihil erat determinatum. Ad 4. Fideles ex Judæis conversi, ex infirmitate quadam scandalizati in facto Petri, putabant, se justè eum arguere, quòd manducando cum Gentilibus &c. quos Judæi aversabantur ut impuros, patrias leges violâsset, ignari adhuc, has leges per Evangelium esse sublatas; hinc dum Petrus voluntatem DEI ipsis manifestavit, continuò acquieverunt. Utinam id etiam facerent Sectarij, & mox cessaret omnis dissensio.

Ob. 2. Quæ Christus voluit esse libera creditu, non possunt ab Ecclesia obtrudi tanquam necessariò credenda: sed quæ inter Christianos, scilicet inter Catholicos ac heterodoxos controvertuntur, Christus voluit esse libera creditu: ergo non possunt obtrudi tanquam necessariò credenda: ergo neutra pars rectè facit, dum præcipiti zelo vel innato odio alteram damnat. m. P. illud meritò censetur Christus voluisse liberum creditu, quod nec in SS. 21.

SS. litteris est clarè expressum, nec primis sæculis fuit creditum: sed pleraque, quæ nunc inter nos & Protestantes controverruntur, sunt talia: ergo. Quod autem dicitur de rebus credendis, etiam intelligendum est de rebus faciendis, ita ut non debeant novæ leges imponi ab Ecclesia, & illa præcipi, quæ Christus voluit esse factu libera. R. T. M. N. m. ad P. iterum T. M. N. m. Nam, quæ inter nos & Sectarios modernos controversa sunt, fuerunt tam in SS. litteris revelata, quàm constanter à primis Ecclesiæ temporibus credita & observata, v. g. de Eucharistia, Sacramento Pœnitentiæ, Primatu Petri &c. uti solidissimè ostendit P. Forerus p. 2. Quæstionis vexatæ l. 1. c. 12. & nos infrà in proprijs locis singularum materiarum. Quamquam fatear, aliqua fidei dogmata, de quibus olim dubitare licuit, nunc existere certissima, non quòd priùs non fuerint in se certissima, & à DEO revelata, sed quoad nos ante definitionem & declarationem Ecclesiæ non fuerint satis certa & cognita: nam ante hanc definitionem obscurè tantùm in Scripturis vel Traditionibus continebantur. Sic S. Cyprianus ignorabat, Baptismum ab hæretico ritè collatum, esse validum: Sic S. Augustinus dubitavit de animæ origine: S. Hieronymus, aliique PP. de quibusdam libris Canonicis &c. Neutiquam nos defacto aliquid credimus, quod Ecclesia antiqua negavit vel discredidit; credimus tamen aliqua explicitè, quæ olim tantùm credebantur implicitè; quod ipsum Adversarij nostri admittere debent, quia agnoscunt quatuor Concilia Oecumenica, scilicet Nicœnum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, in quibus plura proponuntur explicitè credenda, quæ priùs tantùm confusè & implicitè credebantur v. g. quòd Filius sit Consubstantialis Patri, quòd Spiritus S. non à solo Patre per Filium, sed etiam à Filio procedat &c.

Cæterùm transmisi utramque M. cujus suppositum bene negari posset, quòd Christus aliqua ex ijs, quæ revelata sunt, possit relinquere nobis libera, ut credamus vel discredamus; nam quæ DEUS revelat, ad ea credenda hoc ipso nos obligat, scilicet ut vel explicitè ea credamus, vel saltem implicitè: ergo omnia revelata debemus credere vel explicitè vel implicitè: quæ autem non sunt revelata, non possumus credere, & æquè errat ille, qui aliquid non revelatum credit, ac alius, qui aliquid revelatum non credit. Ad id, quod additum est de rebus faciendis, par est responsio; nam Christus non omnia quidem, quæ nunc fieri & observari præcipit Ecclesia, explicitè, in specie, & determinatè præcepit; præcepit tamen omnia implicitè & confusè, ac indeterminatè, dum præcepit, ut obediamus Ecclesiæ: hanc autem obedientiam Ecclesiæ præstandam præcepit varijs in locis. v. g. *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus.* Luc. 22. & Mat. 17. Dum dixit Petro: *Pasce oves meas* &c. Jo. 20. Quod præceptum bene agnovit Paulus, dum ad Hebr. 13. jubet *non obedire nostris Præpositis*, ijs nempe,

po-

pe, quos *constituit Deus Episcopos ad regendam Ecclesiam suam.*

22. Dices 1. Sunt varia tum dogmata fidei, tum præcepta morum defacto in Romana Ecclesia, quæ in antiqua non fuerunt, v. g. de reali præsentia Christi in Eucharistia: de Confessione Sacramentali, cultu imaginum & Sanctorum, de Purgatorio. Item de delectu ciborum, de cœlibatu Sacerdotum &c. ergo ad ea credenda vel observanda nemo obligandus est. Quòd autem Romano-Catholici illa credant & observent, tolerari potest, quia licèt superflue credant, & superstitiosè operentur, tamen simul & credunt & observant ea, quæ omnium consensu necessariò credenda & facienda sunt, magisque errant per excessum credendo nimium, quàm per defectum detrahendo aliquid. Ant. prob. Si hæc fuissent credita & observata in antiqua Ecclesia & à temporibus Apostolorum, constaret ex Traditionibus: sed ex Traditionibus non constat; quia hæ Traditiones, ut nobis innotescant, debuissent à Patribus scripta consignari, & sic ad posteros deferri: nihil autem scriptum reperitur de his Traditionibus: ergo. R. N. M. absolutè, quia prædicta dogmata fidei, uti & morum præcepta, jam olim fuerunt credita & observata, & quidem explicitè. Idque omninò constat ex Traditionibus Ecclesiasticis, quæ licèt scripto non exstarent, tamen possent esse Traditiones legitimæ, hoc ipso, quod *Traditiones* sint. Sed unde cognoscimus, quòd sint Traditiones legitimæ, non spuriæ? Certè non aliunde nisi auctoritate & judicio Ecclesiæ. Deinde non deest nobis auctoritas Patrum antiquissimorum, qui dictarum rerum fidem & observationem semper in Ecclesia fuisse testantur, ut fusè demonstrat P. Jac. Gaulterius in Tabula sua Chronographica, Coccius, & P. Forerus loco cit. Hinc Ecclesia moderna nihil superfluè credit, nihil superstitiosè operatur, sed ea tantùm, quæ Deus per Ecclesiam nobis loquitur & præcipit, quam nunquam deserit, & quam Spiritus S. docet omnem veritatem.

23. Dices 2. Plurimi ex Sectarijs sunt homines moratissimi: ergo non est credibile, quòd propter dissensum paucorum articulorum æternùm pereant. 2. Non est credibile, quòd omnes illi, qui ab Anglis & Batavis in America traducuntur ex Ethnicismo ad Religionem Calvini vel Protestantium, pereant æternùm, quia bona fide credunt his Sectarijs, & sine sua culpa docentur errorem: ergo. R. ad 1. Trans. Ant. (nam sæpe sunt tantùm sepulchra dealbata) N. Cons. vel Dist. non est credibile, quòd æternùm pereant, si dissentiant ex errore invincibili C. Cons. Si ex ignorantia, & errore vincibili, seu tali, quem satis agnoscunt, & ideo deponere tenentur, nec tamen deponunt. N. Cons. Ad 2. Ferè idem respondendum est; nam tales videntur habere tantùm materialem errorem & inculpabilem; si tamen verum sit, quòd isti Sectarij possint & soleant Barbaros ad suam sectam Calvinianam vel Lutheranam traducere. Ratio dubitandi mihi est triplex. 1. Quia Angli & Batavi ac similes non ade-

adeunt has Regiones Barbarorum ad convertendas animas, sed ad lucra temporalia captanda. & non mittuntur à DEO ad hoc opus; scimus autem conversiones animarum esse opus DEI. 2. Quia hi Mercatores nec vitæ sanctitate, nec prodigijs, credibilem faciunt suam sectam, quibus tamen conspicui erant nostri Missionarij, v. g. S. Franc. Xaverius, Barzæus, Anchieta, & alij, quibus permoti crediderunt Barbari. 3. Quia doctrina horum Sectariorum est talis, ut Ethnicis incredibilis meritò videatur, uti est, quando asserunt, mandata DEI observari non posse, DEUM absolutè aliquos ad gehennam destinâsse, antequam quidquam mali fecissent &c. unde litteræ Chinenses rectè aiunt, Prædicantes ex Anglia & Hollandia neminem ad fidem Christi convertere posse, sed ad hoc Jesuitas præmitti oportere: ipsi verò Paganos semel ad fidem Christi conversos postea iterum pervertunt.

24. Dices 3. Sunt admodum pauci, qui adhærent Ecclesiæ Romanæ: sed non est credibile, quòd tam pauci sint salvandi: ergo non tantùm salvabuntur, qui sunt in Romana Ecclesia, sed & alij. M. prob. Si totus terrarum orbis in 24. partes dividatur, ex istis tantùm quinque sunt Christianæ: sex Mahumeticæ: tredecim Paganæ, omissis Judæis, qui certam loci sedem non habent. Item si ex 5. illis partibus Christianorum demantur heterodoxi, scilicet Lutherani, Calvinistæ &c. remanent valde pauci: ergo sunt admodum pauci, qui adhærent Ecclesiæ Romanæ, & spem salutis habere possunt. R. T. M. N. M. Nam hæc paucitas salvandorum valde est conformis Sacræ Scripturæ, expressa in figuris, asserta à Patribus: *Multi enim sunt vocati*, ait Christus Mat. 20. *pauci verò electi*. Ex sexcentis millibus virorum, demptis mulieribus & parvulis, qui exierunt ex Egypto, solummodo duo ingressi sunt terram promissam. Dixi *Transeat* Ma. Nam numerus Romano-Catholicorum longè est major, quàm objectio contendit; ut enim taceam vastissima Regna Europæ, nempe Hispaniam, Galliam, Italiam, & maximam partem Germaniæ, quæ Romano-Catholicis sunt refertissima, etiam in Oriente & Græcia, in Asia minore, in Thracia, in Tartaria magna, in Insulis Ægæis, in Patriarchatu Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, in Æthiopia innumeri sunt Christiani, Romanæ ac Latinæ Ecclesiæ addicti, habéntque suos Episcopos & Archi-Episcopos Latinos, uti P. Burghaber Controversia 1. n. 44. ostendit ex Allatio. Quid dicam de Indijs, de Regno Chinensi, Paraquaria, Brasilia, Regno Mexicano & Péruano &c. in quibus innumeri degunt Catholici, & quotidie plurimi ad nostram Religionem Romano-Catholicam per zelosos Operarios convertuntur? vide plura de hoc in notis veræ Ecclesiæ de nota Catholicismi.

Dices 4. Lutherani, Calvinistæ, & 25.
alij desciverunt à Romana Ecclesia propter gravissimas causas: ergo propterea non sunt culpandi & damnandi. Ant. prob. fuit, & etiamnum est in Papatu ingens ambitio & tyrannis Romanorum Pontificum, ingens luxus Cardinalium & Episcoporum, flagitiosissimi

mi

mi mores Clericorum &c. R. N. Ant. Sit enim (nam multa finguntur) quòd fuerit vel etiam adhuc sit apud aliquos Catholicos, etiam Ecclesiasticos, ingens corruptela morum; minimè tamen sequitur, Lutherum, Calvinum, & alios Sectarios potuisse jure ab Ecclesia secedere, aut eorum asseclas in hoc schismate permanere: licèt enim multorum mores fuerint perversi, tamen fides mansit integra. Reformare se & alios, quantùm ipsis possibile erat, in moribus oportuisset, non autem novos articulos fidei cudere, alios abrogare, aut legitimis suis Superioribus Ecclesiasticis rebelli spiritu se opponere: non jussit nos Christus Sacerdotum & Episcoporum mores, sed doctrinam sequi dicens: *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharaisæi; omnia quæcunque dixerint vobis, servate & facite, secundùm opera eorum nolite facere.* Mat. 23. Petro quidem Christus dixit: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. Nunquam autem dixit: rogavi pro te, ut non deficiat charitas tua, justitia tua, castitas tua. *Obedite Præpositis vestris.* Hebr. 13. jubet Apostolus, *etiam dyscolis.* 1. Pet. 2. Præterea cur Sectarij solùm oculos suos convertunt in sceleratos, & non etiam in modestos, castos, sanctos Sacerdotes, qui nunquam defuerunt in Ecclesia Romano-Catholica, nec unquam desunt? quæso, aspiciant etiam suos Ministellos, imò Auctores suarum sectarum, Lutherum, & Calvinum, qui se Reformatores jactant, & tunc si Ecclesiam Romanam lapidare velint, quisquis eorum sine peccato fuerit, primus in eam lapidem mittat. Certè tanta est turpitudo vitæ, & doctrinæ, etiam in primis Auctoribus istarum sectarum, ut, qui eam nôrit, non possit non mirari, qui fieri potuerit, ut homines culti & sanæ mentis ijs fidem habuerint, & pro Reformatoribus à DEO missis susceperint.

Ob. 3. Qui credit omnia, quæ sunt necessariò credenda, ille potest salvari: sed qui credit Symbolum Apostolorum, credit omnia necessariò credenda: ergo potest salvari: atqui Symbolum Apostolorum credunt non tantùm Catholici, sed etiam Lutherani, Calvinistæ: ergo & ipsi possunt in sua fide salvari. m. P. Symbolum Apostolorum est summa seu regula totius fidei Christianæ, ut testatur S. August. Serm. 115. de tempore, ubi ait: *Symbolum est regula fidei brevis & grandis, brevis numerô verborum, grandis ponderе sententiarum.* R. N. m. vel claritatis gratiâ D. m. qui credit Symbolum Apostolorum in legitimo sensu, ex vero motivo credendi, ac alia omnia revelata saltem implicitè credit, nec alium credit articulum falsum C. m. secus N. m. Patet ex dictis 1. Quòd Sectarij non credant Symbolum in genuino & vero sensu. 2. Quòd credant tantùm ex motivo humano; si enim crederent ex motivo Divino, & propter auctoritatem DEI loquentis, credere deberent omnia, quæ Deus revelavit. 3. Quòd aliqua revelata expressè negent & discredant. 4. Quòd teneant quosdam articulos erroneos 26.

v. g. fidem ſolam juſtificare, DEUM eſſe auctorem peccati, mandata DEI obſervari non poſſe &c. S. Auguſtinus rectè pronuntiavit de Symbolo Apoſtolorum, in quo rectè intellecto univerſaliter omnia fidei Myſteria includuntur, quia qui illud præſertim articulum IX. credit juxta Eccleſiæ ſenſum, paratus eſt cætera quoque omnia credere, quæcunque Eccleſia propoſuerit tanquam à DEO revelata; quam animi diſpoſitionem Sectarij Indifferentiſtæ nunquam habere poſſunt.

Dices 1. Ubi eſt fundamentalis fidei unitas, ibi eſt vera fides: ſed apud omnes Chriſtianos, qui complectuntur Symbolum Apoſtolicum, eſt fundamentalis fidei unitas; nam illa, in quibus diſſentiunt, ſunt velut *fœnum, ſtipulæ, ligna*, quæ ſuperædificantur fundamento fidei, & charitatem quidem lædere poſſunt, unitatem tamen fidei fundamentalem non tollunt. R. T. M. N. M. & ejus prob. quis enim fœnum, ſtipulas, & ligna tantùm, quæ fidei fundamentum & unitatem non convellant, eſſe credat diſſidium v. g. de Evchariſtia, in qua Catholici Chriſtum verè eſſe præſentem & ideo adorandum docent, & quidem ſub ſolis ſpeciebus panis & vini latentem: econtra Lutherani mordicus defendunt, præter Chriſtum etiam adeſſe non ſolùm ſpecies panis & vini, ſed & ipſam ſubſtantiam panis & vini; Calviniſtæ autem utrisque contradicunt, aſſerentes, Chriſtum nec ſub ſpeciebus, nec ſub ſubſtantia panis & vini eſſe præſentem. Si hæc & ſimilia non tollunt fidei unitatem, neſcio, quid tandem tollere poſſit. Cæterùm transmiſi M. quæ planè indigeret majori explicatione, & declaratione, in qua conſiſtat fidei unitas fundamentalis. Fortè in articulis fundamentalibus? Sed quinam ſunt iſti?

Dices 2. ex Fabricio, de quo ſuprà in ſciendo 2. p. 61. mentionem feci. Qui credit 1. in SS. Trinitatem, & in Chriſtum Redemptorem, qui eſt fundamentum fidei teſte Apoſtolo 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JESUS.* 2. Qui ex Decalogo diſcit, quomodo ſe gerere debeat erga DEUM & proximum. 3. Qui novit per orationem Dominicam, quomodo ſit orandum. 4. Qui baptizatus utitur Cœna Domini. 5. Qui credit, Eccleſiæ Chriſtianæ Miniſtris conceſſam eſſe à Chriſto poteſtatem pœnitentibus remiſſionem peccatorum, impœnitentibus autem iram ac pœnam divinam denuntiandi: quam ob cauſam ſubinde nos in Confeſſionali ſiſtamus ad confitendum noſtra peccata, & abſolutionem in DEI nomine obtinendam. Qui hæc credit & facit, inquit Fabricius, ille habet fundamentum fidei & ſalutis, adeóque ſalvari poteſt. ſed hæc omnia credunt & faciunt tam Proteſtantes, quàm Romano-Catholici: ergo tam illi, quàm iſti poſſunt ſalvari. R. N. M. N. m. & N. C. Fabricius, dum Religionem Catholicam & Lutheranam, Chriſtum & Belial ſociare ſatagit, & in neceſſarijs fidei ac morum præceptis convenire contendit, fabricam ſuam arenæ inædificat infelici conatu; cùm neque Catholicis, neque (ut mihi perſuadeo, & ab alijs percepi)

Lu-

Lutheranis probetur hæc doctrina. Scilicet damnare Catholicos non potest, quia apud ipsos est multum Christiani boni, imò omne Christianum bonum, ut fatetur cum Luthero Tom. 4. Jenensi p. 320. quem citat, suos autem damnare non vult: pontem igitur fabricare cupit, per quem utrisque aditus ad cœlum pateat. Sed fallit & fallitur; qua enim auctoritate statuit, solùm illa quinque puncta esse credenda & facienda, & quidem eo modo, quo ipse explicat? Quo fundamento asserit, Catholicos in his punctis convenire cum Protestantibus? Catholici non docent, quòd ex Decalogo tantùm *discamus*, quomodo gerere nos debeamus erga DEUM & proximum, sed quòd præcepta Decalogi opere ipso observanda sint. Deinde Ecclesiæ Ministri juxta & apud Catholicos non habent solùm potestatem *denuntiandi* remissionem peccatorum, sed ipsa peccata *remittendi*, utpote vicarij Christi Domini, à quo audierunt: *Quorum remiseritis peccata* &c. non, quibus denuntiaveritis remissionem peccatorum.

Dices 3. Sicut apud Catholicos contingit, ut aliqui credant quosdam errores ex aliqua ignorantia, & tamen propter ejusmodi errores materiales non excluduntur à vera Ecclesia: ita potest contingere, ut plures sectæ v.g. Lutherana, Calviniana, Catholica &c. possint spectare ad eandem Ecclesiam veram, licèt diversa credant, & aliqui sint in errore, qui tamen tantùm materialis sit. R. Si supponas, quòd cæteræ sectæ Christianorum errent tantùm materialiter, tunc spectant omnino ad veram Ecclesiam, eamque Catholicam, non ad Lutheranam, Calvinicam, aut aliam in se erroneam, quam bona fide profitentur. Sed omnes Lutheranos & Calvinistas &c. errare solùm materialiter, non est credibile, sicut tamen credibile est errare aliquos Catholicos in quibusdam materialiter.

Cæterùm tota Ecclesia nec errorem præcisè materialem approbare potest; si enim tota Ecclesia posset incidere in errorem etiam solùm materialem, non ampliùs *esset columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. *Non doceretur à Spiritu S. omnem veritatem.* Jo. 16. Omniaque fluctuarent, & meris opinionibus essent subjecta, cùm neque de ipsa Scriptura certi esse possemus, neque de ejus sensu; cùm semper posset esse suspicio, an non Ecclesia hic materialiter erraret. 27.

Ob. 4. contra 5. assertionem. Etiam Catholici DD. dividunt articulos fidei in necessarios necessitate medij, & in necessarios necessitate præcepti, & in alios neutro modo necessarios: ergo etiam ab Indifferentistis possunt dividi in substantiales & accidentales. R. N. C. licèt Catholici ita dividant, tamen nunquam dicunt, aliquos articulos posse omnino negari, & repudiari, vel in dubium revocari: sed præcisè per hanc divisionem indicare volunt, aliquos articulos *explicitè & speciatim* esse credendos, & quidem ita necessariò, ut nullo modo sine illis ita creditis salus obtineri possit: quam necessitatem vocant *necessitatem medij*: ita juxta plerosque necessaria est fides de exi- 28.

existentia DEI Remuneratoris, & probabiliter etiam de SS. Trinitate & Incarnatione. Minùs necessaria creditu sive necessaria *necessitate præcepti* plerique dicunt esse præcipua, quæ continentur in Symbolo Apostolorum apud eos, apud quos est sufficiens promulgatio Evangelij, item ea, quæ requiruntur ad Sacramenta ritè suscipienda. Alios autem articulos non esse necessariò ita explicitè & speciatim credendos ab omnibus docent, cùm DEUS á nobis non exigat, ut omnia revelata noverimus, & explicitè credamus; id enim plerisque esset impossibile: tenemur tamen omnia revelata credere implicitè, & generaliter, ac nullum negare.

Dices. Etiam Catholici non possunt determinatè dicere, quinam articuli sint necessarij necessitate medij, & qui tantùm necessitate præcepti: ergo etiamsi Sectarij non possint determinare, quinam sint articuli fundamentales, & quinam accidentales, tamen bene possunt ita dividi. R. T. A. N. C. nam licèt difficile sit determinare, quinam articuli sint necessarij necessitate medij, & quinam necessitate præcepti; cùm Scriptura, Traditiones, Ecclesia, aut PP. nihil clarè de hac re determinârint, tamen ex Scriptura, Traditione, ac Patribus constat, quòd aliqui articuli *speciatim & explicitè* debeant necessariò credi, alij non item. Econtra divisio articulorum in fundamentales & accidentales, seu in necessariò credendos & arbitrarios, nullum habet fundamentum in Scriptura, Traditione, aut Patribus: ergo gratis & ineptè fit hæc divisio, non autem illa.

Ob. 5. Pro utroque Indifferentismo simul. Deus vult omnes homines salvos fieri, & quidem seriò & efficaciter: ergo & Judæos, Turcas, & Christianos omnes: ergo omnes in sua Religione debent posse salvari; aliàs enim, ipsis deesset medium ad salutem necessarium. 29.

2. Potest per diversas vias deveniri ad aliquem montem v. g. quem tamen visui eripit aliqua nebula, ita ut aliqui nôrint quidem semitam rectam, alij autem de semita recta non satis certi eligant viam obliquam; omnes tamen denique ad eundem montem perveniunt. Sed sic se habent diversæ Religiones, quibus tenditur ad DEUM, aliæ rectiùs, aliæ obliquiùs eò ducunt.

R. ad 1. DEUS vult quidem omnes homines salvos fieri efficaciter ex sua parte, subministrando scilicet media necessaria, ex quibus præcipua sunt Mors & Merita Christi, fides in Christum, & Sacramenta: at verò non vult omnes homines salvos fieri voluntate absoluta, sed conditionata: *Si nempe & ipsi homines salvari velint, eáque præstent, quæ requiruntur*, uti sunt admittere inspirationes internas, suscipere fidem, & Baptismum, servare mandata, agere pœnitentiam &c. quæ non fiunt ab omnibus, & ideo non omnes salvantur.

Ad 2. Paritas non quadrat; quia Religiones Paganorum & Hæreticorum nec obliquè ducunt ad salutem, sed ad interitum; & hinc toto cœlo aber-

rant

rant earum cultores, nec ad montem cœlestis Patriæ perveniunt unquam, nisi ad viam & veritatem Catholicam redeant.

Dices. Indifferentismus arrisisse videtur etiam Curiæ Romanæ, cùm ipse summus Pontifex Pius IV. ad Reginam Angliæ Elisabetham scripsisse dicatur, quòd velit approbare Hierarchiam Ecclesiasticam Anglicanam, modò ipsa agnoscat Romani Pontificis Primatum super Universam Ecclesiam: ergo. R. N. A. & subjunctam probationem. Quis enim credat, sapientissimum Pontificem approbare voluisse Monarchiam Ecclesiasticam, cujus caput esset fœmina, scilicet Angliæ Regina. Sciverat utique, Paulum 1. Cor. 14. v. 35. ne quidem *loqui in Ecclesia* permisisse mulieri. Dein quomodo potuit sine aperta stultitia supremum caput aliud præter se agnoscere velle in Anglicana Ecclesia, & vicissim ab hac coli ut supremum *universæ* Ecclesiæ Caput & Princeps?

Plures objectiones huc facientes videre potes art. 5. de Indifferentismo Laxiore.

DUBIUM INCIDENS.

An desperatum sit de compositione facienda inter Catholicos, & Protestantes circa negotium Religionis?

SCiendum, plurimos ex Moderatoribus utriusque Religionis alumnis ardenter hactenus suspirâsse, imò non paucos, præcipuè Protestantium, Theologos Unionem Catholicorum inter & Novatorum Ecclesias meditari cœpisse, & scriptis etiam libris inita quadam compositione concordiam promovere, ferire fœdus, vel saltem ad opus adeò salubre viam sternere conatos esse. Quos inter minimè postremus est Matthæus Prætorius Memelâ-Prussus (Protestantium de numero, ut ex decursu ejus libri, cui titulus: *Tuba pacis ad universas dissidentes in Occidente Ecclesias*, anno 1685. Coloniæ editi, palàm fit legenti) qui putat, plerasque controversias bona distinctione conciliari & tolli posse; & postquam varia exempla retulit, lite ubique ferè ex Catholicorum placitis compositâ, prudenter in fine in hunc sensum discurrit. Ut autem sperari „ possit ac fieri compositio Partium circa res fidei litigantium, opus omnino „ est aliquo Judice Supremo, adeóque „ agnoscendus Romani Pontificis Primatus tam Ordinis quàm Jurisdictionis ac magisterij; utpote quem Primatum jam pridem ipsi asseruissent „ SS. Patres tanquam Successori D. Petri, ob id Romanæ Ecclesiæ Cathedram passim appellantes *Cathedram Apostolicam, Cathedram Petri* &c. „ Romanum verò Pontificem *Caput Ecclesiæ, Caput fidelium, Pastorem gregis Universi, Vicarium Christi, Pastorem Pastorum, petram & crepidinem*

„ *new Ecclesiæ Catholicæ, rectæ fidei* „ *fundamentum &c.* Ita ille; cui tamen, præcipuè in admittendo Primatu Romani Pontificis, necessarij Judicis Controversiarum, cæteri Protestantes ægrè assensuros credo. Quod quidem si facerent, omnino faciendæ unionis spem aliquam supereſſe arbitrarer. Quia tamen hoc sperare vix licet ob innatum quasi odium erga Pontificem, & propter superbiam, commune Apostatis vitium, ne fateantur se errâsse, ideo

Dico 1. Si Protestantes desiderent, ut Catholici in unico, vel pluribus fidei articulis, semel ab Ecclesia definitis, aliquid ipsis cedant, desperatum est de compositione & unione Romano-Catholicos inter & ipsos facienda. Ratio est clara & in promptu. Quod enim semel didicerunt ab Ecclesia, quam credere tenentur omnes infallibilem in statuendis rebus fidei, ut verum & revelatum à DEO, utique repudiare ut falsum nullatenus deinceps poterunt. Atque hoc ipso desinerent esse veri fideles, si vel unicum fidei articulum à DEO sufficienter revelatum negare inciperent. Si itaque Sectarij exspectent, ut Ecclesia Romana vel apicem ex ijs, quæ pro articulis fidei semel agnovit vel declaravit, v. g. de Sacramentis, de Pœnitentia, de Justificatione, de Invocatione Sanctorum, de Purgatorio &c. frustra exspectant.

Dico 2. Si verò solùm desiderent, ut in alijs rebus, circa quas est penes Ecclesiam hoc vel illud statuere, pro certis circumstantijs aliquid prohibendo vel præcipiendo, uti est conjugium Sacerdotum, quod nunc prohibet, sumptio Eucharistiæ sub una specie, quam Laicis præcipit defacto &c. non foret impossibilis compositio, possétque Ecclesia absolutè aliquid indulgere infirmis; si tamen isti priùs profiterentur, in Ecclesiæ Catholicæ potestate ac arbitrio esse, hæc & similia prohibere, vel præcipere, vel permittere, prout ei visum fuerit. Quippe si Sectarij negarent, hanc potestatem esse penes Ecclesiam, negarent aliquem fidei articulum; quod Ecclesia nunquam approbare potest, aut dissimulare in ijs, quos recipit in suum gremium.

Dico 3. Etiamsi Sectarij profiterentur, penes Ecclesiam Romano-Catholicam esse, Sacerdotibus permittere vel prohibere conjugium, usum calicis in sumptione Eucharistiæ &c. tamen etiam in hujusmodi rebus difficillimè cedet unquam Ecclesia, & rectè quidem. Ratio est 1. Quia, dum indulgetur errantibus, animus ipsis additur, ut plura petant, ac majora moliantur. 2. Quia quò plura conceduntur ejusmodi Apostatis, eò audaciores ac insolentiores fiunt; id quod Catholici jam tempore hæresis Arianæ experti sunt, ut testatur Theodoretus l. 2. Histor. c. 18. 19. ubi Ariani volebant immutari voces, ut sic labefactarent facta decreta, & postea ipsum dogma. 3. Quia sic præbetur refractarijs occasio superbiendi, vel etiam se jactandi, quòd ipsi vicerint, & Ecclesiam docuerint, quid factu sit optimum. 4. Quia non decet, ut Mater indulgeat multùm, atque cedat rebellibus filijs. 5. Quia quod ob gravissimas causas semel

mel ſtatuit, non debet immutare, licèt poſſit, niſi graviores ſuperveniant cauſæ immutandi; cujusmodi tamen non facilè afferentur à Sectarijs, quæ ſcilicet præponderent.

Dices. Per ejusmodi compoſitionem induceretur Pax in Imperium Romanum & totam Europam, qua pace nihil eſt optabilius; ac inſuper conſuleretur plurimarum animarum ſaluti: ergo Eccleſia Romana deberet etiam cæteris aliquid dare, connivere, & in certas conditiones conſentire. R. Tranſ. Ant. de cujus veritate reſtat adhuc ingens dubium. N. Conſ. Non enim eſt in poteſtate Eccleſiæ in certas conditiones circa definitos fidei articulos conſentire, aut inire pactionem cum perfidia, impietate, & falſitate contra ſemel revelatam à DEO veritatem. Circa alia, quæ ſunt in arbitrio ac poteſtate Eccleſiæ, paciſci non expedit aut decet, ut vidimus; aut ſi deceret ac vellet etiam Eccleſia; probabiliſſimè tamen nunquam contenti forent Sectarij, ſi ipſis non daretur plus, quàm quòd Eccleſia poteſt.

CONTROVERSIA FUNDAMENTALIS ET GENERALIS II.

De Scriptura Sacra

1. IN nulla materia evidentiùs convinci, faciliùs debellari, potentiùs conteri possunt omnes Hæretici & Sectarij, quàm in hac generali controversia de Scriptura Sacra; quam tamen Scripturam ipsi pro maximo, securissimo, & unico habent præsidio suarum Sectarum. Cùm enim unicè innitantur soli Scripturæ, si hoc ipsis fulcrum subtrahitur, omnia, quæ superinædificant, exitiali penitus ruina collabi necesse est. Hoc autem fulcrum facilè, & potenter à quolibet, quem fortè cum illis congredi contingit, subtrahitur, si nimirum ipsis negetur 1. existentia Scripturæ S. seu quòd detur aliqua Scriptura, quæ sit Divina & Verbum DEI. 2. Si negetur ipsis Canon seu Catalogus librorum Canonicorum. 3. Si negetur ipsis legitima editio vel versio Scripturæ, seu quòd ritè ab ipsis traducta sit in linguas Vulgares ex fonte seu Originali textu Hebraico vel Græco. 4. Si negetur ipsis integritas & puritas Scripturæ, seu quòd habeant Biblia incorrupta, nec vitiata à Sudæis, Hæreticis, aut Catholicis, à quibus acceperunt Scripturam, & quos in alijs fidei rebus gravissimè errâsse dicunt. 5. Si ipsis negetur, verum & genuinum sensum Scripturæ esse illum, quem ipsi adstruunt. Siquidem de his 5. punctis infallibiliter esse certos oportet, qui ex sola Scriptura articulos suæ fidei probare unicè volunt & debent; nisi enim *infallibiliter* certi sint, an detur aliqua Scriptura Divina, quænam sit illa, an legitimè versa, incorrupta, & ritè intellecta, nullatenus *infallibiliter* (quod tamen ad fidem Divinam & supernaturalem absolutè requiritur) certi esse possunt de ijs rebus, quas ex sola Scriptura adstruunt, probant, deducunt. Evidens quippe est, assensum fidei non posse prudenter esse certiorem, quàm sit motivum, propter quod præstatur assensus, nec intellectum posse prudenter assentiri firmiùs objecto materiali, quàm mereatur objectum formale seu motivum. Si igitur de Scriptura & memoratis 5. punctis non certò ac infallibiliter constet Apostatis, de nullo prorsus fidei articulo possunt esse infallibiliter certi, nec prudenter ulli rei propter Scripturæ auctoritatem assensum firmum & indu-

indubitatum præstare. Voluntas enim utique prudenter & piè imperare nequit intellectui assensum, rei obscuræ à DEO revelatæ præstandum, nisi adsint talia motiva credibilitatis, hoc vel illud esse Verbum DEI, seu revelationem Divinam, propter quam credenda est veritas obscurè revelata, ut dubitare de revelationis existentia evidenter sit nefas.

Unde præsentem controversiam de Scriptura S. in duos Articulos dividere placet. In priore agam *de Verbo Dei Scripto*, & ostendam, Lutheranos, Calvinistas, Zwinglianos, omnésque à Romana Ecclesia Apostatas, seu veteres, seu modernos, in suis principijs sufficienter probare nunquam posse, ac proinde nunquam infallibiliter certos esse 1. an detur aliqua Scriptura S. 2. quænam sit illa. 3. an legitimè versa. 4. omnino incorrupta. 5. quomodo intelligenda. In posteriore autem *de Verbo Dei non scripto*; ex quo illa omnia certò ac infallibiliter probant Catholici.

ARTICULUS I.

De Verbo DEI Scripto.

Summarium.

1. *In hac materia certissimè & securissimè debellantur omnes Sectarij, eversis eorum fundamentis.*
2. *Quid sit Scriptura S.*
3. *An aliqua sit, & quænam, non est evidens: igitur hoc probandum, & quidem infallibiliter.*
4. 5. *Sectarij & Apostatæ nulli in suis principijs sufficienter probare possunt existentiam S. Scripturæ.*
6. *Nec ista quæstio indigna est Christiano homine, aut curiosa, & inepta.*
7. *Num S. Scriptura se ipsam non prodit luce sua, etiam attentè ac devotè legentibus.*
8. *Ex textibus autem Scripturæ id probare velle ineptissimum est.*
9. *Quid sit Canon Scripturæ S.*
10. *Et libri Canonici, atq; Apocryphi.*
11. *Referuntur libri Canonici utriusque Testamenti.*
12. *Quosnam ex illis expunxerint Lutherus & Calvinus.*
13. *Sectarij & Apostatæ rursus probare sufficienter nequeunt Canonem Scripturæ, seu quinam libri determinatè sint Scriptura S. & Divina, quinam Apocryphi, ex ipsa Scriptura.*
14. *Neque ex critirijs Scripturæ.*
15. *Neque ex interno spiritu & sensu propriæ conscientiæ, seu spiritu privato.*
16. 17. 18. *Indicia, ex quibus aliquos libros Antiqui Testamenti, a se expunctos, probant non esse Canonicos, fictitia sunt & inania.*
19. *Qua lingua primitus conscriptæ & editæ sint Scripturæ Sacræ.*
20.

20. *Quæ fuerint primæ versiones.*
21. *Ex illis eminet Vulgata.*
22. *Non verò versiones Vulgares.*
23. *Secluſa ſpeciali Providentia DEI moraliter neceſſarium erat multos errores ſucceſſu temporis irrepere in Biblia, crebro deſcripta calamo, & in alias linguas tranſlata.*
24. *Adverſarij iterum probare nullatenus poſſunt ſufficienter, ſe habere legitimam & ab erroribus puram verſionem Bibliorum.*
25. *Idem demonſtratur à priori ex qualitate Verſorum.*
26. *Et à poſteriori ab exemplis.*
27. *Neque ſufficienter probare poſſunt puritatem Scripturæ Hebraicæ & Græcæ, noſtro & tempore Lutheri exſtantium, ex quibus tamen linguis ſua Biblia in Vernaculas tranſlata gloriantur.*
28. *Editio tamen Vulgata hodiedum eſt authentica.*
29. *Non diſſentit à fontibus Authenticis, Hebræo & Græco, quoad ſenſum: nec editio Clementina formaliter differt à Sixtina.*
30. *Quam quoad ſubſtantiam jam approbavit Tridentinum.*
31. *Lectio Bibliorum Catholicorum in lingua aliqua ſacra nulli, in lingua Vulgari aliquibus quidem prohibita eſt, ſed non in Germania, ſaltem defacto.*
32. *Eandem difficultatem, imò impoſſibilitatem habent Adverſarij in probando genuino S. Scripturæ ſenſu.*
33. *Quid ſit ſenſus Scripturæ verus & accommodatitius.*
34. *Litteralis & myſticus: item allegoricus, anagogicus, & tropologicus.*
35. *Litteralis in dogmatis fidei præcipuè inquirendus eſt.*
36. *Scriptura S. patitur varios ſenſus & interpretationes: unde arduum eſt verum & genuinum ſenſum infallibiliter deprehendere.*
37. *Adverſarij, ne admittere cogantur Interpretem Romanum Pontificem, dicunt, ſolam Scripturam eſſe regulam adæquatam omnium credendorum, eámque eſſe claram & perſpicuam ſaltem in rebus creditu neceſſarijs, ſi devotè ac attentè legatur à pijs.*
38. 39. 40. *Sed contrarium demonſtratur.*
41. *Pariter demonſtratur, Adverſarios in ſuis principijs nequaquam probare ſufficienter poſſe, ſe in intelligendis Scripturis non decipi.*
42. *Patet id ipſum etiam à poſteriori.*
43. *Quomodo Scriptura ſit & dicatur lux, lumen, lucerna;*
44. *Et liber apertus, opertus autem ijs, qui pereunt.*
45. *DEO utique liberum fuit clarè vel obſcurè loqui nobis.*
46. *Quare defacto in Scripturis frequenter nobis loquatur obſcurè.*

§. I.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. I.

Lutherani, Calviniſtæ, Zwingliani in ſuis principijs probare ſufficienter non poſſunt exiſtentiam Scripturæ S.

2. SCiendum 1. per Scripturam S. intelligi libros, ab hominibus quidem, ſed inſpirante & dictante DEO conſcriptos. Vocantur hi libri à Græcis *Biblia*, à Latinis *Scriptura*, ab utrisque per Antonomaſiam, ſcilicet propter præſtantiam Auctoris Principalis, qui DEUS eſt, his libris appropriando communia cæteroquin vocabula. Primus horum librorum Auctor Inſtrumentalis fuit Moyſes, & hunc ſecuti ſunt Prophetæ in Antiquo, Apoſtoli verò & Evangeliſtæ in Novo Teſtamento.

3. Sciendum 2. Evidens & per ſe notum non eſſe, dari aliquos libros inſpirante DEO exaratos, ſeu S. Scripturam; id enim non ſolùm negatum ſemper fuit à Gentilibus, ſed etiam aliquando à quibusdam, qui ſe Chriſtianos vocabant. Imò etiam Adverſarij fatentur, veram Eccleſiam ab Adamo uſque ad Moyſen per bis mille circiter annos exſtitiſſe ſine ulla Scriptura S. Proinde exiſtentiam illius probari oportet, & aliunde infallibiliter innoteſcere.

4. Dico. Lutherani, Calviniſtæ, Zwingliani, & cæteri Apoſtatæ omnes non poſſunt in ſuis principijs ſufficienter probare exiſtentiam Scripturæ S. ſeu quòd detur aliqua Scriptura divinitus dictata. Demonſtratur: Motivum vel medium, ex quo probant, vel eſt ipſa Scriptura, vel certa critiria ſeu indicia ex parte Scripturæ ſe tenentia, vel ſpiritus internus & ſenſus conſcientiæ: ſed nullum ex his eſt medium ſufficiens ad *infallibiliter* probandam exiſtentiam Scripturæ S. ergo. M. eſt ipſorum, quia communiter non admittunt Traditionem & Auctoritatem Eccleſiæ tanquam Verbum DEI non ſcriptum, ex quo ſolo infallibiliter doceri poſſent de hac re. m. P. Hoc medium non poteſt eſſe ipſa *Scriptura*, quia de hujus exiſtentia lis eſt, & ſi ex Scriptura probaretur Scriptura, probaretur idem per idem, & ſupponeretur, quod eſt in quæſtione.

Non *critiria*, nimirum antiquitas Bibliorum & mirabilis conſervatio inter tot caſus, miracula in confirmationem eorum facta, eventus rerum, quæ in Biblijs prædicebantur futuræ, ſanctitas & majeſtas rerum, quæ in ijs continentur, energia Verborum ad permovendos animos, mira concordia rerum contentarum. Hæc, inquam, critiria non ſunt ſufficiens medium ad *infallibiliter* probandam exiſtentiam Bibliorum 1. quia omnia & ſingula poſſunt abſolutè reperiri in libro quodam præcisè humano vel unius vel plurium Auctorum; cur enim ejusmodi liber merè humanus non poſſit eſſe antiquiſſimus, à DEO mirabili providentia conſervatus, res majeſtate & ſanctitate plenas continere, & tantâ verborum

energiâ proponere, ut permoveantur homines ad vitam meliorem, vel etiam ad sanguinem profundendum, cùm etiam Plato Ethnicus suo libro de Immortalitate animæ ita permovisse animos dicatur, ut quidam sibi necem consciscerent? Cur Deus ejusmodi librum, ab uno, vel pluribus viris probis mirabili consensu conscriptum, non posset tueri etiam miraculis propter utilitatem, quam affert Reipublicæ materia contenta in tali libro, v. g. conscripto à Confutio Sinarum quondam sapientissimo Philosopho? Cur ejusmodi liber non posset etiam in se continere prophetias & vaticinia, cùm libri Sybillarum gentilium, quos utique pro Scriptura S. non habent Adversarij, pleni fuerint prædictionibus rerum, quæ postmodum evenerunt? 2. Quia de his ipsis critirijs non constat Adversarijs evidenter & certò, sed præcisè ex relatione humana, quam semper contendunt fallibilem esse; ipsi enim non præsentes spectârunt miracula; absque relatione humana ignorant, utrùm ea, si tamen facta sint, eò spectârint, ut ostenderent, aliquos libros, præsertim hos, quos Adversarij habent pro Divinis, esse Divinos; nesciunt nisi ex fama, quòd ea, quæ prædicebantur futura, certò evenerint, vel si evenerint, an non primùm postea in his codicibus scripta sint à nequam impostore, certis libris Divinam Auctoritatem conciliare per fraudem machinante. Adde, quòd multi libri, & capita librorum, quos habent Adversarij pro Divinis, non contineant prophetias, vel res sublimes &c. Imò aliqua in Scripturis reperiuntur in speciem vilia, falsa, aut contradictoria, & captu difficilia, ut adeò S. Augustino aliisque Expositoribus laborandum fuerit, ut Evangelia & alios libros Scripturæ à contradictionibus vindicarent. 3. Quia si hæc critiria sufficienter probarent existentiam Scripturæ S. etiam sufficienter probarent veritatem Religionis Romano-Catholicæ, ut adeò Adversarij non minùs hanc pro vera Christi Ecclesia agnoscere deberent, quàm existentiam Scripturæ; siquidem Romana Ecclesia est antiquissima, mirabiliter inter gravissimas persecutiones Judæorum, Gentilium, & Hæreticorum semper conservata, non sine plurimis miraculis, quæ in contestationem ipsius dogmatum facta sunt à viris sanctitate prodigiosa conspicuis, & dono prophetiæ claris, qui etiam vitàm & sanguinem promptissimè maximo numero pro ea obtulerunt &c.

Nec denique sufficiens medium est Spiritus internus, aut (ut Calvinistæ vocant) propriæ conscientiæ sensus, quem falsò dicunt esse testimonium Spiritûs S. internum; nam iste *Spiritus privatus* 1. est prorsus incertus & dubius, utrùm sit à DEO nec ne, nec certò probari ab Adversarijs potest, eum esse à DEO potiùs quàm ab erronea & fallaci persuasione propria; si enim probari certò posset, deberet probari ex Scriptura; & sic evidenter fieret circulus vitiosus, dum Scriptura probaretur ex Spiritu interno, & Spiritus internus ex Scriptura; item ignotum probaretur per æque vel magis ignotum. 2. Est in diversis hominibus diversus, & contradictoria docens, consequenter non

non est testimonium Spiritûs S. qui interiùs docere contradictoria utique non potest, cùm testari falsum nequeat: quòd autem diversa & contradictoria dictet diversis, patet indè, quòd Adversarijs dictet, libros Novi & Antiqui Testamenti esse Scripturam Divinam, Ethnicis autem, Paganis, & Turcis dictet, non esse Scripturam Divinam, Judæis verò, libros Novi Testamenti non esse Divinos. 3. Est ineptus ad terminandas lites; quamvis enim Deus absolutè possit hominem docere infallibiliter per internam illustrationem, utì docuit Prophetas; ordinariè tamen non solet, quia ejus Providentia requirit, ut per testimonium publicum & ab omnibus cognoscibile erudiat homines, dari e.g. aliquam Scripturam Divinam, & quidem hanc &c. ita enim exigit præsentis vitæ ratio & status, ut utraque Pars litigans percipere possit hoc testimonium, ne utraque illud pro se pari jure allegare possit, utì fieri potest, si testimonium sit merè internum, utì est Spiritus iste privatus, & conscientiæ sensus.

Confirmatur. Quidquid est infallibiliter certum, debet esse certum vel certitudine evidentiæ, vel certitudine fidei: sed nec certitudine evidentiæ certum est Adversarijs, dari aliquam Scripturam S. cùm Ecclesia vera existere possit sine ulla Scriptura, utì fuit ante Moysis tempora, & Deus absolutè non adstringatur ad nos docendos per litteras & verbum scriptum: nec certitudine fidei; nam nihil est certum certitudine fidei, nisi adsint motiva tanta credibilitatis, id à DEO revelatum esse, ut nulla ratione prudenter negari possit: atqui in principijs Adversariorum non adsunt motiva tanta credibilitatis; quænam enim sunt illa? an critiria, an spiritus internus? quæ jam rejecta sunt ut futilia & insufficientia: aliud autem motivum rejectis Traditionibus & Auctoritate Ecclesiæ assignari nequit: ergo. Videamus nunc, quid ex Adversarijs aliqui (nam multi hanc quæstionem de existentia Scripturæ dextrè & studiosè dissimulant, videntes labyrinthum, ex quo exitum non inveniant) pro sua causa opponant.

5.

Objiciunt 1. Quòd existat aliqua Scriptura S. est principium, etiam à Catholicis, adeóque ab utraque Parte litigante concessum: ergo non debet trahi in dubium, aut exigi ab adversa Parte, ut probet ejus existentiam. R. 1. N. C. quia principium, quod non est evidens, probari debet; ab Adversarijs autem istud principium probari nequit. R. 2. D. A. Est principium ab utraque Parte concessum, sed non ex eodem motivo & fundamento C. A. ex eodem motivo & fundamento. N. A. & C. Si Adversarij ex eodem motivo concederent & possiderent Scripturas, scilicet ex Traditione & Auctoritate Ecclesiæ, facilè & statim pax foret nos inter & ipsos; si enim hanc audirent in admittendis Scripturis quoad existentiam, admittere deberent consequenter etiam in intelligendis Scripturis quoad sensum, & sic in omnibus Articulis nos inter & ipsos controversis.

6.

Replicant: hæc quæstio, an detur Scriptura Divina, est curiosa, Christiano

stiano indigna, quia totam Christianitatem reddit dubiam. Imò inepta, quia prima fidei principia non probari, sed supponi debent: ergo. R. N. Ant. quoad omnia membra. Utique enim *curiosum* non est inquirere, an primum fidei fundamentum sit satis solidum; neque DEUS, quamvis velit captivari intellectum nostrum in obsequium fidei revelando res obscuras, tamen eas à nobis temerè & sine motivo prudenter innegabili firmissimè credi vult, nec velle potest. Quis *Christiano indignum* existimet, si fundamenta fidei Christianæ, quæ utiq; infirma esse nequeunt, inquirere, tentare, & declarare laboret, quod fit per examen hujus quæstionis? Et quis *ineptum* pronuntiet indagare principium, quod per se notum non est? Quamdiu igitur Adversarij non possunt infallibiliter probare existentiam Scripturæ S. (quod nunquam poterunt, nisi iterum amplectantur Verbum DEI non Scriptum, & Ecclesiæ vocem audiant) tamdiu malè admittunt Scripturam & imprudenter, nec eâ uti possunt ad reliquos articulos probandos; licèt nos Catholici eam bene admittamus, & adhibere possimus ad aliquid probandum tanquam regulam certissimam credendorum.

7. Ob. 2. Scriptura se ipsam sua luce satis prodit; si enim attentè ac devotè legatur, tam convincentes in ea reperiuntur causæ, quòd sit Verbum DEI, ut testimonium Ecclesiæ vel omnino non requiratur, vel saltem non nisi ultimum jure obtineat locum. Ferè testimonium Ecclesiæ de Scriptura se habet, sicut se habet Tabellarius, qui affert litteras Regis; qui quidem initiò nobis tradit has litteras, sed postquam eas recusas legimus, & sigillum videmus, non amplius credimus propterea, quia Tabellarius dicit, has esse litteras Regis, sed propter Manum, Sigillum, Negotium Principis in litteris descriptum. Sic Scriptura habet in se talia critiria seu indicia sibi intrinseca, qualia sunt *sublimitas* rerum, quæ in Scripturis tractantur, *instructio* talis ad vitam rectè instituendam, qualis non reperitur in ullo alio libro, *efficacia* tanta ad permovendos animos, quanta in nullo alio libro deprehenditur, & *impletio* prædictionum, quæ in Scripturis continetur &c. ut dubitari non amplius possit, quin hæc Scriptura sit Divina: ergo. R. si tanta est lux in Scriptura, qua se ipsam prodit, quare eam non omnes vident? cur hanc lucem potius in suo Alcorano vident Turcæ, quàm in nostra Scriptura, etiam attentè & devotè lecta? cum tabellario & litteris Regis non est paritas, quia Character, Sigillum, & alia hujusmodi indicia clarè & longè certius dignosci possunt, & oculis evidenter cerni, suntque ex se longè aptiora ad probandum, litteras esse à Rege missas, quàm Nuntij, sæpe mendaces: econtra in Scripturis nihil Divinum clarè & evidenter apparet, & econtra testimonium Ecclesiæ, quæ aliunde probatur esse infallibilis, clarè & sensibiliter nobis constat: ac proinde hoc testimonium rectè dicitur esse primum, ultimum, efficacissimum, & ex omnibus unicè convincens & infallibiliter do-

docens, dari Scripturam S. Adde, quòd etiam litteræ regiæ non semper certò ac *infallibiliter* dignoscantur ex indicijs, etiamsi attentè & circumspectè legantur: de litteris autem Divinis debet haberi infallibilis certitudo etiam quoad nos, quam certitudinem certè non pariunt illa criteria Scripturæ intrinseca; cur enim ab aliquo sancto & sapienti viro, qualis v. g. fuit S. Augustinus, Thomas Kempensis, S. Franciscus Xaverius &c. non possit scribi liber, in quo res æquè sublimes, tam copiosa instructio, tam efficax energia verborum, imò & quædam vaticinia de rebus futuris, quæ postmodum impleantur, ac media ad salutem contenta sint, quin tamen talis liber esset Canonicus? Quid si aliquis diceret, Evangelia S. Bartholomæi, Thomæ, Nicodemi, quæ nec ab Adversarijs agnoscuntur pro Canonicis, esse tales libros, memoratis saltem plerisque dotibus instructos? Accedit, quòd in Scripturis, quas Adversarij agnoscunt pro Divinis, reperiantur plurima capita, & sententiæ, in quibus nulla apparet vel sublimitas, vel informatio morum, vel energia verborum, vel prædictio: quare ergo habent pro Divinis?

8. Ob. 3. *Spiritus est, qui testificatur.* 1. Jo. 5. v. 6. hoc est, Spiritûs S. testimonium est quasi viva sensatio apud eos, qui Scripturam piè legunt, ut eam agnoscant: *ipse enim Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro.* Rom. 8. v. 16. *Et Spiritus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia.* Jo. 14. Ergo ex Spiritu interno potest satis cognosci etiam existentia Scripturæ. R. hoc argumentum, quod apud multos ex Adversarijs est potissimum, planè ineptissimum esse, tum quia adducit textus Scripturæ ad probandam existentiam Scripturæ, & sic supponit id, de quo quæritur, tum quia ex his textibus non probatur, quòd ille spiritus & dictamen internum, quo judicant dari Scripturam, sit Spiritûs S. illustratio, & non potiùs fallax persuasio & erroneum proprij intellectûs judicium, tum quia Turcæ vel alij Scripturam negantes eodem jure possunt dicere, se negare ex interno Spiritûs S. testimonio, *Spiritum esse, qui sibi testificetur, Spiritum reddere Testimonium spiritui suo* &c.

§. II.

Iidem non possunt sufficienter probare Canonem S. Scripturæ.

9. SCiendum 1. vocem *Canon* esse Græcam, & Latinè significare idem ac vocem *Regula*, item *Catalogus*. Quæ utraque significatio huc quadrat; cùm enim S. Scriptura sit *Regula* seu norma nostræ fidei & morum, rectè appellatur *Canon*, & totus *Catalogus*, in quem recepti sunt libri S. Scripturæ,

ridem rectè vocatur *Canon*; sic dicimus, hunc vel illum librum esse in *Canone*, hoc est, in Catalogo Librorum Sacrorum, & libros sacros vocamus *Canonicos*. Porro possunt aliqui libri sacri esse Canonici *secundùm se*, quin tamen sint Canonici *quoad nos*, sive *Canonizati*, seu relati inter Divinos; sicut aliud est esse *Sanctum*, & aliud esse *Canonizatum*. Quòd aliquis liber sit Canonicus *secundùm se*, habetur à solo DEO illum dictante vel inspirante; quòd autem sit Canonicus *quoad nos*, hoc est, nobis sufficienter cognitus, habetur per revelationem Divinam nobis satis propositam.

10. Sciendum 2. per libros Canonicos ordinariè & communiter intelligi illos, qui sunt Canonizati, seu legitima auctoritate in numerum librorum Sacrorum relati. Canonicis opponuntur *Apocryphi*, qui nempe, licèt à quibusdam aliquando Patribus habiti sint pro Divinis, legitima tamen auctoritate (publicô nempe Ecclesiæ judiciô) nunquam pro talibus declarati & acceptati sunt: tales hodiedum sunt Oratio Regis Manassæ, Psalmus 151. Appendix libri Job, liber Hermetis (qui inscribitur Pastor) liber III. & IV. Esdræ, liber III. & IV. Machabæorum; qui, etiamsi in Codice Biblico Græco vel Latino contineantur, tamen inter Canonicos recepti non sunt, & ideo infallibilem (saltem *quoad nos*) auctoritatem non habent. In alio sensu etiam illi libri vocantur *Apocryphi*, qui errores continent admixtos.

Sciendum 3. In Canone Catholico libros Canonicos contineri 72. nimirum Veteris Testamenti 45. Novi autem 27. Sùntque sequentes. 11.

Veteris Testamenti.

Genesis.
Exodus.
Leviticus.
Numeri.
Deuteronomium.
Josue.
Judices.
Ruth.
4. Libri Regum.
2. Libri Paralipomenon
2. Libri Esdræ.
Tobias.
Judith.
Esther.
Job.
Psalterium.
Proverbia.
Ecclesiastes.
Cantica.
Sapientia.
Ecclesiasticus.
4. Prophetæ Majores, cum Baruch.
12. Prophetæ Minores.
2. Libri Machabæorum.

Qua-

Quatuor *Majores Prophetæ* sunt Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel. Duodecim *Minores* Oseas, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Novi Testamenti.

4. Evangelia.
Actus Apostolorum.
14. Epistolæ S. Pauli.
3. Epistolæ S. Joannis.
2. Epistolæ S. Petri.
Epistola S. Jacobi.
Epistola S. Judæ.
Apocalypsis.

Auctores Evangeliorum sunt Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. Actuum S. Lucas. Apocalypseos S. Joannes. Epistolæ quatuordecim S. Pauli sunt scriptæ ad sequentes: una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Ephesios, una ad Philippenses, una ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, una ad Hebræos.

Habetur iste Catalogus Librorum Canonicorum ex Concil. Tridentin. Sess. 4. Patres verò Tridentini hunc eundem Canonem acceperunt à Concil. Florentino, Florentinum à Romano sub Gelasio, Gelasius ab Augustino, Augustinus à Concil. Carthag. III. (quod alij appellant V. alij VI.) approbato à Synodo Generali VI. Patres hujus Concilij Carthag. ab Innocentio I. Papa in ep. ad Exuperium, qui Innocentius vixit sub annum 402. & hunc Canonem, quem à temporibus Apostolorum per continuam Traditionem accepit, clarè & explicitè declaravit, eò quòd Traditio Apostolica ob ingentes persecutiones Ecclesiæ non in omnibus locis sat cognita fuisset; quod indè etiam colligitur, quòd de quibusdam ex recitatis libris aliqui Patrum dubitaverint, donec notitia declarationis ab Innocentio factæ ad ipsos pervenerit.

Sciendum 4. Lutherum & Calvinum ex recitato Canone per summam & inauditam temeritatem expunxisse integros libros Veteris Testamenti, nimirum libros *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientia*, *Ecclesiastici*, *Machabæorum*, *Baruch*, *& additamenta ad Esther & Danielem*. Imò Lutherus adhuc insolentior Bibliomastix etiam Novo Testamento sacrilegas manus injecit expungendo *Epistolam B. Pauli ad Hebræos*, *Epistolam S. Jacobi*, *Epistolam S. Judæ*, *& Apocalypsin S. Joannis*. Jure igitur hi Novatores in jus vocantur, & postulatur ab ipsis, qua auctoritate rem tantam aggressi sint contra Universalis Ecclesiæ Traditionem antiquissimam? unde infallibiliter doceant, ac sufficienter probent, eos libros, quos ipsi expunxerunt, non esse Divinos? siquidem plurimùm interest id certò nôsse; cùm aliàs certi non sint, 121

an non habeant Scripturam mancam, truncatam, & quod consequitur, mancam & truncatam fidem, non totam DEI voluntatem ipsis proponentem. Item unde infallibiliter certi sint, eos libros, capita, & sententias omnes, quas ipsi recipiunt pro Verbo DEI, esse Verbum DEI? Verbo, unde infallibiliter certi sint de suo Canone, seu hos, & non alios libros, esse Canonicos?

13. Dico. Lutherani, Calvinistæ, Zvvingliani, & cæteri Apostatæ omnes, non possunt in suis principijs sufficienter probare suum Canonem Scripturæ, ut de eo sint infallibiliter certi. Demonstratur: non enim probare possunt 1. ex Scriptura (quæ sola juxta ipsos potest parere infallibilem certitudinem) partim quia in Scriptura nullibi prorsus clarè, imò nec obscurè dicitur, hos omnes libros, quos Adversarij agnoscunt pro Divinis, & non alios, quos ipsi rejiciunt, esse verè Divinos, ut sit evidens lustranti totam Scripturam; partim quia, etiamsi alicubi legeretur scriptum, hos & non alios libros, capita, & sententias esse verè Scripturam S. propterea tamen *infallibiliter* non essent certi, eò quòd certi non essent, utrùm non aliquis impostor hæc verba nequiter addidisset. Certè si sufficeret, in titulo vel in alia parte alicujus libri scriptum esse, eum esse Divinum & DEI Verbum, Turcæ de suo Alcorano, & Judæi de suo Thalmud possent esse infallibiliter certi, quòd ipsi habeant veram Scripturam Divinam. Unde etiamsi in quibusdam Scripturæ locis dicatur, *Dominus locutus est*, & alia similia inveniantur, tamen impri-

mis talia verba non reperiuntur in omnibus libris, capitibus, sententijs (& de his redit quæstio, unde infallibiliter cognoscantur esse Verbum DEI) deinde non infallibiliter scitur, an hæc verba vel ex malitia vel ex infirmitate humana non fuerint apposita. Adde, quòd de his ipsis libris, in quibus simile quid legeretur, sit quæstio, an sint Divini: ergo hi libri non possunt esse Judex infallibilis; aliàs supponeretur id, quod est in quæstione.

14. Neque probare possunt 2. ex critijs & indicijs, quæ reperiuntur in his determinatis libris: vel enim ista critiria sunt clara & evidentia? quod evidenter falsum est, quia hanc lucem in his libris non tantùm non vident Gentiles & Pagani, ac Judæi in libris Novi Testamenti, sed etiam viri doctissimi & sanctissimi ex Christianis non cernunt *clarè* hanc lucem, imò de quibusdam libris, quos Adversarij agnoscunt, uti est Epistola 2. Petri, Epistola 3. & 4. Joannis (ut fatentur ipsimet, & clarè testatur Eusebius l. 3. c. 25.) etiam Antiqui Patres dubitârunt. Vel sunt *obscura* & dubia? & sic non possunt parere *certitudinem infallibilem*, sed ad summum opinionem. Dein cur hæc lux & critiria non apparent Lutheranis in Epist. ad Hebræos, in Epist. S. Jacobi & S. Judæ, nec in Apocalypsi; apparet tamen Calvinistis, qui aliàs volunt esse fratres Lutheranorum, saltem aliqui?

15. Neque probare possunt 3. ex interno Spiritu & sensu propriæ conscientiæ, partim quia æquè vel magis incertum est, an iste Spiritus internus

sit

sit illustratio Divina, quàm ipse Canon an sit Divinus; partim quia omnes alij eodem jure possunt dicere, se per internum Spiritum & conscientiæ sensum cognoscere oppositum: sic Turca dicet, sibi internum Spiritum dictare, non Biblia Christianorum, sed Alcoranum, Judæi, suum Thalmudum esse Scripturam à DEO inspiratam: sic Catholici possunt dicere, se ab interno spiritu discere, etiam libros Judith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum esse Canonicos, Calvinistæ contra Lutheranos, etiam epistolas ad Hebræos, Iacobi, & Judæ esse Canonicas. Quæso quomodo illi impugnari à vobis poterunt? Quid dicetis pro vestro spiritu interno, quod alij non pari jure dicent pro suo? obsecro si quis in Canonem reciperet epistolam aliquam S. Pauli ad Laodicenses, Evangelium S. Bartholomæi, S. Barnabæ, S. Nicodemi &c. (hæc enim aliquando à quibusdam habebantur pro libris Canonicis) præsertim cùm ipse Paulus ad Coloss. 4. mentionem faciat alicuius suæ epistolæ ad Laodicenses datæ; nunquid posset afferre pro suo asserto ipsam Scripturam, nempe Epist. ad Coloss. æqualia critiria Scripturæ intrinseca, & insuper Spiritûs interni testimonium? Quare ergo hanc epistolam, hæc Evangelia in Canonem non recipitis? Vid. de Spiritu hoc interno pag. 86.

16. Objiciunt. Nullus liber Antiqui Testamenti habendus est pro Canonico, qui 1. non est scriptus à Propheta, vel tempore Prophetarum. 2. Qui non est scriptus tali idiomate, quo tunc utebatur Ecclesia Judaica. 3. Qui non citatur à Christo vel Apostolis, & insuper de Messia futuro nullam facit mentionem: sed libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, primus & secundus Machabæorum, non habent ista requisita: ergo non sunt Canonici. R. 1. & quæro, unde Adversarijs certò constet, illos libros, qui has conditiones habent, esse Canonicos, & qui non habent, non esse Canonicos? R. 2. Et retorq. argum. in capitibus & sententijs singulorum librorum, quos ipsimet habent pro Divinis; non enim in omnibus capitibus & sententijs fit mentio de Messia de Christo, nec singula capita citantur à Christo vel Apostolis, multò minùs singulæ sententiæ, & tamen habentur pro Divinis. R. 3. N. M. N. m. N. C. Ratio negandi M. est, quia Adversarij prorsus gratis & sine ratione sufficienti has conditiones requirunt ad librum Canonicum Veteris Testamenti, ubi enim id scriptum est? Imò si primum membrum M. esset verum, neque liber Judicum & Ruth esset Canonicus; quis enim Prophetarum hos libros scripsit, vel eo tempore vixit? Dein si ad essentiam libri Canonici requiritur, ut tali idiomate scribatur, quod intelligat vulgus, ferè nullus erit liber Canonicus novi Testamenti, quia plerique scripti sunt idiomate Græco, quod vulgus Ecclesiæ Christianæ non intelligebat. Rursus si liber Canonicus veteris Testamenti debet facere mentionem Messiæ futuri, & citari à Christo vel Apostolis, neque Canonici erunt Ecclesiastes, Canticà, liber I. Regum, Ruth &c. Ipse Christus indicat, quòd solùm aliqui libri veteris Testa-

menti de futuro Messia mentionem faciant, nimirum libri Moysis, Prophetarum, & Psalmorum, dum Luc. 24. ait: *Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Ratio negandi m. est 1. quia liber Baruch scriptus est linguâ Hebraicâ, vel Chaldaicâ, item Tobiæ & Judith; imò & Ecclesiasticus & primus Machabæorum, licèt postmodum in Græcam translati sint. Vid. P. Ott in suo libello Germ. de his libris contra Heideggerum Tigurinum. 2. Quia Baruch c. 3. v. ult. de DEO sic vaticinatur: *posthac in terris visus est*: ergo de Messia futuro mentionem facit. Eandem facit liber Sapientiæ c. 2. v. 12. Alia igitur causa fuerit Sectarijs expungendi memoratos 7. libros, scilicet *Tobiæ*, quia valde commendat efficaciam & meritum bonorum operum, *Judith*, quia laudat castitatem, jejunia, castigationes voluntarias corporis & festa: *Machabæorum*, quia approbat orationes pro defunctis &c. Quæ nimis apertè repugnant doctrinæ Adversariorum.

17. Urgent. In præfatis 7. libris continentur falsa, errores, absurda, pugnantia. Et Auctor libri Machabæorum expressè veniam precatur errorum: ergo non sunt Canonici. R. N. A. quamvis enim contineantur quædam captu difficilia, in speciem falsa, erronea, & inter se pugnantia, propterea tamen non debent rejici ex Canone; aliàs etiam 4. Evangelia rejicere oportebit, eò quòd aliqua occurrant in speciem opposita, difficulter intelligibilia &c. ut experiuntur Interpretes; quorum non est librum sacrum rejicere, si non statim assequantur omnia, sed majori industria laborare implorato diligenter lumine Divino, ut occurrentes nodos solvant; uti fecerunt SS. Patres, nominatim S. Augustinus, qui 4. egregios libros scripsit *de consensu Evangelistarum*, ostendens, nullam in ijs esse antilogiam, nisi apparenter fortè & apud imperitos. Sic pariter, quæ occurrunt difficilia vel circa sensum, vel circa chronologiam, vel tropologiam &c. in his libris, satis explanantur ab Interpretibus & Scripturarijs, ad quos hæc pertinent. Auctor libri Machabæorum non precatur veniam erratorum contra veritatem, sed erratorum circa stylum & orationem minùs politam. Spiritus S. non alligatur ad elegantiam verborum & Styli, sed ipsi perinde est, sive Scriptor, quem dirigit, simplici sive sublimiori loquatur sermone, & cujusque indoli, capacitati naturali, & scribendi modo se accommodat. Ita tamen dirigit, ut Scriptor à vero deviare nequeat.

Replicant. Vetus Ecclesia saltem dubitavit de his libris: ergo adhuc incertum est, an sint Canonici. A. P. Quia Patres Concilij Laodiceni, item S. Hieronymus, S. Melito, Athanasius, Origenes, & Eusebius eos excluserunt à Canone. R. 1. N. C. nam Ecclesia potest successu temporis magis edoceri à Spiritu S. sicut edocta est v. g. de non rebaptizandis ijs, qui ab hæreticis baptizati sunt, de quo antea erat dubium. R. 2. N. Ant. Quamvis enim quidam ex Patribus dubitaverint ante intimatam sibi definitionem 18.

Ec-

Ecclesiæ, non tamen dubitavit tota Ecclesia. Concilium Laodicenum fuit tantùm Particulare, nec à Pontifice aut à Concilio Generali approbatum. S. Hieron. postquam intellexit, librum Judith in Concilio Generali Nicæno fuisse declaratum pro Canonico, statim & ipse illum recepit, recepturus haud dubiè & reliquos, si circa illos definitionem Ecclesiæ scivisset; dicit enim in præf. ad Judith: *quia hunc librum Synodus Nicæna in numerum SS. Scripturarum legitur computâsse, acquievi postulationi vestræ, imò exactioni.*

§. III.

Iidem non possunt sufficienter probare versionem legitimam, nec puritatem S. Scripturæ.

19. SCiendum 1. Biblia originaliter conscripta & edita fuisse tribus linguis, Hebraicâ, Græcâ, & Latinâ, quæ etiam propterea vocantur linguæ *Sacræ*. Hebraicâ primitus conscripti sunt *plerique* libri veteris Testamenti. Græcâ libri novi Testamenti, exceptô Evangeliô S. Matthæi & epistolâ ad Hebræos, quæ probabiliter originaliter scripta sunt linguâ Syriacâ, seu illâ Hebraicâ, quæ tempore Christi & Apostolorum erat in usu, nec ampliùs erat purè Hebraica, sed vocibus Chaldaicis permixta: item exceptô Evangeliô S. Marci, quod probabiliter Romæ fuit primitus editum linguâ Latinâ. Hæ *editiones* primæ, ab ipsis Sacris Scriptoribus profectæ, seu Authographa non ampliùs habentur, sed tantùm transsumpta, & *versiones* in alias linguas. De his

20. Sciendum 2. Versiones Bibliorum fuisse, & etiamnum esse plurimas. Ex Græcis versionibus, per quas Antiquum Testamentum ex Hebraico in Græcum idioma translatum est, celebres sunt Origenis, S. Luciani M. Theodotionis, Aquilæ &c. celeberrima autem illa, quæ dicitur *septuaginta interpretum*, quæ non sine miraculo & speciali DEI assistentia annis circiter 280. ante Christum Natum perfecta est. Istæ tamen versiones veteris Testamenti (etiam 70. interpretum, quæ olim erat Authentica) progressu temporis vel malitiâ Judæorum & Hæreticorum, vel infirmitate describentium (nam propter defectum typi, qui primùm circa annum Christi 1440. inventus est in Europa à Germanis, omnia describi calamo debebant) ita corruptæ sunt, ut tutum non sit, Latina Biblia nunc ad Græcum textum emendare, ut docet Bellarm. & alij.

Sciendum 3. ex Versionibus Latinis 21.
eminere præ omnibus illam, quæ communiter appellatur *Vulgata*, quam S. Augustinus *Italam*, S. Gregorius *Veterem* dixit. Tribuitur hæc versio vel editio *Vulgata* S. Hieronymo; quod verum est quoad Vetus Testamentum

exceptis quibusdam libris, nimirum Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch &c. item Psalmis: Novum verò Testamentum non est S. Hieronymi, sed ignoti cujusdam antiquioris Auctoris, emendatum tamen à D. Hieronymo. Alias versiones Latinas, à *Vulgata* in multis dissentientes, cudere ausi sunt recentiores Sectarij, infelicis Lutheri pernicioſa genimina, quamvis suo etiam protoparenti rebellia, nimirum Münsterus, Oecolampadius, Beza, & alij: Leo Juda ex Judæo factus Zwinglianus inchoavit, & postea Bibliander adjuvantibus Pelicano & Cholino perfecit anno 1544. Biblia, quæ vocantur *Tigurina*, quia Tiguri edita.

22. Sciendum 4. alias Versiones vocari *Vulgares*, per quas nimirum Biblia versa sunt in aliquam Linguam Vulgarem: *Vulgares* autem Linguæ censentur omnes (exceptâ Hebraicâ, Græcâ, & Latinâ) utpote Vulgo usitatæ, uti sunt Germanica, Gallica, Italica, Hispanica, Polonica &c. Et in has linguas vulgares seu vernaculas S. Scripturam varij traduxerunt Sectarij: sic Lutherus Biblia fecit Germanica, uti & Tigurini, Genevenses Gallica, Londinenses Anglica &c. sed sicut temerario ausu, ita infelici eventu; ipsimet enim mutuò suas carpunt versiones, & errorum insimulant: Lutheri versionem carpunt Tigurini, Münsterus, Bucerus, & Lutherus ipse; nam iste post 20. annos fassus est, se crebriùs errâsse, eò quòd Rabbinorum glossis nimiùm credidisset. Vid. Stoltzius in defens. Luth. & Lindanus in Dubitantio. Econtra Lutherus cum accepisset Biblia Tigurinorum à Typographo, huic dixisse fertur: ne posthac mihi aliquid mittas, quod à Ministris Tigurinæ Ecclesiæ profectum sit: nullum enim cum eis posthac commercium habere, nec eorum libros recipere aut legere volo, quandoquidem ipsi jam damnati sunt, & alios quoque miseros homines secum ad inferos abducunt. Ex Hospiniano in historia Sacramentaria anno 1544. Becan. to. 4. Opusculorum Theol. titulo *Evangelici*.

Sciendum 5. demptâ speciali Providentiâ Divinâ facillimè, imò moraliter necessariò contingere, ut plurimi errores post magni temporis lapsum irrepant in Biblia, partim propter infirmitatem describentium, partim propter malitiam hominum, præsertim Rabbinorum & Hæreticorum, præcipuè Biblia in aliam Linguam transferentium; nam Judæi odiò erga Christum, Hæretici odiò erga Romanam Ecclesiam, à qua perduelles defecerunt & fulminati sunt, diversimode laborârunt corrumpere Biblia, illi quidem omittendo vel vitiando ea, quæ de Christo gloriosa sunt in libris Veteris Testamenti prædicta; isti verò omittendo vel vitiando illa, quibus nimis manifestè approbantur dogmata & præcepta Catholicorum, suis Sectis opposita. Jure igitur ab Adversarijs, qui nil nisi Scripturam S. identidem crepant & jactant, postulatur, ut priùs infallibili argumento doceant, se habere Biblia legitimè versa, & ab omni errore pura. 23.

Dico 1. Lutherani, Calviniſtæ, Zwingliani, & cæteri Apostatæ omnes 24.

non

non possunt in suis principijs sufficienter probare legitimam versionem Bibliorum, seu quòd habeant Biblia ritè & de puris fontibus in suas linguas traducta. Demonstratur 1. si possent probare sufficienter, nimirum medio infallibili, possent ex Scriptura (nam in ipsorum principijs nihil aliud valet ad infallibiliter aliquid probandum quàm Scriptura) atqui ex Scriptura probare evidenter non possunt, partim quia in Scriptura nullibi dicitur, totum hunc Canonem, à se admissum, esse legitimè versum ex textu fundamentali Hebræo & Græco, partim quia etiamsi in Scriptura hoc legeretur, de hac ipsa tamen assertione rediret quæstio, an ea sit in textu fundamentali & fonte, an tantùm assuta à malevolo versore. Si recurrant ad Spiritum internum, infame illud omnium errorum Monopolium, videantur dicta p. 86. 93.

25. Demonstratur 2. positivè ostendendo, versionem, quam habent, jure esse suspectam. Cumprimis ab auctoribus versionum, quas habent; isti enim 1. fuerunt homines privati, qui erroribus sunt obnoxij, ut ipsimet semper clamitant. 2. non satis periti linguarum Hebraicæ & Græcæ; qui enim ex fundamento & perfectè ex una lingua in aliam transferre vult aliquem librum, utramque linguam perfectè intelligat necesse est, atque idiotismos, axiomata, & proprios loquendi modos calleat; quod nemo facilè assequetur, nisi per multos annos exercitium sedulum cum peritis talium linguarum habuerit: atqui nullus ex istis modernis versoribus hujusmodi exercitium habuit in lingua Hebraica & Græca &c. imò Lutherus de se fassus est, se has linguas non perfectè calluisse; & tamen ex ijs se suam versionem Germanicam fecisse gloriatur. 3. Fuerunt homines inconstantes, votisfragi, Apostatæ, perfidi, odiô & invidiâ erga Romanum Pontificem inflammati, ut nihil dicam de alijs eorum vitijs superbiæ, luxuriæ &c. An in tam malevolas animas introijsse putas veram sapientiam, & Spiritûs S. peculiarem illustrationem, quæ ad tam grande opus summopere necessaria est? Deinde quis credat, eas versiones, quæ repugnant versioni per mille & amplius annos ab Universali Ecclesia receptæ, usitatæ, & approbatæ, ab uno vel altero fœdifrago & rebelli Monacho vel Sacerdote factas, esse bonas, legitimas, authenticas? Atqui versiones omnes Lutheranorum, Calvinistarum &c. repugnant in multis Versioni *Vulgatæ*, quæ ab Universali Ecclesia, scilicet Romana, utpote cum qua omnes Ecclesiæ Christianæ particulares tanquam filiæ cum Matre communicabant, dum isti Novatores insurrexerunt, fuit recepta, usitata, & approbata: ergo.

Demonstratur 3. adducendo aliquos manifestos errores, quos continent Versiones Novatorum. Lutherus vertens illa verba Apostoli 1. Cor. 9. 5. *nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi*, adjecit de suo, *in uxorem*, vertens textum S. Pauli ad Rom. 3. *arbitramur enim justificari hominem per fidem*, apposuit de suo *solam*. Vertens verba *agite pœnitentiam* in Germanico sic exprimit; 26.

mit: **Beſſert euch.** Vertens c. 1. ep. 2. Petri in v. 10. hæc verba, *magis ſatagite, ut certam veſtram vocationem & electionem faciatis*, omittit *per bona opera*. Vertens verbum *tollit* peccata Jo. 1. reddit Germanicè **trägt**. Vertens verba Pſ. 132. *adorabimus ſcabellum pedum ejus*, aſſuit præpoſitionem **für** *coram* ſcabello, contra textum Hebraicum. Vertens verba Pauli Rom. 3. *per legem cognitio peccati* addit **nur** tantùm, quaſi Lex tantùm ſerviret ad hoc, ut in ea tanquam in ſpeculo cognoſcamus peccatum, non verò ſervanda ſit. Vertens verba, *eſto perfectus*. Gen. 17. in Germanico ſic ponit: **ſey fromb**. Beza & alij omittunt illum totum verſiculum Act. 15. v. 41. *præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum*. Kekermannus, quamvis & ipſe Sectarius l. 1. Syſt. Theol. Verſionem Tremelli longè præfert verſioni Lutheri, licèt in ſingulis ferè verſiculis diſſentiat à verſione Lutheri Veteris Teſtamenti. In verſione autem Novi Teſtamenti ab eodem Luthero facta ferè mille errores notantur, ut habet Bellarm. l. 2. de Verbo DEI c. 11. Et M. Lomer Præco Auguſtanus tribus abhinc annis publicò typò faſſus eſt, quòd Lutherus initiò ſua Biblia fecerit Germanica juxta Exemplar Hebræum corruptum. At dices, nec ipſis Lutheranis verſionem Lutheri eſſe *authenticam*, ſed ad fontes Hebraicos & Græcos eſſe examinandam, ut expreſsè docet Gerardus in Locis Theol. l. 1. n. 524. Vah miſerum effugium! Verſio Lutheri non eſt authentica, adeóque non infallibilis: Lutherani ferè nulli callent perfectè Hebraicam & Græcam linguam, ut corrigere poſſint verſionem Lutheri, & etiamſi ſcirent perfectè has linguas, tamen ſinguli deberent eſſe judices in textibus Scripturæ legitimè vertendis, homines fallibiles, mendaces, & ſuum Spiritum privatum ſequentes! Quid quod ipſe fontes Hebraici & Græci non ſint puri, cùm Autographa non exſtent? Quid facient miſeri? ubi purum DEI Verbum ſcriptum infallibiliter invenient, cui unicè inniti volunt, & in ſuis principijs debent? Unde ulteriùs

Dico 2. Neque ſufficienter probare poſſunt puritatem Scripturæ, etiam in lingua Hebraica, Græca (ex quibus ſe feciſſe ajunt verſiones in linguas vulgares) & Latina editæ. Demonſtratur ferè eodem modo, quo priorem aſſertionem probavimus. 1. quia deberent id probare ex Scriptura, & quidem certò incorrupta: atqui hoc evidenter non poſſunt, partim quia Hebraica, Græca, & Latina Scriptura nullibi dicit, ſe eſſe incorruptam quoad omnes libros, capita, & ſententias, partim quia etiamſi id diceret, infallibiliter tamen certi propterea non eſſent, an hoc ipſum aſſertum non eſſet per fraudem adjectum, & ſic eſſet maxima corruptio Scripturæ. Si confugiant iterum ad ineptum Spiritum internum, videantur rurſus diſputata p. 86. & 93. ſuperiùs. Demonſtratur 2. Ipſa Autographa, ſeu exemplaria à Moyſe, Prophetis, Apoſtolis, & Evangeliſtis manu propria exarata non habent Adverſarij: ergo tantùm transſumpta, & hæc variè verſa, item vel à Judæis, vel Hæreticis, vel certè Catholicis 27.

licis (ab his enim immediatè habent suam Scripturam, quam postea truncârunt, mutilârunt, verterunt, tractârunt, & vitiârunt pro libitu) descripta, & edita. Unde sciunt infallibiliter, istos tanto tempore, quo habuerunt & tractârunt Scripturam, eam non corrupisse vel ex malitia vel ex infirmitate? præsertim cùm in alijs rebus fidei non tantùm Judæos & Hæreticos, sed etiam Romano-Catholicos gravissimorum errorum reos agant.

Si dicant, ad DEI Providentiam spectâsse, ut Biblia conservet incorrupta tanquam fundamentum Fidei Christianæ, & ne omnino tollatur è Mundo omnis fides Divina; tunc deserunt sua principia, quia argumentum hoc non est ex Scriptura, & totam suam causam penitus jugulant. Si enim ad Providentiam DEI spectat, semper conservare Biblia incorrupta tunc Catholici, penes quos utique ipsis fatentibus aliquando fuerunt incorrupta Biblia, semper habuerunt incorrupta: ergo Adversariorum Biblia, ubi dissentiunt à Catholicis Biblijs, sunt adulterata & corrupta. Item si Biblia debent conservari pura, ne tota Fides Divina pereat de Mundo, multò magis Ecclesia debet conservari pura & incorrupta; id enim si fieret, periret fides omnis Divina de Mundo: ergo Ecclesia illa, quæ aliquando fuit vera, semper debet conservari vera & pura: atqui etiam juxta Adversarios Ecclesia Romano-Catholica aliquando saltem fuit vera & pura: ergo adhuc est.

28. Dico. 3 Editio *vulgata*, qua utuntur Catholici, est Authentica, hoc est, nullum continet errorem contra fidem, bonos mores, & originales textus S. Scripturæ. Probatur infallibiliter ex auctoritate veræ Ecclesiæ, quam DEUS necessariò debet reddere infallibilem in declarandis fidei articulis, & vel maximè in proponenda Scriptura sacra, supposito, quòd velit in Mundo conservare fidem veram & Divinam; & quidem non tantùm debet reddere infallibilem pro aliquo tantùm tempore, sed pro omni; quamprimum enim vera Ecclesia incideret in errorem, mox desineret omnis Ecclesia Christi, & omnis fides Divina cessaret. Proinde sicut Ecclesia Romano-Catholica antiqua, definiens res fidei, fuit infallibilis, ita & moderna debet esse infallibilis; quia hæc sola est vera Christi Ecclesia, ut ostenditur ex notis veræ Ecclesiæ proprijs in tractatu de Ecclesia. Id quod etiam Adversarijs innegabile est ex eo capite, quia Romano-Catholicam olim fuisse veram Christi Ecclesiam fatentur: veram autem Christi Ecclesiam nunquam posse errare clarum est, cùm aliàs cessaret omnis vera & Divina fides, quod DEUS permittere non potest: adeóque si aliquando fuit vera, adhuc est, sempérque erit vera & infallibilis. Quòd autem Romano-Catholica Ecclesia definierit, Versionem *Vulgatam* esse authenticam, probatur clarè ex Concil. Trident. sess. 4. ubi sic habetur: *Sacrosancta Synodus statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro Authenti-*

ea habeatur ; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.

29. Opponitur 1. Editio Vulgata in multis locis dissentit ab Hebræo & Græco: ergo non est Authentica. Confirmatur: Clemens VIII. in multis locis correxit lectionem Vulgatæ à Sixto-V. editam. Imò nec hodie Vulgata, jussu Clementis correcta, est purgatissima, ut fatetur ipsius Clementis præfatio Biblijs præfixa: ergo. R. D. A. dissentit ab Hebræo authentico & quoad sensum N. A. quoad litteras & characteres, & à non authentico. C.A. & N. C. S. Hieron. sæpe non respexit ad verba, sed ad sensum, ne translatio fieret torta nimis & obscura. Hebræa & Græca Biblia, quæ hodie exstant, non sunt Autographa, sed transsumpta, modo scribendi & diversis mendis variata, & vitiata, ut passim docent Auctores rerum istarum peritiores. Ad Confirmationem dico, Clementinam lectionem à Sixtina non differre formaliter & quoad sensum principaliter intentum à Spiritu S. sed solùm materialiter & quoad verba quædam, & expressionem majorem quoad Græcos & Hebraicos fontes. Dein fatentur etiam Adversarij, in uno textu posse reperiri plures sensus, vel eundem textum in uno sensu propter suam fæcunditatem posse habere plures accommodationes: si ita est, cur in varijs lectionibus non possit diversus sensus & accommodatio ejusdem cæteroquin sententiæ exprimi sine ullo præjudicio S. Scripturæ, cùm Spiritus S. intenderit hos sensus in verborum suorum fæcunditate? Quod spectat ad præfationem Biblijs præfixam, cujus hæc sunt verba: *accipe Christiane lector veterem & vulgatam S. Scripturæ editionem, quantâ fieri potuit diligentiâ castigatam, quam quidem sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus, quæ ad hunc usque diem prodierunt, emendatiorem puriorémque esse minimè dubitandum*; quæ satis indicant, ab Ecclesia non definiri, editionem vulgatam omnibus mendis, etiam accidentalibus, ita esse purgatam, ut emendari ampliùs nequeat; quod Ecclesiæ quoad puritatem doctrinæ non interest. Pariter neque Sixtus V. dixit, suam editionem esse puram ab omni errore accidentali, multò minùs eam emendatissimam esse definivit, cùm aliquoties repetat, editionem suam fuisse correctam, *quoad fieri potuit*: adeóque potuit adhuc emendatior proferri in lucem à Clemente. Adde, quòd Sixtina editio nunquam fuerit plenè promulgata, ut ostendit Tannerus to. 4. D. 1. q. 4. dub. 6. ergo nondum locutus erat Sixtus ex Cathedra. Quia tamen Clemens eandem Vulgatam declarat esse *authenticam*, saltem definivit eam esse puram ab omni errore substantiali, nempe contra fidem, bonos mores, & originarios textus; quod requirit puritas Ecclesiæ. Cæterùm Scriptura quatenus est in corde Ecclesiæ, nunquam indiguit correctione, neque indigebit, cùm Ecclesiam circa Verbum DEI errare repugnet, licèt quoad voces externas possit irrepere error.

30. Opponitur 2. Si vulgata, quæ hodie existit, authentica est declarata à Concil. Trid. tunc declaravit pro authentica editionem non existentem, quia tam Sixtina quàm Clementina editio primùm post Tridentinum facta est: atqui hoc est absurdum, & est baptizare infantem in utero matris: ergo. R. Concil. Trid. illam editionem declaravit esse authenticam, quæ jam olim *Vetus* & *Vulgata* dicebatur, & *longo sæculorum usu probata*, adeóque juxta sensum Ecclesiæ mediante vivo fidei verbo per Traditiones Apostolicas jugiter propagato. Approbavit igitur editionem existentem, quæ à Sixto V. & Clemente VIII. de novo postmodum edita est, nihil in ea quoad substantiam mutantibus, sed errores accidentales, quos vel præli vel describentium vitio, vel alia infirmitate humana irrepsisse deprehenderunt, corrigentibus.

31. Quæres, an & quibus apud Catholicos prohibita sit lectio S. Scripturæ? R. 1. Lectio Bibliorum ab Hæreticis editorum omnibus est prohibita tum propter periculum manifestum perversionis, tum in detestationem Auctorum. R. 2. Lectio Bibliorum Catholicorum in aliqua lingua Sacra, & non vulgari, editorum nemini est prohibita; quia qui callent has linguas, censentur habere tantam peritiam, ut ipsis lectio Scripturæ non sit noxia propter occurrentes in ea intelligenda difficultates. R. 3. Lectio Bibliorum Catholicorum in lingua vulgari aliquibus, non omnibus, est prohibita, ijs scilicet, qui *plus damni quàm utilitatis* ex hac lectione capere possent ob imprudentiam vel temeritatem suam: an autem periculum sit, judicare penes Episcopum est. R. 4. Hodie in Germania & alijs regionibus Septentrionalibus permissa est omnibus, etiam laicis & illiteratis, lectio Bibliorum Catholicorum in lingua vulgari, quia vel index librorum prohibitorum, quoad lectionem Scripturæ in lingua vulgari, in Germania nunquam usu receptus est, vel quia Romanus Pontifex, sciens praxim & morem legendi Biblia vernacula in his terris, dissimulat & sic tacitè consentit: quæ posterior ratio magis placet P. Adamo Burghaber Nobili Controversistæ.

§. IV.

Iidem in suis principijs non possunt sufficienter probare genuinum sensum Scripturæ S.

32. SCiendum 1. nequaquam satis esse ad aliquid probandum ex Scriptura S. si infallibiliter constet, an & quænam Scriptura sit sacra & incorrupta, sed vel maxime requiri, ut etiam infallibiliter constet de genuino sensu & interpretatione legitima Scripturæ. *Non putemus*, ait S. Hieron. in c. 1. ep. Gal. *in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu &c. interpretatione enim*

perversa de Evangelio Christi sit hominis Evangelium, aut, quod pejus est, diaboli. Si nimirum homo perversè interpretatur Scripturam, fit verbum hominis; si diabolus, fit verbum diaboli. Sic ista verba, *Pater major me est.* Jo. 14. prout intellecta ab Ario, sunt verba hominis hæretici, non DEI; & illa verba, *Angelis suis DEUS mandavit de te: & in manibus tollent te.* Ps. 70. in sensu, quem allegavit diabolus Mat. 4. volens, ut Christus se ageret præcipitem, fuerunt verba diaboli, non DEI. Unde siquis velit esse liberalis erga Sectarios, & gratis dare Existentiam, Canonem, Versionem legitimam, & Puritatem Scripturæ actextûs illius, quem pro se adducunt, adeóque omnem ipsorum partum non statim præfocare in utero, utì posset; petat ab ipsis, unde infallibiliter certi sint, se ritè intelligere Scripturam, & sensum textûs certò esse eundem, quem ipsi adstruunt? si enim hoc non possint infallibiliter docere (utì in suis principijs in æternum nunquam poterunt) in cassum laborant, frustra sunt, & nunquam elicere possunt actum fidei Divinæ, qui ex merito motivi infallibiliter cogniti debet esse certissimus ex prudenti imperio voluntatis, omnem formidinem de oppositio voluntariam excludentis.

33. Sc. 2. Sensum Scripturæ alium dici Verum, Accommodatitium alterum: *Verus* est, quem DEUS in Scripturis loquens intendit: *Accommodatitius*, quem homines præter DEI mentem ad res aliquo modo similes accommodant, v. g. quod Eccli. 44. v. 17. dicitur de Noë, nimirum, *inventus est justus*, id Ecclesia in Breviario accommodat omnibus Sanctis Confessoribus. Dixi *præter*, non *contra*, DEI mentem; si enim esset contra mentem DEI, sensus omnino esset falsus & erroneus: si verò est *præter* tantùm, sensus manet verus, licèt non sit ille, quem Spiritus S. directè & primariò intendit: sic à Patribus, Concionatoribus, & Interpretibus plurima accipiuntur in sensu accommodatitio ad informandos mores, v. g. quæ dicuntur in Canticis, in libris Regum, in Evangelio &c. accommodant ad animam hominis vel sanctam, vel peccatricem, vel pœnitentem &c,

Sc. 3. Sensum verum Scripturæ di- 34.
vidi in Litteralem & Mysticum. *Litteralis*, qui etiam Historicus dicitur, est, quem verba immediatè significant ex intentione Spiritûs S. sive dein verba sint propria sive metaphorica. *Mysticus*, qui etiam Spiritualis appellatur, est, qui aliò refertur quàm ad id, quod verba immediatè significant: sic, quæ ad litteram dicuntur de egressu Judæorum ex Ægypto, de transitu maris rubri, de Manna, de aqua, quæ fluxit ex petra &c. Mysticè seu spiritualiter referuntur ad Christianos, ad bona, quæ reperiuntur in Ecclesia Christi &c. Utrumque sensum, Litteralem & Mysticum, clarè docuit S. Paulus, dum Gal. 4. dixit: *Abraham duos habuit filios, unum de ancilla, alterum de libera*, en sensum Litteralem! postea pergit: *quæ sunt per allegoriam dicta; hæc enim sunt duo Testamenta*, Vetus & Novum, Servile & Liberum, *en*

sen-

sensum mysticum! Præter alia etiam hoc discrimen inter hos duos sensus reperitur, quòd sensus Litteralis detur in omni prorsus sententia, quin subinde plures sensus Litterales in eadem sententia: sensus verò Mysticus non inveniatur in omni prorsus sententia; quem enim sensum præter Litteralem erues ex illo Decalogi præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum*? Porro sensus Mysticus subdividitur in Allegoricum, Anagogicum, & Tropologicum, qui respondent tribus Virtutibus Theologicis, Fidei, Spei & Charitati; nam *Allegoricus* est, quando Verba Scripturæ mediante sensu Litterali referuntur ad res *credendas*, seu dogmata fidei: *Anagogicus*, quando referuntur ad res *sperandas*, præcipuè Cœlestem gloriam: *Tropologicus*, qui etiam *Moralis* appellatur, quando referuntur ad res *agendas*, seu mores ritè formandos, quod ad Charitatem spectat.

35. Sc. 4. Sensum Litteralem, præsertim quando inquiruntur dogmata fidei, præcipuè inquirendum & attendendum esse: quamquam subinde etiam sensum Mysticum indagare & attendere deceat, quin & oporteat, non tantùm ad informandos mores, sed etiam ad stabilienda fidei dogmata, scilicet tunc, quando vel ex Scriptura ipsa, vel ex Patrum & Ecclesiæ testimonio constat, sensum talem mysticum circa aliquod mysterium esse à Spiritu S. intentum. Imò ipsi Sectarij, licet alias semper clamitent, allegorias non parere firmas probationes, & Theologiam mysticam non esse argumentativam, sui immemores perpetuis ac ineptissime adductis allegorijs, ex Daniele & Apocalypsi petitis, probare nituntur, Romanum Pontificem esse Antichristum.

Sc. 5. Scripturam non solùm propter fœcunditatem suam pati varios sensus in plerisque textibus, sed etiam in *oppositos* sensus trahi solere, prout affectus vel Sectæ alicujus studium voluntatem inclinaverit, etiam circa primaria fidei Christianæ dogmata, ad salutem valde necessaria. Pro exemplo sint illa verba Mat. 26. quibus conficitur Sacramentum Eucharistiæ, *hoc est Corpus meum*, quæ licèt in speciem sint admodum clara, & clariora, quàm plerique alij textus Scripturæ; nihilominus illa alio modo accipiunt Lutherani, alio Calvinistæ cum Zwinglianis; his enim ista verba ita significant: *hic panis significat corpus meum*: Illis verò: *in & cum hoc pane erit corpus meum*, scilicet in sumptione actuali. Quamquam Lutherani inter se non conveniant, sed jam pridem aliqui ultra ducentas dictorum verborum varias interpretationes excogitârint ad evitandam Transsubstantiationem. Catholici econtra accipiunt verba, prout jacent, in sensu proprio, & docent, Corpus Christi verè & realiter esse præsens sub speciebus panis, quamprimum hæc verba à Sacerdote legitimè pronuntiantur. Tres istæ interpretationes adeò inter se pugnant, ut omnes à Spiritu S. esse manifestè repugnet. Quæstio igitur est, quinam habeant genuinum sensum horum verborum? item unde infallibiliter probare possint, se potiùs, quàm alios, accipere hæc verba juxta mentem Christi? 36.

sti? nisi enim *infallibiliter* constet de genuino sensu, nulla fides Divina, & ex motivo suo certissima ac firmissima, circa Mysterium Evchariſtiæ elici potest, cujus tamen fides juxta Adversarios etiam vel maximè necessaria est ad salutem.

37. Sc. 6. Lutheranos, Calvinistas &c. ne debeant agnoscere Romanum Pontificem & Ecclesiæ interpretationem, cujus jugum rebelli spiritu excusserunt, duo manifesta absurda & falsa admittere. 1. Solam Scripturam esse adæquatam normam omnium credendorum, atque judicem omnium controversiarum fidei, etiam quando lis est de ipsius Scripturæ sensu. 2. Eam esse claram & perspicuam, saltem ijs, qui sunt pij & fideles, ac attentè, devotè, & sine pravis affectibus eam legunt, item in ijs saltem rebus, quæ sunt ad salutem necessaria creditu; si tamen circa hujusmodi etiam dogmata alicubi fortè obscura sit, alibi seie ipsam rursus clarissimè explicare. Ita Protoparentis sui Lutheri universale nimis pronuntiatum, asserentis, *nullam Scriptura partem volo obscuram dici*, limitant Brentius & Jo. Gerardus Lutherani, Molinœus & Amesius Calvinistæ; clarè enim viderunt, in Scriptura plurimos occurrere textus obscuros, & intellectu difficiles, præsertim in Prophetis v. g. Ezech. de visione 4. animalium, Daniel. de 7. hebdomadibus, Isa: &c. Item in Psalmis, Apocalypsi, Epistolis S. Pauli &c. quis enim clarum & intellectu facilem dicat hunc textum S. Pauli 1. Cor. 15. v. 29. *quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui omnino non resurgunt? ut quid baptizantur pro illis?* An unus potest baptizari pro altero, & quidem pro mortuo? an baptismus aliquis est salutaris Defunctis? Nonne subinde textus ipsi videntur inter se pugnare, v. g. dum David Ps. 1. v. 5. dicit: non *resurgent impij in Judicio.* & Paulus loc. cit. v. 51. *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*? Nunquid ipsa Scriptura, nimirum Ep. 2. S. Petri c. ult. v. 16. apertè fatetur, aliquam Scripturæ partem esse intellectu difficilem, dum de Epistolis S. Pauli, quibus tamen plurimùm tribuunt Adversarij, sic ait: *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*? Certum igitur & innegabile est, Scripturam in aliquibus saltem locis obscuram & intellectu dificilem esse. Jam contra limitationes Adversariorum

Dico 1. Scriptura neque pijs, fide- 38.
libus, prædestinatis, reverenter, attentè, & sine pravo affectu legentibus clara ubique & perspicua est. Prob. 1. S. David, Apostoli, SS. Patres, Hieron. August. &c. utique fuerunt homines pij, fideles, prædestinati, attentè, devotè, & sine pravo affectu Scripturam tractantes: atqui etiam isti experti sunt difficultatem in intelligendis Scripturis, consequenter ipsis non ubique Scriptura fuit clara & perspicua: ergo. m. P. David sæpe petijt lumen à DEO, ut intelligeret Scripturas, dicens Psal. 118. *revela oculos meos, & considerabo mirabilia de Lege tua. Da mihi intellectum, ut discam mandata*

tua.

tua, Apostolis teste D. Luca c. 24. v. 45. Christus *aperuit sensum : ut intelligerent Scripturas*. SS. Patres summo cum labore conati sunt assequi Scripturæ arcana, & in suis commentarijs populo explicare, atque S. Augustinus insuper ep. 119. c. 21. fassus est, se in Scripturis longè plura nescire, quàm sciat. Et quæso, cur Sectarij tot scripserunt commentarios in S. Scripturam, si hæc omnibus pijs, fidelibus, ritè legentibus &c. per se clara & perspicua sit? illi enim, qui tales non sunt, nunquam intelligent, nec ipsis proderit legere Scripturam; ad legendos autem commentarios, verba hominum, quis adstringet? multò magis in Adversariorum principijs quis obligabit ad credendum his interpretationibus? Prob. 2. Incertum est, quinam ex ijs, qui Scripturam legunt & diversimode interpretantur, sint veri fideles, prædestinati, quinam sint magis probi, docti, magis reverenter & attentè legentes &c. ergo etiam incertum est, quinam ritè intelligant: ergo cùm plures dicunt, sibi Scripturam esse claram, v.g. Lutheram, & Calvinistæ, licèt eam diversimode intelligant, imprimis falsum dicunt, quia Scriptura non potest clarè oppositа docere, deinde singuli reliquos omnes sine sufficienti ratione damnant impietatis, imperitiæ, negligentiæ, infidelitatis, imò & (quod prorsus stultum est, & temerarium) reprobationis, cùm reprobatio penitus lateat.

59. Dico 2. Neque in ijs omnibus, quæ sunt necessaria ad salutem, clara est Scriptura pijs, & devotè &c. legentibus. Prob. 1. Prorsus incertum, & in Scriptura nullibi clarè expressum est, quænam determinatè scitu & factu necessaria sint ad salutem; assignent Adversarij ea, & locum Scripturæ, si sciant: ergo nec in rebus necessarijs ad salutem clara est, cùm clarum non sit, quænam sint illæ res necessariæ. Prob. 2. adducendo ex plurimis duo tantùm exempla, unum ad fidem, alterum ad mores pertinens. Utique tanquam articulum necessariò credendum confitentur, Spiritum S. esse verum DEUM, tertiam in Trinitate Personam, à Patre Filióque procedentem; item parvulos rectè, utiliter, & (juxta multos) necessariò baptizari, quamvis Eucharistiæ non necessariò ipsis danda sit. Haud dubiè. Jam probent hæc ex claris Scripturæ verbis; ubi legunt, Spiritum S. esse verum DEUM, & Personam realiter distinctam à Patre & Filio, atque ab utroque procedere? Certè SS. Patres, qui utique fuerunt probi, & diligenter scrutati sunt Scripturas, ex his non potuerunt convincere erroris Macedonianos & Græcos, sed ex Verbo DEI non Scripto & auctoritate Ecclesiæ. Rursus probent contra Anabaptistas claro textu, parvulos esse baptizandos, non verò præbendam ipsis Eucharistiam, cùm Scriptura eodem modo videatur loqui de Baptismo & Eucharistia, dicens: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI.* Jo. 3. v. 5. Et: *nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Jo. 6. v. 54. Imò Scriptura insinuare videtur, parvulos non esse baptizandos, dum ante baptismum requirit fidem actualem,

cujus infantes non sunt capaces; dicit enim: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: infantes autem credere nequeunt.

40. Dico 3. Neque se ipsam clarè explicat alibi Scriptura, si alicubi loquitur obscurè circa res ad salutem necessarias. Prob. 1. In nullo loco clarè explicat, Spiritum S. esse Personam Divinam realiter à Patre & Filio distinctam, & ab utroque procedentem, parvulos bene utiliter & necessariò baptizari, & alia complura, quæ etiam juxta Adversarios sunt necessariò vel credenda vel facienda. Imò subinde textus aliquis, qui videtur esse satis clarus per se, accedente alio fit obscurior & difficilior: sic iste textus: *ego & Pater unum sumus*, multùm obscuratur per alium textum, quo idem Christus dicit: *Pater major me est*. Prob. 2. Ut unus textus explicetur per alterum, debet priùs constare certò clarè & infallibiliter, quisnam ex duobus sit clarior, & uter explicandus per alterum, an textus A. per textum B. vel vicissim textus B. per textum A. Sed de his ex Scriptura certò clarè & infallibiliter non constat, v. g. an iste textus, *Pater major me est*, explicandus sit per alterum, *ego & Pater unum sumus*. Item quisnam ex his duobus textibus: *arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus*. Rom. 3. v. 28. Et: *Factores Legis justificabuntur*. Rom. 2. v. 13. explicandus est per alterum, vel potiùs ad alterum?

41. Dico 4. Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, & cæteri Apostatæ omnes non possunt in suis principijs sufficienter probare genuinum sensum Scripturæ S. seu quòd habeant verum sensum Scripturæ S. Demonstratur 1. si possent, id possent vel ex Scriptura ipsa, vel ex Spiritûs interni, & conscientiæ propriæ sensu: ex neutro capite possunt: ergo. M. est Adversariorum, qui contendunt, vel solam Scripturam (seu DEUM præcisè in Scriptura loquentem) vel unà cum Spiritu interno, seu conscientiæ propriæ sensu, esse judicem controversiarum, unicam credendorum normam, & optimam interpretem sensûs Scripturæ. m. quoad primum membrum probatur evidenter 1. Scriptura in multis locis, etiam circa res ad salutem necessarias, est obscura: ergo ex ipsa sola non potest sufficienter probari genuinus Scripturæ sensus. Etiamsi centies interrogaveris Scripturam, semper eadem tibi verba obscura & ambiguæ interpretationis dabit, neque clarè suum tibi sensum aperiet, réque infallibiliter certum reddet. Dicite, quæso, unde certi sitis, quòd hæc verba Christi, Evcharistiam instituentis, *accipite & comedite: bibite ex hoc omnes*. Mat. 26. contineant præceptum: nullum verò præceptum contineant ista Jo. 13. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*? cùm tamen verbum *debetis* ex sua institutione longè expressiùs significet præceptum, quàm verba *comedite, bibite*, quæ ex se abstrahunt, an sint invitantis, vel rogantis, vel suadentis, vel præcipientis. Ex Scriptura itaque sola non potest certò cognosci, an non necessarium sit lavare pedes ante Evcharistiæ sumptionem &c. Prob. 2. Ineptum & in nulla Republica usitatum est

Legum

Legum Codicem constituere Judicem, præsertim quando lis est de ipso Codice ritè intelligendo : sed in Republica Ecclesiastica Scriptura S. est legum Divinarum & fidei Dogmatum Codex: ergo non potest simul constitui Judex, præsertim quando lis est de ipso sensu Scripturæ, Legum, & Dogmatum Divinorum.

Alterum membrum, quòd nempe nec Spiritus internus unà cum Scriptura sufficiens sit ad infallibiliter cognoscendum genuinum Scripturæ sensum, pariter probatur evidenter 1. Spiritus internus Adversariorum est spiritus privatus, seu privatorum hominum : atqui omnis spiritus privatus, seu privatum judicium, potest falli & fallere ; præsertim cùm ipsi dicant, etiam spiritum publicum seu judicium totius Ecclesiæ posse errare : ergo. 2. Spiritus internus privatorum hominum non est Divinus, cùm id ex nullo capite infallibiliter probari possit, imò oppositum constet, quia diversis dictat diversa & contradictoria : ergo est humanus : atqui omnis spiritus humanus, sicut omnis homo, est mendax, fallibilis, & errori obnoxius, ut ipsimet semper clamitant : ergo. 3. æquè incertum ac dubium est, an ille spiritus & testimonium internum sit à DEO interiùs docente, quàm incertum ac dubium est, an hic vel ille sit sensus Scripturæ à DEO intentus : ergo exisio interno spiritu nihil certi potest innotescere. 4. Iste spiritus internus non est aptus ad componendam controversiam de sensu Scripturæ : ergo non potest esse legitimus judex. A. P. quilibet ex Partibus litigantibus æquali jure dicere potest, se experiri in se testimonium Spiritûs S. sicut v. g. Lutherani dicunt, Spiritum S. interiùs sibi dictare, quòd per verba ista, *hoc est Corpus meum*, significetur realis præsentia Corporis Christi unà cum pane in Eucharistia, ita Calvinistæ & Zwingliani possunt dicere, Spiritum S. interiùs sibi dictare, quòd non significetur realis præsentia, sed solùm figurata, & in signo. Catholici verò possunt dicere eodem jure, Spiritum S. interiùs sibi dictare, quòd significetur realis præsentia sine panis substantia &c. Quomodo igitur Lutherani, vel Calvinistæ, convincent suos Adversarios aliter sentientes? Si dicant, se indè convincere, quia ipsi sunt verè fideles, quos Spiritus S. docet ; cur idem non possint dicere cæteri ? deinde redit quæstio, unde probent, se esse verè fideles ? quippe nemo verè fidelis est, nisi qui ritè intelligit Scripturam : de hoc autem est quæstio : ergo dicendo, se esse verè fideles, dant pro responsione, quod vel maximè est in quæstione. Si dicant, se indè convincere cæteros, quia ipsi sunt prædestinati, non autem cæteri, tunc afferunt aliquid pro argumento, quod in hac vita est prorsus absconditum, & quod cæteri omnes æquali jure possunt dicere, asserendo, se interiùs experiri Spiritum S. sibi revelantem, quòd sint prædestinati. Si replicent, se diligenter priùs orâsse DEUM, qui non est tam crudelis, ut neget *Spiritum bonum petentibus se*, item se attentè & nullô judiciô fascinatos &c. legisse Scripturam : sed quomodo probant hoc?

hoc? an non id ipsum possunt dicere omnes reliqui? Adde, quòd spiritus internus non possit percipi ab utraque Parte litigante, sed tantùm ab una, quæ illum experitur; & quòd nulla prorsus polleat auctoritate in Partes litigantes, cùm privatus in privatum non habeat potestatem: quomodo ergo poterit esse judex legitimus de sensu Scripturæ? Prob. denique 5. In nulla Republica Civili ritè constituta unquam permissa est privatis hominibus interpretatio legum humanarum & compositio litium: ergo multò minùs in Republica Ecclesiastica debet permitti judicio privatorum hominum interpretatio legum Divinarum, & compositio controversiarum, quæ de ijs oriuntur. Quæso quid fieret, si furibus daretur potestas interpretandi leges Cæsareas? Certè simplex foret, qui non benigna interpretatione collum suum eximeret laqueo.

42. Demonstratur 2. à posteriori. Adversarij jam sæpius apertè errarunt in intelligendis Scripturis: ergo possunt adhuc errare: ergo nunquam sunt infallibiliter certi de genuino scripturarum sensu. A. P. ab inductione: Lutherus to. 2. Jen. f. 440. dicit, sensum horum verborum, *fac hoc*, esse, *crede hoc*, &c to. 43. Witt. f. 143. in Ps. 5. hanc interpretandi regulam ponit: *ubi Scriptura mandat, ut fiant bona opera, sic intelligas, quod prohibeat, ne facias opera bona, cùm non sit in tua potestate opera bona facere.* Calvinus, uti & Adversarij passim, etiam ex Lutheranis, dicunt, illa verba Christi Mat. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, non seriò, sed ironicè esse dicta, adeóque in oppositio sensu intelligenda. Taceo alias manifestè ineptas & falsas interpretationes, cùm ex his jam satis pateat, quòd meritò suspectæ sint Novatorum glossæ, & nullatenus infallibilem certitudinem de genuino Scripturæ sensu pariant, aut parere possint.

Confirmatur. Notum ubique & certum est, quod Zwinglius, inter primos Lutheri Sectatores non ultimus, mox autem ex discipulo novus Magister, in multis Luthero contrarius, de se ipso narrat in libello, quem inscripsit, *subsidium de Eucharistia.* Cùm enim in sua opinione circa Eucharistiam ad Sacramentarios accederet, & à Scriba quodam Tigurensi adhuc Catholico multùm & molestè impugnaretur, dicit, sibi in somno visum esse monitorem, is tamen *ater fuerit, an albus* (verba ipsius sunt) se non meminisse. Zwingliani quidem absolutè pronunciant, hunc suggestorem fuisse album, seu bonum Angelum, alij tamen meliore jure censent fuisse nigrum, seu malum dæmonem. Id evidens est ex relatione ipsius Zwinglij, quòd ipsémet dubitaverit; consequenter hæserit dubius, an sua doctrina de Eucharistia sibi à bono vel malo genio inspirata sit. Si Zwinglius dubitavit, à quo Spiritu doctrinam suam acceperit, etiam Zwingliani, qui eam à Zwinglio hauserunt, dubitare necesse est, & consequenter an illorum verborum, *est enim Phase (hoc est transitus) Domini.* Exod 12. v. 11. interpretatio sit legitima, ex quibus Zwinglius probat

bat suggerente illo Spiritu, in verbis consecrationis Eucharistiæ, *hoc est Corpus meum*, tò *est* sumi pro *significat*, sicut in allegato textu, *est enim phase Domini*, tò *est* sumitur pro *significat*. Quomodo igitur Zwingliani poterunt infallibiliter certos se dicere de genuino Scripturæ sensu circa Eucharistiam, ferè præcipuum suum dogma, in quo ab alijs dissentiunt?

43. Ob. 1. Scriptura S. dicitur Lux, Lumen, Lucerna. v. g. Psal. 118. *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*: ergo est clara & dilucida. R. D. A. Scriptura ritè declarata & intellecta est lucerna, lumen &c. C. A. antequam ritè declaretur & intelligatur. N. A. & C. Est igitur quidem lux, quæ illuminat, non tamen nisi ponatur in candelabro Ecclesiæ, eam legitima auctoritate declarantis: id quod ipse David ps. cit. v. 130. insinuavit dicens: *declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Res ferè se habet eodem modo, quo Logica dici potest obscura & clara: obscura est, antequam illius Regulæ à perito magistro declarentur, & capiantur à discipulo: clara autem, ita ut recte appelletur fax aliarum scientiarum, postquam ritè explicata & intellecta est. Sic Scriptura ritè declarata & intellecta illuminat, docet, & dirigit optimè nos & nostras actiones, quamvis, antequam declaretur, in multis obscura sit.

44. Vrgebis. S. Paulus 2. Cor. 4. ait: *quòd si etiam opertum est Evangelium; in ijs, qui pereunt, est opertum: in quibus DEUS hujus sæculi excæcavit mentes infidelium &c.* Ergo Scriptura non omnibus, sed solùm reprobis & infidelibus obscura est. 2. Scriptura in Veteri Testamento erat quidem liber *signatus*, in Novo autem est liber *apertus*, quia *Agnus occisus aperuit librum.* Apoc. 5. ergo post Adventum Messiæ Scriptura est aperta & clara. R. ad 1. C. textum. N. C. ratio negandi est 1. quia Paulus non loquitur determinatè de Evangelio scripto, sed potiùs de *prædicato* oretenus; subjungit enim: *non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum*: cur igitur ad Evangelium scriptum, imò ad totam Scripturam, detorquent Adversarij verba Pauli? 2. quia Paulus ibi non loquitur de omnibus Mysterijs necessariò credendis, sed solùm de Christo & Passione ejus; præter quos articulos utique etiam alij sunt necessarij ad salutem, uti de Spiritu S. de Eucharistia &c. in quibus Scripturam etiam Fidelibus & Prædestinatis obscuram esse satis monstravimus suprà. Adde, quòd Evangelium totum, & ab omnibus Evangelistis, tunc nondum fuerit conscriptum, quando Paulus hæc scripsit. 3. quia Paulus loquitur de ijs, qui malitiosè non audiunt Evangelium, ac proprijs peccatis & à diabolo excæcati aures suas & oculos occludunt, ne videant veritatem, quales erant quidam ex ijs, quibus prædicabat Paulus: cæteris autem inidelibus, qui applicabant animum, non magis opertum erat Evangelium, quàm Fidelibus. Ratio autem à priori, quòd Scriptura sit in multis locis obscura, potest esse tum mysteriorum, quæ in Scripturis com-

prehenduntur, sublimitas, tum stylus & modus, quo proponuntur ; cùm multa occurrant verba ambigua, phrases Hebræis & Græcis propriæ, figuratæ orationes, nimirum tropi, allegoriæ, hyperbata &c. Ad 2. Scriptura in Novo Testamento ideo dicitur liber apertus, quia nunc aperta & impleta sunt mysteria ac figuræ Veteris Testamenti, non quòd omnis obscuritas sit adempta Scripturæ, ut vel ex allegatis textibus, quibus Adversarij Scripturæ claritatem probare nituntur, satis etiam colligitur. Minimè enim clarum est, quid S. Joannes intelligat per librum signatum & apertum, & Paulus per Evangelium &c. An totum, an partem, an scriptum, vel verbo prædicatum, an solum Evangelium, vel etiam epistolas & alias Scripturæ partes &c.

45. Ob. 2. Si Scriptura esset obscura, videretur DEUS studiò voluisse decipere homines, cùm talem modum loquendi adhiberet, quem sciebat ab eis non facilè intelligi posse : sed hoc vel cogitare impium, & eloqui blasphemum est : ergo. R. 1. retorq. argum. in illis Scripturæ partibus, quas ipsimet Adversarij non negant obscuras esse & difficiles intellectu, uti sunt Prophetiæ, Psalmi, Apocalypsis &c. Item in Veteri Testamento, quod fuit solùm Umbra respectu Novi ; atque in parabolis Evangelicis, quarum explicatio & sensus non ubique est obvius. An DEUS & Christus in his voluerunt nos studiò decipere? R. 2. DEO & Christo utique fuit liberum nobis hoc vel alio modo, magis vel minùs clarè, loqui in Scripturis ; præsertim cùm in ipsa Scriptura sufficienter nobis indicaverit modum & viam ritè intelligendi Scripturam, jubendo nos audire Ecclesiam & Ecclesiæ Prælatos : *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirent.* Malach. 2. *qui vos audit, me audit.* Luc. 10. *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Mat. 18.

Dices. Nulla est ratio, cur Deus ob- 46.
scurè potiùs quàm clarè nobis loquatur in Scripturis : ergo. R. N. A. Præcipua ratio nobis esse debet ipsius adoranda voluntas & sanctissimum beneplacitum. Dein etiam sequentes non malè assignantur. 1. ut in Ecclesia servetur ordo inter Doctores & Discipulos, inter Presbyteros & Laicos, juxta illud Pauli : *nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* Viderint Adversarij, an hoc Pauli monitum sequantur, cùm apud ipsos quilibet caupo, sutor, & sartor, imò & mulierculæ garriant multa de Scripturis, & suam sententiam in controversijs fidei interponere non erubescant, arrogantes sibi protervè donum interpretandi, & suum sensum præferentes suis præconibus & integris Ministerijs. Quod quidem ipsis permittere debent Prædicantes, si suis principijs velint insistere, sed tamen simul cultrum præbent ad sese jugulandos. Quid enim opus est Doctoribus, Magistris, Pastoribus, Præconibus, Specialibus, Superintendentibus, & integro Ministerio, ut vocant, Ecclesiastico, si quilibet docere se ipsum, & interpretari Scripturas possit, nec suam mentem suis Pastoribus conformare teneatur ? Quid tantis sumptibus aluntur tot Præcones cum appendicibus suis?

ARTI-

ARTICULUS II.

De Verbo DEI non Scripto.

SUMMARIUM.

1. *Verbum DEI non ſcriptum ſunt Traditiones Divinæ & Apoſtolicæ.*
2. *Divinæ proveniunt à DEO & Chriſto : Apoſtolicæ ab Apoſtolis primitus : Eccleſiaſticæ ſunt conſuetudines & ritus ab Eccleſia introducti.*
3. *Aliæ Traditiones ratione materiæ ſunt Doctrinales, aliæ autem Morales.*
4. *Unde dignoſci poſſit, an aliqua Traditio ſit Divina, Apoſtolica, aut Eccleſiaſtica, Doctrinalis vel Moralis.*
5. *Divinæ & Apoſtolicæ, ſi exſtent, ſunt ejuſdem auctoritatis, cujus ſunt ſacræ Litteræ.*
6. *Exſtare tales, & neceſſariò admittendas eſſe, oſtenditur.*
7. *Et ipſi Adverſarij re ipſa admittunt multas, tam circa res credendas,*
8. *Quàm faciendas.*
9. *In Lege Naturæ tota Fides, & in Lege Scripta ſaltem ex parte nitebatur Verbo DEI non ſcripto ſeu Traditionibus.*
10. *Ipſa Scriptura utriuſque Teſtamenti commendat Traditiones.*
11. *Eandem ſupponunt & docent generalia Concilia.*
12. *Ac adſtruunt Patres Græci & Latini.*
13. *Ut tamen Traditio ſit certa credendorum vel faciendorum regula, debet de ea certò ac infallibiliter conſtare, quod ſit Divina &c. aliunde autem id infallibiliter conſtare nequit, niſi ex Auctoritate Eccleſiæ.*
14. *Unde falſum eſt, nihil eſſe credendum aut faciendum ſub obligatione, niſi explicitè & particulatim in Scripturis expreſſum vel præceptum ſit.*
15. *Aut niſi ex Scriptura per claram, neceſſariam, aut pronam conſequentiam deductum.*
16. *Cur Adverſarij tantopere oderint Traditiones ſeu Verbum DEI non ſcriptum.*
17. *Per Eccleſiam nobis clariùs loquitur DEUS quàm per Scripturam.*
18. 19. *Catholici facillimè, optimè, & infallibiliter probant Exiſtentiam, Canonem, Verſionem, Puritatem, & Senſum Scripturæ S. ex Verbo DEI non ſcripto, ſive ex Traditione, vel declaratione Eccleſiæ.*
20. *Nam Traditiones non ſunt verbum hominum, niſi inſtrumentaliter tantùm, ſicut ipſæ Scripturæ.*
21. *Scriptura S. etſi non ſit adæquata regula omnium credendorum, pro-*

propterea tamen non est manca & imperfecta.

22. *Injuria fit Catholicis, dum eos vilipendere & contemnere Scripturam mentiuntur Prædicantes.*

23. *Ad Providentiam DEI spectat, ut Traditiones serventur incorruptæ, sicut ad eandem spectat incorruptas servari SS. Litteras.*

24. *Scriptura non rejicit Traditiones veras, sed solùm spurias, merè humanas, & repugnantes mandatis DEI.*

25. *Nec eas rejiciunt Patres.*

26. *Ecclesia docendo nos de Scriptura & genuino ejus sensu non tribuit auctoritatem SS. Litteris, neque se extollit supra Scripturam, sed supra judicia hominum privatorum auctoritatem à DEO ipsi datam exercet.*

27. *Malè, imprudenter, & cum ingenti suo & suorum præjudicio aliqui ex Protestantibus admittunt aliquas Traditiones rejectis cæteris, quas eadem Ecclesia custodit & proponit.*

28. *Ratiocinium irrefragabile, & Adversarijs gulam frangens, deducitur ex disputatis.*

§. I.

Necessariò admitti debet Verbum DEI non Scriptum seu Traditum.

1. SCiendum 1. per Verbum DEI non scriptum ordinariè intelligi Traditiones Divinas & Apostolicas, quas Ecclesia custodit & fidelibus proponit. Quamquam sensus & vox Ecclesiæ, declarantis ac definientis aliquem fidei articulum, in Scripturis non clarè contentum, etiam rectè vocetur Verbum DEI non scriptum, vel Traditio Ecclesiæ. Appellatur hoc DEI Verbum *Traditio* ideo, quia non per Scripturam, sed quasi per manus ab uno *traditur* alteri, & de aure in aurem transit per continuam narrationem, aut famam communem: Verbum DEI scriptum in charta, non scriptum verò in cordibus fidelium asservatur. Cæterùm ad Traditionem seu Verbum DEI non scriptum non requiritur, ut sit doctrina nullibi scripta, etiam in Concilijs, Patrum monumentis, Historijs, & alijs libris Ecclesiasticis, in quibus utique pleræque traditiones consignatæ reperiuntur; sed hoc tantùm requiritur, ut non sit scripta in aliquo libro *Canonico* S. Scripturæ.

2. Sc. 2. Traditiones ab *Auctore* alias dici Divinas, alias Apostolicas, & alias Ecclesiasticas. *Divinæ* sunt, quæ ab ipso DEO vel Christo proveniunt, quales sunt, quas habemus de materia & forma Sacramentorum, quæ in SS. Litteris non sunt clarè expressæ, institui autem à nemine nisi à solo DEO aut Christo potuerunt. *Apostolicæ* sunt, quæ proveniunt ab Apostolis, non tamen sine assistentia Spiritûs S. eos dirigentis, nobis aliqua relinquentibus non scripta; veluti ab eodem Spiritu S. directi reliquerunt

querunt nobis Scripturas Sacras à se exaratas, item jejunium Quadragesimale, jejunium quatuor temporum &c. Hæ Traditiones Divinæ & Apostolicæ non rarò confunduntur, & sunt ejusdem auctoritatis infallibilis; sicut ipsa Scriptura S. subinde vocatur Divina; & subinde Apostoljca. Præterea tam Divinæ quàm Apostolicæ Traditiones nonnunquam appellantur Traditiones Ecclesiæ, non quòd ab Ecclesia ortæ sint, sed quòd ab Ecclesia conserventur, & nobis infallibili auctoritate proponantur. Præsè enim *Ecclesiastica* Traditiones Morales, seu Traditiones Ecclesiæ, nihil aliud sunt, quàm consuetudines quædam & ritus antiqui ab Ecclesia introducti, scilicet vel à Prælatis, vel à populo consentientibus Prælatis, vel ab utrisque simul, & paulatim tacito eorum consensu vim Legis obtinuerunt; quales sunt jejunium Sabbathinum, recitatio Breviarij &c. Has Traditiones Ecclesiasticas, inter quas numerat omnia Ecclesiæ præcepta, identidem arrodit Augustana Confessio, atque vocitat præcepta, traditiones, & observationes *Humanas*, easque culpat tanquam Libertati Evangelicæ contrarias. Easdem quoque omnes Lutherani & Calvinistæ aversantur, utique quia carni inimicas. Verùm de his non est hic differendi locus, sed de illis tantùm, quæ ad fidem pertinent tanquam revelatio Divina, docens, quæ credenda, vel facienda sint ex revelatione vel præcepto Divino aut Apostolico, aut etiam ex definitione Ecclesiæ; quia & hujusmodi definitiones rectè vocantur Verbum DEI non-scriptum.

Sc. 3. Traditiones à *Materia* ulteriùs dividi in Doctrinales & Morales. *Doctrinales* vocantur, quæ ad fidem, & dogmata credenda spectant v. g. quòd sint quatuor Evangelia, quòd B. Virgo MARIA etiam post partum permanserit Virgo &c. *Morales*, quæ ad mores pertinent, & ad actiones faciendas v. g. quòd signum Crucis formandum sit in fronte, quòd certis diebus jejunia & quædam festa sint celebranda &c. 3.

Sc. 4. Ut constet, an aliqua Traditio sit Divina, vel Apostolica, vel Ecclesiastica, aut Doctrinalis vel Moralis, sequentes regulas esse observandas. 1. Quando Ecclesia Universa aliquid recipit ut *dogma fidei*, creditque ab Apostolis ad nos usque pervenisse, censeri debet Traditio Divina vel Apostolica Doctrinalis. Ratio est, quia illud, quod totius Ecclesiæ, quæ in rebus fidei errare non potest (ut alibi ostenditur) sensus & judicium satis docet, aut credit fide Divina, utique à DEO profectum, & vel per Prophetas vel per Apostolos nobis est revelatum; cùm nihil possit credi fide Divina, quod non est Divinitus revelatum: talis traditio est esse septem Sacramenta. 2. Quando Ecclesia aliquid *facit & observat*, quod nemo constituere potuit, nisi solus Deus aut Christus, censeri debet Traditio Divina Moralis per Apostolos delata ad nos; talis est praxis baptizandi parvulos. 3. Quando Ecclesia aliquid *facit & observat* ab omnibus retro temporibus, ita ut initium talis praxeos non 4.

non sciatur, licèt absolutè instituì potuisset ab Ecclesia, tamen censenda est Traditio Apostolica Moralis; talis est jejunium Quadragesimale. 4. Quando constat, aliquid primùm post tempora Apostolorum vel à Concilijs, vel à Prælatis, vel his consentientibus à populo esse introductum, est traditio Ecclesiastica; quæ potest esse duplex, *Necessaria*, quæ scilicet traditur per modum præcepti obligantis, utì certa festa, celebratio Paschæ die Dominico post decimam quartam Lunam Martij; & *Libera*, quæ traditur per modum consilij sine ulla obligatione, utì est aspersio aquæ lustralis &c. Ex quibus patet calumnia, quam quidam tum Lutherani tum Calvinistæ Catholicis impingunt, dum dicunt, apud nos non esse ceremoniolam, quam non habeamus pro *Traditione Apostolica*, alij econtra asserunt, nos niti unicè Traditionibus *merè humanis*: siquidem nec Divinæ, nec Apostolicæ, nec Ecclesiasticæ Traditiones sunt *merè Humanæ*, sed majoris auctoritatis, utpote profectæ vel à DEO, vel ab Apostolis immediatè, vel ab Ecclesia infallibiliter directa à Spiritu S.

5. Sc. 5. Supposito, quòd Traditiones Divinæ & Apostolicæ dentur, non posse vel ab Adversarijs prudenter negari, eas esse ejusdem auctoritatis, cujus sunt SS. Litteræ, adeóque fundare assensum fidei firmissimum, ac esse regulam credendorum non minùs, ac illas. Ratio est clara; quia Verbum DEI manet Verbum DEI, sive scriptum sit, sive traditum, sive quocunque alio modo nobis intimatum, quod ipsi est per accidens; utique enim non minùs infallibile fuit testimonium DEI, dum in monte Thabor sensibili voce testatus est Divinitatem Christi, quàm dum Moysi Legem dedit lapideis incisam tabulis. Quæstio igitur in eo versatur, an defacto præter DEI Verbum scriptum etiam detur aliud non scriptum, atque de eo ita constet, ut prudenter dubitari nequeat, quin sit Verbum DEI, & mereatur assensum firmissimum non minùs, ac S. Scriptura. Lutherani, Calvinistæ &c. negant cum Eutyche, Nestorio, Eunomianis, Pelagianis, Manichæis, Donatistis &c. antiquis Hæreticis, qui teste Basilio M. & Basilio Ancyrano, Augustino, & alijs Patribus solam Scripturam admittere volebant pro regula credendorum, rejectis Traditionibus. Nos Catholici affirmavimus semper, & adhuc affirmamus, asserentes, hos Hæreticos similes fuisse illis, qui uno pede conarentur ambulare, vel unâ alâ volare per aëra. Quod ut demonstrem,

6. Dico 1. Necessariò admittendum est Verbum DEI non scriptum, seu Traditio, eandem habens auctoritatem cum Verbo DEI scripto. Probatur ad hominem evidenter 1. Non potest ex solo Verbo DEI scripto seu ex Scriptura sola nobis certò & infallibiliter innotescere 1. quòd detur aliqua Scriptura S. 2. quænam sit illa, & quibus libris comprehensa. 3. quæ sit legitima Versio Bibliorum. 4. An Biblia sint incorrupta circa res fidei. 5. Quomodo intelligenda, & quisnam sit genuinus Scripturæ sensus, uti hactenus demonstravimus: ergo necessariò admittendum est

est aliud DEI Verbum præter scriptum, scilicet non scriptum, seu Traditio Divinam & infallibilem habens auctoritatem, propter quam & ex qua certi fiamus de 5. memoratis punctis; aliàs enim, nisi de his certò & infallibiliter nobis constet per Revelationem Divinam nobis intimatam, nunquam potest elici fides Divina, infallibiliter certa, & firmissima de ullo articulo.

7. Probatur 2. Ipsimet Lutherani & Calviniste &c. multa credunt, & necessariò credenda judicant, quæ tamen in Verbo DEI scripto non sunt clarè, particulatim, & distinctè expressa: ergo necessariò admittendum est Verbum DEI non-scriptum ab ipsismet; quidquid enim creditur, credi debet propter aliquam Revelationem Divinam, seu propter aliquod Verbum DEI, nobis sufficienter propositum: aliàs enim non esset fides Divina, sed merè humana. A. P. Lutherani & Calviniste &c. credunt, & necessariò credendum existimant 1. tres esse Personas in Deitate, contra Sabellianos. 2. Divinitatem Christi & æqualitatem cum Patre, contra Arianos. 3. Processionem Spiritûs S. à Patre & Filio, ejúsque Divinitatem, contra Macedonianos. 4. Unam Personam in Christo, contra Nestorianos. 5. Duas tamen Naturas in eodem Christo, Divinam & Humanam, sine transfusione, contra Eutychianos. 6. Perpetuam Virginitatem B. V. Mariæ, contra Helvidium &c. Sed hæc & similia clarè, particulatim, & distinctè non sunt expressa in Verbo DEI scripto, seu in Scriptura; ubi enim? citetur clarus textus. Imò neque clarè & per pronam consequentiam deducuntur ex Scriptura; agite enim & adducite textum, ex quo contra Sabellianos clarè inferatur Trinitas Personarum & unitas Naturæ in DEO, cujusmodi DEUM unum & Trinum Sabelliani dicunt chymericum.

An fortè id evincere vos putatis ex illo S. Joannis: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt?* 1. Jo. 5. v. 7. clariorem enim textum in tota Scriptura non invenietis. At imprimis iste textus à Luthero in suis Biblijs expunctus est, & pro Verbo DEI non agnitus. Deinde excipient Sabelliani 1. *tres* quidem esse, non tamen realiter, sed tantùm ratione nostra distinctos, & tantùm diversa nomina ejusdem DEI propter diversas operationes, sicuti anima rationalis propter diversas operationes sortitur diversa nomina, & intellectus, voluntas, & memoria nuncupatur, quæ tamen tres potentiæ secundùm id, quod important in Recto, juxta meliorem Philosophiam non distinguuntur inter se *realiter*, ut loquimur, sed tantùm *ratione nostra*, seu secundùm nostrum concipiendi modum. 2. Si hi tres unum sunt unitate & identitate reali in Natura, necessariò etiam sunt unum in Personis, est enim imperceptibile, quòd eadem res identificetur cum tribus realiter distinctis: quippe quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se. 3. Si tres sunt Personæ, tres pariter erunt Naturæ Divinæ, sicut à posteriori nobis patet, ubi tres sunt personæ humanæ, ibi etiam tres esse naturas humanas realiter di-

ſtinctas; & tamen poſſunt eſſe unum, ſcilicet unitate morali per conſenſionem voluntatum. 4. S. Joannes citato textui immediatè ſubjungit hæc verba v. 8. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus, aquæ, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* An etiam inferetis, ſpiritum, aquam, & ſanguinem eſſe unum unitate reali naturæ, ſubſiſtere tamen in tribus realiter diſtinctis ſubſiſtentijs, ſicut infertis de Patre, Verbo, & Spiritu S.? Taceo plures alias exceptiones, quas Sabelliani opponere poſſunt, ut adeò neque per claram & pronam conſequentiam ex Scriptura (ſine auctoritate & Traditione Eccleſiæ interpretantis, ſeu ſine Verbo DEI non Scripto) deduci poſſit Myſterium SS. Trinitatis, qui tamen articulus etiam apud Adverſarios præcipuus eſt & fundamentalis. Idem poſſunt facere alij Hæretici contra alios ſuprà recitatos fidei articulos, quos Lutherani & Calviniſtæ credunt.

8. Quod hactenus dictum eſt de rebus *credendis*, quæ non alio modo infallibiliter innoteſcunt niſi per Traditiones *doctrinales*, facilè extenditur etiam ad res *faciendas*, quæ aliunde non ſufficienter innoteſcunt niſi per Traditiones *Morales*: quod ſic oſtenditur. Lutherani & Calviniſtæ &c. 1. baptizant parvulos, & baptiſmum non repetunt. 2. Evchariſtiam non dant parvulis, apud adultos autem eandem repetunt. 3. Evchariſtiam ſub utraque ſpecie diſtribuunt. 4. comedunt de animalibus ſuffocatis, & ſarcimina ex ſanguine. 5. non Sabbathum, ſed diem Dominicam celebrant. 6. formam, ſeu verba, quibus conficitur Baptiſmus & Evchariſtia, pronuntiant oretenus, & non tantùm mente cogitant. Hæc & ſimilia faciunt & obſervant, eaque neceſſariò facienda cenſent, & tamen in Scriptura clarè, determinatè, & particulatim non ſunt expreſſa, nec indè per claram & pronam conſequentiam deducuntur. Imò in Scripturis ſubinde videtur contrarium præcipi, utì ut abſtineant à *ſuffocato & ſanguine* Act. 15. ut obſervent diem Sabbathi Exod. 20. ut communionem dent parvulis Jo. 6. *niſi manducaveritis &c.*

Prob. 3. à pari. In *Lege Naturæ*, 9.
quæ ab Adamo uſque ad Moyſem, item in *Lege Scripta*, quæ à Moyſe uſque ad Chriſtum duravit, Verbum DEI non ſcriptum neceſſariò fuit admittendum: ergo & in *Lege Gratiæ* poſt Chriſtum admitti neceſſe eſt, ſaltem non inconveniens. A. quoad *Legem Naturæ* eſt certum, quia tunc nullum prorſus exſtitit Verbum DEI ſcriptum, & Moyſes cœpit primus Scripturæ libros exarare. Quoad *Legem Scriptam* facilè probatur, quia 1. ſine Traditione ſeu Verbo DEI non ſcripto non poterant Judæi infallibiliter cognoſcere, an & quinam libri eſſent verè Divini, ſeu Scriptura S. 2. Sine eodem non poterant ſcire, quale remedium contra peccatum originale apud fœmellas fuerit adhibendum. 3. ſine Verbo DEI non ſcripto patiter ignorâſſent, quòd cruenta ipſorum Sacrificia ſignificaverint mortem Chriſti, & propter hanc ſignificationem conduxerint ad remittenda peccata, nimirum ex virtute illius, cujus mor-

mortem & Passionem significabant hæc sacrificia. Et hæ Traditiones in Lege Mosaica fuerunt præcipuæ, atque scitu (si non omnibus explicitè, saltem Sacerdotibus & Doctoribus) necessariæ Confirmatur ex consuetudine omnium gentium, quarum Respublicæ partim scriptis partim non scriptis gubernari legibus semper consueverunt. Hinc & Jura (Civile & Canonicum) Consuetudini parem cum scriptis legibus auctoritatem tribuunt.

10. Prob: 4. ex ipsa S. Scriptura utriusque Testamenti. Moyses remisit Judæos ad Traditiones Majorum dicens: *memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi.* Deut. 32 v. 7. Paulus 2. Thessal. 2. ita monet: *state & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram.* Notetur disiunctiva particula *sive*, per quam Paulus clarè distinguit sermonem ab epistola, doctrinam ipsis æquè non scriptam, ac scriptam, se communicâsse innuens. Confirmatur: munus primarium Apostolorum fuit *prædicare* Verbum DEI, & hoc jussi sunt à Christo, non autem scribere, quod fuit tantùm secundarium & arbitrarium, nec absolutè necessarium; nunquam enim Christus ad Apostolos dixit: *Scribite* Evangelium, epistolas &c. sed: *prædicate* Evangelium omni creaturæ. Marc. 16. Certè si Apostoli fuissent jussi prædicare & promulgare Evangelium *scriptò*, plerique defunsent suo officio, quia nihil reliquerunt Scripto; imò, cùm nullus ex Evangelistis integram doctrinæ Christi seriem pertexat, etiam hi redargui possent alicujus negligentiæ in suo munere. Unde gratis & frivolè dicitur ab Adversarijs, Apostolos postea scriptô omnia comprehendisse, quæ priùs docuerant sermone. Dein quis scriptô nobis reliquit ea omnia, quæ Christus post Resurrectionem suam manifestavit discipulis suis, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno DEI?* Act. 1. hoc est, de Ecclesia, ejúsque gubernatione, Sacramentis &c. Ubi scriptô comprehenditur in SS. Litteris Symbolum Apostolorum sub illa verborum formula, sub qua etiam Adversarij recipiunt, & necessariò credendum asserunt? uti nomjnatim in Catechismo Tigurino asseritur anno 1929. & in Summaria Instruct. a. 4. Ubi scriptum legitur, hoc Symbolum ab Apostolis fuisse collectum, & compositum?

Prob. 5. ex Concilijs Generalibus. 11.
Nicænum I. ex Traditione damnavit hæresim Arij, ut disertè testatur Theodoretus l. 1. histor. c. 8. Nicænum II. act. 2. & 6. venerationem imaginum stabilivit ex Traditione Apostolica, & act. 7. sic definivit: *siquis Traditionem Ecclesiæ, sive scripto sive consuetudine valentem, non curaverit, anathema sit.* Quid ad hoc fulmen Lutherani & Calvinistæ, à Primitiva Ecclesia, quam ab errore puram plerique fatentur, in se intortum? Conformiter antiquis Concilijs se declaravit Tridentinum sess. 4. in hunc modum: *Traditiones, tam ad fidem, quam ad mores pertinentes, tanquam*

oretenus à Christo, vel à Spiritu S. per Apostolos dictatas, pari pietatis affectu ac reverentia veneratur Sacra Synodus.

12. Prob. 6. ex PP. tum Græcis tum Latinis, unanimiter Traditiones admittentibus. S. Basil. l. de Spiritu S. c. 27. ait: *dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scriptò prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione &c. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sunt jura Ecclesiastica.* Origenes in proœm. l. 1. de Principijs: *servetur Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesijs permanens; illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione.* S. Epiphanius hæresi 61. *oportet autem & Traditione uti; non enim omnia à Divina Scriptura possunt accipi.* S. August. l. 4. de baptismo c. 24. contra Donatistas: *quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi ab auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Similia habent alibi frequenter, ac alij Patres passim.

13. Dico 2. Ut Traditiones sint certa fidei & morum regula (seu Verbum DEI non scriptum, obligans ad aliquid credendum vel faciendum) debet certò ac infallibiliter de ijs constare: de illis autem certò & infallibiliter constat per communem sensum, auctoritatem, vel declarationem Ecclesiæ. Prima pars est clara, cùm fides debeat esse certissima: certissima autem esse nequeat, nisi motivũ infallibile cognoscatur infallibiliter: ergo. Altera pars facilè probatur; quia Universalis Ecclesia propter assistentiam Spiritûs S. sibi promissam circa res fidei & morum errare non potest, quod hìc tutò supponitur, & irrefragabiliter probatur in tractatu de Ecclesia, & à me nuper in Opusc. cui titulus, *Una & vera fides.* Alia autem sensibilis & simul infallibilis Auctoritas, ex qua sufficienter et nobis constare posset, præter Ecclesiam non est assignabilis. Notandum tamen est, non semper requiri expressam & specialem definitionem Papæ vel Concilij Generalis, sed sufficere etiam tacitam & generalem declarationem Ecclesiæ, quæ habetur vel per communem Patrum & fidelium sensum, aliquid pro fidei dogmate habentium, vel ex universali Ecclesiæ praxi. Ex dictis

Colligitur 1. Falsum evidenter esse illud principium Lutheranorum, Calvinistarum &c. *Nihil credendum, aut faciendum ex obligatione, nisi explicitè & particulatim in S. Scriptura expressum, aut præceptum sit.* Dico *explicitè & particulatim*; nam implicitè & generatim omnia in SS. Litteris contineri non malè admittitur, quatenus nimirum illæ jubent audiri Ecclesiam, & Traditiones recipi, ex quibus postmodum discendum est, quid in particulari & explicitè credere vel facere oporteat. Quamvis hoc corollarium sufficienter pateat ex dictis, confirmatur tamen adhuc indè, quia utique homines, quibus Evangelium prædicabatur ab Apostolis, antequam Evangelia fuerint con- 14.

conscripta, & cæteri libri Novi Testamenti, tenebantur & poterant credere, etiamsi nullam Scripturam ptiùs viderint, vel legerint. Et quæso! quomodo Adversarij convertent Paganos & Gentiles obtrudendo sola Biblia? certè risui erunt, & nihil efficient, utì etiam ab experientia constat. Priùs igitur hujusmodi infidelibus innotescere & persuaderi debet ex notis veræ Religionis, quænam sit vera Religio, nimirum non alia, quàm Christiana, seu Christum agnoscens, & quòd veræ Religionis ac Ecclesiæ Christianæ effata sint infallibiliæ, & Verbum DEI; atque sic ex isto Verbo DEI non-scripto, quod ipsis reddi potest evidenter credibile & credendum, primùm eò permoveri poterunt, ut etiam Verbum DEI scriptum seu Scripturam amplectantur, quod aliàs nunquam seriò facient, neque prudenter possunt, nisi DEUS prodigioso & extraordinario quodam lumine id doceret interiùs; quod ordinariè non facit.

15. Confirmatur 2. Idem principium, etiamsi ei addatur hæc cauda, *aut ex Scriptura per claram, necessariam, & pronam consequentiam deductum sit*, clarè falsum esse 1. quia Lutherani, Calvinistæ &c. multa necessariò credenda & facienda censent, uti DEUM esse unum & Trinum, parvulos esse baptizandos, & nunquam rebaptizandos &c. licèt per claram & pronam consequentiam deduci hæc non possint ex Scriptura. 2. quia consequentia, deducta ex Verbo DEI scripto, non est Verbum DEI scriptum, sicut fructus non est arbor: quod autem non est Verbum DEI, non potest obligare ad fidem ipsi præbendam &c. 3. quia consequentia, utut videatur legitimè deducta, tamen potest esse fallax, quia deducitur per rationem & intellectum humanum, qui potest falli, & in rebus Divinis constanter dicitur esse cœcus ab Adversarijs. 4. Quia ad hoc, ut aliqua consequentia legitimè deducatur ex Scriptura, debet priùs certò constare de legitimo sensu Scripturæ: atqui de hoc sufficienter constare Adversarijs non potest sine explicatione Ecclesiæ, adeóque sine Verbo DEI non-scripto: ergo debet priùs admitti Verbum DEI non-scriptum: ergo falsum est principium ipsorum. 5. Quia consequentia deducta vel est Verbum Dei, vel non? si non est, falsum est, quòd illud debeat credi & fieri, quod per pronam & legitimam consequentiam deducitur: si est Verbum DEI, hoc ipso admittitur Verbum DEI non-scriptum, quia consequentiæ istæ non sunt scriptæ in SS. Litteris. 6. Si bonæ consequentiæ pariunt obligationem credendi & faciendi, hoc ipso debent admitti Traditiones ab Ecclesia custoditæ; quia istæ proniſsimè & clarissimè deducuntur ex Scriptura v. g. ex illo textu Mat. 18. *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, item ex illo Lucæ 10. *qui vos audit, me audit*.

16. Colligitur 3. quare Adversarij tantopere horreant, & extremè oderint Verbum DEI non-scriptum. Ratio enim est, quia vident, claram eo admisso suis Sectis perniciem imminere; quippe Traditio, sensus, & declaratio

&c.

Ecclesiæ clarè pronuntiat, quid credendum, quid faciendum, & omnes hæreses apertè detegit ac damnat. Hinc omnes Hæretici spretô Ecclesiæ judiciô ad solam Scripturam se receperunt, probè gnari, eam in varias interpretationes trahi posse, ac proinde ex Scripturæ abusu asylum sperârunt, & ad tempus apud imperitos aut impios etiam invenerunt.

§. II.

Ex Verbo DEI non scripto optimè probant Catholici Existentiam, Canonem, legitimam Versionem, Puritatem, & genuinum sensum Scripturæ.

17. SCiendum 1. per Verbum DEI non-scriptum, ut jam dictum est, intelligi Traditiones Divinas & Apostolicas, ab Ecclesia custoditas, quin & ipsius Ecclesiæ communem sensum, aut definitionem, siquidem per os Ecclesiæ non minùs loquitur nobis DEUS iufinitè verax, quàm per Scripturæ voces & characteres, nec minùs firmam meretur à nobis fidem, siquid per Ecclesiam, quàm si per Scripturam aliquid revelet, cùm sit prorsus eadem infinitæ Veracitatis auctoritas, fallere nescientis & falli. Imò per Ecclesiam non modò clariùs nobis loquitur quàm per Scripturam (cùm hæc ab & per illam explicari debeat) verùm etiam magis nobis manifestat & immediatiùs, se nobis loqui Verbô non scriptô, ab Ecclesia vel custodito vel propositô, quàm Verbô scriptô, siquidem evidentioribus longè signis conspicuam reddidit Ecclesiam, quibus vera à falsis discerni possit (ut demonstrabo in Controv. seq. de Ecclesia) quàm criticis Scripturam, quibus vera & pura dignosci valeat, ejusque genuinus sensus deprehendi; cùm hæc critiria, etiam sumpta cum Spiritu interno, non sufficiant ad prædicta probanda, ut hactenus evidenter ostensum est.

Sciendum 2. Supposita necessitate admittendi Verbum DEI non scriptum, quam §. præcedente satis superque demonstratam vidimus, facillimum esse Catholicis certò ac infallibiliter probare quinque illa puncta, in titulo exposita, & per consequens omnes fidei articulos, etiam in Scriptura S. comprehensos, cùm sine Verbo DEI non-scripto sicut de ipsa Scriptura, ita nec de genuino sensu illius (nam sensus, non nuda verba, facit articulum fidei) sufficienter, id est, infallibiliter constare possit, ita ut aliquis prudenter dicat ex merito motivi, se falli non posse, ac proinde sibi imperet *prudenter firmissimum* assensum. Unde 18.

Dico. Catholici optimè & infallibiliter probant Existentiam, Canonem, Versionem, Puritatem, & sensum Scripturæ ex Verbo DEI non-scripto, sive ex Traditione, vel Declaratione Ecclesiæ. Probatur manifestè: Verbum Dei 19.

non-

non-scriptum, quod recipiunt Catholici, omnes autem Sectarij & Hæretici rejiciunt, est infallibile, hoc ipso quòd sit Verbum DEI: ergo ex illo optimè & infallibiliter Catholici probant præfata §. puncta, circa quæ nunquam certi esse possunt Adversarij. Sed unde probant Catholici, Traditionem ab Ecclesia custoditam, vel ipsius Ecclesiæ declarationem aut sensum, esse Verbum Dei? R. ex infallibilitate Ecclesiæ veræ; hanc enim Deus (suppositò, quòd aliquid nobis revelaverit, & fidem prudenter firmissimam exigat) necessariò debet reddere infallibilem, ità ut, quidquid proponit Ecclesia tanquam Verbum & Revelationem Dei, etiam sit Verbum Dei. Id quod partim ex ratione contra Paganos, partim ex Scriptura contra Hæreticos (Scripturam aliunde, quàm ex Ecclesiæ proponentis auctoritate admittentes) Catholici demonstrant, & ego in Controv. seq. præsertim c. 1. & c. 4. de Infallibilitate Ecclesiæ & Pontificis acturus. Veritatem autem Ecclesiæ Romanæ clarè commonstrabo ex notis seu signis, quibus Deus veram Christi Ecclesiam adeò illustravit, ut facillimè discerni possit à falsis Sectis, imò evidenter præferenda sit: quas notas deducam in Controv. seq. c. 2. per totum. Interim pro certo habe, Verbum Dei scriptum conservari in Ecclesia incorruptum non solùm secundùm litteram, sed etiam secundùm spiritum, & verum ipsius sensum fide Divina receptum, seu viva fide fidelium expressum, & quasi in corde. Pontifex autem ex Cathedra (seu ex officio suo Pastorali erga Universalem Ecclesiam) loquens non ex privato suo spiritu, sed Divino Magisterio edoctus, & ex Verbo Dei intra fidelium mentes sub viva fide propagato, præsertim in æcumenicis Concilijs, interpretatur Scripturam infallibiliter, ita tamen, ut suam auctoritatem non adæquet auctoritati Divinæ, memor, se esse præcisè instrumentum indignum, per quod nobis loqui dignatur infallibiliter infinitæ auctoritatis Deus. Contra hujus, & simul etiam præcedentis §. doctrinam

Ob. 1. Traditiones sunt Verbum hominum, scilicet Patrum, Pontificum &c. qui sunt meri homines: ergo non sunt Verbum DEI, nec habent auctoritatem infallibilem, & parem cum Scripturis. R. 1. retorquendo argum. Scripturæ SS. sunt litteræ & characteres hominum, scilicet primitus Prophetarum & Apostolorum, postmodum describentium vel typis imprimentium, qui sunt meri homines: ergo SS. Scripturæ non sunt Verbum Dei. R. 2. aliter retorquendo: verba Præconum, quibus instruunt rudes, Biblia legendi vel intelligendi imperitos, vel cœcos, legendi incapaces &c. sunt verba hominum, & quidem privatorum hominum, quibus nulla infallibilitas promissa est (sicut tamen promissa est summo Pontifici Christi Vicario, Petri Successori, præsertim cum cæteris Prælatis in Concilio Congregatis definienti) ergo non sunt Verbum Dei: ergo Prædicantibus non credendum in rebus fidei; quod omnino probat objectio; quamvis non probet apud Patres & Pontifices.

fices, Christi Vicarios, quibus promissa est perpetua assistentia Spiritûs S. ut Controv. sequente ostendetur. Unde R. 3. in forma N. A. vel D. sunt Verbum hominum instrumentaliter, hoc est, per homines pronuntiatum, custoditum, & ad nos tanquam per instrumenta translatum. C. A. principaliter & originaliter, hoc est, non habent Deum pro Auctore principali, aut sine revelatione & directione Divina proponuntur N. A. & C. Sicut Scriptura juxta Adversarios tantùm instrumentaliter provenit ab hominibus, principaliter autem à Deo, per Scripturam nobis loquente, & ratione causæ instrumentalis, scilicet scribentium &c. dici potest humana, tamen ratione causæ principalis, nimirum DEI dictantis, & ratione objecti seu veritatis, quam proponit, est & rectè dicitur Divina, & Verbum DEI scriptum: ita etiam Traditio ratione causæ instrumentalis, scilicet hominum, per quos proponitur & propagatur, dici potest humana: at ratione causæ principalis, nempe DEI per Patres & Pontifices loquentis, & ratione objecti seu veritatis, quam proponit, est & rectè dicitur Divina, & Verbum DEI non-scriptum, fide actuali receptum & propagatum in cordibus fidelium. Et hoc Verbum DEI per os Ecclesiæ propositum non minoris auctoritatis esse debet, quàm per Scripturam propositum: quippe Verbum DEI est Verbum DEI, sive scriptum sive traditum sit, & per accidens ipsi est, si scribatur.

21. Ob. 2. Scriptura S. est unica norma & Regula omnium credendorum: ergo non opus est ullis Traditionibus. A. P. 1. si non esset unica regula omnium credendorum, & non omnia ad salutem necessaria complecteretur, esset manca & imperfecta: quod admitti nequit. 2. Summa totius doctrinæ Christianæ, ad salutem necessariæ, consistit in Decalogo, Symbolo Apostolico: Oratione Dominica, & Institutione Sacramentorum: sed hæc omnia perspicuè traduntur in S. Scriptura, scilicet partim in *Lege*, partim in *Evangelio*; in Lege quidem traditur Decalogus, & præsertim præcepta Moralia, in Evangelio autem cætera: ergo. R. 1. Adversarij solam Scripturam (exclusis Traditionibus & auctoritate Ecclesiæ) statuendo pro unica regula omnium credendorum conspirant cum Antiquis Hæreticis, Arianis, Pelagianis, Sabellianis, Nestorianis, Donatistis &c. qui solam Scripturam jactitabant, quam pro libitu interpretabantur, prout ipsorum erroribus commodabat, ut facillimum foret demonstrare ex tomis Conciliorum, & Historiographis, præsertim Baronio. Et hanc ob causam Scriptura, etiam à Luthero, jam sæpius appellata est *liber Hæreticorum*, quia nempe omnes ex hac suam tueri causam nitebantur. Quin & ipse diabolus, Christum tentans, S. Scripturæ textibus usus & abusus est. Videant igitur, in qua navi navigent Adversarij. R. 2. N. A. quod falsissimum esse, hactenus demonstratum est, cùm nec de ipsius Scripturæ existentia, puritate, & genuino sensu, nec de alijs Mysterijs fidei, nimirum SS. Trinitatis, Processio-

ne & Divinitate Spiritûs S. &c. ex sola Scriptura constare possit, quia haec in illa nec explicitè contineatur, nec per pronam & legitimam consequentiam clarè deducuntur. Hoc concedo, quòd Scriptura, postquam semel de illa, & illius genuino sensu (quod tamen sine Verbo DEI non-scripto fieri nequit) infallibiliter constiterit, regula infallibilis sit quoad aliquos fidei articulos, in ea clarè contentos: proin regula credendorum inadæquata dici possit. Ad probationem 1. N. sequelam; sicut enim imperfectus non dicitur homo, quia non habet alas, eò quòd Deus noluerit hominem habere alas: ita nec Scriptura dici debet imperfecta, licèt non omnia, necessariò credenda & facienda, contineat, eò quòd Deus non omnia nobis innotescere voluerit per Scripturam, sed multa per Ecclesiam, & per Verbum non scriptum, ut clarè evincitur ex nostris probationibus. Item sicut pars non ideo dicenda est aliquid imperfectum, quia non est totum: ita nec Scriptura ideo imperfecta dicenda est, quia non est tota & adæquata Regula omnium credendorum. Adversarij admittendo solam Scripturam pro Regula adæquata videntur similes homini, qui uno pede ambulare, aut volucri, quæ unâ alâ volare niteretur. Ad 2. probationem Transmissâ M. quam falsam esse patet ex dictis. N. m. non enim perspicuè exprimitur Mysterium Trinitatis, Baptismus parvulorum, Sacramentum & usus legitimus Eucharistiæ &c.

82. Dices. Hoc dudum meritò displicuit Protestantibus, quòd Catholici adeò vilipendant, imò & contemnant Scripturam; non enim defuerunt, qui eam vocarent omnium hæresum causam, litium materiam, nasum cereum, ænigma sphingis, folia Sybillæ, regulam Lesbiam & plumbeam, quæ cuivis figuræ aptari possit. R. nequaquam Catholici vilipendunt aut contemnunt Scripturam, sed venerantur, uti revera est, tanquam Verbum Divinum; sed hoc dicunt, eam solam non sufficere, nec certò & infallibiliter ejus sensum genuinum in multis haberi posse sine altero DEI Verbo, nimirum non-scripto. Ille non vilipendit aut contemnit epistolas S. Pauli, qui dicit, eas solas non esse totum Verbum DEI, sed dari & requiri etiam quatuor Evangelia &c. Ita nec ille, qui dicit, præter Verbum DEI scriptum dari & requiri aliud non-scriptum. Cæterùm Catholici non ita nudè ipsam Scripturam hujusmodi titulis afficiunt, sed per abusum Hæreticorum, Scripturam juxta suum privatum spiritum interpretantium, dicunt Scripturæ affingi nasum cereum, eámque fieri causam hæresum, litium materiam, regulam Lesbiam &c. Siquidem res optimæ per abusum depravantur, & cedunt in perniciem, quæ per se ordinatæ sunt ad salutem: sic utique Sacramenta sunt res optimæ, & ad hominis salutem instituta, tamen per abusum vertuntur sæpe in majorem suscipientis indignè damnationem, uti Judæ Iscarioti contigit, Eucharistiam indignè sumenti.

Ob. 3. Quæ de aure in aurem transeunt, & quasi per manus traduntur, magno temporis lapsu interire solent, 25.

vel corrumpi, ob humanæ memoriæ imbecillitatem, vel ob hominum socordiam: sed Traditiones de aure in aurem transeunt, & quasi per manus traduntur: ergo intereunt, vel saltem corrumpuntur cum tempore. Igitur Verbum DEI, quod manet in æternum, debet esse scriptum, & nullum datur præcisè traditum. R. 1. retorquendo argum. in Scripturam S. quia etiam hæc, si humana solùm providentia attendatur, magno temporis lapsu facilè interire aut corrumpi potest vel ex infirmitate describentium, vel malitiâ infidelium. R. 2. dist. M. Nisi DEUS specialem curam gerat talium rerum. C. M. si gerat. N. M. DEUS non minorem curam gerit Traditionum, & Verbi sui non scripti, quàm Scripturæ, ne intereant, vel corrumpantur; & Verbum DEI, sive scriptum sit sive non scriptum, manet in æternum, atque Deus illius curam gerere debet. Nunquid Ecclesia vera in lege Naturæ ante Moysis tempora per bis mille annos extitit, & quidem sine erroribus in fide, quamvis nullam Scripturam habuerit, sed meras Traditiones, & Verbum DEI non scriptum? Igitur non est absolutè necessarium, ut Verbum DEI scribatur. Accedit, quòd Traditiones Ecclesiæ Christianæ, quamvis in SS. Litteris scriptæ non sint, scribi tamen consueverint in libris Ecclesiasticis, Concilijs, & Veterum monumentis (quæ est humanæ industria) ne pereant vel corrumpantur. Imò continuo usu & viva fide optimè custodiuntur, tanquam in cordibus fidelium descriptæ.

Ob. 4. In Scriptura S. rejiciuntur, & reprehenduntur Traditiones tanquam inventa & doctrinæ hominum: ergo non sunt admittendæ. A. prob. ex varijs textibus. Deuteron. 4. v. 2. dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et c. 12. v. ult. *quod tibi præcipio, hoc tantùm facito; nec addas quidquam, nec minuas.* Isajas c. 29. v. 13. inducit Deum populo exprobantem, quòd sic coluerit *mandato hominum & doctrinis.* S. Paulus Coloss. 2. monet: *videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum.* Et ad Gal. 1. *si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Denique Christus ipse in Evangelio reprehendit Pharisæos propter Traditiones; nam Marc. 7. v. 7. 8. ait: *in vanum me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum DEI tenetis traditiones hominum.* Idem facit Mat. 15. R. 1. absolutè N. A. tũ quia in probationibus nostris p. 117. vidimus, quòd Scriptura approbet Traditiones, tum quia Adversarij malè impugnant Traditiones ex Scriptura, quia istam nec habent nec ritè intelligere possunt sine Traditionibus, & Verbo DEI non scripto, ut demonstratum est art. 1. ferè toto. R. 2. D. A. Rejiciuntur & reprehenduntur Traditiones merè humanæ, repugnantes mandatis Dei, fidei Christianæ, bonisque moribus, item Traditiones vanæ Pharisæorum aut Gentilium C. A. Traditiones omnes N. A. & C. Nos Catholici non defendimus Traditiones vanas Gentilium. Pharisaicas. 24.

cas, merè humanas, Dei mandatis, fidei Christianæ, bonisque moribus repugnantes, sed Divinas, Apostolicas, ab Ecclesia propositas & approbatas, quæ non tantùm non rejiciuntur aut reprehenduntur à Scriptura, sed etiam approbantur & commendantur, imò necessariæ prorsus sunt, & semper fuerunt, præsertim ante tempora Moysis.

Ad probationem explico textus. In 1. notetur imprimis verbum *loquor*, quod indicat potiùs Verbum DEI oretenus traditum, quàm scriptum, præsertim quia Moyses v. 32. subjungit: *interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die, quo creavit DEUS hominem*; ubi autem interrogatione & narratione opus est, non omnia plenè sunt scripta, sed aliqua saltem tradita tantùm. Deinde ibi est sermo de præceptis Judæorum Judicialibus & Ceremonialibus, cur igitur Adversarij non ampliùs observant hæc præcepta, cùm textus dicat, *nec auferetis ex eo*? cur *addere* non liceat, si liceat *auferre*? Præterea hujusmodi textus tantùm volunt, ut in Libris Canonicis nihil immutetur addendo vel demendo, & sic corrumpatur Scriptura, item ut omnia, quæ præcipiuntur, integrè & ad litteram observentur; non verò excludunt aliud Verbum DEI; aliàs malè fecissent etiam Prophetæ & Apostoli, qui post Moysem integros libros Canonicos scripserunt, & sic *addiderunt* libris Moysis. In 2. sermo est de præcepto aliquo Ceremoniali in specie, nimirum de præcepto sacrificandi, quo Deus volebat nihil addi de ritu Gentilium, nihil minui de illa ratione, quam ipse præscripsit in offerendo Sacrificio. Deinde cur Adversarij non retinent modum hunc sacrificandi, & immolandi DEO oves, boves, hædos &c. si nihil liceat *minuere* de illo præcepto? Denique si nihil huic præcepto licet *addere*, malè fecerunt Apostoli novum præceptum imponendo, ut fideles abstineant *à suffocato & sanguine* Act 15. malè fecit Paulus prohibendo bigamos ordinari &c. In 3. Isaias loquitur de præceptis & doctrinis hominum, quæ repugnant mandatis DEI & Scripturis Divinis, ita enim explicavit Christus Marc. 7. v. 8. ubi, postquam citavit Isaiam c. 29. his verbis, *bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis*, subjungit: *relinquentes enim mandatum DEI, tenetis traditiones hominum.* In 4. Paulus loquitur de traditionibus tum vanis Gentilium, tum superstitiosis Judæorum, tum merè humanis, ab Ecclesia nec approbatis nec receptis. In 5. Paulus intelligendus est de utroque Verbo Dei, scripto & non scripto, ab utroque enim abstrahit tò *evangelizavimus*: præter quod utrumque utique nihil aliud doceri debet. Dein Paulus ibi anathema dicit falsis Doctoribus, qui volebant, præter fidem in Christum requiri etiam circumcisionem & observationem Legum Mosaicarum. Denique tò *præter* sumitur ibi pro *contra*, nam Græcum παρὰ significat tam *contra*, quàm *præter*: utique autem *contra* doctrinam Pauli nihil docere licet, bene tamen *præter*; quia Paulus in suis epistolis non omnem doctrinam Christianam complexus est. In 6. Christus reprehendit Traditiones Pharisaicas, mandato DEI

repugnantes, ut patet ex citato *integro* textu. Deinde Christus reprehendit Pharisæos etiam ex eo capite, quia in observatione traditionum ab hominibus introductarum (cujusmodi erant, 1. antesumptionem cibi lavare manus. 2. lotionem manuum inter comedendum sæpius reperere. 3. cum peccatoribus non sumere cibum. 4. in Sabbatho ægros non sanare &c.) quærebant vanum gloriam, & opinionem sanctitatis apud plebem, negligentes interim internum animæ cultum & virtutes solidas. Cæterùm nec Synagoga potuit ullam falsam Traditionem recipere ut Canonicam, sicut non potuit ullam falsam Scripturam recipere ut Canonicam; & propter quam causam DEUS debuit ipsum reddere infallibilem in hoc, propter eandem debuit & in illo, ne scilicet tota Ecclesia erraret, & sic omnis fides Divina periret in mundo.

85. Ob. 5. Patres rejiciunt Traditiones, nominatim S. Hieron. in Matth. c. 23. ubi sic ait: *quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Et S. August. de doctr. Christ. l. 2. c. 9. sic pronuntians: *in his, quæ aperte posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi.* Item S. Chrysost. in c. 2. Matth. *quidquid quæritur ad salutem, totum jam impletum est in Scripturis:* ergo sola Scriptura est sufficiens, nec opus est Verbo DEI non-scripto. R. 1. generatim, si Patres videantur asserere, omnia ad fidem & mores pertinentia contineri in Scripturis, vel intelligendi sunt 1. quòd omnia in ijs contineantur generatim, confusè, mediatè, & consecutivè, quatenus nimirum ipsæ SS. Litteræ approbant Traditiones, & nos ad audiendam Ecclesiam hortantur. 2. vel intelligendi sunt de ijs tantùm rebus, de quibus ipsi peculiariter disputabant cum hæreticis, quibus, quia nihil nisi Scripturam admittere volebant, sese accommodarunt, etiam ex sola Scriptura argumentantes ad hominem. 3. Vel loquuntur de Scripturis ritè intellectis, quæ tamen ritè intelligi nequeunt sine Traditione, vel declaratione Ecclesiæ. 4. Vel intelligendi sunt, quòd solùm *contra*, non verò *præter*, vel *extra* Scripturam nihil admitti debeat. R. 2. quid sentiant Patres de Traditionibus, satis liquet ex dictis p. 118. Unde si fors alicubi loquantur obscuriùs, explicari debent juxta alios ipsorum textus clariores, quibus approbant Traditiones indubitatò, ne sibi contradicant. Allati textus ex Patribus nihil probant contra nos; nam S. Hieron. loquitur de aliqua sententia particulari, qua quidam volebant ex libro quodam apocrypho probare, Zachariam, quem Judæi occiderunt inter templum & altare, fuisse patrem Joannis Baptistæ: ex particulari autem aliquo facto, præsertim si id aliunde non satis probari potest quàm ex Scriptura, malè infertur, universaliter omnia contemnenda esse, quæ scripta non sunt. S. August. imprimis tantùm loquitur de ijs dogmatibus, quæ *simpliciter* & *explicite* creditu sunt necessaria, dein non dicit, etiam hæc inveniri in Scripturis

pturis *clarè*, & sine interpretatione Ecclesiæ, sed tantùm inveniri absolutè, quod etiam nos admittimus, scilicet vel generatim & confusè, vel particulatim & clarè. Quòd S. Augustinus non voluerit omnia contineri *clarè & particulatim* in Scripturis, quæ continent *fidem morésque vivendi*, manifestè colligitur ex alijs ejus textibus, uti ex ep. fundamenti c. 5. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Et l. 10. de Genesi ad Litteram c. 23. *consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio.* Denique S. Chrysost. loquitur de vitijs, ad quæ sananda asserit in Scripturis inveniri remedia: ergo iterum de aliqua materia particulari; insuper non dicit, hæc remedia pro *omnibus* vitijs *clarè* reperiri in Scripturis.

26. Ob. 6. Si Ecclesia debet nos certificare, quænam sit vera Scriptura, tunc Scriptura suam auctoritatem obtinet ab Ecclesia, & sic Ecclesia erit supra Scripturam, quod dici nequit; cùm nihil possit esse supra Verbum Divinum. 2. si Ecclesia interpretatur Scripturam, & declarat ejus sensum, tunc judicat Scripturam, & sic se iterum statuit supra Scripturam. R. ad 1. N. M. Ecclesia enim non facit, ut Scriptura fiat Verbum Divinum, sed tantùm declarat, quænam Scriptura sit Verbum Divinum, & auctoritatem divinam habeat: sicut Monetarius vel Trapezita non tribuit auro vel gemmæ suum valorem, sed illum præcisè declarat ignorantibus. Ad. 2. impri-

mis retorqueo argumentum: si Præco, vel alius homo privatus, apud Sectarios interpretatur Scripturam, & ejus sensum declarat, tunc judicat Scripturam, & sic se statuit supra Scripturam. Deinde Ecclesia Scripturam interpretans non examinat, an id, quod Scriptura dicit, verum sit: sed tantùm examinat, utrùm hoc vel illud dicatur à Scriptura; & sic declarando sensum non Scripturam, sed de ejus sensu judicat, nec auctoritatem exercet in Scripturam, sed potiùs in iudicia hominum, quæ dirigit vel corrigit.

27. Ob. 7. Kemnitius, Brentius, Molinæus, & alij tam Lutherani quàm Calvinistæ admittunt aliquam Traditionem, nempe illam, per quam constat quoad nos, quinam libri sint Canonici & incorrupti, quin & ipse Calvinus ait: *quærunt enim, quis nos faciat certiores, à Moyse & Prophetis hæc fuisse scripta, quæ sub eorum nominibus leguntur &c. Verùm ut de omnibus simul loquar, certo certius est, ipsorum Scripturam non aliter perveniisse ad posteros, quàm de manu ad manum, ut ita loquar, perpetua annorum serie à Patribus tradita.* Ergo falsò imputamus Protestantibus, quòd rejiciant Verbum DEI non-scriptum. R. 1. Transeat A. N. C. quamvis enim unam Traditionem admittant, bene tamen arguuntur, quòd cæteras, pariter necessarias, rejiciant cum alijs Protestantibus. R. 2. admissa unica Traditione jam ruit præcipuum Sectariorum fundamentum, in eo consistens, quòd nihil aliud pro Verbo DEI habendum, nisi Scriptura, ni-

uihilque credendum, aut necessariò faciendum, nisi scriptum sit. R. 3. admissa unica Traditione non prudenter ampliùs negari possunt cœteræ, ab Ecclesia propositæ; si enim Ecclesia agnoscitur esse infallibilis in custodienda & proponenda una Traditione, cur non etiam infallibilis agnoscitur in custodiendis & proponendis reliquis? Cur necessariò credendum est Ecclesiæ proponenti Evangelium, non autem proponenti verum Evangelij sensum? Has difficultates viderint alij, qui absolutè negant omnes Traditiones, propterea tamen non feliciores; quia sic ignorant, vel saltem certi non sunt, an habeant aliquam Scripturam, & quinam libri sint Canonici. Aliqui dixerunt, illos esse Canonicos, qui præferunt in titulo unum ex Prophetis vel Apostolis. Sed contrà est 1. quia de ipsis titulis redit quæstio, unde constet, eos non esse ab hominibus nequiter assutos. 2. quia multi libri Canonici non præseferunt Prophetam vel Apostolum, uti Genesis &c. 3. quia multi præseferunt titulum Apostoli, uti Evangelium S. Bartholomæi, S. Thomæ, S. Andreæ &c. & tamen sunt Apocryphi. 4. quia ex titulo nondum constat, an omnia & singula capita & sententiæ pertineant ad talem librum. Alij dixerunt, illos esse libros Canonicos, qui allegantur à libris Canonicis. Sed contrà est 1. quia de libro citante alium redit quæstio, an sit Canonicus. 2. quia non omnes libri, multò minùs omnia capita & sententiæ librorum citantur ab alijs libris &c. Sequitur nunc Corollarium ex dictis, gulam omnibus Adversarijs frangens.

Objectionem de circulo vitioso vide infrà de Infallibilitate Ecclesiæ n. 17.

COROLLARIUM

Bene notandum.

28. EX hactenus disputatis manifestè deducitur hoc vel simile ratiocinium.

Illa Secta, quæ solam Scripturam agnoscit pro unica regula omnium credendorum; interim tamen nec de ipsa Scriptura ejúsque puritate, nec de genuino illius sensu infallibiliter certa esse potest in suis principijs; nullum prorsus articulum infallibiliter certum, adeóque nullam fidem Divinam habet.

Atqui Sectæ Lutheranorum, Calviniſtarum, Zvving-

Zvvinglianorum, & aliorum ab Ecclesia Romano-Catholica Apostatarum agnoscunt solam Scripturam pro unica regula omnium credendorum; interim tamen nec de ipsa Scriptura ejúsque puritate, nec de genuino illius sensu infallibiliter certæ esse possunt in suis principijs.

Ergo Sectæ Lutheranorum, Calviniſtarum, Zvvinglianorum, & aliorum ab Ecclesia Romano-Catholica Apostatarum nullum prorsus articulum infallibiliter certum, adeóque nullam fidem Divinam habent.

Ubi autem nulla est fides Divina, & ex motivo infallibili infallibiliter cognito certissima, ibi nulla est vera Ecclesia, nulla Salus.

Ergo in his Sectis nulla est vera Ecclesia, nulla Salus.

Propositio prima, seu *Major*, est evidens penetranti terminos; cùm utique regulatum nequeat esse certius & rectius, quàm ipsa regula, nec voluntas intellectui prudenter imperare possit assensum certissimum & firmissimum alicui objecto præstandum tanquam infallibiliter certo, si motivum, propter quod imperari deberet assensus certissimus & firmissimus, sit incertum ac dubium. Quomodo enim prudenter imperare sibi quis poterit assensum indubitatum & firmissimum de aliquo objecto v. g. de reportata ab hoste victoria, si aliud motivum non habeat, nisi aliquam scripturam ignoti Auctoris, & dubiæ interpretationis; si de Auctore non certò constet, an sit verax & fide dignus, an verò impostor & mendax; nec de ipsa scriptura, an sit ritè & purè descripta; an hoc vel alio modo ipsius verba, quæ variam patiuntur interpretationem, sint intelligenda? Certè nemo prudens.

Altera propositio, seu *Minor*, hucusque evidenter demonstrata est potissimùm eo ex capite, quia hæ Sectæ rejiciunt Verbum DEI non-scriptum, & Ecclesiæ definientis authoritatem, nihilque aliud nisi Scripturam pro Verbo DEI admittunt, & idcirco Scripturam, de cujus existentia puritate & integritate dubitatur, probare debent per ipsam Scripturam, ejúsque sensum dubium per textum dubium, adeóque ignotum per ignotum. Item semper hoc pacto dare coguntur pro responsione, quod est in quæstione, & aliunde probari deberet, nunquam autem potest, si aliud DEI Verbum præter

scripturam non admittatur. Si Scripturæ suppetias ferre nitantur per internum spiritum & conscientiæ suæ sensum, pro agnoscenda veritate adhibent patronum omnis falsitatis, architectum omnis erroris & contradictionis; istum enim spiritum & sensum internum à DEO potiùs esse & infallibilem, an verò mendacem & à diabolo vel propria pertinacia ortum, unde Adversarijs infallibiliter constat? An ex Scriptura? (aliud enim DEI Verbum, ex quo aliquid infallibiliter probari posset, non admittunt) at sic supponunt Scripturam ejúsque sensum certum, de quibus tamen lis est & controversia; imò manifestè cum impijs eúnt in circulum, dum Scripturam (idem est de ejus sensu) probant esse Divinam ex spiritu interno, & spiritum internum probant esse Divinum ex Scriptura, atque adeò incertum per incertum, dubium per dubium, ignotum per ignotum, idem per idem. Vid. præcipuè §§. 1. & 5. art. 1. à p. 86. & p. 92. Tertia propositio, seu *Consequentia*, est legitimè deducta ex Præmissis ritè dispositis, adeóque *formaliter* bona, & innegabilis ab intellectu sano, ut nôrunt boni Dialectici omnes.

Quarta propositio, seu *subsumpta Minor*, clara est omnibus, qui sciunt, formam essentialem veræ Ecclesiæ esse *fidem* infallibiliter veram & Divinam, quod nec Adversarij negant; cùm Ecclesia vera sit cœtus *verè fidelium*, seu infallibiliter veram certâ & Divinam fidem habentium, sine qua fide impossibile est placere DEO, & salvari, ut ipsimet contendunt.

Ultima denique illatio irrefragabiliter sequitur ex præcedentibus, ut nemo non videt, qui aliquid videt.

Iste discursus omnibus Adversarijs non modò arctè constringit, sed & penitus frangit gulam. Quamdiu enim infallibili argumento non probaverint Existentiam, Canonem, Versionem, Puritatem, & Genuinum Sensum Scripturæ (cui unicè inniti, & ex qua sola cæteros articulos probare volunt) quod eos præstare impossibile est in suis principijs, ut luce clariùs ostensum est, hærent & errant in primis fidei principijs, nec ad alias controversias circa Religionem nobiscum ventilandas progredi possunt, utpote in cunis statim suffocati, & quasi fascinati, dum semper ipsis negari potest suppositum, nempe textus, & textuum sensus, quos merâ conjecturâ humanâ possident. Unde, quia Christi Vicarium, legitimum Controversiarum Judicem, abjecerunt, dati sunt in reprobum sensum, in tenebris ambulant sine Duce, sine Pastore, sine Rectore, velut oves errantes vagantur destitutæ pascuis veræ ac salutaris doctrinæ; atque *velut parvuli fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Eph. 4. v. 14. quod dolendum & sanguineis lacrymis deplorandum. Sed nunc ad Ecclesiam, ad infallibilem Controversiarum Judicem, nos progredi oportet, unde de prædictis omnibus infallibilem hauriunt certitudinem & securitatem Catholici.

CON-

CONTROVERSIA FUNDAMENTALIS ET GENERALIS

III.

De Ecclesia.

DEmonstratâ ac solidè firmatâ necessitate præter Scripturam admittendi aliud Verbum DEI non scriptum, ordo doctrinæ nunc postulat, ut illud Oraculum sensibile, per quod DEUS extra Scripturam loquitur fidelibus suis, qui utique, tanquam homines in cognoscendo dependentes à sensibus, sensibiliter docere exigunt, exhibeamus legentibus: quod haud dubiè aliud non est quàm vox veræ Ecclesiæ, de Scripturæ Canone, Puritate, & legitimo sensu pronuntiantis, aliósque fidei articulos, de quibus forte controversia oritur, infallibili auctoritate declarantis, utpote quæ *columna & firmamentum veritatis* est 1. Tim. 2. cui promissa est *assistentia perpetua Spiritûs S eam docturi omnem veritatem.* Jo. 14. & 16. Sed quoniam Ecclesia constat ex omnibus omnino verè fidelibus, hi autem omnes & singuli nec docere nec audiri possunt, officium docendi ad solos Prælatos & Pastores devolvitur, quibus *commissæ sunt oves Christi* Jo. 21. Act. 2. quos *audiri ut seipsum* jussit Dominus Luc. 10. & quibus *obediri* præcepit Apostolus Hebr. 13. Hi igitur Pastores & Ecclesiæ Prælati, præsertim supremus, qui est Pontifex Romanus, & *Papa* dicitur, erit illud os DEI, Fideles instruentis circa ea, quæ vel de ipsis Scripturis controversa, vel in Verbo DEI scripto particulatim & clarè non sunt comprehensa. Itaque Ecclesia definiens, vel potiùs *Papa definiens* (sive cum cæteris Prælatis in Concilio congregatis, sive sine his, ex Cathedra tamen loquens, de quo hîc abstraho, in decursu mentem meam explanaturus) est legitimus, & ille sumè necessarius fidei Controversiarũ Judex.

Controversiam hanc de Ecclesia rectè vocaveris *Pugnam Decretoriam*, eò quòd ultimatò decernat, penes quem ex diversis, qui Christiano gloriantur nomine, Cætibus melior sit causa, & certa victoria. Cùm enim veram Christi Ecclesiam in proponendis fidei dogmatis oporteat esse infallibilem, eo ipso, si de hac constiterit, simul de omnibus fidei dogmatis constabit. Ac proinde inventâ verâ Christi Ecclesiâ, eaque infallibili in suis decisionibus, brevi compendio omnes con-

troversæ quæstiones complanantur, & uno quasi ictu debellatum est contra omnes adversarios; quidquid enim illa definierit, infallibiliter verum, & quidquid reprobaverit, certò falsum sit necesse est. Unde quatuor mihi sumpsi enucleanda. 1. Veram Christi Ecclesiam, sicut perpetuò visibilem, ita pariter infallibilem esse. 2. Hanc veram Christi Ecclesiam nullatenus esse Lutheranam, aut aliam ex Apostatarum Sectis, sed Romano-Catholicam. 3. Nihil omnino valoris inesse ijs, quibus suam esse Christi veram Ecclesiam probare nituntur Lutherani, argumentis. 4. Caput Ecclesiæ, videlicet Romanum Pontificem esse legitimum Controversiarum Fidei Judicem. Itaque in Capite 1. Disseram de natura, membris, & proprietatibus veræ Christi Ecclesiæ. In 2. De Notis, quas vera Christi Ecclesia habere debet, & Catholici adducunt. In 3. De Notis, quas Lutherani perperam adstruunt. 4. De Romano Pontifice. Itaque hæc quatuor Capita erunt velut totidem trophæa Catholicæ veritatis contra omnes ejus desertores & hostes, præsertim Lutheranos, quos directè, immediatè, & nominatim aggredi & devincere animus est; alios verò hujus ævi Sectarios indirectè, mediatè, & tacitè. Quæ enim contra Lutheranos disputari continget, pleraque mutato nomine etiam Calvinistas aliósque ab Ecclesia Romana Apostatas oppugnabunt, iisque facilè applicari poterunt à rerum perito, eò quòd omnes ijsdem ferè telis & clypeis utantur in pugna Polemica.

CAPUT I.

De Natura, Membris, & Proprietatibus Ecclesiæ.

ARTICULUS I.

Quid sit Ecclesia, & quænam illius membra?

SUMMARIUM.

1. *Quid nominis sit Ecclesia?*
2. *Tripliciter accipi solet.*
3. *Dividitur in Universalem & Particularem &c.*
4. *A Sectarijs in Visibilem & Invisibilem, seu in Externam & Interam.*
5. *Quomodo Sectarij definiant Ecclesiam.*
6. *Antequam statuatur definitio Ecclesiæ legitima,*
7. *Statuitur, etiam peccatores & reprobos inter vera membra Ecclesiæ censendos esse.*

8.

8. *Quod probatur 1. ex scriptura S. ac multipliciter confirmatur.*
9. *2. Ex communi & constanti fidelium, & infidelium sensu.*
10. *3. Ex ratione.*
11. *4. Ad hominem.*
12. *Quid Adversarij reponant.*
13. *Ponitur definitio Ecclesiæ.*
14. *Membra Ecclesiæ non sunt Gentiles, Judæi, Turcæ, Hæretici aperti, Apostatæ, & Schismatici nonpurè tales.*
15. *Quid sentiendum de Hæreticis occultis, Excommunicatis, & Catechumenis.*
16. *Ecclesia merè invisibilis repugnat etiam ex principijs Adversariorum.*
17. *Quomodo definitio Ecclesiæ conveniat etiam Synagogæ.*
18. *Solvitur Objectio ex Scriptura S. desumpta.*
19. *Solvitur illius multiplex appendix.*
20. *Objectio ex Patribus.*
21. *Iterum ex Scriptura.*
22. 23 24 25. 26. 27. *Occurritur M. Renzio.*

1. SCiendum 1. Nomen Ecclesiæ derivari à verbo Græco ἐκκαλέω, quod significat *evoco, extrà voco.* Proinde Ecclesia juxta etymologiam suam est evocatio hominum, vel cætus è mundo evocatorum. Et rectè quidem sic appellatur, quia nemo ad Ecclesiam pervenit, nisi evocatus à Deo, & præventus vocatione Divina, quod est primum & ineffabile Dei beneficium, ad veram Religionem ex tot falsis cætibus hominem perducentis. Rectè siquidem hìc supponitur ex alibi demonstratis, quòd detur aliqua Religio revelata & grata Deo, eaque unica tantùm in Mundo, in qua obtineri possit salus, & felicitas æterna. Vide à pag. 36. & 60. seqq.

2. Sciendum 2. Nomen Ecclesiæ tum in Scriptura, tum in communi loquendi usu accipi præcipuè tripliciter. 1. pro *loco*, ubi convenire solent evocati; quo sensu templa nostra vocamus Ecclesias, & Judith 6. v. 21. dicitur: *Convocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt.* 2. Pro *cætu* seu congregatione hominum *quacunque* tam fidelium quàm infidelium. Sic Psalmista Psal. 149. v. 1. ait: *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.* Et Psal. 25. v. 5. *Odivi Ecclesiam malignantium.* 3. Pro *cætu fidelium* tantùm, quæ acceptio huic loco propria est, & recepta inter Doctores tam Orthodoxos quam Heterodoxos multos, quando tractant de Ecclesia. Atque in hoc sensu locutus est Paulus Rom. 16. v. 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi*, nimirum Ecclesiæ Particulares; nam

3. Sciendum 3. Ecclesiam dividi in Universalem & Particularem. *Universalis* est, quæ complectitur omnes omnino fideles totius Mundi, & conflatur ex Ecclesijs particularibus. *Particularis* est pars tantùm Ecclesiæ Universalis, & complectitur fideles unius duntaxat provinciæ, & loci. Ulteriùs dividitur Ecclesia in Militantem, Purgan-

gantem, & Triumphantem. *Militans* est cœtus fidelium, adhuc in terris degentium. *Purgans* est cœtus defunctorum justorum, qui detinentur in Purgatorio ad aliquod tempus. *Triumphans* est cœtus Sanctorum, qui in cœlis jam triumphant cum Christo.

4. Sciendum 4. à Lutheranis & Calvinistis Ecclesiam dividi in Ecclesiam Visibilem, & Invisibilem. *Visibilem* vocant cœtum fidelium, in quo etiam hypocritæ & mali continentur præter veros Fideles, Sanctos, & Electos, qui soli verè & propriè sunt membra Ecclesiæ; mali autem (juxta Calvinistas reprobi) & hypocritæ juxta ipsos non sunt vera membra Ecclesiæ, sed tantùm impropriè, eò quòd vera fide interna, sanctitate, & electione destituti sint, quamvis exteriùs eandem cum Sanctis & Electis fidem profiteantur, ijsdémque Sacramentis utantur: propter quam externam societatem eos ad Ecclesiam visibilem tantùm pertinere dicunt. *Invisibilem* appellant cœtum verè fidelium, seu Sanctorum, & verè credentium (nam juxta Lutheranus, qui verè credunt, hoc ipso sunt sancti & justi, scilicet justitiâ Christi sibi imputatâ) sive electorum, qui scilicet per fidem internam specialem apprehendunt justitiam Christi, spiritualiter regenerantur, Spiritu DEI aguntur, & vinculo Spiritûs ac interna societate colligantur, qui proinde, cùm soli DEO sint noti, à Mundo verò conspici nequeant, Ecclesiam Christi invisibilem constituunt, & dilectam ejus Sponsam, utpote in qua nullus est nisi sanctus & electus. Porro Ecclesiam visibilem vocant etiam Ecclesiam *Externam*, & Ecclesiam *Vocatorum*; Invisibilem verò vocant etiam *Internam*, & Ecclesiam *Electorum*. Nomine autem *Electorum* non intelligunt Lutherani illos, qui absoluto DEI decreto sunt electi seu prædestinati (quod Calvinistæ aiunt) sed verè credentes, interna regeneratione præditos, & fræna non laxantes peccatis, hoc est, Sanctos. Videatur Joan. Gerardus in Academ. Jenensi Professor, & ferè præcipuus ex DD. Lutheranis, quem passim modò sequuntur, in LL. Theol. tit. de Ecclesia n. 15. n. 50. & alibi sæpius. Quàm mala autem & coacta sit hæc divisio Protestantium (ex dira enim necessitate eam excogitârunt, ne ostendere debeant, ubi fuerit vera Christi Ecclesia per mille & ampliùs annos ante Lutherum) patebit ex dicendis tum in hoc, tum in 3. articulo, ex quibus constabit, etiam malos, peccatores, & reprobos esse vera Ecclesiæ membra & propriè dicta, neque possibilem esse Ecclesiam Christi meræ invisibilem, quæ externa fidei professione, sensibili Verbi Divini prædicatione, & visibili Sacramentorum participatione penitus destituta sit, & Mundo incognita. Prius tamen

5. Sciendum 5. A. Lutheranis & Calvinistis conformiter suæ divisioni sequentem in modum definiri Ecclesiam. Gerardus loc. cit. n. 79. sic ait: *Definimus Ecclesiam, quòd sit Cœtus hominum doctrinam Divinam profitentium, & Sacramentis divinitus institutis utentium, in quo Cœtu sunt sancti, hoc est, verè credentes & electi, qui sunt vera & viva Ecclesiæ membra, quia*

quibus in hac vita mixti sunt non sancti, sed tamen in doctrina consentientes, qui ad externam duntaxat Ecclesiæ societatem pertinent. Confessio Augustana art. 7. ita definit: Est *congregatio Sanctorum* (Germanica editio sic habet: Ein Versammlung aller Gläubigen / non sine fraude Compilatorum, qui in Germanico noluerunt Ecclesiam vocare ein Versammlung der Heiligen / utique ne offenderent inassuetas novæ definitioni aures Germanorum) *in qua Evangelium purè docetur, & rectè administrantur Sacramenta.* Art. verò 8. addit: Quòd *in hac vita congregationi Sanctorum, & verè credentium multi hypocritæ & mali admixti sint.* Ferè eodem modo Ecclesiam describunt Calvinistæ in sua Confessione Gallica art. 27. apud Masenium in Conclusione Meditatæ Concordiæ c. 2. *Est Cœtus fidelium, qui in Verbo DEI sequendo, & pura Religione colenda consentiunt &c. minimè tamen inficiamur, quin inter hos hypocritæ & reprobi multi sint permisti.* Isti tamen mali & reprobi, quos dicunt admixtos esse Ecclesiæ, juxta Lutheranos & Calvinistas non sunt vera membra Ecclesiæ, sed solùm secundùm externam societatem, ut loquitur Apologia Aug. Conf. hoc est, secundùm externam professionem Verbi, & Sacramentorum usum. Aham adhuc definitionem (Ecclesiæ nimirum Visibilis) afferunt Lutherani in Catechesi Lutheri ex Dieterico apud cit. Masenium, dum dicunt: *Ecclesia est Cœtus hominum vocatorum visibilis amplectentium Verbum DEI, & rectè utentium Sacramentis.* In hac definitione Ecclesiæ includunt omnes, qui exteriùs profitentur eandem fidem, & ijsdem utuntur Sacramentis, in priore excludunt: quidni ergo dicamus, eos admittere duas Ecclesias realiter distinctas, quarum una sit Invisibilis Sanctorum, & formaliter excludat improbos, altera Visibilis sit, & eos includat! Quod tamen nullatenus pati volunt, sed apertè protestatur contrà Gerardus n. 51. dicens: *Nequaquam statuimus duas Ecclesias, unam veram & internam, alteram nominalem & externam, sed dicimus, Ecclesiam unam eandémque, totum scilicet Cœtum Vocatorum, dupliciter considerari, scilicet respectu vocationis & externæ societatis in fidei professione &c. & respectu interioris regenerationis & internæ societatis in vinculo Spiritûs consistentis.* Similia habet Lomerus in seinem Bamier p. 141. ubi ait, quòd Ecclesia visibilis & invisibilis non tam sint duæ Ecclesiæ, quàm diversæ considerationes & status ejusdem Ecclesiæ.

6. Sciendum 6. Longè meliùs à nobis poni definitionem Ecclesiæ, postquam priùs constiterit, utrùm improbi, peccatores (reprobi) & non justi, sint vera & propriè dicta membra Ecclesiæ, etiamsi careant internis virtutibus fiduciæ in meritis Christi, charitatis &c. modò exteriùs profiteantur veram fidem, sint baptizati seu renati, & ijsdem Sacramentis utantur cum veris fidelibus, debitamque obedientiam præstent Capiti & Pastori visibili. Quo obstaculo, quod hic nequiter ponunt Protestan-

stantes ad complanandam viam Ecclesiæ suæ Invisibili, remoto longè facilius erit accuratam Ecclesiæ definitionem ponere, & indè etiam colligere, quid sentiendum de Hæreticis tum apertis tum occultis, de Schismaticis, Excommuncatis, & Catechumenis, utrùm sint membra Ecclesiæ, nec ne. Quippe de his, quia nihil adhuc ab Ecclesia decisum est, litigatur etiam inter Catholicos. De illis verò, nimirum de improbis & reprobis, quòd possint esse vera & propriè dicta membra Ecclesiæ (licèt non sint membra viva, vitâ charitate perfectâ) est fidei doctrina, cum qua

7. Dico 1. Etiam peccatores, injusti, improbi, & reprobi sunt vera membra Ecclesiæ, modò non habeant peccatum infidelitatis. Pro majori intelligentia nostræ assertionis noto ex S. August. & alijs Ecclesiæ Patribus, atque Doctoribus, ex Bellarm. imò & ex Gerardo Lutherano in LL. Theol. de Ecclesia c. 6. n. 53. quòd Ecclesia sit *corpus vivum*, in quo est quasi anima & corpus; nimirum externa fidei professio & sensibilis usus Sacramentorum sunt quasi corpus, virtutes autem internæ, fides, spes, charitas, aliaque dona supernaturalia sunt quasi anima. Et sicut in corpore vivo aliqua membra magis, aliqua minùs participant vitam, & operationes vitales vel nullas, vel imperfectas exercent, uti ossa, medulla, ungues, capilli, & juxta probabilem sententiam Philosophorum etiam sanguis, qui, quamvis fortè vivat, nullas tamen elicit operationes vitales; quæ tamen imperfecta membra & partes corporis humani nihilominus sunt vera & propriè dicta membra ac partes, licèt minùs participent de vita. Ita etiam in corpore vivo Ecclesiæ contingit, ut aliqua membra plus vitæ spiritualis participent, & nobiliores operationes spiritûs eliciant, utpote vitam perfectam charitatis habentia; aliqua verò minus participent, & vel nullas vel non nisi tenues operationes sanctas eliciant, nimirum solius fidei, dum recipiunt ab Ecclesia & profitentur doctrinam Christianam, in fide proficiunt, & filios etiam spirituales per prædicationem veræ doctrinæ generant. In his itaque membris (secundùm charitatem mortuis & aridis) invenitur tamen adhuc aliqua vita, licèt non tam perfecta, uti est in Justis, Sanctis, & charitate instructis, invenitur tamen vita fidei & operationes ejus. Rursus sicut in corpore vivo v. g. in homine aliqua membra ac partes necessariò sunt visibiles & externæ, uti caput, oculi, aures &c. aliæ autem partes sunt internæ & non visibiles, uti anima, cor, hepar, spiritus vitales &c. Ita ubi est vera Ecclesia, seu cætus fidelium, debent in eo aliquæ partes necessariò esse externæ & visibiles, uti est prædicatio Verbi Divini & professio fidei externa, item sensibilis perceptio ac distributio Sacramentorum: aliæ autem debent esse internæ & non visibiles Mundo, ut ipsa vera fides, quæ est actus intellectûs, spes, charitas, & aliæ virtutes. Quæ tamen virtutes internæ (excepta fortè fide, cùm certum non sit, an non hæretici solùm interni sint membra Ecclesiæ) non necessariò insunt

omni-

omnibus & singulis Ecclesiæ membris ac partibus; sicut cor, hepar, spiritus vitales &c. non necessariò insunt omnibus & singulis membris ac partibus corporis vivi v. g. hominis. Peccatores igitur, injusti, & improbi non desinunt esse vera & propriè dicta membra ac partes Ecclesiæ, licèt non sint membra tam nobilia & perfecta, qualia sunt Sancti & Justi. Præmissa & bene notata hac explicatione & paritate

Probatur assertio 1. ex S. Scriptura, 8, in qua, fatentibus etiam Adversarijs, nominatim Gerardo n. 32. & alibi, consequenter etiam Lomero, qui id satis supponit in der Rettung seines Frideu-Gemählds p. 31. In qua, inquam, Ecclesia Christi comparatur 1. *areæ*. Mat. 3. v. 12. in qua congregantur triticum & paleæ. 2. *sagenæ* & reti Mat. 13. v. 47. pisces bonos & malos concludenti. 3. *agro* ibid. v. 24. in quo bonum quidem seminatur semen, sed ab inimico superseminantur Zizania. 4. *decem Virginibus*, Mat. 25. v. 1. quarum quinque prudentes & quinque fatuæ. 5. *magnæ domui* 2. Tim. 2. in qua sunt non solùm vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: quædam in honorem, quædam in contumeliam. 6. *corpori* Rom. 12. v. 4. quod habet multa membra, quæ tamen non eundem actum habent, sed diversas operationes. Hæc testimonia Scripturæ tam sunt luculenta, ut nemo refragari possit nisi pervicax. Adhibe hic comparationē deductam n. 7. cum corpore vivo.

Confirmatur 1. Ecclesia Christi etiam comparatur *Civitati* Mat. 5. atqui in Civitate sunt boni & mali cives; nec ille, qui officium boni civis non facit, eo ipso desinit esse civis, & jure Civitatis privatus est (quamvis malus sit civis) nisi apertè deficiat, vel per sententiam ejiciatur. 2. *Arcæ* Noë Gen. 6. & 7. in qua omnis generis animalia continebantur, munda & immunda. 3. *Corpori*, 1. Cor. 12. in quo varia membra varias habent gratias & Charismata, & quidem aliqua tantùm fidei: *alteri fides in eodem spiritu*.

Confirmatur 2. Gratis requiritur plus ad verum fidelem, quàm Paulus requisivit Gal. 3. v. 26. dicens: *Omnes enim Filij DEI estis per fidem, quæ est in Christo JESU. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et 1. Cor. 12. *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus*. Qui igitur Christum profitetur per fidem, & baptizatus est, Christi Corporis membrum & fidelis efficitur. Quamquam alibi requiratur etiam Charitas, sine qua nec Baptismus nec fides sufficit, ad salutem, & ut aliquis sit *dilectus* Filius Dei. Ad hoc autem, ut aliquis simpliciter dicatur Filius Dei, aut Christum induisse, non requiritur justitia, Charitas, & Sanctitas; cùm utique non *omnes* Galatæ fuerint sancti, quamquam *omnes* dicantur Filij Dei, & Christum induti.

Confirmatur 3. Ex Corinthijs unus in talem fornicationem lapsus est, ut etiam haberet uxorem patris 1. Cor. 5. & tamen fuit adhuc membrum Ecclesiæ, quia Apostolus eum jussit expelli per excommunicationem, dicens: *Ut tollatur de medio vestrùm* v. 2. *Cum ejusmodi nec cibum sumere. quid enim*

enim mihi de ijs, qui foris sunt, judicare? v. 22. ergo gravissimi peccatores, modò non sint excommunicati & exclusi à cætu fidelium, sunt adhuc membra veræ Ecclesiæ. Sic pariter in antiqua Lege erant gravissimi peccatores, & tamen non legimus, quòd à Moyse, Samuele, & alijs Prophetis ac Justis fuerint separati à populo fideli, & exclusi à Templo, Altari, Sacrificio, & ijs rebus, quæ spectant ad Religionem.

Confirmatur 4. D. Petrus præcepit *obedire Præpositis, etiam malis & dyscolis* 1. Petri 2. v. 18. Et Christus justsit *servare & facere, quæcunque dixerint*, Mat. 23. v. 3. Atqui non decet, ut vera Ecclesiæ membra obediant ijs, qui non sunt de Ecclesia: ergo Præpositi mali sunt de Ecclesia. Et quis dicat, quòd Prælati Ecclesiæ, si peccent, uti in tanta infirmitate pronum est, statim desinant esse in Ecclesia, & sic desinant esse Prælati Ecclesiæ, consequenter nemo sit obligatus ad ijs parendum? Quanta hæc foret confusio in Ecclesia Christi! quam Christus utique velle non potuit.

9. Probatur 2. ex communi atque constanti sensu fidelium, qui à temporibus Apostolorum usque ad nostra semper habuerunt pro fidelibus & veris Ecclesiæ membris illos omnes, qui fuerunt baptizati, nullique adhærebant sectæ & novitati, nullo habito discrimine inter bonos & malos. Atque congregatio ex his utrisque sine discrimine ad sanctitatem, quæ exterius cognosci non potest, non solùm ab ipsis Christianis censebatur esse Ecclesia Christi, verùm etiam à non Christianis & persecutoribus Ecclesiæ, qui eos duntaxat persequebantur, qui baptizati profitebantur Christum & doctrinam Catholicæ fidei, non attendentes an boni vel mali essent. Id quod hodiedum experimur à Sectarijs, qui nos Catholicos odisse solent propter solam fidem diversam, nec curant, an moribus boni vel mali simus.

Confirmatur ex PP. sensu, ex quibus brevitatis causâ solummodo duos producam, S. Hieronymum, & S. Augustinum, qui etiam apud prudentiores Adversarios in magna sunt auctoritate. S. Hieron. in c. 1. ep. ad Eph. pronuntiat: *Omnes Sancti fideles, non omnes fideles sancti.* Cùm verò Bellarminus putet, Commentaria illa *in omnes Epistolas S. Pauli* non esse S. Hieronymi, quamvis inter illius opera tom. 8. reperiantur, subjungo alium textum ejusdem sancti Doctoris, quem habet in commentario certo & indubitato in idem Caput 1. ad Eph. in to. 6. ubi sic in eundem sensum comentatur: *sunt quippe plures fideles, sed non in Christo JEsu. Quo modo enim caput plurima sibi habet membra subjecta, è quibus sunt nonnulla vitiosa & debilia; ita & Dominus noster Jesus Christus, cùm sit caput Ecclesiæ, habet membra eos omnes, qui in Ecclesia congregantur, tam sanctos videlicet quàm peccatores sed sanctos voluntate, peccatores verò sibi necessitate subjectos. Atque ita fit, ut etiam inimici subjecti sint pedibus ejus.* Et in Dial. adverf. Luciferian. *Arca Noe Ecclesiæ typus fuit &c. ut in illa omnium animalium genera, ita & in* 10.

hac

hæ universarum & gentium & morum homines sunt &c. justi & peccatores, id est, vasa aurea & argentea, lignea & fictilia. S. Augustinus verò tract. 6. in Joan. circa medium ita docet: *Nos fatemur, in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas.* Quid clariùs in rem nostram & terminis magis expressivis dici possit, non video. Dein in Brevic. Collationis cum Donatistis collat. tert. dici c. 8. & 9. sic narrat, & simul mentem suam explicat: *Donatistæ* (sicut nunc Lutherani faciunt) *prolatis multis testimonijs Divinarum Scripturarum, quòd Ecclesia DEI non cum malorum hominum commixtione futura prædicta sit, ostendere tentaverunt. Tamen postea, cùm ad Evangelicam similitudinem venissent, quam Catholici in mandato suo posuerant, de retibus in mare missis, quibus congregari dixit Dominus omnia genera piscium, & bonos à malis in littore, hoc est, in fine sæculi separari; etiam ipsi fassi sunt, in Ecclesia esse permixtos saltem occultos malos.* Et infrà: *Ipse (Cyprianus sic intellexit, sic scripsit, quemadmodum ea Catholici in suo Mandato posuerunt: quod & dominus Judam ad exemplum malorum in Ecclesia tolerandorum pertulerit; & Paulus eos, qui Christum per invidiam annuntiabant, non extra sed intra Ecclesiam sustinuerit.* Rursus: *sic ostendentes* (Catholici) *Divina testimonia consonare, utì & illa, quibus commendaretur Ecclesia cum malorum commixtione, hoc tempus ejus significarent, qualis est in præsenti sæculo, & illa testimonia, quibus commendatur, non habere commixtos malos, illud ejus tempus significarent, qualis in æternum venturo sæculo futura est: sicut nunc mortalis est, id est, ex mortalibus hominibus constat, tunc autem immortalis erit, quando in ea nemo morietur.* Denique l. 4. contra Cresconium Grammaticum (ut alios quàm plurimos textus prætream) c. 59. sic ait: *frumenta sola in horrea recondentur, nunc Ecclesia tanquam area cum palea trituratur. Hoc est, quod vos urget ac premit, &, nisi corrigamini, extinguit.* Capite vobis hoc ô Lutherani & Calviniſtæ!

Probatur 3. ex ratione. Si solùm justi & electi sunt in Ecclesia, tunc dantur duæ Ecclesiæ Christi omnino diversæ, quarum una sit vera & invisibilis, altera apparens tantùm & visibilis, consistens in malis, hypocritis, & non electis: sed hoc est contra Scripturam, Symbolum Apostolorum, Concilia, Patres &c. qui tantùm loquuntur de *una* Christi Ecclesia in terris adhuc militante, imò & contra Adversarios, utì vidimus sciendo 5. ergo. M. P. Vel Ecclesia invisibilis, constans ex meris Justis & Sanctis, est tota Christi Ecclesia, vel tantùm pars? Si tota: admittitur duplex Christi Ecclesia, quia præter hanc datur alia, quam vocant visibilem Ecclesiam, complectens simul peccatores, injustos, hypocritas, cætui illi, in quo existunt justi & sancti fidem internam exteriùs profitentes, sociatos, & immixtos, quam Ecclesiam honorant etiam titulò *Ecclesiæ Christi*, quantumvis pecca- 10.

tores simul cum sanctis complexam, compulsi à Scriptura, quæ Ecclesiam Christi comparat areæ congreganti tritieum & paleas &c. Imò admittunt specialem definitionem Ecclesiæ visibilis, ut constat ex n. 5. Si verò dicant, quòd Ecclesia invisibilis Sanctorum sit tantùm pars Ecclesiæ Christi, habemus intentum; altera enim pars erit Ecclesia visibilis, constans ex justis & peccatoribus eandem fidem profitentibus: & sic tam peccatores quàm sancti erunt partes, seu membra Ecclesiæ constitutiva.

Confirmatur. Si soli boni & justi sunt in & de Ecclesia, sequitur 1. Neminem posse scire, ubi & quænam sit vera Christi Ecclesia; quia nemo scire potest certò, ubi & quinam determinatè sint revera boni, justi, & sancti. Sequitur 2. Frustra Christum instituisse Pœnitentiam, quia instituit pro ijs, qui sunt membra Ecclesiæ: nemo autem juxta Adversarios est Ecclesiæ membrum, nisi sit justus & sanctus: hujusmodi autem non opus habent pœnitentiâ.

21. Probatur 4. ad hominem. Si soli Justi & Sancti sunt vera membra Ecclesiæ Christi, tunc nullus Lutheranus est in & de Ecclesia Christi, seu verum membrum: sed Consequens admittere renuent Lutherani: ergo nec Antecedens debent admittere. M. P. Nullus Lutheranus est justus & sanctus: ergo. A. P. Juxta Lutheranorum principia, quæ refert & sequitur etiam M. Lomer Præco Augustanus in seiner fortgesetzten Abfertigung p. 19. 20. 193. 195. 196. 230. 265. 288. 406. Item 217. 429. 430. omnes, etiam Renati, sunt peccatores, tum propter peccatum originale, quod semper manet, tum propter actualia, quæ committuntur constanter etiam ab infantibus, fatuis, dormientibus, per motus concupiscentiæ etiam involuntarios, & indeliberatos, item per omnia opera etiam pia, quia juxta ipsos, sunt semper peccaminosa, &, si DEUS secundùm rigorem ea judicare velit, æternò supplicio inferni digna; cùm mandata DEI perfectè observari non possint, & negatio hujus perfectæ observationis, quam DEUS exigit in se diligendo, & in vitandis concupiscentiæ motibus, sit ex se peccatum mortale; nam juxta Lutheranos omnia peccata sunt ex natura sua mortifera, & æterno gehennæ supplicio digna, etiamsi homo careat libertate arbitrij ad faciendum actum bonum spiritualem, & ad vitandum malum. Cùm igitur juxta hanc doctrinam Lutheranorum omnes homines sint peccatores, injusti, æterna damnatione digni, quia semper peccant; quod etiam ex Scriptura probare volunt, quæ dicit: *in multis offendimus omnes.* Jac. 3. v. 2. *Septies enim cadet justus.* Prov. 24. 16. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* 1. Jo. 1. v. 8. Et quis est ex Lutheranis, qui utpote cupiditatibus carnalibus & terrenis implicitus, non quotidie imò singulis ferè momentis peccet cogitationibus vanis, carnalibus, invidis, vindicativis &c. verbis otiosis, scurrilibus, charitatem proximi lædentibus &c. sensuum oblectamentis, torpore in servitio & dilectio-

ctione DEI &c.? Cùm igitur, inquam, omnes Lutherani sint peccatores, & quidem inferno digni juxta propria dogmata; nullus ex eis erit verum membrum Ecclesiæ Christi, & consequenter nullus salvandus.

12. Dices 1. quamvis omnes sint peccatores, non tamen omnes sunt injusti, impij &c. præcisè peccatores sunt & dici possunt omnes, quia omnes *habent peccatum, illud tamen non omnes permittunt regnare in suo mortali corpore*; econtra qui *faciunt peccatum*, & *iniquitatem operantur* (nimirum deliberatè & dedità operâ) illi peccatum in se regnare sinunt, & ideo sunt impij, injusti &c. Isti non sunt de Ecclesia, quamvis sint illi, qui præcisè *habent* peccatum. R. habere peccatum (nondum pœnitentiâ deletum & sublatum) constituit animam æquè peccatricem & injustam, ac operari & facere peccatum: nec aliter differunt, quàm quòd in uno casu peccatum actu committatur, in altero autem jam sit antea commissum: utique dormiens post commissum peccatum furti vel adulterij manet injustus, impius &c. etsi actu non furetur &c. modò priùs per pœnitentiam non deleverit istud peccatum: juxta Adversarios autem nunquam deletur vel tollitur ullum peccatum per pœnitentiam, sed tantùm tegitur: ergo semper adest peccatum & iniquitas, quæ non potest non displicere Deo, ubicunque est, nec esse ignota: nunquid *odio est Deo impius & impietas ejus?* Sap. 14. Deinde nunquam non *operantur* peccatum Lutherani, si non committendo aliquid contra Legem Dei, & ex passione concupiscentiæ, saltem omittendo, ad quod obligat Lex æterna. At non libere & deliberatè, replicabis. Datur ergo libertas ad peccandum? ergo etiam ad non peccandum (quod alibi totis viribus negatis) nam liberè & deliberatè peccare est ita peccare, ut aliquis posset non peccare.

Dices 2. Lutheranos justificari & resurgere à peccatis per fidem in Christum. Sed contra est 1. Quia non possunt credere, ut oportet, in Christum, utpote carentes libero arbitrio in rebus spiritualibus internis. Lomer p. 217. DEUS autem non remittit peccatum, nec justificationem operatur in homine, nisi homo se priùs convertat ad DEUM per pœnitentiam juxta illud: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Zach. 1. v. 3. *Si conversi egerint pœnitentiam, propitiare peccato populi tui.* 2. Paral. 6. v. 24. 25. 2. Quia non possunt amare DEUM, ut oportet, ex eadem ratione: fides autem sine charitate nihil prodest. 1. Cor. 13. v. 2. 3. *Et fides sine operibus mortua est.* Jac. 2. v. 29. Item nunquam potest amari DEUS, quantùm amari se præcipit, juxta Lutheranos, & sic in omni dilectione peccant; quomodo ergo per & cum actu peccaminoso ex peccatoribus fient justi? 3. Quia sine pœnitentia non dimittitur peccatum, nec homo peccator sine illa fit justus: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 13. v. 3. 5. Atqui in sola fide non consistit pœnitentia, quæ essentialiter involvit dolorem & detestationem peccati. 4.

Quia etiamsi per solam fidem (quod tamen est impossibile juxta præsens Dei Decretum) resurgerent, mox iterum relaberentur, & sic rarò essent vera Ecclesiæ membra, & quamvis per unum vel alterum momentum essent, mox iterum desinerent, & extra Ecclesiam morerentur, æterna damnatione digni ferè semper, nisi morerentur cum actuali fide, seu in ipso actu fidei.

Advertere hic placet consensionem, quæ Lutheranis hac in parte intercedit cum Novatianis & Donatistis, pridem ab Ecclesia damnatis, quos & ipsi Lutherani pro Hæreticis habent. *Novatiani*, ut tradit Bellarm. l. 3. de Eccl. Milit. c. 2. in suo cœtu omnes peccatores retinebant ijs exceptis, qui lapsi fuissent circa fidem: atqui Lutherani idem faciunt, dum docent, nullum peccatum excludere ab Ecclesia, nisi peccatum infidelitatis, eò quòd omne peccatum deliberatè admissum tollat fidem; cætera autem peccata *infirmitatis*, ut vocant, nihil obesse. Dein *Donatistæ* ijsdem argumentis impugnabant Catholicos, ut patet ex breviculo collationis cum Donatistis collat. tert. dici apud S. August. quibus hodie Catholicos impugnant Lutherani. Vid. n. 10.*

13. Dico 2. Ecclesia Christi rectè definiri potest hoc modo: *est Cœtus vocatorum ad justitiam & salutem acquirendam per puram Verbi prædicationem & fidem, legitimúmque Sacramentorum usum, sub regimine Pastorum à Christo institutorum.* Ita P. Vitus Erbermann in suis Trophæis Troph. 1. Juxta mentem & communem sensum Theologorum Catholicorum. Quippe re ipsa & in essentialibus conveniat hæc definitio cum Bellarmini, qui sic definit: *Est Cœtus omnium ejusdem Christianæ fidei professione, ac eorundem Sacramentorum Communione colligatus sub regimine unius Christi in terris Vicarij, seu Romani Pontificis.* Item cum definitione, quam tradunt DD. à Wallenburch de Unit. Eccl. l. 1. cap. 1. *Est Congregatio hominum à Deo per Evangelicam doctrinam convocatorum, veram fidem Christianam sub legitimorum Pastorum regimine profitentium.* Idem exprimere volunt alij paucioribus verbis, dicentes: *Est Congregatio omnium Christi fidelium: Cœtus fidelium &c.* In Scripturis autem appellatur Corpus Christi, Sponsa Christi, Regnum cœlorum, Civitas Dei, Domus Dei, Vinea Domini, Amica Christi, Hortus conclusus, Paradisus, Arca Noë, Ager, Granum synapis, Thesaurus, Sagena &c.

Colliges nunc ex dictis 1. Vera 14.
Ecclesiæ membra esse omnes & solos, qui pura fidei professione ac debito Sacramentorum usu sub uno Pastore visibili, Christi vicario, Romano Pontifice non solùm Deo, sed & hominibus innotescunt, sive dein sint sancti & justi, sive peccatores aut reprobi. Econtra Ecclesiæ membra non esse, qui non profitentur purè & integrè fidem Christi, nec Sacramento Baptismi initiati sunt, nec alijs Sacramentis à Christo institutis utuntur, nec Christi Vicarium, Universalem Pastorem, qui est Romanus Pontifex, agnoscunt, nec obediunt eidem. Unde membra Ecclesiæ ex-

certò non sunt infideles omnes, seu non haptizati, uti *Gentiles*, *Judæi*, *Turcæ*. Item *Hæretici*, *saltem apertí*, *Apostatæ*, *& Schismatici* non purè tales, sed qui simul, ut ordinariè fit, habent errorem in fide cum pertinacia. Si verò sint *purè Schismatici*, hoc est, præcisè inobedientes legitimo Pastori citra errorem in aliquo fidei articulo, probabiliùs sunt membra Ecclesiæ, sicut civis inobediens suo Magistratui manet adhuc civis.

15. Quid autem sentiendum de Hæreticis occultis, Excommunicatis, & Catechumenis, variant Doctores, etiam Catholici. *Hæreticos occultos* simpliciter excludit Turrecremata & alij apud Tannerum, non excludit Bellarminus & alij, utrique non sine probabili ratione. Fortè sic conciliantur: Hæretici occulti apparenter & in foro externo sunt in Ecclesia, realiter & in foro conscientiæ sunt extra. Id certum est, quòd Prælati, si sint occulti hæretici, retineant suam jurisdictionem in bonum Ecclesiæ; non enim in moralibus necesse est, ut ille, qui caput est (præsertim si non sit sermo de supremo Capite) sit etiam membrum, &, qui præest, etiam fidem interiùs habeat; nam similitudo Capitis respectu Ecclesiæ non procedit in omnibus, sed solùm quoad dignitatem, potestatem, & præeminentiam. Neque Christus fuit membrum Ecclesiæ, nec fidem habere potuit, & tamen fuit Caput Ecclesiæ olim visibile, nunc invisibile. *Excommunicati*, si non habeant errorem in fide, probabiliter sunt membra Ecclesiæ absolutè, licèt secundùm quid, nempe secundùm communionem cum fidelibus in bonis operibus & Sacramentorum participatione, sint ad tempus, donec resipiscant, resecti; excommunicatio enim est pœna Medicinalis: sicut autem medicina corporalis non removet membrum à corpore omnino, sed affligit, ut sanet; ita hæc medicina spiritualis. *Catechumeni* denique, qui quidem jam profitentur fidem Christi, nondum tamen baptizati sint, sed Baptismum adhuc desiderant, possunt dici esse membra Ecclesiæ in voto, & secundùm quid, non tamen actu, absolutè, & completè.

16. Colliges 2. Quid sentiendum de definitionibus Ecclesiæ, & devisionibus ejusdem in visibilem & invisibilem, quas suprà adduximus ex Lutheranorum & Calvinistarum libris Symbolicis & Doctoribus. Quippe Ecclesia non solùm complectitur Sanctos & Electos, sed etiam vocatos tantùm, peccatores, improbos, & reprobos, si veram fidem retineant & profiteantur &c. Ecclesia autem invisibilis soli DEO cognita implicat, cùm essentialiter requiratur fidei professio & Sacramentorum sensibilis usus, ac agnitio visibilis Christi Vicarij, quem suæ Ecclesiæ Christus constituit; cùm ejus Ecclesia sit Regnum, Domus, Navis, Civitas &c. sed illa non sunt bene constituta sine Rectore, Patrefamilias, Navarcho, Gubernatore &c.

17. Colliges 3. Nostram Ecclesiæ definitionem etiam convenire Ecclesiæ Veteris Testamenti, seu Synagogæ, quæ proinde essentialiter non differt ab Ecclesia Christi, sed tantùm accidentaliter,

ter, quia tunc in venturum, nunc verò in præsentem creditur Christum Mundi Messiam, & præsente figurato cessárunt figuræ; quia omnia, quæ nunc creduntur, jam tum credita sunt implicitè & generaliter, licèt non distinctè & explicitè, utpote nondum ita distinctè revelata. Propter majorem hanc Divinorum Mysteriorum revelationem & lucem Evangelicam, propter pauciora & nobiliora præcepta, propter abundantiores gratias, quas habemus ex præsentia Christi, propter efficaciora & sanctiora Sacramenta clarior, facilior, nobilior, æstimabilior, & sanctior est Ecclesia Christi, quàm Ecclesia Judaica, quæ propterea communiter non Ecclesia, sed Synagoga appellari consuevit; cùm Synagoga significet *Congregationem* tantùm, quæ ex se hominibus & bestijs congruere potest, Ecclesia autem significet *Evocationem*, evocari autem solis hominibus proprium sit, ut notat Bellarminus.

Solvuntur Objectiones.

18. OB. 1. Ecclesia in Scripturis & Symbolis dicitur *sancta*, *tota pulchra*, *non habens maculam & rugam*, *redempta à Christo*, *vivificata*, *acta à Spiritu S.* &c. Sed hæc prædicata honorifica non possunt convenire toti multitudini Christianam fidem profitenti, sed solùm justis, sanctis, & electis: ergo Ecclesia non est congregatio omnium, tam peccatorum, quàm sanctorum & justorum, sed solummodo sanctorum.

R. 1. N. m. vel dist. Non possunt convenire toti multitudini denominativè sumptæ. N. m. formaliter sumptæ, ita ut singulis membris seorsim conveniant. C. m. Etiamsi hæc prædicata tantùm aliquibus & præcipuis membris Ecclesiæ conveniant formaliter & inhæsivè, tamen rectè dicuntur de tota Ecclesia: Sic totus exercitus rectè denominatur & dicitur gloriosus, victoriosus, fortis, licet in eo sint multi ignavi, imbelles, & ingens lixarum grex: Sic totum regnum rectè denominatur & dicitur opulentum, licèt multos habeat paupertate pressos: Sic tota civitas rectè denominatur optimè ordinata, prudens, laboriosa, negotiosa &c. licèt in ea sint mali, turbulenti, pigri &c. scilicet denominatio fit vel à potiore numero, vel à præstantia præcipuorum membrorum. Sancti autem & justi sunt præcipua Ecclesiæ membra. R. 2. Dist. aliter m. hæc prædicata (esse *sanctam*, *totam pulchram* &c.) non conveniunt Ecclesiæ ratione singulorum membrorum. C. m. Ratione quorundam. N. m. Dein conveniunt ipsi ratione Auctoris, doctrinæ, finis, mediorum, præceptorum, Sacramentorum, quæ omnia ex toto sancta sunt, immaculata, pulchra, & sine ruga. R. 3. Hoc argumento posse optimè pro se uti, siquid valeat, 1. Pelagianos & Anabaptistas, juxta quos Ecclesia est *Congregatio perfectorum*. 2. Calvinistas, juxta quos Ecclesia est *Congregatio sanctorum*

Pra-

Prædestinatorum, seu absoluto DEI decreto electorum; quòd Lutherani nec volunt nec possunt admittere. 3. Novatianos & Donatistas juxta dicta n. 12.

19. Ob. 2. Ecclesia est Corpus Christi mysticum: ergo sicut ad verum membrum corporis humani requiritur, ut animetur & regatur à spiritu, ita etiam ad verum membrum Ecclesiæ requiritur, ut animetur à Spiritu S. & vivum sit vera fide & sanctitate. 2. Una & eadem manus non potest esse membrum duorum corporum: ergo neque idem homo potest esse membrum Christi Corporis propter fidem, & diaboli propter improbos mores. 3. Ecclesia est ædificata super petram: sed impij non sunt ædificati super petram, sed super arenam. 4. Non habebit DEUM Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem: ergo vice versa non habebit Ecclesiam Matrem, qui DEUM non habet Patrem: sed impij DEUM non habent Patrem. 5. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Rom. 8. Sed impij non habent Spiritum Christi, scilicet Spiritum charitatis &c. ergo.

R. ad 1. Sicut in corpore physico humano aliquæ partes habent vitam perfectam, uti cerebrum, aliæ minùs perfectam, uti caro, aliæ adhuc imperfectiorem, uti ossa, ungues, capilli, & aliæ probabiliter nullam, uti sanguis & reliqui tres humores, quæ tamen omnia nihilominus membra vera & partes integrantes sunt humani corporis: ita etiam aliqui fideles habent vitam valde perfectam, nimirum eximiæ charitatis in DEUM & homines, alij minùs perfectam, nimirum gratiæ sanctificantis salutem, vi cujus sunt justi, alij nimirum peccatores imperfectam, nempe fidei tantùm, & externam illius professionem; & per hanc vitam recipiunt alimenta doctrinæ Christianæ, in fide possunt proficere, & alios etiam fideles generare; nam & per hæc membra potest operari Spiritus S. tanquam per instrumenta utilia, licèt aliquo modo, nimirum quoad charitatem & gratiam, mortua sint. Ad 2. D. A. non potest esse membrum duorum corporum Physicum. C. A. Morale. N. A. aliàs Job non potuisset dicere: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Job. 29. v. 15. Sic idem homo potest esse membrum duarum communitatum, Congregationum &c. Ad 3. D. m. Sed impij non sunt ædificati super petram, ratione morum C. m. Ratione fidei N. m. Ad 4. ex varijs titulis potest aliquis dici filius, & inter hos est etiam titulus doctrinæ: ergo qui veram fidei doctrinam profitentur, sunt filij Patris æterni, licèt sint peccatores, & non sint filij dilecti quoad mores. Ad 5. Impij, si verè credant & fidem profiteantur, habent Spiritum Christi aliquo modo, & aliquam vitam, licèt non habeant vitam perfectam, & Spiritum charitatis.

Ob. 3. ex PP. Clemens Rom. ep. 1. 20.
ad Jacob. frat. Dom. ait: *Sponsam Christi dico omnem Ecclesiam, id est, congregationem credentium, quæ si pudica fuerit inventa à Sponso suo, ingentibus ab eo donis & muneribus honorabitur &c. Si verò Sponsa hæc reperta fuerit commaculata peccatis, ipsa quidem tanquam indigna trudetur à regalibus thoris.* Clemens Alexand. strom.

l. 7. *non enim nunc locum, sed electorum congregationem appello.* Et circa finem: *Ex ijs, quæ prædicta sunt, manifestum esse existimo, unam esse veram Ecclesiam, eam, quæ verè est antiqua, in cujus catalogum referuntur ij, qui sunt justi secundùm propositum.* Et infrà: *per unum Dominum congregat eos, qui sunt jam ordinati, quos prædestinavit Deus, cùm eos justos futuros cognovisset ante mundi constitutionem.* Cyprianus de Simplicitat. Prælator. *Ecclesiæ spiritu animamur, adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est, & pudica.* Pacianus ep. 3. ad Sympron. *peccator & pœnitens non est Ecclesiæ macula; quia quamdiu peccat & non pœnitet, extra Ecclesiam constitutus est.* Ambrosius Orat. in Auxent. de Basilicis tradend. *Non lex Ecclesiam congregavit, sed fides Christi, lex enim non est ex fide, justus autem ex fide vivit.* Hieron. ep. ad Rusticum, quæ incipit. quod ignotus &c. *Eos plange, qui per scelera atque peccata egrediuntur de Ecclesia, & nolunt ultra reverti ad eam damnatione vitiorum.* Chrysost. serm. in Joseph de continentia. *Audent fidelium quidam abscindere se à Christo, & se jungere meretricibus.* Augustinus de salutaribus documentis c. 12. *quamvis diversa membra diversa habeant officia, si charitatis tamen unitate teneantur, omnia membra tunc merebuntur ire post caput.* Et infrà: *caveamus, & per omnia caveamus, ne per invidiam, odium, detractionem, iram, & rixam, à capite nostro Domino JESU Christo præcidamur.* Item: *cùm patitur aliquis tribulationem &c. si dolemus pro illo & compatimur, quantùm possumus, in corpore Ecclesiæ constituti sumus.* Et l. 2. contra Cresc. Grammat. *propter malam corruptámque conscientiam damnati à Christo iam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest habere Christus membra damnata &c. Omnia quippe ista monstra, absit omnino, ut in membris illius columbæ unicæ computentur, absint, ut intrare possint limites horti conclusi.* Gregor. M. in Exposit. Moral. l. 13. c. 4. *membra ergo Ecclesiæ ad nihilum rediguntur, quando ex imitatione pravorum in hoc mundo crescentium infirmiquique deteriùs infirmantur. Videntes etenim felicitatem malorum sæpe ab ipso fidei statu delabuntur &c.* Hos & similes textus, præsertim ex S. Augustino coacervant & corradunt plurimos Lutherani, sed irrito prorsus molimine: Siquidem

Pro responsione notandum 1. hujusmodi textus sæpe Catholicis favere. 2. non rarò servire Calvinistis magis quàm Lutheranis. 3. frequenter subdolè citari, verbis quibusdam, ad rem pertinentibus, omissis &c. 4. subin intelligendos esse de tota Ecclesia collectivè sumpta, quæ necessariò est & dicitur sancta, quamvis non totaliter, & in singulis membris. 5. intelligendos de ijs, qui moribus & vitæ ratione non implent opus fidei 2. Thess. 1. & pravis factis desciscunt à vocatione sua, dum non tales exhibent mores, quos fidei, quam profitentur, doctrina exigit: tales enim quamvis participent essentialem formam Ecclesiæ, non tamen

men participant ornamenta & dotes, quibus illa refulget, & sub hac formalitate rectè negantur esse *de* Ecclesia, quamvis sint *in* Ecclesia, cùm magis ei officiant, quàm prosint. 5. & ideo sæpe intelligendos potiùs de fine, ad quem ordinati sunt fideles & vera membra Ecclesiæ, quàm de forma illius essentiali. 6. vel intelligendos de Ecclesia Triumphante, vel olim futura in Cælis. 7. vel de Unitate pacis, Charitate, Sanctitate Ecclesiæ, non de Forma constitutiva. 8. vel denique de peccatoribus non quibuscunque, quos excludunt ab Ecclesia, sed lapsis in hæresim vel infidelitatis peccatum. In his 8. fontibus semper invenire & haurire poteris unam vel plures responsiones sufficientissimas ad Patrum dicta, quæ videntur nobis contraria. Adde, quòd plerique textus, uti & reliqua Lutheranorum argumenta, si aliquid probarent, etiam pro Pelagianis, qui dicunt, Ecclesiam esse *cœtum perfectorum*, vel pro Calvinistis, qui dicunt, esse *cœtum Prædestinatorum*, probarent, adeóque in his adversus Lutheranos retorqueri possent solvenda.

In specie ad allatos textus R. sic. *S. Clemens Rom.* favet magis quàm præjudicat Catholicis, tum quòd Ecclesiam vocet congregationem *Credentium*, non *Sanctorum*, ut Lutherani definiunt, tum quòd vocet *Sponsam*, etiam peccatis commaculatam: quòd autem punienda sit propter peccata, libenter confitemur. *Clemens Rom.* longè magis Calvinistis, quàm Lutheranis favere videtur, ut patet ex verbis *electorum, justi secundùm propositum, quos prædestinavit* DEUS *&c.* Nobis non obstat, quia fatemur, omnes prædestinatos spectare ad Ecclesiam Christi saltem aliquando, quia quos prædestinavit, hos & vocavit: sed non tantùm eos vocavit in Ecclesiam, quos prædestinavit. Dein notent Adversarij, *unam* Ecclesiam esse veram, & quidem illam, quæ *verè est antiqua*, & considerent, Ecclesiam suam non esse verè antiquam, cùm ante 200. annos nullus uspiam hominum in omnibus talem doctrinam fidei professus sit aut docuerit, qualem ipsi. *S. Cyprianus* loquitur de tota Ecclesia totaliter sumpta, quam nos adulterari, & in errores fidei aut gravia peccata labi non posse fatemur, quin & totis viribus contendimus. *Pacianus* fraudulenter citatur, nam verba, quæ ad rem maximè faciunt, omittuntur, nimirum ista: *Ecclesia est non habens maculam neque rugam, hoc est, hæreses non habens &c.* Patet ex his, quos intelligat peccatores, nempe hæreticos, quos & nos pro membris Ecclesiæ non habemus. *S. Ambrosius* est pro nobis; si enim Fides congregavit Ecclesiam, non Lex; membrum Ecclesiæ erit, qui habet fidem, sive dein servet legem sive non servet, hoc est, justus sit seu peccator: justus ex fide vivit, quamvis non solâ. *S. Hieronymus* eatenus verum dicit, quatenus peccatores egrediuntur de Ecclesia Triumphante, & excidunt fine fidelibus præstituto; de Militante enim non egrediuntur per quodlibet peccatum, nec amittunt formam essentialiter constitutivam verorum fidelium,

nempe fidem. Quid sentiat S. Hieron. vidimus suprà n. 10. quibus clarissimis textibus non præjudicare debet alius in speciem contrarius, sed explicandus est ad illos, ut evitetur contradictio. *S. Chrysostomus* rectè reprehendit illos, qui per peccata sua se abscindunt à charitate, & sanctitate Christi, qui ejus servitio se subtrahunt serviendo peccatis luxuriæ, & sic à Christo tanquam *fine suo* separantur, non tamen à Christo tanquam *capite Ecclesiæ*. *S. Augustinus*, cujus mentem evidentissimè à se ipso explicatam suprà vidimus n. 10. hìc loquitur de separatione, quæ fit per læsionem charitatis, qua præciduntur crudeles in proximum à corpore Ecclesiæ ut dono & dote charitatis ornatæ, non simpliciter sumptæ. Quod scribit ad Crescònium Grammat. intelligendum est de hæreticis occultis, ut apparet ex præcedentibus, dum S. August. allegat illud Christi Jo. 3. *qui non credit, jam judicatus est &c.* Dein intelligi potest de Ecclesia Triumphante; nam utique ibi non possunt cum Christo esse membra damnata, ubi unica columba jam fuerit translata in Hortum Conclusum Cœlestis Paradisi. *S. Gregorius*, ut alias responsiones dissimulem, manifestè loquitur de lapsis in peccatum infidelitatis, ut patet ex ultimis verbis: hujusmodi autem etiam nos excludimus ab Ecclesiæ corpore.

21. Ob. 4. iterum ex Scriptura, de qua more solito cumulant textus, crinibus etiam attractos, ut multitudine obruant legentem, & vel numerò (cùm efficaciâ nequeant) opinioni suæ auctoritatem saltem apparenter concilient. Ad Rom. 12. v. 4. & 5. dicitur: *sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus* (ἓν σῶμα) *in Christo.* Idem Paulus 1. Cor. 6. ait: *nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Qui autem adhæret* (*adglutinatur*) *Domino, unus spiritus est.* 1. Tim. 3. v. 15. *Ecclesia est domus DEI, columna & firmamentum veritatis.* Item in Canticis vocatur *Soror, Sponsa, Amica* Christi. Et Christus in Evangel. Jo. 15. *omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum &c.* Hi textus sunt, qui plus cæteris habent apparentiæ; nam alij adhuc minùs huc quadrant. Quis autem non videt, nec istos vel à longè comparandos ijs in claritate, quos suprà pro nostra sententia ex SS. Litteris adduximus. Ex primo non video, qualis conclusio pro Adversarijs deduci possit contra nos: etiamsi corpus sit *unum*, tamen membra sunt diversa, & diversas operationes vitales, mò & non vitales elicientia, quod indicat ipse Paulus, dicens, *omnia membra non eundem actum habent.* Ad 2. Qui meretrici jungitur, tollit quidem & aufert Christo, quod ipsi debet, nempe conjunctionem per charitatem, & ideo efficitur membrum quoad vitam Charitatis mortuum, non verò quoad vitam fidei, secundùm quam adhuc conjunctus manet Christo, & unus spiritus cum ipso. Ad 3. Est *Domus Dei*, in

qua

qua tamen sunt vasa aurea & fictilia, in honorem & contumeliam. Est *columna veritatis*: ergo omnes, qui veritates fidei profitentur (quod etiam peccatores faciunt) innituntur huic columnæ. Ad 4. *Soror*, *Sponsa*, *Amica* Christi vocatur Ecclesia eatenus, quatenus per fidem est Christo desponsata & intimè conjuncta: dein quatenus complectitur multas animas, verè amantes, sponsas, & amicas Christi, per intimam charitatem conjunctas, sed tunc per synecdochen tribuitur denominatio toti, quæ tamen tandùm reperitur in quibusdam partibus. Demum de tota Ecclesia etiam secundùm omnes partes hæc prædicata verificantur in altera vita. Ad 5. tollet eum, quando veniet tempus messis, ubi etiam zizania tollentur, nempe posthoc sæculũ: nunc verò tolerantur sicut zizania cum frumento, ita & palmites steriles cum frugiferis, saltem quoad conjunctionem per fidem. Denique his textibus æquè pro se uti poterant olim Donatistæ, Pelagiani, quin & nunc Calvinistæ.

Auditur & expeditur M. Renzius.

222. SCiendum, per integrum quadriennium, quo versabar Augustæ, ex septenis Opusculis Polemicis, quæ ibi edita nunc in unum librum redigo, nullum ab Adversarijs refutatum fuisse. Post meum verò indè discessum M. Jo. Bapt. Renz Lutheranus Pastor juxta Basilicam S. Udalrici Augustæ Vindel. calamum strinxit contra unum ex illis, cui Titulus *Vera Fides*, imo contra unicum tantùm ejus Articulum I. præsentem, in quo duas assertiones pono, nempe definitionem Ecclesiæ: dein inter vera Ecclesiæ membra censendos esse etiam peccatores & improbos, modò baptizati sint, & peccatô infidelitatis non laborent. In hoc Tractatu Renziano Germanico, duarum Propositionum mearum impugnatore, pro palma certant Scriptoris inurbanitas (ut quàm urbanissimè loquar) & malitiosa simplicitas, identidem sese objicientes legenti. Primum vitium ipse agnovit, dum pag. ult. ita scribit: Solte meine Herren Gegnere düncken wollen/ ich habe mich in diser Schrifft hier und dar mit Hindansetzung der Liebe und Civilität etwas zu vehement gegen ihnen erwisen/ so wollen sie es doch ja keinem Haß und Bitterkeit/ sondern allein dem Eyffer zuschreiben/ und glauben/ daß/ wann ich zu genugsamer revidirung Zeit gehabt hätte/ gewiß noch ein und die andere expression gemildert worden wäre. Wolte sich jemand vor lædirt achten/ so hat er von mir hiemit die auffrichtige Declaration, daß ich allhie nichts animô injuriandi geschriben. Siccine tempus non defuit ad scribendum contra Urbanitatis & Charitatis leges, defuit tamen ad revidendum, & delendum, quod perperam scriptum est? siccine fervori dandum & æstui, quod amarus expressit calamus? siccine omnis statim calumnia, cavillus, in-

juria ſublata eſt, ſi calumnians &c. dicat, ſe non animô injuriandi id feciſſe? An ſatisfactum tibi crederes M. Renzi, ſiquis te ſacrilegum, adulterum &c. vocitaſſet, mox tamen ſubjungeret: ſi Dominus offenſum ſe putet, deprecor: vel ſiquis tibi ſonantem colaphum infringeret, cum proteſtatione tamen, ſe non ex odio, aut animô lædendi, inflixiſſe? Ex quo etiam aliquatenus promicat malitioſa viri ſimplicitas, quod tamen vitium deinceps magis ſe prodet, inter alia etiam, dum plurima coacervat ad rem non pertinentia (quæ ſi omiſiſſet, tempus ad revidendum & emendandum non defuiſſet) alia autem, quæ ad rem pertinere videntur, turpi tavtologia ad faſtidium uſque repetere non ceſſat & recoquere. Statueram diſſimulare reſponſum, tum quia parùm ſtringit, & cuivis rerum perito in promptu eſt, quid opponat ejus cavillationibus, tum quia vernaculo idiomate ſcribit adverſus opuſculum Latini Sermonis; quod ſanè turpe eſt & indignum. Quid horres, mi bone, in Latino Sermone, cùm is tamen longè aptiſſimus ſit ad breviter, clarè, & ſolidè docendum? an fortè eum non ſatis calles? at hoc Paſtori tam Auguſtæ Civitatis probroſum foret. An energiam illius, & præſertim vim Syllogiſticam, quæ in Germanico non ita elucet, declinare intendis? At hoc perverſi animi, non veritatis ſtudium denotaret. Sed quidquid ſit; cùm recudi denuo contingat Opuſcula mea Polemica, occaſionem arripui ad potiora reſpondendi breviter, neglectis illis, quæ vel à ſcopo aliena ſunt, vel me non tangunt, vel ita caſſa apparent, ut quilibet inanitatem palpare valeat.

Primum itaque, quod M. Renzio non probatur, eſt Eccleſiæ definitio, quam ex P. Vito Erbermann in hunc modum poſui: *Eſt cœtus vocatorum ad juſtitiam & ſalutem acquirendam per puram Verbi prædicationem & fidem, legitimúmque Sacramentorum uſum, ſub regimine Paſtorum à Chriſto inſtitutorum.* Quam definitionem dixi eſſe ad mentem communémque ſenſum Catholicorum Doctorum, & quoad ſubſtantiam atque rem ipſam convenire cum Bellarminiana ac aliorum definitionibus. Sed contrà

Objicit 1. Iſtud *regimen Paſtorum* 23.
eſt additamentum novum, ab Antiquis Catholicis ignoratum, nec poſitum in definitionibus Eccleſiæ. 2. allata definitio diſcrepat multùm à Bellarminiana; quia Bellarminus addidit: *ac præcipuè ſub regimine unius Chriſti in terris Vicarij, ſeu Romani Pontificis.* 3. nec regimen nec modus regiminis ad Eccleſiæ eſſentiam ſpectat, adeóque in definitione poni non debet. 4. Melior eſt antiquiorum Catholicorum opinio, Eccleſiam ita deſcribentium: eſt *cœtus hominum ad veram agnitionem & ſervitium DEI, ùti & ad ſocietatem veræ Religionis à DEO vocatorum.* 5. Sicui ex Pontificiorum DD. definitionibus ſubſcribere oporteret, præferenda eſſet, quam tradit Nicolaus Papa *Can. Eccleſia diſt.* 1. *de Conſecr.* ubi ait: Eccleſia eſt *collectio Catholicorum.*

R. ad 1. addidamentum novum non eſt, ſine quo juxta antiquorum Catho-

Catholicorum, SS. PP. S. Pauli, & ipsius Christi doctrinam Ecclesia non subsistit, prout à Christo constituta : atqui sine regimine legitimorum Pastorum non subsistit Ecclesia, prout à Christo constituta, juxta antiquorum Catholicorum, SS. Patrum, S. Pauli, & ipsius Christi doctrinam: ergo. M. P. Catholici antiqui cum SS. Patribus agnoverunt & paruerunt legitimis Pastoribus, & vel maximè Romano Pontifici tanquam supremo, idque necessàrium esse credebant, ut docui in *Papatu nunquam errante.* S. Paulus Act. 20. præcepit sic : *attendite universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI.* Et Hebr. 13. 17. *obedite Præpositis vestris.* Christus autem de Ecclesia sua à se fundata pronuntiavit : *fiet unum ovile, & unus Pastor.* Jo. 10. 16. Quis ille Pastor ? certè non alius, nisi ad quem dixit : *pasce oves meas* Jo. 21. nimirum D. Petrus, & ejus in supremo pascendi munere successores. Adde, quòd Ecclesia sit Respublica bene constituta, ordinatus cætus hominum, & communitas hierarchica, non verò turba temerè, & sine ordine conflata : ergo ex natura sua exigit unionem cum aliquo Magistratu, cum Prælatis, & tandem cum supremo Rectore, qua velut vinculo coalescat Respublica, cohæreant membra visibilia cum capite visibili, subditi dependeant à Rectore, oves dirigantur à Pastore &c. ergo regimen est de essentia Ecclesiæ, ut de facto constitutæ à Christo. Quòd autem Antiqui illud non posuerint explicitè in suis definitionibus, indè contigit, quia vel non intendebant statuere definitiones Ecclesiæ ad omnem rigorem exactas, vel quia id opus non erat, eò quòd olim non ita explicitè regimen Ecclesiæ ab antiquis hæreticis oppugnatum fuerit, uti à recentioribus factum est. Implicitè tamen & ipsi illud satis insinuârunt, Ecclesiam vocitando *cætum* fidelium, *collectionem* Catholicorum, *societatem* &c. Ad 2. Nec mea definitio unitatem alicujus supremi capitis, nec Bellarminiana Pastorum excludit pluralitatem, si utraque ritè intelligatur ; siquidem etiam mea definitio loquitur de Pastoribus supremis successivè pluribus, cùm Ecclesia semper sit duratura usque ad finem mundi Monarchica, ut adeò semper sit habitura aliquem supremum Rectorem, adeóque successu temporis plures, pro quolibet verò tempore non nisi unum : quamquam non ita Monarchica sit, ut excludat Episcopos, tanquam veros etiam Pastores, à summo tamen dependentes: ferè sicut videre est in regimine Politico Imperij Romani, in quo summus Princeps Imperator est, quamquam non desint alij veri Principes, uti Electores & alij, qui tamen à summo dependent. Unde siquis Romanum Imperium describeret per *regimen Principum*, nequaquam excluderet summum Principem, sed simul complecteretur etiam alios Principes subordinatos, paritérque innueret plures summos, sed successivè tantùm. Bellarminus explicitè voluit denotare regimen Ecclesiæ Monarchicum, Aristocratico mixtum, exprimendo plures Pastores, & unum Supremum : id

id ipsum ego exprimere volui nomine *Pastorum* juxta datam explicationem, ut parcerem verbis, quod in definitionibus summopere curandum, ne nimirum ponatur aliquid redundans. Si verò putes, hanc verborum parsimoniam debere cedere claritati, addere potes mea pace cum Bellarmino illa verba: *ac præcipuè sub regimine unius* &c. quoad rem enim nihil diversi dices; quia uterque admittimus plures Pastores, Summos successivè, subordinatos simul. Ad 3. N.A. ratio negandi patet ex dictis. Ad 4. descriptio illa non est exacta definitio pro moderno tempore, quo totis viribus apertè impugnat Orcus Ecclesiæ regimen: tolerari tamen potest, quia illud indicat verbò *Societatem*. Ad 5. Si M. Renzius legisset vel intellexisset canonem, quem citat, utique vidisset, ibi potiùs de loco, in quo fideles conveniunt, quàm de ipsamet fidelium societate sermonem esse: Ecclesia ibi sumitur pro Basilica construenda. Sed demus, Nicolaum Papam sumpsisse pro societate fidelium viva, nihilominus tamen illa definitio quoad substantiam non differt à nostra, partim quia per vocem *collectio*, partim per vocem *Catholicorum* insinuatur unio ovium cum Pastore, membrorum cum Capite; quia sine hac unione nemo habebatur pro Catholico, nisi nimirum communiâsset cum Romana Ecclesia tanquam cum Sede Apostolica; quod idem Pontifex innuit subjungendo, collectionem Catholicorum institui non debere *sine Apostolicæ Sedis nutu*. Cui itaque placet data Nicolai Papæ definitio, eidem placere debet Romanæ Sedis auctoritas, adeóque regimen Ecclesiæ.

Alterum quod sibi impugnandum sumpsit M. Renzius, est societas peccatorum cum justis in eadem Ecclesia: ego enim cum Catholicis omnibus defendi, etiam peccatores & injustos, modò peccatum infidelitatis non habeant, esse propriè dicta membra veræ Christi Ecclesiæ. Peccatum autem infidelitatis non habet, quisquis omnes fidei articulos profitetur, & in nullo, sufficienter sibi proposito, ab Ecclesia Catholica dissentit. At longè aliter peccatum *infidelitatis*, & conditiones ad esse membrum Ecclesiæ requisitas, explicat cum suis M. Renzius; dicit enim à p. 29. sequentia. 1. infideles esse, qui vel totam fidei doctrinam, vel unum aut plures articulos fundamentales negant, ac errores tenent damnabiles. 2. pariter infideles esse, qui deliberatè ac deditâ operâ peccant contra Charitatem, Spem, aut alias virtutes, & non vivunt secundùm doctrinam Dei, quamvis cæteroquin omnes fidei articulos assentiendo profiteantur. 3. hos omnes esse injustos, impios, consequenter infideles, & eo ipso non vera membra etiam Visibilis Ecclesiæ tantùm. 4. quamquam pro membris Ecclesiæ Visibilis haberi possint, quamdiu non fuerint excommunicati. 5. hìc quæstionem non esse de Ecclesijs visibilibus, utrùm impij earum sint membra, sed de Ecclesia Universali vera. 6. duplicis generis dari peccatores: aliqui tantùm habent peccata, non tamen ea regnare sinunt in suo morta-

li corpore, alij autem etiam operantur peccata, & ea in se regnare permittunt, obediendo nempe concupiscentijs suis. 7. illos esse vera membra Ecclesiæ Universalis veræ, non istos. 8. se admittere, impios, qui operantur & faciunt peccata, esse vera membra Ecclesiæ, si per hanc Papistæ non aliam intelligi velint, quam Visibilem suam Pontificiam.

Quid in hoc discutsu, intra duas ferè paginas comprehenso, primò quid ultimò reprehenderem, dubius hæsi: sed postquam omnia, confusè & sparsim proposita, in hunc ordinem redegi, & pulsis tenebris clariora reddidi, eundem in respondendo observare placet. R. itaque ad 1. & quæro ex te, Domine Magister quinam sint illi articuli *fundamentales*, in quibus errare *damnabile* est? Ubi Scriptura, ex qua sola eos ostendere debes, eorum mentionem & distinctionem facit? Dices fortè, articulos fundamentales comprehendi Symbolo Apostolorum: sed quo fundamento hoc asseris? Fortè qui Symbolo Nicæno? sed quare hos tanto dignaris honore? Fortè qui Symbolo S. Athanasij? sed quam hujus rei rationem affers? cur alios excludis? An fundamentalis articulus non est, Christum esse præsentem in Evchariſtia, & quidem eum pane, in actuali tantùm manducatione &c. duo, nec plura nec pauciora, esse Sacramenta, nimirum Baptismi & Evchariſtiæ, Baptismum reiterari non posse, Purgatorium non dari &c.? An DEUS & Christus aliquid revelare possunt, quod sufficienter propositum negari queat sine errore damnabili? An omnia, vel quænam in SS. Litteris contenta, sunt articuli fundamentales, & absque errore damnabili repudiari nequeunt? Respondeat hæc & similia, si potes. Ad 2. Mirabilem sanè & inauditam Theologiam obtruditis vos Novatores, dum nullam inter peccata, quæ fidei, charitati, spei, aut alijs virtutibus opponuntur, differentiam statuitis in ordine ad inducendam infidelitatem. Cur aliquis non possit credere firmiter omnia à DEO revelata, interim tamen desperare, DEUM vel proximum odio habere, furari, fornicari &c. & sic *cognoscere* DEUM & Divina, *quin tamen glorificet ut Deum?* Rom. 1. 21. Talis peccabit contra alias virtutes, non tamen contra fidem, consequenter fidelis erit, quia retinet formam, nempe fidem, quæ denominat fidelem, quamvis gravissimus peccator sit, impius, & injustus. Cur Christus distinguit inter peccatores, & aliquos dicit judicandos, & alios jam judicatos? De ijs, qui peccant contra fidem, dicit Jo. 3. 18. *Qui non credit, jam judicatus est*, de ijs verò, qui peccant contra charitatem, ait Marc. 12. 40. *qui devorant domos viduarum &c. accipient prolixius judicium*: ergo qui peccant contra charitatem, aut alias virtutes, non hoc ipso peccant contra fidem, & infideles efficiuntur. Cur non vicissim dicitis, eum, qui peccat contra fidem, hoc ipso etiam peccare contra charitatem, spem, justitiam, castitatem &c. consequenter omnem, qui negat aliquem articulum fundamentalem, esse blasphemum, sacrilegum, furem, adulterum, fornicatorem

&c. ſicut aſſeritis, iſtos peccare contra fidem & eſſe infideles? An non fides (uti tu p. 491. legis & interpretaris c. 11. v. 1. ad Hebr.) eſt *elenchus rerum, quæ non videntur*; hoc eſt, ut ais, *ſecuritas mentis contra omnes objectiones firmiter fundata circa res, quæ corporeis oculis non videntur*? at cur talis actus ſeu tam firmum judicium intellectûs, (aut *ſecuritas mentis*) circa res obſcuras mox amittatur, ſi quis pejeret, furetur, fornicetur &c.? certè ipſa experientia reclamat. Si opponas, textum S. Pauli 1. Tim. 5. *qui ſuorum &c. curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Repono: fidem negavit, non per judicium mentis, in quo formaliter conſiſtit fides & infidelitas, ſed non operando id, quod fides exigit, aut quod ratio etiam naturalis dictat, & ideo addit Paulus, eſt *infideli deterior*, quia etiam infideles ſuorum, & maximè domeſticorum, curam habere ſolent ex inſtinctu naturali. Ad 3. Qui habent veram formam denominantem veros fideles, ſunt *vera* membra Eccleſiæ veræ; cur non & Eccleſiæ viſibilis, ſi eam formam externa profeſſione oſtendant? Sed qui habent fidem, ſeu firmum judicium de rebus occultis, à DEO tamen revelatis, habent formam verè denominantem fideles veros: ergo. Ad 4. Qui haberi poſſunt pro membris, debent eſſe membra; aliàs decipimur, & *dici ſequitur ad eſſe*: qui autem ſunt membra ſimpliciter, ſunt *vera* membra; ſicut qui eſt homo ſimpliciter, eſt verus homo. Ad 5. Negatur ſuppoſitum, quòd Eccleſiæ viſibiles particulares, ſimul ſumptæ, diſtinguantur ab Univerſali vera Eccleſia Chriſti, peſſimè igitur in ſtatu quæſtionis formando ſupponis, quod vel maximè eſt in quæſtione. Ut ſtatus quæſtionis ritè formetur, debet ſic poni: utrùm peccatores & impij ſint vera membra Eccleſiæ Chriſti veræ & Univerſalis, abſtrahendo interim, utrùm illa ſit viſibilis vel inviſibilis. Ad 6. habere peccata & facere peccata juxta rectam Theologiam & ipſam etiam verborum etymologiam differunt, ſicut habitus & actus, & nihil ſunt aliud quàm peccata habitualia & actualia: utraque autem, quamdiu exiſtunt in anima, nec à Deo remiſſa ſunt aut per Pœnitentiam deleta, maculant animam, Deòque exoſam reddunt; *odio enim eſt Deo impius & impietas ejus.* Sap. 14. *Mundi ſunt oculi ejus, nec poterunt reſpicere ad iniquitatem.* Habac. 1. 13. Intellige ſemper talem iniquitatem, quæ vel actu perpetratur liberè, vel aliquando fuit liberè perpetrata, obediendo pravis concupiſcentiis nam peccatum non liberè commiſſum repugnat. Tu quidem hic videris ſupponere libertatem in homine ad non peccandum: quid verò alibi & alio tempore ſis facturus, an non eam cum Tuis in tractatu de libero arbitrio negaturus, fortè nec ipſe ſcis. Quòdſi autem per tò *peccata habere*, uti conjicio, intelligis illa peccata, quæ appellatis peccata *infirmitatis*, ſeu non deliberatè commiſſa; iterum ſupponis libertatem, quam alibi negatis. Dein perperam vocas peccata; quia propriè & formaliter talia non ſunt, de quibus Scriptura & Patres loquuntur; cùm iſti intelligant illa, quæ hominem reddunt culpabilem, Deo exoſum, pœnæ ob-

obnoxium &c. cujusmodi prædicata non insunt peccatis non voluntariè, non liberè perpetratis. Ad 7. Nec illi, qui deliberatè peccant, fidem formaliter negant, adeóque manent fideles, consequenter membra vera cœtûs *fidelium*, seu Ecclesiæ, licèt Deo invisa, & aliquo modo mortua. Ad 8. Rectè quidem hoc admittis; malè autem dubitas, num Papistæ aliam habeant pro vera Christi Ecclesia, quàm suam visibilem Pontificiam, quia hæc est aperta ipsorum Thesis, quam irrefragabiliter probant, & à me fusè probatam invenies infrà de Visibilitate & Notis veræ Ecclesiæ. Hæc de ingressu & statu quæstionis. Nunc videamus potiora, quæ mihi objicit M. Renzius.

24. Objicit autem 1. & principaliter. In comparatione Ecclesiæ cum *corpore vivo*, quam ego deduco n. 7. nulla sit mentio Capitis, cùm tamen impossibile sit ritè intelligere vera membra Ecclesiæ sine perpetua reflexione ad Caput: ergo. 2. In hac deductione dona supernaturalia & virtutes internæ, fides, spes, charitas &c. dicuntur anima corporis Ecclesiæ; cùm tamen S. Scriptura, pia Antiquitas, omnes Doctores Catholici, & Catechismus Romanus Spiritum S. asserant esse animam seu spiritum Corporis Mystici Ecclesiæ. 3. Pro membris Ecclesiæ adstruuntur res & actiones, partim visibiles, ut prædicatio Verbi Divini, externa professio fidei &c. partim invisibiles, uti vera fides, spes, charitas, & aliæ virtutes. 4. Fides in Dominum JEsum, Charitas Dei & Proximi, spes in Deum vivum non necessariò requiri dicuntur in omnibus & singulis membris Ecclesiæ, bene tamen prædicatio, professio fidei ore facta, dispensatio & susceptio Sacramentorum externa: quod est confundere, non docere. 5. Internæ virtutes modò vocantur anima corporis Ecclesiastici, modò internæ partes & membra, qualia sunt cor, hepar &c. modò prædicatio, professio externa, usus Sacramentorum appellantur corpus, dona verò supernaturalia & virtutes internæ anima: modò personæ sunt membra hujus corporis: mox iterum membra dividuntur in visibilia & invisibilia, visibilia dicuntur esse professio externa &c. invisibilia fides interna &c. Sed qualis hæc est inconstantia? 6. De fide dubitatur, an necessaria sit ad constituendum verum Ecclesiæ membrum, & in omnibus reperiri debeat: imò propè tenetur negativa; siquidem etiam hæretici interni pro veris membris tolerari possunt: quod est contra sensum dilectæ Antiquitatis, Ecclesiam definientis esse *cœtum fidelium*. 7. Aliqua membra describuntur ut visibilia & imperfecta, alia ut invisibilia & perfecta: quænam illa? quænam ista? si invisibilia sint perfecta, uti videtur dici, tunc visibilia hoc ipso erunt imperfecta, consequenter Ecclesia se nobis videndam præbet in sua imperfectione tantùm. 8. Illi, qui habent externam professionem & usum Sacramentorum, sunt membra visibilia, qui verò ornati sunt fide interna &c. sunt membra invisibilia: ergo Ecclesia se nobis præsentat spectandam præcisè in suis hypocritis. 9. partes essentiales corporis vivi sunt corpus & anima: externa professio &

usus Sacramentorum sunt quasi corpus: dona supernaturalia & internæ virtutes sunt quasi anima: quid ergo in hoc corpore Ecclesiæ est Christus? quid ejus spiritus? quid sancti & justi? quid hypocritæ & impij? An ad corpus spectant vel ad animam? 10. Hypocritæ vi suæ professionis externæ & usûs Sacramentorum sunt merum corpus animâ destitutum: justi verò & sancti vi suarum virtutum internorum sunt anima, & vi suæ professionis externæ sunt particulæ corporis, adeóque viva membra corporis: ergo Corpus Christi est partim vivum partim mortuum, habet membra partim viva partim mortua &c. Sed apage cum tanto absurdo, quod ex magna Christi Corporis parte facit putridum & fœtens cadaver, Dei, Angelorum, & Sanctorum oculis abominabile. 11. denique, quod caput est, contradicitur S. Paulo, qui 1. Cor. 12. 27. dicit: *vos autem estis Corpus Christi* ἐκ μέρους, *ex parte*: ergo non omnia membra Ecclesiæ visibilis particularis Corinthiorum, sed aliqua tantùm, spectant ad corpus & membra Christi. Ita M. Renzius à p. 118. usque ad 126. insigniter prodens malitiosam simplicitatem suam, dum nescit, vel nescire se simulat discrimen inter partes & membra, sed ea constanter confundit, & pariter à me confundi supponit: *membrum* quà tale dicit aliquam organizationem & ad integritatem corporis spectat: *pars* quà talis abstrahit à certa organizatione, & utrùm constituat essentiam vel integritatem, sed est id, sine quo non habetur totum, vel aliqua denominatio. Dein Adversarius non apprehendit, similitudinem ab eadem re, v. g. à corpore vivo, petitam diversimodè institui, & alteri applicari posse. Unde fit, ut ferè singulis punctis mendacium inspergat, ut statim patebit.

R. ad 1. Unde hæc tanta necessitas perpetuæ & explicitæ reflexionis ad caput, ubi de membris agitur? cur non obstante relatione, quæ inter caput & membra intercedit, examinari nequeat, utrùm pes vel manus sit pars & membrum hominis, quin mentio fiat de capite? Ad 2. valde peregrinum te prodis tam in Scientijs quàm Scripturis, cùm ignores, eidem rei sub diversa consideratione diversam tribui posse denominationem, & sub diversa ratione diversam animam eidem corpori morali, vel caput &c. statui. Nunquid ejusdem civitatis quasi animam rectè dixeris bonas leges, & sub alia consideratione bonum Magistratum, vel etiam unum insigniter peritum virum? bonas leges animam dices, quia dirigunt ad bene operandum: Magistratum, quia urget executionem: egregium civem, quia consilijs, facundiâ, dexteritate, & efficacia singulari promovet bonum publicum, & cæteros quasi animat ad faciendum officium suum. Nunquid Christus de se dixit: *ego sum lux Mundi*. Jo. 8. 12. Et idem ad discipulos: *vos estis lux mundi*? Mat. 5. 15. Cur igitur non pari modo pro anima corporis Ecclesiæ agnosci possit Spiritus S. quòd & ego profiteor, & simul sub alia consideratione etiam dona supernaturalia, virtu-

tes

tes internæ &c. ? Adde, quòd Spiritus S. non tam quoad ſubſtantiam ſuam (quoad hanc enim eſt ubique, etiam in cœtibus infidelium) quàm quoad dona ſua & gratias ſupernaturales ſit & vocetur anima Eccleſiæ. Quid ergo dico Scripturæ, Antiquitati, Doctoribus Catholicis, Cathechiſmo Romano adverſum ? Ad 3. hæc eſt calumnia ; non aio ego, has res & actiones eſſe membra Eccleſiæ (quod ſolis perſonis tribuo) ſed *partes* voco, quæ inſunt membris, nempe perſonis, eisque diverſas denominationes tribuunt, nimirum vel conſtituunt & denominant fideles tantùm, vel fideles ſimul & ſanctos : ex his partibus aliæ ſunt externæ & viſibiles, ad externam membrorum conſtitutionem requiſitæ, utì profeſſio fidei & uſus Sacramentorum : aliæ internæ & inviſibiles, utì fides, ſpes, charitas. Virtutes internas (ſaltem ſi fidem excipias) dico non neceſſariò ineſſe omnibus & ſingulis membris, ſicut ſpiritus vitales, & aliæ partes hominis internæ, non neceſſariò inſunt omnibus & ſingulis membris corporis vivi. Quid in hoc eſt abſurdi? Ad 4. falſum eſt, quòd ſimpliciter aſſeram (vel etiam inclinem) *fidem internam* in D. Jeſum non requiri neceſſariò ad conſtituendum verum Eccleſiæ membrum, ſed præſcindo, cùm de hoc nihil adhuc certi definitum ſit : reliquas virtutes non neceſſariò requiri eſt theſis noſtra, & per hoc differimus à Novatianis, Donatiſtis, Pelagianis, & Lutheranis. Quid ergo miraris, me hoc aſſerere, quod omnes Catholicos aſſerere non ignoras, vel ſaltem ignorare non debes. Certè niſi confuſum tibi cerebrum fuiſſet, confuſionem non appellâſſes hanc doctrinam. Ad 5. pleraque iterum confundis, alia non intelligis, aliqua mihi affingis, ſive ex imperitia, ſive ex malitia, ſive ex utraque : nam 1. nunquam internas virtutes voco *membra*. 2. nunquam dico, eas eſſe membra, qualia ſunt cor & hepar &c. ſed eſſe partes internas membrorum Eccleſiæ, ſicut cor & hepar humani corporis ſunt partes internæ, easque non neceſſariò ineſſe ſingulis Eccleſiæ membris, ſicut cor & hepar non inſunt ſingulis membris humani corporis phyſici. 3. nunquam divido *membra* Eccleſiæ in inviſibilia & viſibilia (quod vos abſurdiſſimè facitis, ut veſtræ inviſibili Eccleſiæ latebras quæratis) ſed virtutes & actiones, quæ reperiuntur in membris, divido in viſibiles & inviſibiles : illas propter ſenſibilitatem ſuam & minorem perfectionem in comparatione reliquarum *quaſi corpus* appello, iſtas propter præſtantiam ſuam, & quia immediatè in ſe viſibiles non ſunt, *quaſi animam* : quæ, quamquam non neceſſariò inſint omnibus & ſingulis membris, neceſſariò tamen inſunt corpori Eccleſiæ, nimirum ſaltem quibusdam membris. Nulla igitur in his apud me eſt inconſtantia, ſed apud te multa vertigo. Ad 6. imprimis iterum falſum eſt, quòd ego inclinem in ſententiam negativam, ſed abſtraho. Dein ratam habeo confeſſionem tuam, qua apertè teſtaris, Antiquos ſenſiſſe, quòd Eccleſia ſit *Cœtus fidelium*, non *cœtus Sanctorum*, ut vos Novatores ex dira neceſſitate, ne omnibus primo ſta-

tim intuitu novitia vestra religio appareat, eam esse fingitis. Demum etiamsi Ecclesia dicatur cœtus fidelium, unde probas, Antiquos respexisse ad fidem internam, quæ tamen ab ipsis non erat cognoscibilis, & non potiùs ad professionem fidei externam, quæ in sensus incurrit? Ad 7. Rursus falsum mihi impingis, quòd aliqua membra faciam invisibilia: aliqua imperfecta dico, scilicet respectu illorum, quæ perfectiorem participant vitam. Quænam illa sint, cur iterum vis audire, cùm tamen sæpius tibi nominaverim? Peccatores, injusti, improbi, quamvis sint vera seu propriè dicta membra Corporis Ecclesiæ, tamen imperfecta sunt eatenus, quatenus perfectam vitam & operationes nobilissimas Charitatis & aliarum virtutum non habent, quæ tamen reperiuntur in sanctis & justis. Ergo Ecclesia in sua tantùm imperfectione sese oculis nostris spectandam præbet? Si per imperfectionem intelligas actus & operationes externas, quæ respectu internarum, quæ formaliter liberæ sunt, minus perfectionis habent, transmitto; si verò intelligas membra ipsa, fidei & aliarum virtutum exercitio se manifestantia, nego illatum; siquidem non tantùm improbi per fidei professionem, sed etiam sancti tum per ejusdem fidei, tum etiam per aliarum virtutum exercitium, sese oculis nostris objiciunt, adeóque tam in membris perfectis & imperfectis se nobis videndam præbet Ecclesia: quamquam nos sancta à non sanctis, perfecta ab imperfectis discernere non possimus, eò quòd istud solus Deus sibi reservavent, qui cor intuetur & rimatur occulta. Etiam in Corpore physico non videmus internam constitutionem membrorum, an perfectè valeant nec ne. &c. Ad 8. Nego & pernego, me dixisse, quòd illi, qui fide interna ornati sunt, membra sint invisibilia. Dicitúrne homo invisibilis propterea, quòd dicatur habere animam invisibilem? quæso! aperi oculos, ut videas lucem meridianam. Ad 9. Christus caput est principale, & nunc invisibile: ejus spiritus sunt dona & gratiæ supernaturales, per quas influit, quasi per animam: sancti & justi sunt membra nobiliora & perfectiora: peccatores, impij, & (si fides interna non requiratur) etiam hypocritæ sunt membra imperfectiora, vera tamen membra & partes corporis Mystici Ecclesiæ: utrique spectant ad corpus & animam, quia de utroque participant; de corpore quidem, quia sensibili professione fidei & communi Sacramentorum usu sensibiliter colligantur; de anima verò, quia utrique participant vitam, vel perfectam charitatis &c. vel imperfectam, nempe fidei, quam etiam impij profitentur. Intelligis? satis hæc esse clara existimo, neque supra captum tuum. Sed & tu aliquid mihi edisseras velim. Quo loco in hoc Ecclesiæ Corpore juxta te est Spiritus Christi? si dicas, quòd sit anima, uti videris dicere; duplicem in uno Ecclesiæ corpore animam admittis? quod in me reprehendis acriter) nam alibi pro anima Ecclesiæ statuis Spiritum S. quamquam non explices, quid intelligas per Spiritum S. si intelligas tertiam SS. Trinitatis

tatis Personam, clarè admittis realiter distinctas animas, cùm utique Personalitas Spiritûs S. realiter distincta sit à Spiritu Christi: si verò intelligas dona Spiritûs S. iterum admittis, quod in me reprehendis, & rursus duas animas adstruis, Spiritum Christi & dona Spiritûs S. Ad 10. ineptire pergis. Quæso, si dicerem: M. Renzius vi sensationis in pede, vel vi vegetationis in osse, est merum corpus animâ destitutum, nunquid rideres? quomodo enim potest esse membrum inanimatum, & & merum corpus sine anima, ubi invenitur aliqua operatio animæ? Sic pariter si improbi (vel hypocritæ) eliciant aliquam operationem vitalem, nempe fidei, non sunt merum corpus omni animâ destitutum, sed sunt corpus, vel potiùs membrum aliquâ vitâ animatum in Ecclesiæ corpore. Dein putasne bene iraſceris tu? Ego non dixi, corpus mysticum Ecclesiæ esse partim vivum, partim mortuum, sed, omnia ejus membra esse viva, quamvis vitâ inæquali; adeóque nullam illius partem esse fœtens & putridum cadaver. Dein absurdum non est, in aliquo vivo corpore partes aliquas omni vita destitutas admittere, partibus tamen vivis aliquo modo unitas, uti plurimi faciunt, qui sanguini aliisque humani corporis partibus fluidis vitam denegant. Undè nec absurdum videri deberet, si quis transmitteret, aliqua Ecclesiæ, quæ corpus vivum est, membra nullam omnino vitam habere. Neque propterea corpus mysticum Christi esset dicendum partialiter fœtens & putridum cadaver; sicut tale dicendum non est corpus humanum physicum propter aliquas partes non vivas, eò quod, quamdiu manent partes reliquo corpori unitæ, præserventur à putredine & fœtore ab anima, quæ reliquas partes informat. Cæterùm si abominabile non sit corpus mysticum Christi ex meris peccatoribus (ut tu & tui facitis) constituere & compaginare, quorum tamen peccata tegat Christus; cur abominabile sit, aliqua membra adjungere corpori Christi non viva, quorum tamen vitæ defectus tegatur à Christo, ita, ut non computrescant vel fœteant, quamdiu unita manent. Ad 11. Nunc tandem virum te probas, dum duas ex Græco voculas (sine quibus nullam eruditionis laudem apud tuos habuisses) eructas: ἐκ μέρους, ais, *ex parte* Corpus Christi vocat Corinthios Paulus. Sit ita, quid tum? Ergo non omnes, reponis, qui sunt in aliqua Ecclesia particulari visibili, sunt membra Corporis Christi. Sed negatur C. Si sermo sit de Ecclesia particulari communicante cum Universali; si enim non communicaret cum Universali, uti Lutherana, Calviniana &c. omnino nulla illius membra spectarent ad Corpus Christi, sicut nulla Sectæ Pelagianæ, Novatianæ, Donatianæ &c. membra olim ad Corpus Christi pertinebant, intellige formali hæresi laborantia. Illud *ex parte* denotat, Corinthios fuisse partem Ecclesiæ, non totam Ecclesiam Christi, quod verissimum erat: sicut utique Ecclesia v. g. Augustana, communicans cum Romana, non est tota Christi Ecclesia, sed tantùm illius pars, non admodum magna.

Objicit

26. Objicit 1. Exhoc, quòd *Invisibilis* Ecclesia Sanctorum sit tota Christi Ecclesia, nullatenus sequitur, dari duas Christi Ecclesias, sed potiùs unam tantùm: ergo probatio n. 10. allata non stringit. 2. Licèt Evangelici invisibilem Ecclesiam justorum habeant pro tota vera Ecclesia Christi, & cum Scriptura ac antiquis Ecclesiæ Doctoribus hunc honoris titulum etiam Ecclesiis visibilibus (in quibus præter injustos aliqui justi reperiuntur, non tantùm puram fidei doctrinam profitentes, sed etiam cæteris virtutibus præditi) tribuere soleant; non tamen eo ipso omnes & singulos cuidam visibili Ecclesiæ incorporatos pro membris veræ Ecclesiæ agnoscunt, sed solos justos, secundùm puram doctrinam viventes: admixtos verò hypocritas & impios solummodo pro membris externæ societatis secundùm prædicationem Verbi Dei & usum Sacramentorum, non secundùm unitatem Spiritûs & cordium cum Christo. 3. Non ideo, quia hypocritæ non sunt unum cum Christo & cæteris membris in spiritu, quamquam secundùm externam societatem cum justis & sanctis unum Ecclesiæ corpus constituant, & pariter fruantur titulo Ecclesiæ Christi (ob sie schon der äusserlichen Gemeinschafft nach/ mit den Heiligen und Gerechten auf Erden ein Religions-Corpus machen/ und deß Prædicats der Kirch Christi mit genieſſen) duæ à se admittuntur Ecclesiæ, quarum una sit invisibilis, ex meris justis conflata, altera visibilis, ex justis & injustis composita. 4. Falsa moneta, licet immixta sit bonæ pecuniæ & appareat bona, nunquam tamen habenda est pro bona: zizania manent zizania, sive crescant in agro sive in deserto: paleæ sunt paleæ, seu tritico immixtæ sint seu non: immunda animalia sunt talia, sive sint intra sive extra Arcam. Ita pariter filij & membra diaboli sunt talia, etiamsi in purissimæ visibilis Ecclesiæ corpore Filijs Dei & membris Christi exteriùs associentur: neque propter hanc associationem spectant ad Christi corpus, sponsam, & columbam unicam. 5. Juxta P. Pichlerum improbi sunt membra Ecclesiæ veræ quamvis minùs nobilia, quàm sint justi: illi insuper sunt quasi corpus, isti autem quasi anima Ecclesiæ. Quid hoc rei? an ergo anima est membrum corporis? an improbi sunt membra vivi corporis, & aliquid vitæ habent, cùm tamen careant animâ, à qua omnis vita? Hucusque iterum M. Renzius à p. 127. usque ad 151.

R. ad 1. planè id sequitur; quia vos Lutherani, & speciatim tu M. Renzi, admittitis aliquam Ecclesiam *Invisibilem*, quam dicitis veram Ecclesiam & *Universalem*, solos justos tanquam membra complectentem: præter hanc autem admittitis etiam Ecclesiam *visibilem*, eos homines complectentem, qui in pura fidei doctrina & Sacramentorum communi ac sensibili usu conspirant, adeóque complectentem justos simul & injustos, veros fideles hypocritis permixtos. Jam sic arguo: vel illa Ecclesia Invisibilis, quam dicitis Universalem, est *tota* Christi Ecclesia, vel non est tota? Si est *tota*, uti expresse

Tuorum nomine respondes p. 143. ita ut pars veræ Ecclesiæ non sit Visibilis Ecclesia antea descripta, ex justis & injustis simul conflata (nam *totum* sicut involvit suas partes, ita excludit omnia, quæ non sunt ejus partes) quam tamen expressè cum Tuis vocas etiam *Ecclesiam Christi* p. 143. cit. conformiter Scripturæ, ut ais, & Antiquis Ecclesiæ Doctoribus, manifestè admittitis duas Ecclesias Christi adæquatè inter se distinctas; siquidem *Christi Ecclesia* est illa Invisibilis, cujus pars non est Visibilis; hanc verò etiam *Ecclesiam* Christi appellatis cum Scriptura & antiquis Ecclesiæ Doctoribus. Ad 2. Sufficit mihi: vel enim verè vel falsò hunc honoris titulum tribuitis Ecclesiæ Visibili! si verè: ergo verè datur adhuc alia Christi Ecclesia præter Invisibilem, & admittitis duas Christi Ecclesias; quod tamen ut absurdissimum ipsi horretis: si falsò: ergo meretricem honoratis titulo Virginis. Quòdsi autem justos, qui reperiuntur in Ecclesia Visibili, extrahere, & Ecclesiæ Invisibili adnumerare placeat; qua fronte, qua conscientia, qua veritate residuum, quod ex meris injustis & hypocritis constat, honorare potestis titulo *Ecclesiæ Christi*? qua fronte hanc blasphemiam tribuere antiquis Ecclesiæ Doctoribus & ipsi Scripturæ? Sileo, quòd hac ratione justos in Ecclesia Visibili existentes faciatis partem Ecclesiæ Invisibilis, & sic vobismetipsis contradicatis, cùm Invisibilem Ecclesiam (absque membris Ecclesiæ Visibilis) velitis esse *totam* Christi Ecclesiam. Ad 3. Quidquid verborum obtruditis, innegabile est, duas reipsa Christi Ecclesias à vobis admitti, quamdiu Ecclesiam Invisibilem contenditis esse *totam* Christi Ecclesiam, & præter hanc etiam Visibilem, quam pariter dignamini titulo Ecclesiæ Christi, uti te ipso teste p. 143. cit. revera facitis. Ad 4. Nos nequaquam dicimus, ut ineptissimè hic supponis, quòd improbi, peccatores, injusti &c. quamdiu manent tales, nec agunt pœnitentiam, sint justi & sancti: dicimus tamen, eos esse membra Ecclesiæ, non quidem *quæ* sanctæ, sponsæ dilectæ &c. reduplicativè, sed specificativè, ut Scholæ loquuntur, nimirum illius Ecclesiæ Christi, *quæ* est sancta, dilecta Christi sponsa &c. Nunquid vos ipsi simile quid admittitis, dum membra *Ecclesiæ Christi Visibilis* fatemini etiam esse injustos? nunquid sic admittitis membra diaboli, uti vocatis, esse membra *Ecclesiæ Christi*, consequenter Corporis Christi? quod tamen ut maximum absurdum nobis semper objicitis, ignari, quòd hujusmodi tela omnia in vestram Ecclesiam *Visibilem*, quam dicitis esse *Ecclesiam Christi*, in vos retorqueri valeant. Præterea nos non dicimus, paleas tritico admixtas non manere paleas &c. Sed asserimus, paleas esse partem illius aggregati, quo impletur area. Hoc verum esse disces ab experientia, si fortè emas modium frumenti non bene purgati. Ad 5. Sanctos ibi voco membra nobilissima & propria respectivè ad impios, non quòd impij simpliciter & propriè membra non sint, sed quòd minùs nobilia; & sub hoc respectu etiam minùs propria sint. Propter eandem præstan-

tiam sanctos comparo animæ, & impios propter defectus suos corpori, quia isti in se, & ut præcisi à reliquis Ecclesiæ membris, nullam habent vitam, quamvis ut uniti aliquam & imperfectam vitam habeant: ferè ut ungues & capilli, quamdiu manent uniti humano corpori. Animam nunquam voco membrum, sed partem (intellige essentialem) corporis vivi, membra autem sunt partes integrales. Sanctos verò comparo animæ, non quia & quatenus membra sunt Ecclesiæ, sed quia & quatenus præstantiâ suâ longè excedunt impios, sicut anima longè excedit præstantiâ corpus. Sed superiùs, inquis, etiam dona supernaturalia fuerunt comparata animæ. Ita est, sed sub alia ratione & consideratione: dona supernaturalia & virtutes internas dixi similes animæ propter vim & efficaciam suam, qua insistunt in operationes sanctas, & membra Ecclesiæ sancta efficiunt; ipsos verò homines sanctos hìc dico similes animæ propter eminentiam suam, quam habent præ impijs. Eadem res in eadem similitudine diverso modo applicatâ potest comparari rebus diversis, ut nemo nescit, qui non omnia nescit: Sic idem M. Renzius in eadem similitudine, qua ipsius familia comparatur *corpori vivo*, potest dici *caput*, quia est præcipua pars: *cor*, quia in totum corpus alimenta dispensat, sicut cor sanguinem: *anima*, quia movet, dirigit, & ad operandum excitat omnia membra &c. Quomodo improbi sint membra vivi corporis, & aliquam vitam etiam ipsi participent, sæpius dictum, & denique à M. Renzio captum existimo. Cæterùm si Ecclesia comparata decem Virginibus, quarum quinque fatuæ sunt, vocari potest *Regnum Cœlorum* Mat. 25. quare dici non possit *corpus mysticum Christi*, *regnum Christi* &c. licèt fatuos, hoc est, injustos & peccatores, compectatur?

Objicit 3. Dicere, quòd prædicata, 27.
esse *sanctam*, *totam pulchram*, *sine macula*, *esse redemptam à Christo*, *vivificatam*, *actam à Spiritu Sancto &c.* non conveniant Ecclesiæ ratione singulorum membrorum, sed ratione Auctoris, doctrinæ, finis, mediorum, præceptorum &c. involvit maxima absurda, nimirum Christum Jesum esse *redemptum*, Verbum DEI, Sacramenta, beatitudinem æternam, præcepta morum &c. esse *redempta*, DEUM *agi* ad bene operandum per directionem & stimulum Spiritûs S. DEUM, Sacramenta, doctrinam &c. *habere vitam* in Christo, & *agi* à Spiritu S. ad bonum &c. Seynd mir das nit abentheurliche Händel? 2. Dicere, quòd impij habeant aliquid vitæ spiritualis per hoc, quòd fidei doctrinam pro vera habeant, ac ore profitentur (hoc enim solum Papisticis Tractatoribus sonat fides, utpote de filiali fiducia & gaudio in Christo nihil omnino scientibus) est ipsos etiam diabolos facere membra mystici Corporis Christi, quia etiam credunt, consequenter aliquid spiritualis vitæ & Spiritum Christi participant. Certè Spiritum Christi aliquatenus tribuere etiam impijs est doctrina adeò detestabilis, ut eâ auditâ meritò omnes probi cohorrescant. Qui non est ex DEO,

nihil

nihil habet spiritualis vitæ, nihil de Spiritu Christi. Per peccatum homines evadunt spiritualiter mortui. Eph. 2. mortui autem nihil habent vitæ. Ita rursus M. Renzius à p. 217. usque ad p. 227. Quæ immiscet & adjicit per tria folia sequentia, vel referri indigna existimo; quia sunt vel apertè falsa, vel extra rhombum, vel inutiles repetitiones, vel ignorantiæ, vel convitia.

R. Ad 1. vel imperitè, vel (quod verisimilius est, ut habeas, quod impugnes) malitiosè accipis mea verba: non ego singulis distinctionis meæ partibus omnia illa prædicata applicavi aut applicari volui, sed omnibus omnia, cum respectu ad singulorum capacitatem. Itaque prædicata, *esse redemptam à Christo, vivificatam, actam à Spiritu S.* applica Ecclesiæ, ut constanti ex *hominibus*, quia isti capaces sunt horum prædicatorum; reliqua verò *esse sanctam, totam pulchram, immaculatam* &c. applica Auctori, doctrinæ, fini, medijs, præceptis, Sacramentis, quæ omnia absolutè & ex toto sancta &c. sunt. Quod si fecisset, (uti debueras, & nemo non faciet, qui vel malevolus vel imperitus non est) nulla monstra vidisses. Ad 2. Ineptissima est hæc argutatio etiam in tuis principijs, impium pro diabolis patrocinium: nunquid enim nec juxta te sufficit sola fides, sed baptismus quoque exigitur, ut aliquis sit membrum Mystici Corporis Christi juxtà illud 1. Cor. 12. 13. *omnes nos in unum corpus baptizati sumus?* quis baptizavit diabolos? fortè Lutherus tuus diabolis familiarissimus. Nunquid & tu requiris ad membrum Ecclesiæ Christi, ut sit homo, Christi sanguine redemptus? cùm Christus *acquisiverit sibi Ecclesiam sanguine suo* act. 20. 28. *pro qua se ipsum tradidit.* Eph. 5. 26. An Christus etiam pro diabolis sanguinem fudit, & se ipsum tradidit? An non pro membris Ecclesiæ Christi instituta sunt Sacramenta in remissionem peccatorum, quæ sunt signa sensibilia &c.? Putasne horum capaces esse etiam dæmones, meros spiritus, in peccato obstinatos & inflexibiles? Nota diligenter textum S. Pauli Eph. 5. 26. 27. ubi sic ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam &c.* Quibus verbis satis excludit dæmones, non tamen excludit peccatores, dum plus ad membrum Ecclesiæ non requirit, quàm baptismum & fidem Verbo DEI præbendam; cùm verò omnem ab ea maculam abesse dicit, loquitur de Ecclesia *gloriosa*, & triumphante in cœlis. Cœterùm nemo ex sanctis Patribus, & antiquis Catholicis, doctissimis æquè ac sanctissimis viris, cohorruit, nec hodie quispiam rectè sentientium cohorret à doctrina, quam ipsa S. Scriptura apertè tradit, Ecclesiam Christi comparans *areæ* triticum & paleas congreganti, *sagenæ* bonos & malos pisces concludenti, & Ecclesiam appellans *regnum cœlorum*, licèt fatuas Virgines complectatur &c. Vita fidei est vita spiritualis, licèt minùs perfecta

quàm vita charitatis : fides est donum supernaturale, adeóque participatio aliqua Spiritûs Christi : qui credit, ex DEO est aliquo modo, nec penitus est mortuus, carens omni vita &c. Sed quia hæc superiùs jam abunde sunt explicata, removeo manum de tabula, & Adversario meo hanc veræ fidei vitam ex animo precor, qua mediante pervenire posset ad vitam perfectam veræ charitatis, ac experiri, quòd etiam Catholici aliquid sciant de fiducia & gaudio in Christo.

ARTICULUS II.

An vera Christi Ecclesia necessariò sit perpetua ?

SUMMARIUM.

1. *Status Quæstionis.*
2. *Lutherani quidem voce fatentur, Ecclesiam debere esse perpetuam, re ipsa tamen negant.*
3. *Ecclesia Christi hucusque semper perstitit.*
4. *Nec unquam deficere aut extingui potest, ut Scriptura S,*
5. 6. *Patres, & ratio ipsa docet.*
7. *Objiciunt defectionem Antiquæ Ecclesiæ, sed malè.*
8. *Urgent, sed inefficaciter.*
9. *Adducunt alia exempla, sed nec quicquam.*
10. *Excipiunt contra nostram probationem, sed imperitè.*
11. *M. Lomer nimis angustis terminis coarctat puritatem primitivæ Ecclesiæ.*

1. SCiendum 1. Statum quæstionis in eo versari, utrùm Ecclesia, semel à Christo fundata, possit aliquando ita deficere, ut non ampliùs existat in Mundo, ac penitus extincta sit, nullo verè fidelium relicto cœtu, etiam exiguo. Utrùm enim Ecclesia possit ita deficere, ut in aliquos errores circa res fidei prolabatur, sive utrùm necessariò in suis dogmatis sit infallibilis, postea examinabitur.

2. Sciendum 2. Quamvis Lutherani oretenus fateantur nobiscum, veram Christi Ecclesiam semper debere existere, ac nunquam posse extingui penitus, adeóque esse perpetuam. Sic Gerardus in LL. Theol. de Ecclesia n. 107. ait: *Articulus IX Symboli Apostolici, credo Ecclesiam Catholicam, perpetuò manet : ergo DEUS semper sibi servat aliquam Ecclesiam, quæ fidem Catholicam tuetur.* Et nisi sibi servaret, id DEO probrosum foret, imò DEUS non ampliùs haberet suam gloriam extrinsecam, quam necessariò intendit operando ad extra, utpote nullam habens Religionem, in qua verè coleretur. *Christo Regi & Sponso*, ait M. Lomer in scinem Barnet p. 135. *dedecus foret, si ejus hostis rem eo redigeret, ut ali-*

quan-

quando nullum ipsi Regnum, nulla Sponsa superesset in Mundo. Quamvis, inquam, hæc dicant oretenus, talia tamen argumenta adducunt, dum probare nituntur, Ecclesiam Catholicam seu Universalem non semper fuisse visibilem, nec esse debere, ut, si firma forent, pariter probarent, Ecclesiam Christi omnino sublatam fuisse è Mundo, dum contendunt *totam* in hæreses, idololatriam, aliaque gravissima flagitia prolapsam esse, ut patebit ex Objectionibus. Unde, licèt inutile foret probare Perpetuitatem Ecclesiæ contra Lutheranos, si suis starent verbis; nunc tamen, quia re ipsa negant, quod verbis concedunt, operæ pretium est demonstrare, veram Christi Ecclesiam debere esse perpetuam. Unde

4. Dico 1. Ecclesia Christi hucusque non ita defecit, ut omnino fuerit extincta, sed perseverat eadem, quæ fuit tempore Apostolorum. Probatur 1. negativè, quia non potest ab Adversarijs ostendi tempus, quo defecerit, error in fide, in quem lapsa sit, Pontifex vel Concilium, sub & à quo pessundata sit penitus Ecclesia: ergo non defecit Ecclesia; *Actore enim non probante Reus absolvitur*, aiunt Juristæ, & *asserentis est probare*: cùm igitur Sectarij asserant, Ecclesiam totam lapsam esse in hæreses, idololatrias &c. (quæ peccata etiam tollerent Ecclesiam invisibilem, de qua postea) ipsorum est hæc indubitatò probare; quod si non præstiterint, Ecclesia manet in possessione suæ integritatis. Ant. primum constat ex tractatione singularum materiarum, in quibus Ecclesiam accusant, præsertim circa Pontifices & Concilia, de quibus vide nostras Theses præcedentis anni; nempe *Papatum nunquam errantem*, & infrà Caput 4.

Probatur 2. positivè ex continua successione summorum Pontificum à temporibus Apostolorum usque ad hodiernum diem, qui tum per se tum per suos vicarios & subordinatos Ministros doctrinam Christi per orbem prædicârunt, & adhuc prædicant eandem, observato etiam eotundem Sacramentorum usu &c. ut constat evidenter ex historia tum Ecclesiastica tum prophana, nominatim Baronij, Jacobi Gaulterij, Jodoci Coccij &c. qui singula sæcula percurrerunt, & hanc successionem tum Pontificum, tum doctrinæ Apostolicæ, ex PP. & Scriptoribus synchronis demonstrant.

Dico 2. Ecclesia Christi nunquam potest omnino deficere, seu penitus extingui: adeóque necessariò est perpetua. Probatur 1. ex Scriptûra S. In *Novo Testamento* Christus sæpius promisit Ecclesiæ suæ perpetuitatem usque ad finem Mundi. *Portæ infert non prævalebunt adversus eam.* Mat. 16. v. 18. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Mat. ult. v. ult. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis.* Jo. 14. v. 16. Unde D. Paulus scribit: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei* &c. Eph. 4. v. 11.

2.

3.

11. Ubi autem sunt Pastores & Doctores, utique etiam erunt oves & discipuli, nempe veri fideles, qui pascuntur & erudiuntur, adeóque tota Ecclesia. Deinde Christi præceptum est, ut audiamus Ecclesiam, ad quam deferri vult incorrigibiles, *dic Ecclesiæ*. Mat. 18. v. 17. atqui hoc præceptum debet semper posse observari: ergo semper debet dari Ecclesia.

Id ipsum fuit prædictum in *Antiquo Testamento*, in quo Ecclesia Christi vocatur *Sponsa*, de qua Sponsus ait: *Sponsabo te mihi in sempiternum*. Oseæ 2. v. 19. Item vocatur *Regnum*, quod durabit in æternum: *In diebus autem Regnorum illorum suscitabit DEUS cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur*. Dan 2. v. 44. *Regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc & usque in æternum*. Idem prædixit David: *Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in æternum*. Ps. 124. v. 2. Item Isa. c. 59. v. ult. *Cùm venerit Sion Redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedant de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus amodo, & usque in sempiternum*. Imò, quod bene notandum est, quando Synagogæ promissa est æternitas, principaliter referri debet ad Ecclesiam Christi, cùm illa tantùm fuerit umbra & figura illius, ut docet S. Aug. lib. 17. de Civit. Dei c. 6. Neque Synagoga, cui factæ sunt promissiones æternitatis, perijt quoad fidem in Christum Redemptorem, sed in melius mutata.

Confirmatur ex communi sensu Patrum, ex quibus unicum placet adducere S. Augustinum, qui in Ps. 101. Conc. 2. ferè ita loquentem inducit Ecclesiam: *Quid est, quod nescio, qui recedentes a me murmurant contra me? quid est, quod perditi me perijsse contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui & non sum. Annuntia mihi antiquitatem annorum meorum, quamdiu ero in isto sæculo? annuntia mihi propter illos, qui dicunt, fuit, & jam non est, apostatavit & perijt Ecclesia de omnibus Gentibus. Et annuntiavit: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Taceo S. Cypr. qui l. de unit. Eccl. ait: *Sponsa est, adulterari non potest* &c. Taceo & alios brevitatis causâ. 5.

Probatur 2. ex ratione. Extra veram Ecclesiam nemo potest salvari: sed omni tempore debent posse aliqui salvari: ergo omni tempore debet esse in Mundo vera Christi Ecclesia: ergo illa, quæ aliquando fuit vera Christi Ecclesia, debet talis permanere usque ad finem Mundi: talis autem fuit olim saltem Romano-Catholica vel ipsorum hostium confessione. Ma. est in confesso apud Lutheranos, & indè constat, quia *nemo potest placere Deo sine fide*. Hebr. 11. v. 6. & salvari, nisi colat Deum eo modo, quo Deus vult coli: ergo qui salvantur, debent esse in vera fide, & in Ecclesia vel in re, vel saltem in voto. Mi. est clara; Deus enim homines creavit ad felicitatem æternam: ergo semper debet providere ipsis de me- 6.

dio

dio necessario, quod est vera Ecclesia.

Confirmatur ex rationibus, quas suprà adduximus ex Gerardo & Lomero n. 2. quia nimirum in Symbolo credimus Ecclesiam Catholicam, qui articulus debet esse verus omni tempore. Et si Christi Ecclesiam aliquando everterent illius hostes, id Christo Ecclesiæ Sponso probrosum foret.

Probatur 3. ad hominem. Confessio Augustana art. 7. expressis verbis docet, *quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit.*

7. Ob. 1. & principaliter. Ecclesia Antiqua totaliter defecit, & lapsa est in errores, hæreses, & Idololatrias: ergo hoc ipsum potest etiam accidere Ecclesiæ Christi. A. P. 1. Statim primi parentes, in quibus tota consistebat Ecclesia, defecerunt, & plus crediderunt serpenti Divinitatem promittenti, quàm DEO comminanti. Item statim post diluvium, ut populo Israelitico exprobrat Josue, *trans fluvium habitaverunt Patres vestri ab initio, Thare Pater Abraham & Nachor: servierúntque Dijs alienis.* Jos. 24. v. 2. II. tempore Moysis in deserto, ut refert S. Stephanus act. 7. v. 41. exprobrans Judæis, *vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulacro, & lætabantur in operibus manuum suarum.* III. tempore Judicum in Palæstina, *surrexerunt alij, qui non noverunt Dominum &c. dimiserunt Dominum Deum patrum suorum &c. & secuti sunt Deos alienos &c.* Judic. 2. v. 10. IV. tempore Regum, *ædificaverunt enim & ipsi sibi aras &c. fecerúntque omnes abominationes gentium.* 3. Reg. (juxta Lutheranos 1.) c. 14. v. 23. 24. *Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus*, queritur Elias. 3. Reg. c. 19. v. 14. V. tempore Prophetarum & Captivitatis Babylonicæ, Jeremias de stirpe Juda ortus, qui eidem Captivitatem hanc annuntiavit, quam & ipse sustinuit, c. 3. v. 6. & seqq. ita scribit: *Nunquid vidisti, quæ fecerit aversatrix Israël? abijt &c. & sub omni ligno frondoso fornicata est &c. & vidit prævaricatrix soror ejus Juda &c. & fornicacea est etiam ipsa &c.* Adeóque non una tantùm pars Ecclesiæ Judaicæ (nam post mortem Salomonis scissum fuit Regnum Israëliticum, ac decem Tribus datæ sunt Jeroboamo, Tribus autem Juda relicta est Roboamo, atque addita Tribus Beniamin, inqua erat Jerosolyma, & sic factum est duplex Regnum, Israël & Juda) sed utrumq; Regnũ defecit à Domino, scilicet Israël & Juda. VI. Post Captivitatem Babylonicam, à qua usque ad Christum interceserunt anni 400. circiter, quantùm collapsa fuerit Ecclesia Judaica, Christus ipse sæpius docuit, uti Mat. 15. v. 4. 7. 8. 9. *Hypocritæ, bene Prophetavit de vobis Isaias, dicens: populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me, sine causa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Et c. 23. v. 23. *Reliquistis, quæ graviora sunt Legis, judicium & misericordiam, & fidem.* Ita Lomerus per multa folia in seinem Ba-

nier

nier c. 3. ubi ferè omnia descripsit ex Gerardo de LL. Theol. tit. de Ecclesia c. 8. n. 87. seqq.

R. 1. N. A. licèt enim multi ex Ecclesia Antiqua defecerint, in errores, ac Idololatriam lapsi sint, nunquam tamen tota Ecclesia defecit, sed semper remansit aliquis cætus cum summo Ponrifice in vera doctrina, verique fideles à cæteris distinguibiles; quippe nec Lutherani negant, in Antiqua Ecclesia ab Aarone usque ad Caypham, per totam Legem scriptam, Pastores & summos Pontifices continua serie sibi successisse. Non autem negamus, magnam imò majorem Ecclesiæ partem posse deficere, negamus autem de Universa & tota Ecclesia. Ad 1. In Paradiso nondum erat Ecclesia, saltem perfectè, sed tantùm inchoativè: necdum pro illo modico tempore promissa erat stabilitas in fide: adde, quòd primi parentes non tam infidelitatis quàm gulæ se obstrinxerint peccato. Ad 2. Moyses, qui fuit summus Sacerdos, cum tota Tribu Levi, quæ constabat 23000. viris. Num. 16. non adorabat vitulum aureum, sed perstitit fidelis, licèt Aaron cum plerisque alijs adoraverit. Ad 3. & 4. rursus defecerunt quidem multi, non tamen omnes. Elias, quod identidem obganniunt Lutherani, non solus relictus est fidelis, uti putabat, sed insuper 7000, virorum, qui genua non curvaverunt ante Baal. Deinde Elias loquitur de Regno Israël sub impio Rege Achab. Interim Regnum Juda sub Rege Josaphat retinebat Jerosolymis verum Dei cultum. Ad 5. Non omnes iterum, sed multi tantùm defecerunt in utroque Regno Israël & Juda tempore Prophetarum; quia duravit adhuc Sacrificium, præcipuus veræ Religionis actus, in templo Salomonis. Item cum Jeremia vixerunt Rechabitæ. Jerem. 35. & Rex Josias cum suis, adeò laudatus. 4. Reg. 23. cum Isaia verò Oseas, Joël, Abdias Prophetæ &c. Adde, quòd Scriptura sæpius tribuere soleat peculiari loquendi modo omnibus, quod tamen tantùm reperitur in plerisque, vel magna parte communitatis. Ad 6. par est responsio. Christus solùm reprehendit hypocritas, Scribas, & Pharisæos, item illas traditiones humanas, quæ erant contrariæ Mandatis Divinis, quibus abundabant Pharisæi. His si nos Catholicos comparet Lomer, injuriam nobis facit, quia non habemus traditiones superstitiosas & Mandatis Divinis contrarias. Melius comparamus nos Lutheranos Sadducæis, notis apud Judæos hæreticis, qui rejectis omnibus traditionibus solam Legis litteram & Scripturam jactabant, asserentes, nihil credendum aut faciendum, nisi quòd expressè in ea contentum esset. Cæterùm non obstante scelerata eorum vita Pharisæis obedire Christus jussit in rebus fidei, dum sedebant in Cathedra Moysis. Mat. 23. v. 3. ergo non deerant unquam summi Sacerdotes, qui populum rectè docebant, consequenter semper fuit aliquis cætus fidelium, seu aliqua vera Ecclesia, & quidem visibilis.

R. 2. Hanc objectionem probare nimium, & contra Adversarios; ex ea enim, si verum diceret, sequeretur, totam

totam Ecclesiam, etiam Invisibilem, defecisse; quia probare nititur, omnes defecisse in fide, utpote lapsos in Idololatriam. aliàque gravissima peccata, quæ juxta Adversarios excludunt à cætu fidelium, seu *Sanctorum*, adeóque à vera & Invisibili Ecclesia. Nullam verò, etiam Invisibilem, Ecclesiam amplius esse in Mundo, est etiam contra Confessionem Augustanam, Gerardum, & reliquos Lutheranos.

R. 3. T.A.N.C. Disparitas est 1. quia Synagogæ non tam clare & absolutè promissa est perpetuitas usque ad finem Mundi, sicut Ecclesiæ Christi, ut patet ex textibus, præsertim Exod. 29. & 4. Reg. 21. Imò quando promittebatur Synagogæ æternitas, factæ sunt promissiones veræ Ecclesiæ, quæ principaliter est Ecclesia Christi. Præterea Synagoga designabatur per Agar ancillam, quæ fuit repudiata, Ecclesia Christi per Sarai uxorem Abrahæ, quæ non fuit repudiata. 2. Quia Synagoga erat figura & umbra Ecclesiæ Christi: præsente autem veritate & luce eo ipso cessare debet figura & umbra, ac mutari in melius. 3. Quia Synagoga non fuit Catholica & universalis ratione loci, & salvandorum, sicut esse debet Ecclesia Christi, quippe extra eam potuerunt etiam salvari homines, uti Job, Melchisedech, Ninitivæ &c. Licèt ergo defecisset Synagoga, potuisset tamen fides apud alios manere integra &c.

8. Dices 1. Promissiones, Ecclesiæ Christi factæ, non minùs sunt conditionales, quàm promissiones factæ veteri Ecclesiæ: ergo P. A. ex D. Paulo Rom. 11. ubi Apostolus argumentatur, à minore ad majus inferens, si Deus Ecclesiam Antiquam abiecit propter incredulitatem, posse id etiam Ecclesiæ Romanæ accidere; *si enim DEUS naturalibus ramis* (Judæis) *non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* v. 21. *propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* v. 19. *Vide ergo bonitatem & severitatem DEI, in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excidêris.* v. 22. R. 1. Rectè negari posse suppositum Ant. quòd Ecclesiæ veteri *universæ ac toti* factæ sint tantùm promissiones conditionatæ, eáque aliquando tota defecerit in fidei dogmatis, uti patet ex dictis. R. 2. hoc transmisso N. Ant. constat enim ex textibus, quos in probationibus nostris recitavimus, nullam conditionem esse additam in promissionibus toti ac Universali Ecclesiæ Christianæ factis. Imò incredibile est per se, Christum voluisse perpetuitatem promittere suæ Ecclesiæ sub hac conditione, *si ipsa servat fidem*; cùm utique illi plus voluerit promittere, quàm cuilibet in particulari dare consuevit; cùm quilibet in particulari certus sit, se perpetuò fore fidelem, nisi prior ipse desciverit à fide. Apostolus non loquitur de tota Ecclesia, sed solùm de singulis membris, quorum utique nullum in particulari est securum à lapsu. Id quod ipse insinuat satis, dum initio cit. c. 11. exemplo 7000. virorum, qui tempore Eliæ persistebant in vera fide, licèt ab Elia ignorarentur, probat semper exstitisse

stitisse & permansisse veros fideles, adeóque semper aliquos permanere debere.

9. Ob. 2. Tempore Michææ erraverunt omnes Prophetæ excepto Michæa: ergo & erravit totus populus, qui sequebatur Prophetas. 2. Tempore Christi erravit summus Sacerdos cum Senioribus condemnando Christum: item erraverunt Apostoli omnes, aliique Discipuli deficientes à Christo: ergo defecit tunc tota Ecclesia. 3. Tempore Antichristi tota Ecclesia deficiet à fide, ut prædixit Paulus Thessal. 2. *Nisi venerit discessio primùm* (id est, defectio à fide) *& revelatus fuerit homo peccati &c.* (id est, Antichristus) ergo.

R. ad 1. N. C. quia fuerunt solùm pseudo-Prophetæ, nec Pastores veri, quos populus, saltem totus, non est secutus. Ad 2. Cayphas & Seniores non pronuntiabant ex Cathedra, Christum non esse Messiam, sed ex odio & passione condemnabant Christum ad mortem, quem satis & ipsi interiùs cognoscebant esse plùs, quam hominem purum. Quod odium cùm constaret populo, nemo judicavit se obligatum ad credendum, Christum non esse Messiam, quod nec ipsi Pontifex & Seniores definire volebant. Alij autem, cùm hæc sententia non fuerit nota per reliquam Judæam, & alijs fidelibus extra Judæam existentibus, omnes perstiterunt in vera fide; imò multi permanebant veri fideles in vel circa ipsam etiam Urbem Jerosolymitanam, uti fuisse credendi sunt Simeon, Nicodemus, Joseph, Zachæus &c. Adde, quòd Privilegium non errandi concessum fuerit Synagogæ solùm usque ad Christum præsentem, cùm ejus fides esset de Christo *futuro*. Apostoli tunc nondum actu erant Pastores & Episcopi, sed designati tantùm, actu autem esse cœperunt post Resurrectionem Christi, ubi Ecclesia Christi fuit completè constituta, & lex Evangelica promulgata, dum Petrus audivit: *Pasce oves meas*, & ipsi simul ac cæteris Apostolis dictum est: *Ite in universum Mundum, & prædicate &c.* Deinde Apostoli non amiserunt fidem; Petrus enim solùm exteriùs negavit, non in animo, cæteri autem fugerunt solùm à Christo ex timore, imò ex permissione Christi, *finite hos abire*. Jo. 18. nec eum negarunt perfidè: aliqua tardiùs credebant, vel quia Christum tunc nondum satis intellexerant, vel quia rumorem à fœminis ortum (scilicet de Resurrectione Christi) non habebant pro motivo sufficienti. Nec reliqui Discipuli omnes defecerunt à Christo, ut patet in Nicodemo &c. Ad 3. Licèt tempore Antichristi propter gravissimas persecutiones & fraudes multi sint defecturi à fide Christi, non tamen deficient omnes. Adde, quòd obscurum sit, quid ibi intelligat Paulus nomine *discessionis*. Multi explicant non de discessione à fide, sed à Romano Imperio. Deinde juxta Lutheranos jam nunc sunt tempora Antichristi, quia pro Antichristo habent Romanum Pontificem: ergo si tempore Antichristi tota Christi Ecclesia extinguetur, ipsi non sunt in vera Christi Ecclesia.

Ob. 3. Non est necesse, ut sciatur tempus, quo, & Pontifex, sub quo apostataverit Ecclesia, num simul, an 10.

suc-

successivè defecerit ; modò constet, eam defeciſſe, uti defacto constat ; cùm nunc longè alia fidei dogmata habeat Ecclesia Romana, quàm olim v.g. de Justificatione peccatoris, de Invocatione Sanctorum, de Communione sub utraque specie, de Sacrificio Missæ, de Purgatorio &c. Sicut non est necesse scire tempus, quo apostataverit Lucifer &c. ergo nostrum argumentum negativum nullum est. R. N. A. eo ipso enim, quòd Adversarij non possint assignare tempus, modum &c. defectionis, signum est manifestum, Ecclesiam Romanam non defeciſſe ; ejusmodi enim totalis defectio faisset res tam memorabilis, ut Historici non potuissent dissimulare, qui ex instituto scripserunt res memorabiles, præsertim Ecclesiasticas, & haud dubiè non dissimulâssent, cùm scripserint sæpe minima. Paritas non est cum Lucifero, quia de hujus lapsu constat ex peculiari revelatione Divina. Isa. 14. v. 12. & alibi. Quòd autem Ecclesia Romana defecerit penitus, est nova accusatio Lutheranorum, quam nisi probare tenerentur ex circumstantijs loci, temporis, personarum &c. quilibet audacter calumniari & accusare innocentissimum quemque posset, & cùm exigeretur ab ipso probatio ex adjunctis, ubi, quomodo &c. delictum sit perpetratum, sufficeret dicere, non necesse esse, ut ista sciantur: quod *nescio* apud pueros vocari solet asinorum responsio. Cæterùm quidquid credidit Ecclesia Romana primitiva credit etiam moderna, ut constat ex proprijs singularum materiarum tractationibus : & quidquid credit moderna, credidit etiam Antiqua vel explicitè, vel saltem implicitè, ac in genere nimirum illa, quæ tunc nondum erant explicitè & clarè definita, sed tantùm implicitè revelata.

Aliqui ex Lutheranis ausi quidem 110
sunt determinare aliquod tempus, quo Ecclesia Christi, quæ olim fuit Romana, defecerit, sed infeliciter, & magnâ inter se ipsos discordiâ, dum aliqui primis 600. alij 500. alij 400. alij 300. annis eam stetisse puram integram volunt. Lomerus in seiner Saurbrunnen-Cur p. 271. puritatem primævæ Ecclesiæ nimis angustis coarctat terminis, dum dicit, in ordine ad necessarios fidei articulos se illam duntaxat Ecclesiam agnoscere pro infallibili, quæ in Sacris Litteris proposita ex Christo & Apostolis collecta erat ; in ordine verò ad aliquas ceremonias & ordinationes se non respuere Patrum auctoritatem per 3. prima sæcula, licèt nec istorum decretis suas ligari conscientias velit, cùm etiam apud hos hinc indè aliquid humani irrepserit.

Sed contra hoc insolens & audax pronuntiatum est 1. quia contradicit Lomerus Augustanæ Confessioni, quæ in art. 1. propter auctoritatem Concilij Nicæni, quod habitum est anno 325. docet, Deum esse unum in essentia & trinum in Personis. 2. Quia contradicit Luthero, & alijs Lutheranis passim, qui Ecclesiam primævam per quatuor aut quinque, aut etiam sex sæcula in declarandis etiam fidei articulis ab errore immunem fatentur, & decreta primorum quatuor Conciliorum, Nicæni I. Constantinopolitani I. Ephesi-

ni L. & Chalcedonensis recipiunt ut sanam doctrinam. Imò Gerardus, quem alias magni æstimat, in LL. Theol. tit. de Eccles. c. 11. sect. 6. ita pronuntiat: *Certum quidem est, Antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiam fuisse, & Apostolicam doctrinam tenuisse; negari interim nequit, Apostolicæ doctrinæ admisceri cœpisse stipulas humanarum traditionum, & opinionum.* 3. Quia contradicit sibi, cùm & ipse sæpius ad confirmanda suæ sectæ dogmata adducat Patres primitivæ Ecclesiæ. 4. Quia repudiata infallibili auctoritate primitivæ Ecclesiæ non amplius probare potest Trinitatem Personarum Divinarum, Divinitatem Christi, & Spiritûs S. Baptismum parvulorum, ipsam Scripturam, ejusque integritatem &c. Unde 5. Quia sic probare amplius non potest, Arianos, Macedonianos, Sabellianos &c. fuisse hæreticos; quidquid enim Lomerus dicit ad probandum, se non esse hæreticum, id ipsum dicere potest Arianus, negans Divinitatem Christi, Macedonianus negans Divinitatem Spiritûs S. Sabellianus negans Trinitatem Personarum &c. omnes enim provocabunt ad solam Scripturam, ad Ecclesiam ex solo Christo & Apostolis constantem. Notet hoc bene Lomerus. 6. Quia arguit Christum magnæ vel impotentiæ vel incuriæ, quòd vel non potuerit, vel non voluerit Ecclesiam à se tantò impendiò fundatam diutius conservare ab errore immunem, quàm quanto tempore vel ipse vel Apostoli visibiliter præsentes eam regebant. 7. Quia eundem Christum arguit infidelitatis in promittendo, dicentem, se ædificaturum Ecclesiam suam super *petram*, & portas inferi *non prævaliturus* contra eam, & se ei adstiturum usque *ad consummationem seculi* &c. 8. Quia nimis deprimit Sanctissimorum & Apostolicorum virorum auctoritatem, quos tamen Deus cœlesti sapientia & miraculorum stupendorum gloriâ admirabiles Mundo reddidit. 9. Quia protervè contemnit antiquitatem, apud omnes prudentes venerandam. 10. Quia prodit effrænem Lutheranæ libertatis libidinem, salubberrima morum decreta, à sanctissimis & sapientissimis viris communi consensu facta, petulanter spernentis. 11. Quia damnat innumeros Martyres, qui incredibili constantia & profuso sanguine vitam & omnia posuerunt ad contestandam Romano-Catholicæ Ecclesiæ veritatem; qui stultè & impiè hæc fecissent, si falsa & erroribus implicita jam tum fuisset Ecclesia. 12. Quia nullus potuisset salvari etiam ex ferventissimis & sanctissimis primitivæ Ecclesiæ fidelibus ratione veræ Ecclesiæ, imò non fuissent fideles, utpote adhærentes Ecclesiæ jam in errores prolapsæ. Hæc & plura alia absurda si devorare possit Lomerus, facilè etiam concoquet omnis generis hæreses, imò & Atheismum, nec ullum absurdum terrebit amplius ductis bolis assuetum stomachum.

ARTI-

ARTICULUS III.

An vera Christi Ecclesia necessariò sit semper Visibilis.

SUMMARIUM.

1. *Dira necessitas cogit Lutheranos ad asserendum, totam Ecclesiam posse reddi penitus invisibilem & incognitam Mundo.*
2. *Status quæstionis.*
3. *Ecclesia Christi tota nunquam fuit invisibilis.*
4. *Nec esse potest unquam, ut ex Scriptura S.*
5. *Ex Patribus,*
6. 7. 8. *Ex ratione multiplici,*
9. *Ex principijs proprijs Lutheranorum,*
10. *Et ex Confessione Augustana solidè evincitur.*
11. *Exceptio & explicatio Gerardi prorsus misera est ex varijs capitibus.*
12. *Cui nec Scriptura patrocinatur.*
14. *Nec hilo melior est exceptio M. Harder Præconis Augustani.*
14. *Aliud Gerardi sophisma eluditur, & retorquetur.*
15. *Uti & argumentum ex ratione petitum.*

1 SCiendum 1. Miseros Lutheranos, Calvinistas &c. quæstione illa, *ubinam fuerit vera Christi Ecclesia ante Lutherum, Calvinum* &c. ita vexari, urgeri, & eò diræ necessitatis adigi, ut dicere debeant, eam per mille & amplius annos fuisse quidem, sed occultam & invisibilem Mundo. Cùm enim cum Gerardo de Ecclesia c. 8. n. 86. c. 9. n. 104. Ecclesiam Catholicam, seu Universalem, defecere, & omnino interire non posse statuant, omnes Ecclesias Particulares, adeóque *totam visibilem* Ecclesiam obscurari posse docent nube corruptelarum, errorum, scandalorum, hæresum, persecutionum &c. atque in eum statum redigi, ut splendor & claritas ejus exterior deficiat, nec supersit illustris & conspicuus aliquis cætus, qui puro Verbi ministerio publicè sonante gaudeat; quamvis interim semper supersint aliqui, fundamentum fidei retinentes, soli Deo noti; cùm Deus etiam per corruptum Verbi Divini ministerium filios & filias, ad Catholicam invisibilem Ecclesiam pertinentes, generare valeat; licèt pauci sint ac publicè incogniti, qui corrupto ubique Verbi ministerio, & publico Religionis exercitio cessante, simplicem Verbi ductum sequentes Spiritûs S. directione in veritate & fide sanctificantur, & ab erroribus fundamentalibus immunes perseverant &c.

2 Sciendum 2. Statum quæstionis versari in hoc, utrùm vera Christi Ec-

clesia Universalis & tota fuerit aliquando, aut saltem esse possit, tam occulta, ut tantùm pauci, isque alijs incogniti, reperiantur veram Christi fidem profitentes. Dico, *universalis & tota*, quæ scilicet complectatur omnes Christi fidem profitentes; nam Ecclesias particulares singulas posse obscurari erroribus, & omnino deficere, libenter fatemur; omnes autem simul sumptas, seu totam Christi Ecclesiam ita coram Mundo unquam latuisse aut latére posse, ut videri & sensibus percipi nequeat ubinam locorum, aut quinam cœtus hominum sit vera Christi Ecclesia, constanter negamus. Plurimùm interest, hoc effugium Lutheranis & alijs Apostatis per solida argumenta præcludere, eorúmque falsam sectam ex his latebris protrahere. Quo facto patebit evidenter, quam ea nuda sit omni veritate, imò & veritatis specie. Proin

3. Dico 1. Vera Christi Ecclesia nunquam fuit invisibilis, hoc est, ita latuit, ut sciri non potuerit, ubi & quinam cœtus veram Christi fidem profiteatur. Probatur 1. Vera Christi Ecclesia semper fuit, & adhuc est, Romano-Catholica, ut cap. 2. palàm fiet: sed ista nunquam fuit invisibilis, cùm in ea semper viguerit publica Verbi Divini prædicatio, publica fidei professio, publica Sacramentorum administratio & perceptio, publicum Sacrificij, Altaris aliorúmque Religionis actuum exercitium, & externum Regimen Episcoporum, præsertim in continua, totique Mundo conspicua summorum Pontificum successione, ut evidenter patet ex historiarum monumentis, ex certa & constanti fama &c. Neque hæc publica pastorum & ovium officia, externa circa res fidei commercia, successionem Pontificum &c. disturbare potuerunt gravissimæ, ac plurimæ persecutiones; nam tempore Diocletiani, qui unus omnium dirissimè sævijt in Christianos, trecenti Episcopi in Concilio Sinuessano congregati sunt anno 303. in causa Marcellini Papæ. Imò ejusmodi persecutiones Ecclesiam Christi reddiderunt splendidiorem, notiorem Mundo & nominatiorem. Probatur 2. Vera Christi Ecclesia nunquam potest fieri invisibilis: ergo hactenus nunquam fuit invisibilis. Ant. prob. statim. Nam.

4. Dico 2. Vera Christi Ecclesia non potest esse invisibilis, & penitus Mundo incognita. Prob. 1. ex Scriptura S. ex qua sola Adversarijs placet ordinariè sua argumenta depromere. Jam sic argumentor. Quotiescunque Scriptura vel *Ecclesiam* nominat expresè, vel illius claram facit mentionem in utroque Testamento, toties loquitur de cœtu hominum visibili, nec ullus potest ab Adversarijs afferri textus, clarè loquens de Ecclesia, qui commodè explicari possit de Ecclesia Christi invisibili: ergo Christus fundavit Ecclesiam visibilem, qualem autem Christus fundavit, talis permanere semper debet. A. prob. adducendo textus utriusque Testamenti v.g. sequentes: *Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit* &c. Matth. 18. v. 17. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Epis-*

Episcopos regere Ecclesiam Dei. Act. 20. v. 28. *Hæc tibi scribo, Timothee, ut scias, quomodo te oporteat conversari in Domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum Veritatis.* 1. Tim. 3. v. 15. *Ascendit Paulus, & salutavit Ecclesiam.* Act. 18. v. 22. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Mat. 16. v. 18. Textus Antiqui Testamenti sunt. *Cur adduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?* Num. 20. v. 4. *Convertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israël; omnis enim Ecclesia Israël stabat.* 3. Reg. 8. v. 14. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium &c. & fluent ad eum omnes gentes &c. & docebit nos vias suas &c.* Isa. 2. v. 2. 3. *Fœdus perpetuum feriam eis, & scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Isa. 61. v. 9. *Aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur: gens enim & regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Isa. 60. v. 11. 12. Hi & similes textus manifestè loquuntur de Ecclesia visibili; nam alloqui, audire, regere Ecclesiam, in ea conversari &c. Præterea pascere, docere, prædicare, arguere, corrigere peccantes, baptizare, & alia Sacramenta ministrare (ad quæ officia hortatur Scriptura Pastores Ecclesiæ) non possunt intelligi de cœtu invisibili & occulto. Afferant Adversarij vel unicum textum tam clarum pro Ecclesia Christi invisibili, si viri sint. Certè Jo. Bapt. Crophius, tam rerum peritus, quam fortis assertor veritatis, qui ante aliquot annos hìc Augustæ ad Catholicam fidem reversus est, in seiner Erinnerung anno 1695. edita, testatur, se sæpius Augustanæ Ecclesiæ Lutheranæ alumnos, & Prædicantes (suos ante familiares) in privato colloquio provocâsse, ut vel unicum textum ex novo vel antiquo Testamento afferant, in quo clarè appareat, per vocem *Ecclesia* significari Communitatem aliquam invisibilem, Mundo incognitam, seu cœtum hominum *Sanctorum* duntaxat. Sed nihil impetravit.

Confirmatur. Ecclesia Christi dicitur esse *Civitas supra montem posita*, quæ abscondi non potest. Mat. 5. *Lucerna*, quæ non ponitur sub modio, sed super candelabrum. Mat. 5. Luc. 11. *Sol*, in quo Deus posuit tabernaculum suum. Psal. 18. *Sagena* congregans bonos & malos Pisces. Mat. 13. *Area*, ubi triticum miscetur cum paleis. Mat. 3. *Corpus*, quod habet diversa membra. Eph. 1. Coloss. 1. 1. Cor. 12. Ergo Ecclesia est visibilis, & conspicua, nec solos complectitur Sanctos, soli Deo notos.

Probatur 2. ex Patribus. S. Augustinus l. 2. contra Petil. c. 104. ait: *Ecclesia certum signum hoc habet, quod abscondi non potest.* Item ep. 170. appellat. *Civitatem supra montem, de qua Dominus ait in Evang. quod abscondi non possit.* S. Chrysost. hom. 4. de verbis Isa. Vidi Dominum, apud Canis. 5.

Canis. de fide & Symb. in art. 9. *Facilius est solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari.* Similia habent alibi, uti & alij PP. Origenes, Cyprianus, Cyrillus &c. quos brevitatis causâ omitto.

6. Probatur 3. ex ratione. Extra veram Christi Ecclesiam nemo potest salvari, ut etiam tenent Lutherani &c. Omnésque tenentur huic Ecclesiæ se adjungere sub periculo æternæ damnationis: ergo hæc Ecclesia debet esse visibilis & conspicua; aliàs enim jure se possent aliquando excusare infideles, ac dicere ad Deum: Domine, quomodo potuimus invenire veram Ecclesiam tuam, illique nos adjungere, cùm scire non potuerimus, in quo Mundi angulo latuerit? Respondet Gerardus de Ecclesia n. 84. Externam societatem non esse necessariam, modò interiùs rectè credatur in Christum &c. Sed contra: *quomodo rectè credent sine Prædicante* veram Christi doctrinam? *quomodo autem prædicabunt* veram Christi doctrinam, si ubique, ubi sonat Verbum Divinum, ministerium sit corruptum & depravatum? Quomodo interiùs purè potest credere, qui corruptam ab extra haurit doctrinam? Quomodo & ubi possunt infideles veram haurire doctrinam, & puram Evangelij aquam, si omnes fontes sint turbati, omnes Ecclesiæ, quæ sunt visibiles, & à quibus hauriendum, sint depravatæ, hæresibus infectæ &c. Ergo debet dari aliqua Christi Ecclesia, quæ sit incorrupta & sanam propinet doctrinam fidei, & quidem visibilis, itaque Mundo cognoscibilis, ut omnes, qui voluerint, eam invenire possint.

7. Confirmatur. Ubi non traditur ac manifestatur hominibus vera fidei doctrina, ibi non est vera Christi Religio; sed Ecclesia invisibilis & latens, in qua ministerium Verbi ubique corruptum est, non tradit, nec manifestat hominibus veram fidei doctrinam, eámque finit perire: ergo vera Christi Religio non est. Talis enim Ecclesia non esset columna & firmamentum veritatis, nec arbor bona, hoc ipso, quòd non faceret fructus bonos.

8. Probatur 4. ex alia ratione. Vel occulti illi fideles, in quibus consistit Ecclesia Catholica invisibilis juxta Adversarios, profitentur exteriùs suam, quam habent in animo, veram fidem, vel non profitentur, sed communicant cum infidelibus in externo Religionis exercitio? Si profitentur exteriùs suam fidem veram, hoc ipso Ecclesia non ampliùs erit invisibilis, cùm ex ista professione externa possit dignosci cætus fidelium. Si non profitentur exteriùs, sed simulant fidem aliam, & in externo Religionis exercitio communicant cum infidelibus, tunc sunt meri hypocritæ, homines scelerati, perfidi, & salutis incapaces, juxta illud Christi: *Omnis, qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Mat. 10. v. 33. Et juxta illud Pauli: *Corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. v. 10. In ejusmodi autem meris hypocritis, scelerátis, cœlo

cœlo proscriptis utique non potest consistere vera Christi Ecclesia.

Respondet Gerardus n. 103. sufficere confessionem fidei internam, nec esse necesse, ut confessio fidei semper fiat publicè, & ut veri fideles se prodant suis hostibus, uti fecerunt multi Sancti tempore persecutionum. Sed contra est 1. quamvis subinde liceat dissimulare veram fidem, nunquam tamen licet simulare aut profiteri falsam externo commercio cum infidelibus circa actus Religionis: sicut nunquam licet adolere exteriùs tantùm thus Idolis. Atqui illi, in quibus juxta Lutheranos ante Lutherum consistebat vera Ecclesia invisibilis, exteriùs communicabant in usu Sacramentorum, Sacrificio Missæ, orationibus pro Defunctis, in jejunijs, Festis celebrandis &c. cum Ecclesia Romano-Catholica, quàm tamen dicunt fuisse falsam Religionem. 2. Illa ipsa abstinentia à communicatione externa cum infidelibus est sufficiens sæpe professio veræ fidei, uti fuit apud tres pueros Babylonicos, statuam Nabuchodonosoris adorare nolentes, & apud 7000. virorum, qui tempore Eliæ non curvaverunt genua cum Idololatris ante Baal. Atqui à communicatione cum Papistis, quos dicunt fuisse hæreticos, non abstinuerunt isti latibularij fideles ante Lutherum &c. 3. Unde scit Gerardus, eos, quos ait esse, aut fuisse veros fideles, sed occultos, quòd interiùs professi sint aliam fidem, quàm exteriùs, aut nunc profiteantur; cùm id solus Deus noverit? 4. Nunquid hoc ipsum, quod dicit Gerardus, possunt etiam dicere Calvinistæ, & quicunque alij Apostatæ, ac Hæretici, asserentes, quòd interiùs professi sint suam ipsorum fidem plurimi & continuò à temporibus Apostolorum?

Confirmatur ex principijs Lutheranorum prorsus efficaciter. Juxta Lutheranos, saltem modernos plerosque, vera fides non datur, ubi nulla dantur bona opera tanquam signa & effectus veræ fidei. Ita Lomerus & alij sæpe. Atqui per ejusmodi opera bona tanquam signa & effectus redditur exteriùs sensibilis & cognoscibilis fides interna: ergo ubi datur vera Ecclesia, hoc ipso ea debet esse exteriùs sensibilis & cognoscibilis, adeóque visibilis: ergo in principijs Lutheranorum implicat Ecclesia invisibilis. Ex altera parte coguntur admittere, eam etiam nunc & semper debere esse invisibilem, cùm juxta ipsorum principia de nullo cætu externo & particulari constet, quòd sit vera & infallibilis Ecclesia: Universalis autem seu Catholica Ecclesia juxta ipsos cognosci nequeat, eò quòd comprehendat solos verè credentes & Sanctos, ubicunque locorum dispersos, etiam extra communitates, qui soli Deo sint cogniti. Consequenter coguntur miseri admittere contradictoria, & devorare hircocervum. 9.

Probatur 5. ex Confessione Augustana, quæ est primus liber Symbolicus Lutheranorum, & in quem jurant. Illa art. 7. sic docet, *quod una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit, in quæ Evangelium purè docetur, & rectè administrantur Sacramenta.* Ubi tria docentur. 1. *Perpetuitas* Ecclesiæ, quam nos art. præcedenti stabilivimus. 10.

2. *Visibilitas*, quia doceri Evangelium, & Sacramenta, quæ ex essentia sua sunt signa sensibilia, administrari non possunt nisi sensibiliter & à cætu visibili. Adeóque Ecclesia *perpetuò mansura cum administratione Sacramentorum & pura prædicatione* verè est Ecclesia semper visibilis. 3. *Infallibilitas*; ubi enim Evangelium *purè* docetur, & *rectè* administrantur Sacramenta, non deficit Ecclesia in vera doctrina, de qua infallibitate nos art. sequente. Hîc autem ex principijs Lutheranorum, & Confessione Augustana *Visibilitatem* Ecclesiæ, & quidem *perpetuam*, consequenter infallibilitatem perpetuam Ecclesiæ Visibilis, evidenter sic demonstro. Juxta Augustanam Confessionem & Lutheranorum interpretationem hæc duo, *purè doceri Evangelium, & rectè administrari Sacramenta*, essentialiter conveniunt veræ Ecclesiæ, tanquam proprietates, ut vocant, quarto modo, uti in homine est risibilitas: ergo hæc duo debent semper convenire veræ Ecclesiæ; proprietas enim quarto modo est id, quod omni, soli, & *semper* convenit: ergo vera Ecclesia *perpetuò* debet esse *visibilis*, & *infallibilis*; cùm evidenter repugnet, Evangelium purè doceri, & Sacramenta rectè administrari invisibiliter, illámque Ecclesiam errare in doctrina fidei, quæ purè docet &c. Ergo Visibilitas non est accidens separabile ab Ecclesia, sed proprietas essentialiter connexa.

Confirmatur ex art. 8. Augustanæ Confessionis, ubi sic dicitur: *Quamquam Ecclesia proprie sit congregatio Sanctorum, & verè credentium, tamen cùm in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sint &c.* Subsumo: atqui credentes sunt homines utique visibiles, & quidem tam *verè* credentes, quorum fides operatur per dilectionem, quàm hypocritæ & mali, quorum fides mortua est.

Respondet quidem Gerardus 1. nunquam Ecclesiam ita latére, quin saltem ab aliquibus conspiciatur, si non à toto mundo, saltem à pijs Confessoribus conjunctim exulantibus, latentibus in cavernis &c. 2. Fore semper quidem pastores & oves, qui se mutuò agnoscent, sed non fore conspicuos semper toti mundo in loco illustri, & in successione visibili. 3. Nunquam in mundo manere sólam invisibilem Ecclesiam, & à visibili Ecclesia separatam, cùm extra cætum vocatorum frustra quærantur electi & sancti. 4. Verè fideles invalescentibus persecutionibus & hæresibus ad eam paucitatem & tenebras redigi, ut, licèt sibi mutuò sint noti, tamen nullum constituant ampliùs cætum *illustrem, splendidum*. Ita ille variis in locis, nominatim c. 8. de Ecclesia n. 86. in LL. Theol. item. n. 97. n. 101. &c. 11.

Verùm Gerardus imprimis contradicit tum sibi tum alijs Lutheristis, qui dicunt, totam & Universalem Ecclesiam posse latére, imò debere latére juxta ipsorum argumenta, cùm solus Deus possit cognoscere, quinam sint verè fideles, & fides, per quam constituuntur justi & sancti, tanquam actus internus ab hominibus videri nequeat, etiam proximè adstantibus & simul exulantibus; item cùm vera & Catholica Ec-

Ecclesia apud ipsos sit congregatio *Sanctorum*; quinam autem sint veri Sancti, nemo novit nisi Deus. 2. Si semper debeant esse aliqui verè fideles, sibi noti, aliqui pastores & oves, & Ecclesia invisibilis nunquam possit separari à visibili &c. Dicat Gerardus, quinam & ubi locorum, in qua urbe, quo tempore &c. vixerint, quomodo sint appellati &c. in quo mundi angulo latuerit hæc visibilis Ecclesia, Invisibili sociata. Quæ cùm assignare nequeant Lutheristæ, per bina ferè sæcula jam provocati, quid aliud faciunt, quàm fingendo se & alios fallunt ac perdunt? 3. Hæc ipsa possunt dicere Calviniste & alij Apostatæ, scilicet semper fuisse aliquos, sibi invicem notos, & Ecclesiam invisibilem cum visibili conjunctam, quæ Calvini, Zwinglij &c. doctrinam professa sit. 4. Status quæstionis non est, utrùm Ecclesia Universalis possit devenire in eum statum, ut propter persecutiones non amplius sit cætus valde *illustris* & *splendidus*, publico exercitio Religionis ubique prohibito à tyrannis &c. uti factum est primis sæculis, quibus Imperatores Ethnici Christicolas ubiq; prohibebant Christum profiteri, Christianitatem radicitus extinguere conantes, irrito tamen conatu, cùm indè secuta sint gloriosa Martyria, & majora Christianitatis incrementa. Sed quæstio est, utrùm Ecclesia aliquando possit in tam miserabilem statum devenire, ut nullus amplius sit hominum cætus, qui publicè ac exteriùs profiteatur fidem veram & Catholicam, Sacramentis non amplius ritè utatur, nec suos Pastores, præsertim summum Pontificem agnoscat amplius, eique obediat. Hoc fieri posse Catholici negant & pernegant, Lutherani, & alij Sectarij nesciunt, quid dicant, dum veritati reluctari conantur.

Ob. 1. ex Scriptura, in qua comparatur Ecclesia 1. *Thesauro abscondito*. 2. *Regno* Dei, quod est *intra* nos. 3. *Lunæ*, quæ sæpe redditur *invisibilis*. 4. *Mulieri fugienti in solitudinem*: ergo. Confirmatur. Textus, quos suprà adduximus pro visibilitate Ecclesiæ, multi loquuntur solùm de Ecclesia Particulari; hìc autem quæstio est de Universali, seu Catholica: ergo nihil probant. R. ad 1. Comparatur thesauro abscondito, non ideo, quia latet, sed ideo, quia inventa ditat & delectat, ut thesaurus inventus, qui inventori priùs erat incognitus. Ad 2. Regnum Dei dicitur esse intra nos quoad fidem internam, & dona spiritualia, non tamen quoad externam fidei professionem &c. sine qua nec illa haberi possunt apud adultos. Ad 3. Comparatur Lunæ, non ideo, quasi aliquando obscuretur tota, ac invisibilis reddatur, sed 1. quia habet lumen suum doctrinæ & sanctitatis à Christo. sicut luna suam lucem à sole. 2. Quia ex parvo initio crevit in magnam perfectionem, ut videmus crescere lunam. 3. Quia patitur vicissitudines suas, nimirum pacis & persecutionis, tranquillitatis & tumultuum, ut luna suas; utique enim non omni tempore est æqualis splendor Ecclesiæ, sed aliquo modo etiam obscurari, & suas quasi eclypses pati potest, non tamen ita, ut videri & digno-

sci exteriùs nequeat ampliùs ; sed semper ejus lux penetrabit nebulas & nubes persecutionum , quantæcunque hæ fuerint. Nimirum si fiat in Scripturis comparatio alicujus rei cum altera , non fit in omnibus , sed plerumque tantùm in uno vel altero. In quo autem fiat , desumi debet ex circumstantijs , & judicio Patrum ac Ecclesiæ. Ad 4. Tempore Antichristi , pro quo intelligunt Patres illam comparationem Apoc. 12. fugient quidem multi fideles in solitudinem, & ibi se abscondent ad evitandas persecutiones, non tamen omnes ; multi enim palam profitentes fidem Christi resistent fortiter Antichristo ad profusionem sanguinis & vitæ usque. Atque sic Ecclesia non tantùm non ignorabitur , sed ubique magis personabit propter fortitudinem Martyrum &c. sicut olim factum est tempore persecutionum.

Ad confirmationem. Sit , quòd aliqui textus intelligendi sint immediatè de Ecclesia Particulari , id tamen nihil obest , sed magis confirmat nostrum argumentum ; si enim Ecclesia Particularis non potest esse invisibilis , multò minùs poterit Universalis , Catholica , & tota. Particulares quidem Ecclesias posse omnino deficere , ac in errores labi , fatemur , non tamen possunt reddi invisibiles , & tamen simul perdurare , & esse partes veræ Ecclesiæ seu Universalis ; quippe ille cœtus , qui desinit exteriùs profiteri fidem , usurpare ritè Sacramenta , obedire legitimo Capiti , desinit pariter esse Ecclesia particularis , seu esse pars Ecclesiæ Universalis.

15. Ob. 2. Status quæstionis non est , utrùm Ecclesia debeat semper esse visibilis (hoc est , cognoscibilis ab hominibus) *in potentia* ; de hoc enim nemo dubitat : sed utrùm semper debeat esse visibilis *actu* , hoc est , talis , ut ex signis suis , pura prædicatione Verbi Divini , administratione Sacramentorum , & publico Religionis exercitio ab hominibus cognoscatur actu. Hoc posteriùs negant Protestantes , & probant 1. quia tota Ecclesia olim latuit in Arca Noë , ita ut à nemine videretur actu. 2. Quia tempore Eliæ non videbantur actu illa 7000. virorum , qui non adorârunt Idolum Baal. 3. Quia Ecclesia est Corpus Christi , consequenter omnia ejus vera membra debent esse viva , hoc est , habere veram fidem internam , & justitiam : atqui hominibus citra specialem revelationem innotescere non potest , quinam sint talia membra , scilicet notitiâ distinctâ de quolibet in particulari , quamvis innotescere possit notitiâ confusâ & in genere , seu tali notitiâ , vi cujus cognoscamus , in illo cœtu , in quo videmus purè prædicari Evangelium & ritè administrari Sacramenta , esse aliquos verè fideles , & aliqua saltem viva & vera membra Ecclesiæ , licèt veros fideles non possimus distinctè discernere ab hypocritis & membris mortuis , eandem fidem exteriùs profitentibus. Porro promissiones , quibus tam in V. quàm in N. T. promisit Ecclesiæ suam assistentiam Deus , pertinent quidem ad Ecclesiam *Visibilem* , non tamen *quà visibilem* , sed quà veram , vivam , & dilectam Sponsam , juxta illud Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in justitia , & judicio , & in misericordia , & sponsabo te mihi*

in

in fide. Quod utique non spectat ad hypocritas, quia non sunt Sponsa Christi, non in justitia &c. Ita videtur sentire M. Harder A. C. Senior & Pastor ad S. Annam Augustæ, apud M. Lomer in Banier p. 147. & seqq. licèt perobscurè proponat in lingua Germanica.

R. Omnino Ecclesiam Christi semper debere esse talem, ut ex prædicatione Verbi Divini, ex Sacramentorum administratione, & ex obedientia erga summum Caput, *actu* videri, & ab omni alio cætu discerni etiam ab hominibus possit. Quæ M. Harder affert in oppositum, prorsus vana & inepta sunt. Ad 1. R. Tota Ecclesia in Arca Noe utique actu erat cognita ijs, qui erant in Arca: extra Arcam nemo supererat, cui posset vel deberet esse cognita. Ad 2. Tempore Eliæ illa 7000. satis cognoscebantur actu ab illis, qui viderant, eos non curvâsse genua coram Baal, licèt Elias id ignoraverit. Deinde illa 7000. non erant tota Ecclesia, sed tantùm pars, cùm supereset Regnum Juda, de quo publicè constabat, eo tempore perseverâsse in fide. Ad 3. patet ex art. 1. quòd etiam peccatores sint vera, & suo modo viva, membra Ecclesiæ seu Corporis Christi. Quod additur de notitia confusa & distincta verorum fidelium, verum quidem est; nec enim nos aliud dicimus, quàm quòd semper debeat dari in mundo talis aliquis cætus, in quo sensibiliter doceatur Evangelium, administrentur Sacramenta &c. & quòd in illo cætu sint aliqui saltem veri fideles, & viva membra, non solùm quoad externam fidei professionem & usum Sacramentorum, sed etiam quoad fidem internam, charitatem, & sanctitatem; quinam autem in particulari sint isti veri fideles & sancti, *distinctè* dignosci ab hominibus certò non posse fatemur, *confusè* tamen certò nos cognoscere dicimus, aliquos in hoc cætu esse verè fideles & verè sanctos. Itaque quoad hoc rectè dicit M. Harder, sed pessimè consulit suæ causæ, & ipsémet se prodit, latebrásque, quas quærunt Protestantes per suam Ecclesiam invisibilem, deserit, & capitur. Mox enim quæro, ubinam locorum fuerit ante Lutherum iste cætus visibilis, de quo saltem *confusè* constabat, quòd in eo saltem aliqui verè fideles & verè sancti fuerint, licèt distinctè non constiterit, quinam in particulari essent tales? Certè non alium poterit assignare talem cætum, nisi Romano-Catholicum, à quo impiè desciverunt. Adeóque incidit M. Harder in quæstionem illam *vexatam*, qua toties jam sunt vexati Protestantes, ut edicant, ubi fuerit eorum Ecclesia ante Lutherum per mille & ampliùs annos? Frustra confugiet ad Ecclesiam invisibilem, quam jam deseruit, frustra ad infantes, simplices, Hussitas &c. ut videbit c. 2. hujus tractatûs de Nota Antiquitatis.

Denique dum dicit, promissiones factas Ecclesiæ pertinere ad Ecclesiam *visibilem*, non tamen *quà visibilem*, nescit, quid dicat. Modò enim promissiones factæ sint non alteri, nisi *visibili* Ecclesiæ, sive dein vocetur *qua*, sive *quà* visibilis, quod denique desinit in quæstionem nominis, non ultrà poscimus quidquam. Licèt enim promissiones non factæ sint Ecclesiæ quà

complectenti solos peccatores, factæ tamen sunt quà complectenti peccatores simul & aliquos saltem justos, & *fidem exteriùs profitenti*; nam sine externa fidei professione nullus est cætus *verè credentium*, *verè sanctorum*: licèt propter verè sanctos principaliùs factæ sint promissiones. Ferè sicut privilegia, alicui civitati concessa, censentur esse concessa toti communitati civium, quà easdem leges & statuta observantium saltem exteriùs, & sic *quà visibili*, licèt non omnes cives sint probi, propter quos quidem principaliter data sunt privilegia; non tamen excluduntur improbi, quamdiu exteriùs præstant ea, quæ sunt præstanda.

14. Ob. 3. Ecclesia Christi, de qua agimus, est *Militans*: sed quà Militans est invisibilis; quia militia, quam exercemus, est spiritualis, & cum dœmonibus, qui sunt invisibiles: ergo Ecclesia est invisibilis. Ita subtilizat Gerardus, sed parùm solidè. Nam R. 1. N. C. Syllogismus enim habet quatuor terminos, & procedit à *secundùm quid ad simpliciter*; licèt enim Ecclesia secundùm aliquam rationem nempe *quà militans*, esset invisibilis, propterea tamen non esset *simpliciter* invisibilis; sicut homo, licèt *qua ratiocinans* sit invisibilis, non tamen est *simpliciter* invisibilis. Unde argumentum est simile huic sophismati: homo est ratiocinans: sed quà ratiocinans est invisibilis, quia ratiocinans dicitur propter actus rationales, qui sunt spirituales & invisibiles: ergo homo est invisibilis. Deinde Christiani non tantùm militant contra dœmonem, sed etiam contra carnem & mundum, qui sunt hostes visibiles, item adhibent non solùm arma spiritualia, sed etiam sensibilia, utì sunt Sacramenta, opera pia externa &c.

Dices. Præcipuus Ecclesiæ cultus est spiritualis & internus: ergo ex illo debet Ecclesia denominari invisibilis; cùm à potiori fiat denominatio. R. N. C. & retorq. argum. præcipui actus hominis sunt interni & spirituales: ergo homo debet denominari invisibilis. Non omnis effectus potest tribuere omnem denominationem suam causæ, præsertim inadæquatæ; aliàs homo deberet etiam dici irrationalis, mortuus &c. quia elicit operationes aliquas non rationales, non vitales &c. Item sol deberet denominari vivus, quia concurrit ad generationem viventium effectivè juxta probabilem sententiam Philosophorum.

Ob. 4. Quod creditur, non videtur: Ecclesia creditur, quia in art. 9. Symboli Apostolici dicimus, *credo Ecclesiam*: ergo non videtur. R. 1. Retorq. argum. quod creditur, non videtur: sed Scriptura Sacra & Divina creditur: ergo non videtur: ergo Lutherani habent Scripturam Sacram invisibilem. R. 2. D. M. quod creditur, non videtur secundùm id, secundùm quod creditur. T. M. secundùm aliud. N. M. & D. m. Ecclesia creditur, quatenus *vera* est, & *Ecclesia Christi*. C. m. quatenus est cætus hominum certam fidem profitentium &c. N. m. Sicut Scripturam credimus, quatenus Dei est, & Sacra, videmus autem, quate- 15.

nus

nus est collectio & dispositio characterum. Et sicut Christus credebatur quoad Divinitatem ab Apostolis, videbatur quoad Humanitatem. R. 3 N. M. Potest enim id ipsum, quod scitur, credi; sic enim Philosophi credunt Deum, quem tamen sciunt existere; ita, quamvis vera Christi Ecclesia, etiam quà vera est & Christi, videretur, ut de ea evidenter constaret; ut aliqui volunt, tamen posset adhuc credi.

Dices. Forma essentialis Ecclesiæ est *vera fides*: sed ista est invisibilis: ergo Ecclesia est invisibilis. R. Retorq. argum. Forma essentialis hominis est anima: sed anima est invisibilis: ergo homo est invisibiiis. Hem sophisma! In præmissis sermo est de parte constitutiva verorum fidelium, consequenter Ecclesiæ, in conclusione sermo est de tota Ecclesia: sunt igitur iterum quatuor termini. *Fides* est quidem forma denominans fidelem, non tamen est tota denominatio, seu totus *fidelis*, multò minùs congregatio fidelium; sed ad hoc requiruntur etiam homines visibiles, fidem profitentes, Sacramentis rite utentes.

ARTICULUS IV.

An vera Christi Ecclesia necessariò sit infallibilis?

Summarium.

1. 2. *Status quæstionis.*
3. *Ex cujus decisione pendet summa rei.*
4. *Quid Gerardus tricetur circa statum quæstionis.*
5. *Ecclesia Christi hactenus nunquam erravit in rebus fidei.*
6. *Nec errare potest unquam, ut Scriptura S.*
7. *Symbolum Apostolicum.*
8. *Communis sensus fidelium, & SS. PP.*
9. *Ipse Lutherus.*
10. *Et clara ratio irrefragabiliter docet.*
11. *Futilis quorundam exceptio.*
12. *Trimembris objectio Lomeri quatuor complectitur mendacia.*
13. *Promissiones de Ecclesiæ infallibilitate non sunt conditionatæ.*
14. *Neque factæ sunt Ecclesiæ Invisibili.*
15. *Neque Ecclesia Romana est Particularis sub omni ratione.*
16. *Neque ex errore voluntatis rectè infertur error intellectualis totius Ecclesiæ.*
17. *Neque Catholici faciunt circulum vitiosum probando infallibilitatem Ecclesiæ.*
18. *Bene tamen Lutherani in resolutione suæ fidei.*

Scien-

12. SCiendum 1. Quæstionem procedere 1. de Ecclesia Christi Militante. 2. De Ecclesia tota, Catholica, seu Universali; nam Ecclesiam Particularem qualemcunque errare posse, nec diffitentur Catholici. 3. De Ecclesia visibili complectente tam peccatores quàm justos; cùm enim Ecclesia vera, in hoc mundo adhuc militans, necessariò sit visibilis, omnésque fideles veram Christi fidem profitentes complectatur, ut patet ex dictis, non potest esse sermo de Ecclesia invisibili & cœtu *Sanctorum tantùm*. Et sanè si duntaxat invisibilis Ecclesia foret infallibilis, nemo posset esse certus, an in sua fide non erraret, quia nemo sciret, utrùm prorsus idem crederet, quod credit Ecclesia, cùm nesciret, ubinam hæc latéret, quinam essent verè credentes, & consequenter quidnam crederent. Atque sic ipse sibi suus esset Doctor, interpres Scripturæ, & Papa: quivis autem homo in particulari est mendax, & falli potest. 4. Nomine totius Ecclesiæ intelligi vel omnes omnino fideles cum suo Capite, vel omnes Episcopos cum Episcopo & Pontifice summo in Concilio Generali congregatos, ita ut, quidquid tenent omnes fideles, vel omnes Pastores (quod enim docent omnes Episcopi, sentire quoque debent fideles cæteri, cùm teneantur oves sequi suos Pastores) tanquam de fide, illud revera de fide sit. Imò nomine Ecclesiæ intelligi posse solum summum Pontifi[illegible] Cathedra docentem juxta ea, quæ dixi in *Papatu nunquam errante*, specialiter art. 8. & dicam infrà c. 4. art. 3.

Sciendum 2. Quæstionem solummodo esse in hoc, utrùm in rebus fidei, & ad mores pertinentibus, Ecclesia sit infallibilis? Siquidem fatemur Ecclesiam errare posse 1. in decidendis quæstionibus *facti* particularis, à Deo non specialiter revelati, & non connexi necessariò cum quæstionibus *juris*. 2. In ijs, quæ solùm incidenter dicuntur in Decretis fidei & morum, utì sunt argumenta & rationes, & quæ præmittuntur sententiæ definitivæ. 3. Papam probabiliter etiam errare posse in rebus fidei, ut est Doctor & homo *privatus* nec *loquens ex Cathedra*.

Sciendum 3. ex decisione hujus quæstionis pendére summam rei. Si enim vera Christi Ecclesia necessariò sit infallibilis, eo ipso sequitur 1. Illam Ecclesiam, quæ aliquando fuit vera, adhuc esse, & semper fore veram: Romana autem saltem olim primis sæculis, & saltem tempore D. Pauli, fuit vera, ut fatentur Sectarij. 2. Omnes articulos, quos tenet Ecclesia, esse veros, oppositos autem esse hæreticos. 3. Ingenti compendio complanari omnes fidei controversias, cum Sectarijs agitatas, nec alia re opus esse, quàm ex notis veræ Ecclesiæ inquirere, quænam ex omnibus sit vera Christi Ecclesia. Quod nos statim præstabimus, postquam ejus infallibilitatem satis demonstratam in tuto collocaverimus.

Sciendum 4. Sectarios tergiversari inutiliter circa statum quæstionis: nam Gerardus in LL. Theol. de Ecclesia c. 9. ait 1. Ecclesiam totam seu Catholicam non quidem ita errare posse, ut non saltem pauci, isque occulti, sint verè credentes, licèt ministerium publi-

cum

cum ubique sit corruptum per omnes Ecclesias Particulares visibiles. 2. Facit discrimen inter articulos fidei fundamentales & non fundamentales; in his omnino totam, in ijs verò solùm Particulares Ecclesias visibiles errare contendit. Verùm contra primum pugnat articulus præcedens de perpetua Ecclesiæ visibilitate. Contra alterum ea, quæ diximus in materia de Indifferentismo. Et quæso, quis non videt angustias, & diram fingendi necessitatem apud Adversarios? Qua fronte dicunt, & quo fundamento, quòd aliqui saltem in fidei fundamento persistant, corrupto ubique publico Verbi ministerio, & personante ubique falsa doctrina? Quomodo tam audacter asserunt, tales existere, cùm tamen occulti sint, & nemo eos videre possit? Quare Spiritus S. non potiùs aliquos *publicè* ab erroribus immunes conservet? Quare cogat hos latibularios ad aliam exteriùs fidem profitendam, quàm tenent exteriùs? Nunquid hypocritæ, quales sunt isti, non sunt vera membra Ecclesiæ juxta Sectarios?

5. Dico 1. Vera Christi Ecclesia hactenus nunquam erravit in definiendis fidei articulis, & formandis morum decretis, scilicet definiendo falsum, vel præcipiendo vitium, aut prohibendo virtutem. Probatur 1. negativè; quia Adversarij (quod tamen ipsis tanquam accusatoribus incumbit) non possunt ostendere errorem, non proferre articulum ullum fidei, qui olim creditus, postea verò repudiatus sit. Id quidem verum est, quòd nunc aliqui articuli *explicitè* credantur, qui olim credebantur solùm *implicitè*; eò quòd successu temporis, & obortis controversijs, aliqua clarè decisa ac definita sint, quæ priùs vel in Scriptura S. vel in Traditionibus solùm obscurè continebantur: quod minimè obest puritati fidei. Neque possunt Adversarij nominare locum, tempus, Concilia, Pontifices &c. qui errorem in rebus fidei aut morum decretis Universæ Ecclesiæ propesuissent, ut constat partim ex ijs, quæ dicta sunt in *Papatu nunquam errante*, partim constabit hìc ex solutione objectionum. Posse autem Ecclesiam errare circa quæstiones facti & historias, quæ non invehunt errorem circa fidei articulos & morum decreta, nemo negat, cùm id Ecclesiæ non interfit. Probatur 2. Ecclesia non potest errare: ergo hactenus nunquam erravit. Ant. probo, &

6. Dico 2. Vera Christi Ecclesia non potest errare in rebus fidei, & morum decretis pro Universa Ecclesia factis. Seu, est absolutè infallibilis. Probatur 1. ex Scriptura S. ex qua Adversarij omnia sibi volunt probari. Christus ipse de sua Ecclesia dixit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Mat. 16. v. 18. *Spiritus Veritatis docebit vos omnem veritatem.* Jo. 16. v. 13. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis.* Jo. 14. v. 16. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* v. 26. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Mat. 28. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. v. 32. Similes promissiones

fiones jam in Veteri Testamento factæ sunt Ecclesiæ, uti Isa. 54. v. 4. *Noli timere, quia non confundêris, neque erubescas.* Atqui si Ecclésia posset errare in rebus fidei &c. tunc prævaleret infernus adversùs eam, non doceretur omnem veritatem, Spiritus S. & Christus ipsam desereret, confunderetur, & erubesceret &c. ergo.

Confirmatur 1. Christus est Caput Ecclesiæ, & Sponsus illius; item Ecclesia regitur à Spiritu S. tanquam ab anima & Doctore veritatis: ergo Ecclesia habet utriusque infallibilem assistentiam, ita ut in errorem circa res fidei incidere nequeat; si enim erraret, error imputaretur Christo & Spiritui S. Ant. prob. *Vir caput est mulieris, sicut Christus Caput est Ecclesiæ.* Eph. 5. v. 23. *Unum Corpus & unus Spiritus.* Eph. 4. v. 4. *Ille vos docebit omnia &c.* Jo. 14. Respondet Gerardus, ex hoc sequi, singulos fideles ab omni errandi periculo immunes esse; cùm Christus sit Sponsus cujuslibet animæ fidelis, & quivis verè fidelis regatur à Spiritu S. Sed negatur sequela; quæ vitiosè trahitur à sensu composito ad divisum, à collectivo ad distributivum; nam promissio absoluta non est facta singulis fidelibus, sed toti Ecclesiæ; neque ex lapsu singulorum sequitur, nullam amplius dari veram Religionem in Mundo, & consequenter Deum frustrari suo fine, scilicet gloriâ extrinsecâ, quam operando ad extra necessariò debet intendere: quod tamen malum sequeretur ex lapsu totius Ecclesiæ. An putas, rectè sic inferri à sensu collectivo ad distributivum: tota Respublica Politica accepit jus gladij à Deo: ergo etiam singuli cives? Negabis utique consequentiam. Cæterum non omnis verè fidelis hoc ipso est Sponsa Christi, aut specialiter regitur à Spiritu S. quod tamen supponit Gerardus, cùm ex dictis constet, etiam peccatores posse esse verè fideles: ad hoc autem, ut aliquis dicatur Sponsa Christi, debet esse specialiter dilectus: peccatores autem non sunt specialiter dilecti, cùm *odio sint Deo impius & impietas ejus.* Sap. 14. v. 9.

Confirmatur 2. ex Apostolo, qui 1. Tim. 3. v. 15. ait: *Hæc tibi scribo &c. ut scias, quomodo oporteat te in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum Veritatis*: ergo Ecclesia est columna & firmamentum veritatis: sed *columna & firmamentum* indicant clarè firmam constantiam in veritate: ergo. Respondet Gerardus & alij Lutherani 1. hic per Ecclesiam intélligi Ecclesiam *Ephesinam*, quæ fuit Particularis: Particulares autem singulas errare posse, nemo negat. 2. Ecclesia est columna & firmamentum veritatis non *activè*, quasi ipsa fulciat veritatem, sed *passivè*, quia fulcitur & sustentatur à Veritate, quæ Christus est. 3. Neque columnæ semper durant, sed quandoque corruunt, si senescunt: ergo. Sed vana hæc sunt effugia. Nam 1. Paulus loquitur indistincte de Ecclesia Dei, quæ est *Domus Dei*: atqui Domus Dei est Ecclesia tota & Universalis: ergo de ista loquitur, saltem principaliter. Nec obstat, quòd Thimotheus fuerit in Ecclesia particulari Ephesina; nam qui est

in

in Ecclesia particulari, est etiam in Universali; cùm particularis sit pars Ecclesiæ Universalis: sicut qui est in cubiculo, est etiam in domo. 2. Ecclesia est columna veritatis tam activè quàm passivè; activè, quatenus firmat, & sustinet fideles in veritate; passivè, quatenus ipsa firmatur & sustentatur à Christo in veritate, si velimus juxta phrasim Adversariorum loqui. Cæterùm est valde impropria locutio & inusitata, si columna accipiatur *passivè*; quis enim columnam vocat columnam pavimenti, quia sustentatur & fulcitur à pavimento? 3. Non negamus, etiam Ecclesiam aliquando defuturam, sed non ante finem mundi; *cùm enim venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* 1. Cor. 13. v. 10. Stultè autem negatur, quòd Ecclesia sit columna veritatis, ex eo, quia cum Mundo pariter Ecclesia Militans cessabit.

7. Probatur 2. ex Symbolo Apostolico, in quo credimus *sanctam* Ecclesiam Catholicam: atqui iste articulus omni temporis momento à temporibus Apostolorum usque ad finem mundi (Nota, & rem apprehende, *omni temporis momento*) debet esse verus; quod enim semel est de fide, semper est de fide, & Verbum Dei manet in æternum: ergo vera Christi Ecclesia *semper*, & omni temporis momento, debet esse *sancta*: atqui desineret esse sancta, si vel semel incideret in errores, hæreses, idololatriam &c. quæ scelera ipsi impiè impingunt Sectarij: ergo nunquam potest in eas incidere, aut aliquid docere, quod non sit sanctum, quoad fidei doctrinam aut morum præcepta.

Probatur 3. ex communi sensu & constanti persuasione fidelium, & 1. quidem SS. Patrum, qui in quæstionibus fidei controversis provocare consueverunt ad Ecclesiam, uti Augustinus l. contra epist. fundam. c. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesia commoveret auctoritas*: Cyprianus l. de unit. Eccl. mihi pag. 254. *Adulterari non potest Sponsa Christi.* Sic & alij senserunt. 2. Summorum Pontificum, & Conciliorum, quorum decisio propterea semper fuit implorata & data, ut per eorum auctoritatem infallibilem dignosceretur veritas ab erroribus. 3. SS. Martyrum, qui propemodum innumeri per singula sæcula maluerunt omnia pati, quàm in minimo puncto deserere doctrinam Ecclesiæ Universalis. 3. Pijssimorum Imperatorum, qui hæreticos ideo persequebantur, quia judicium suum privatum nolebant subjicere judicio Ecclesiæ Universalis, & ab hac defecerant. 5. Infinitorum propè Sanctorum, qui floruerunt etiam miraculis, & prodigiosâ vitæ sanctimoniâ; simul tamen omnes erant obsequentissimi Ecclesiæ; nec apicem ullum ex articulis ab Ecclesia propositis negare ausi. 6. Denique etiam Sectariorum, qui vel infallibilitatem Ecclesiæ fateri debent, vel coguntur admittere, se sine sufficienti ratione & per summam improbitatem tumultuatos fuisse contra Ecclesiam, ac ab ea defecisse; si enim Ecclesia Universalis non est infallibilis, multò minùs Particularis erit infallibilis: atqui ipsimet fatentur, suas Ecclesias non esse nisi Particulares. Quid igitur opus fuit tantis

tumultibus, tot bellis, tanta sanguinis effusione, tot rapinis &c. ut pro Ecclesia fallibili introduceretur alia æquè, imò magis fallibilis?

9. Confirmatur ex propria confessione Lutheri, qui in tract. de veteri vera Ecclesia dicit: *Ecclesia nec debet, nec potest mendacia & errores docere, ne in unico quidem articulo &c. & qui posset aliud fieri, cùm os Dei sit os Ecclesiæ?* Item: *Deus non potest mentiri, ita nec Ecclesia.* Et in litteris ad Albertum Ducem Brandeburg. circa præsentiam Corporis Christi in Eucharistia ita scribit: *Quod testimonium totius Ecclesiæ, etiamsi nihil amplius haberemus, debet nobis solùm sufficere, ut in hoc articulo permaneamus.* Quòd autem alibi docuerit oppositum, scio, scilicet in Postilla Eccles. Dom. 1. post Epiph. at simul scio, Lutherum hoc pacto sibi contradixisse, & consequenter alterutra vice necessariò docuisse falsum. Videant nunc Lutherani, quàm veracem sequantur Prophetam, & quàm tuta sit doctrina, quam in suo quinto Evangelista laudant, cùm vitam laudare nequeant.

10. Probatur 4. ex ratione. Si Ecclesia potest errare in rebus fidei, tunc nulla amplius habebitur infallibilis & sufficiens regula fidei, nec poterit quidquam firmissimè credi: sed hoc nec Adversarij admittere possunt aut volunt, cùm sic tolleretur omnis fides Divina, ad salutem necessaria: ergo. M. prob. Sine declaratione & auctoritate Ecclesiæ nullus fidei articulus infallibiliter & sufficienter nobis innotescit: ergo si Ecclesia in proponendis fidei articulis potest errare, non amplius habebitur sufficiens & infallibilis regula fidei. Ant. prob. Sine declaratione & auctoritate Ecclesiæ non innotescit nobis certò & infallibiliter, an & quænam Scriptura sit purum Dei Verbum, an & quænam Traditiones sint Divinæ & Apostolicæ: atqui sine Scriptura & Traditionibus nullus potest articulus fidei nobis certò & infallibiliter innotescere; cùm omnes articuli fidei contineantur in Scriptura S. & Traditionibus: ergo. M. prob. quia per se non est evidens, an & quænam Scriptura sit Divina, incorrupta &c. ergo debet constare aliunde: atqui convincens & infallibile testimonium ac indicium certum non potest afferri, ex quo hæc probentur, nisi testimonium & auctoritas Ecclesiæ, ut patet tum per se, tum ex thesibus nostris de *Lutheranismo constanter errante in primis fidei principijs*, tum ex disputatis suprà de Scriptura S.

11. Respondent aliqui, Ecclesiam esse quidem infallibilem in ijs, quæ sunt necessaria ad salutem; in alijs autem errare posse. Sed contra est 1. Omnia, quæ declarantur ab Ecclesia tanquam articuli fidei, sunt necessariò credenda saltem implicitè ab omnibus, nihilque sine jactura æternæ salutis negari potest: ergo impossibile est eam errare in ulla re fidei quacunque. 2. Si Adversarij loquantur de rebus, sine quibus absolutè nequit obtineri salus, & ijs, quæ sunt necessariò credendæ necessitate medij, tunc Ecclesia potest errare in proponenda Scriptura Sacra utriusque Testamenti, cùm sine fide de Scripturis Sacris multi fuerint salvati, antequam sacræ litteræ

litteræ conſcriberentur, uti in Lege Naturæ, aut quibus Evangelium Chriſti ſolùm prædicatum, & de ulla Scriptura mentio nulla eſt facta. Atqui hoc non poſſunt admittere Adverſarij, quia ſic omnes fidei articuli revocari poſſent in dubium; cùm Scriptura, ex qua tanquam unica apud ipſos credendorum regula omnes articuli dependent, ac probari debent, utique ſit juxta Adverſarios ex ijs, quæ neceſſariò credenda ſunt, neceſſitate medij.

12. Ob. ulteriùs 1. Eccleſia Univerſalis juxta nos eſt Romana: ſed Eccleſia Romana jam ſæpiùs erravit in ſtatuendis fidei articulis: ergo. Mi. probat Lomerus ex Apolog. Aug. Conf. **in ſeinem Banier** p. 139. ubi ſequentes illi errores impingit. 1. Quòd Romano-Catholici requirant ad ſalutem bona opera, quibus mereantur remiſſionem peccatorum, nec ſoli fidei tribuant juſtificationem, qui tamen articulus fidei eſt præcipuus. 2. Quòd dicant, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato ſine fide. 3. Quòd invocent Sanctos tanquam Mediatores loco Chriſti. Idem Lomerus **in ſeiner fortgeſetzten Abfertigung** à p. 7. ex Georgio Nitſchio, & alio quodam Levvis Baily Anglo oſtendere conatur, in 25. punctis fundamentalibus modernam Eccleſiam Romanam receſſiſſe à doctrina antiquæ Eccleſiæ Romanæ, in ſola epiſt ad Rom. à D. Paulo expreſsâ. Ergo.

R. N. m. in ejus probatione trium membri ſint quatuor mendacia, & calumniæ; nam 1. Romano-Catholici non docent, ſe per ſua opera mereri (*de condigno*; nam de hoc merito lis eſt) remiſſionem peccatorum, ſeu primam gratiam ſanctificantem, per quam ſit formaliter remiſſio peccatorum; ſed hoc dicunt, hominem in gratia ſanctificante ex meritis Chriſti jam conſtitutum, & gratis juſtificatum, mereri de condigno per ſua opera bona *augmentum* gratiæ ſanctificantis, vitam æternam, & *augmentum* gloriæ, ſeu *vitæ æternæ*. Trid. ſeſſ. 6. Can. 32. 2. Non excludunt fidem ad fructuoſam ſuſceptionem Sacramentorum in adultis, ſedetiam inter diſpoſitiones prævias ſuſcipientis volunt eam eſſe primâ: imò dicunt, fidem præſupponi ad cæteros actus ſupernaturales tanquam principium vitæ ſpiritualis: hoc tantùm docent, fidem ſolam non ſufficere ad juſtificationem & ad ſalutem, nec ſolam eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad fructuosè ſuſcipienda Sacramenta. 3. Non invocant Sanctos tanquam Mediatores inter Deum & hominem, ſaltem ut immediatos & principales. 4. Nec loco Chriſti; ſed invocant etiam ipſum Chriſtum, & quidem principaliter, & tanquam Mediatorem & Auxiliatorem, Sanctos verò invocant tanquam Interceſſores & Patronos, ac Mediatores apud Mediatorem Chriſtum. Alterum, quod additur, quaſi Eccleſia Romana moderna in 25. punctis receſſerit à doctrina à D. Paulo expreſsâ in ep. ad Rom. falſiſſimum eſt, nec Lutheranorum & Calviniſtarum gloſſa, ac interpretatio epiſtolæ ad Rom. ſufficit ad faciendam huic accuſationi auctoritatem; utpote qui non ſunt legitimi interpretes Scripturæ, multò minus judices Eccleſiæ, à qua perfidè defecerunt re-

belles ſtlij: quibus Eccleſiam erroris accuſantibus ſi credendum, nec Eccleſia primæva, & Apoſtolorum temporibus, ab errore immunis credenda fuit, utpote ab hæreticis v. g. Nicolaitis, Simone Mago, Arianis &c. ſemper accuſata. Eccleſia Particularis non debet judicare Univerſalem, & putare, quòd epiſtolam D. Pauli ad Rom. meliùs intelligat. Imò ex hoc ipſo, quòd Lutherani in 25. punctis diſſideant ab Univerſali Eccleſia, totidem erroribus circa hanc epiſtolam ipſi convincuntur eſſe obnoxij.

13. Ob. 2. Promiſſiones, quibus Eccleſiæ promittitur perpetua infallibilitas, ſunt ſolùm conditionatæ, ſi nempe Eccleſia adhæſerit ſemper Verbo Dei, & ritè tractaverit S. Scripturam, ſi ſanctè vixerit &c. juxta illud: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Jo. 10. v. 27. *Scrutamini Scripturas.* Jo. 5. v. 39. *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos.* Luc. 16. v. 19. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Eph. 2. v. 20. Item Jo. 8. v. 31. *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.* Atqui poteſt contingere, & ſæpius jam contigit, ut Eccleſia non adhæreat Verbo Dei ſcripto, ſed ei adverſetur: ergo poteſt contingere, ut erret. Ita potiſſimùm iterum M. Lomer in ſeiner Saurbrunnen, Cur p. 251. cum & ex alijs paſſim.

R. N. M. N. m. & N. C. Si promiſſiones, Eccleſiæ factæ, eſſent ſolùm *conditionatæ*, & ſubintelligeretur (nam explicitè nulla in textibus ſuprà recitatis addita eſt, excepto ultimo, qui tamen longè aliter intelligendus eſt) hæc tacita conditio, *ſi adhæſerit Verbo Dei*, ſequeretur 1. Chriſtum ſuæ Eccleſiæ nihil promiſiſſe, quia etiam Turca vel Hæreticus non errat tunc, quando & *ſi* adhæret Verbo Dei. 2. Chriſtum lepidè illuſiſſe ſuæ Eccleſiæ, haud aliter, ac cyngari ſolent, hujusmodi vaticinijs plebem ludentes: Wann du lang lebſt/ wirſt du alt: hatt du vil Geld/ biſt du reich/ nam Chriſti promiſſiones haberent hunc ſenſum: *Eccleſia non errabit, quamdiu rectam viam tenebit: non cadet, quamdiu ſtabit: puram tradet doctrinam, ſi eam non deſeruerit &c.* Hoc ipſum eſt in quæſtione, utrùm Deus poſſit permittere, & quidem vi ſuæ promiſſionis, ut Eccleſia deſerat puram doctrinam, S. Scripturam malè intelligat, aliquid falſi contra Verbum Dei (ſcriptum, vel non ſcriptum) doceat. Et hoc privilegium conceſſum eſſe toti Eccleſiæ Univerſali, nulli autem Particulari, multò minùs homini privato, contendimus, & abſolutè promiſſum, ſolidè probavimus noſtris argumentis. 3. Sequeretur, nihil omnino poſſe tutò & ſine formidine credi, etiamſi in antiquis Concilijs & primitiva Eccleſia ſit definitum, quia certum non eſſet, utrùm Patres Concilij adhæſerint Verbo Dei. Deinde formo hoc dilemma. Vel Chriſtus deſerit Eccleſiam priùs, vel priùs deſeritur ab Eccleſia? Non deſerit priùs, quia hoc repugnat ejus promiſſioni; etiamſi hæc tantùm conditionata foret: non priùs deſeritur ab Eccleſia, quia repugnat, Eccleſiam errare, quamdiu regitur à Chriſto. Textus, quos recitat M. Lomer, non ſunt

ad

ad rem, ut consideranti patet, nec ullam exprimunt *conditionem* Ultimus, quem adducunt alij, exprimit quidem *conditionem*, sed ibi non est sermo de Ecclesia Universa, sed solùm de quibusdam Judæis credentibus, neque sermo est de veritate doctrinæ, sed de morum probitate, quam in suis dilectis Discipulis exigit Christus.

14. Dices 1. Promissiones non sunt factæ Ecclesiæ visibili, sed invisibili Sanctorum. 2. Licèt Ecclesiæ visibili essent factæ, tamen posset errare, modò in errore non persisteret, quia sic diabolus eam non vinceret. R. Ad 1. patet ex suprà dictis, ubi rejecimus divisionem Ecclesiæ in Visibilem & Invisibilem, & ubi probavimus, Ecclesiam semper esse necessariò visibilem. Deinde non possunt textus, ex quibus probavimus infallibilitatem Ecclesiæ, intelligi de Ecclesia Invisibili, ut consideranti patebit. Ad 2. Utique vinceretur Ecclesia, si in unico fidei articulo erraret; cùm utique urbem vincat, qui eam expugnat in unico loco, licèt expugnatam rursus amittat.

15. Dices 2. Si aliqua Ecclesia Visibilis esset Universalis, tunc esset Romana: sed Romana non est Universalis, sed Particularis: ergo nulla Ecclesia Visibilis est Universalis: ergo nec infallibilis, consequenter nec Romana erit. R. N. m. vel D. Ecclesia Romana, quatenus complectitur fideles certi districtûs, nempe Romani, non est Universalis, sicut Ecclesia Augustana v. g. quæ complectitur fideles tantùm Augustanæ Diœcesis, non est Universalis C. m. quatenus est diffusa per totum orbem, & quatenus habet dominatum in omnes alias Ecclesias, utpote habens pro Episcopo Christi Vicarium, D. Petri Successorem, Pastorem Universalem, cui omnes Christi oves creditæ sunt. N. m. Cæterùm latibularia & invisibilis Ecclesia, ad quam identidem se recipere coguntur velut ad latebras fugitivi Sectarij, prorsus ridicula est, & meritò cuilibet prudenti suspecta. Nec facilè mihi aliquid videtur magis prima fronte absurdum, quàm Ecclesiam Invisibilem à Christo fundatam esse pro hominibus, qui nil nisi dependenter à sensibus cognoscere possunt.

Dices 3. Intellectus non est firmior 16.
voluntate: sed voluntas omnium fidelium, consequenter Universalis Ecclesiæ, potest errare, & in gravissima peccata prolabi: ergo & intellectus potest errare, nimirum circa res fidei. R. 1. N. M. nam intellectui promissa est infallibilitas in fide, non autem voluntati immutabilitas in virtute. Petro enim dictum est: rogavi pro te, ut non deficiat *fides* tua; non autem dictum est: ut non deficiat *charitas* tua &c. R. 2. N. Mi. nam tota & Universalis Ecclesia nunquam labi potest in peccata, ita ut nullos omnino habeat ampliùs sanctos: nam Ecclesia semper debet esse *sancta* juxta Symbolum Apostolicum, etiam in membris saltem aliquibus; quippe doctrina *sancta*, qualis est in vera Ecclesia, non potest esse sine fructu; *Omnis enim arbor bona bonos fructus facit*, Mat. 7. Licet igitur singuli possint labi in peccata gravia, nunquam tamen omnes.

Ob. 3. & principaliter. Catholici 17.
pro-

probant infallibilitatem Ecclesiæ ex Scripturis, & vicissim Scripturas alibi probant ex infallibilitate Ecclesiæ, hos vel illos libros pro Canonicis & Divinis declarantis: sed hoc modo itur in circulum, & probatur idem per idem, a. per b. & b. per a. ergo. &c. 1. N. 1. membrum Ma. quippe non unicè probant infallibilitatem Ecclesiæ ex Scripturis, sed etiam ex communi fidelium sensu, & ex ratione, ut vidimus suprà. &c. 2. Dist. 1. membrum Ma. probant infallibilitatem Ecclesiæ ex Scripturis contra Hæreticos, & illos, qui independenter ab auctoritate Ecclesiæ admittunt Scripturas. C. Ma. contra Gentiles, & alios, qui Scripturas aliunde non admittunt. N. M. & dist. Mi. sed hoc modo itur in circulum, si infallibilitas Ecclesiæ probetur ex Scripturis contra eos, qui aliunde & independenter ab auctoritate Ecclesiæ Scripturas non admittunt C. Mi. contra eos, qui aliunde admittunt, uti sunt Lutherani, & alij Sectarij, contra quos agimus. N. Mi. & Conf. Cùm enim contra istos non sit necesse probare Scripturas per Ecclesiæ definientis infallibilitatem, utpote qui illas aliunde admittunt sponte sua, tantùm probatur infallibilitas Ecclesiæ ex Scripturis, non autem vicissim Scripturæ ex infallibilitate Ecclesiæ. Contra alios autem, qui Scripturas aliunde non admittunt, uti Gentiles, Pagani &c. non probant Catholici infallibilitatem Ecclesiæ ex Scripturis, sed ex ratione, postquam ex signis veræ Ecclesiæ ipsis sufficienter probarunt suam Ecclesiam esse veram Religionem; indè enim rectè deducitur, eam in proponendis articulis fidei falli non posse, eo ipso, quòd sit *vera* Religio, à Deo profecta, & gubernata; si enim erraret, hoc ipso vera non esset, nec ejus dogmata à Deo. Unde

R. 3. Dist. 2. membrum M. Scripturas probant per infallibilitatem Ecclesiæ, aliunde tamen cognitam, quàm ex Scripturis, C. non aliunde cognitam, sed primùm ex Scripturis cognoscendam. N. M. Infallibilitas Ecclesiæ sufficienter probatur per notas veræ Ecclesiæ, & per motiva credibilitatis, uti sunt potentia, sapientia, & sanctitas Christi, mirabilis propagatio doctrinæ Christi valde arduæ, innumera & maxima prodigia ac miracula, conformitas fidelium in articulis fidei, sanctitas tum doctrinæ tum morum, antiquitas, diffusio per totum orbem, testimonium virorum innumerabilium scientijs & virtutibus clarissimorum, etiam inter atrocissimos dolores vitam & sanguinem pro hujus Ecclesiæ veritate passim prodigentium &c. Certè si Apostoli ferè per solà miracula satis probârunt Mundo, & nostris Adversarijs, eorum doctrinam esse infallibilem; cur non per hæc ipsa, & per reliqua insuper signa, prorsus illustria, sufficienter probent Catholici independenter à Scripturis, suam Ecclesiam esse veram, & consequenter infallibilem?

Longè majori jure Adversarijs objicitur circulus vitiosus, quem committunt in sua credendi ratione, & resolutione fidei. Si enim interrogentur, quare credant, hanc Scripturam esse Divinam, & purum Dei Verbum? Ultimatò denique respondent, id sibi

con-

constare ex interna Spiritûs S. testificatione: ut patet ex meo *Lutheranismo constanter errante*, & ex dictis de Scriptura S. si rursus interrogentur, unde constet ipsis, hanc internam testificationem esse Spiritûs S. & non potiùs spiritum privatum & dictamen erroneum? Reponunt, id sibi constare ex Scriptura, quæ Jo. 10. v. 27. dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt.* En Scripturam S. probant ex interna Spiritûs S. testificatione, & hanc vicissim ex Scriptura S. quòd formalissimè est ire in circulum, ex quo nunquam se extricabunt, nisi agnoverint infallibilem Ecclesiæ auctoritatem, quam quamdiu repudiant, tamdiu fides ipsorum fictâ nitetur Spiritûs S. testificatione, imò nitetur spiritu privato, humano, erroneo: & sic non erit nisi fides humana, incerta, dubia, fallibilis, erronea.

ARTICULUS V.

Ex hactenus disputatis evidenter deducitur, veram Christi Ecclesiam esse non posse Lutheranam &c. sed Romanam.

Summarium.

1. *Quæ dicuntur de Lutheranis, applicari possunt omnibus Apostatis.*
2. *Quid intelligatur nomine Ecclesiæ Romanæ.*
3. 4. *Ecclesia Lutherana non fuit perpetua: ergo vera non est.*
5. *Nec fuit perpetuò visibilis: ego vera non est.*
6. *Nec est infallibilis: ergo vera non est.*
7. *Ecclesia Romana vicissim, quia semper, & quidem visibilis, semperque infallibilis exstitit, vera est.*

1. SCiendum 1. Quamvis ordinatiè tantùm *Lutheranam* sectam directè & nominatim impugnemus, pleraque tamen tum ex dictis tum ex dicendis facilè applicari posse (& ferè mutato duntaxat nomine) omnibus alijs Apostatarum ab Ecclesia Romana cœtibus, uti Calvinistarum, Zwinglianorum, Arianorum recentium &c. cùm ijsdem se tueri, & Catholicos infestare armis soleant, ac debeant.

2. Sciendum 2. Per Ecclesiam Romanam intelligi illam, quæ communicat in fide cum Episcopo Romano, tanquam Christi Vicario, D. Petri Successore, & Pastore Universali. Ferè sicut Lutherani per Augustanam Confessionem intelligunt non modò illam doctrinam, quæ prædicatur in Urbe Augustana, verùm etiam omnes illos, qui cum hac Augustanæ Confessionis doctrina & fidei Symbolo communicant, Confessionistas

nistas dicunt, licèt distinctas Ecclesias Particulares faciant, & in alijs Regionibus morentur. Neque obstat, quòd Episcopus Romanus habeat propriam Diœcesim, nempe Ditionem Romanam, in qua simul est Episcopus peculiaris: ferè sicut Archidux Austriæ, qui electus est in Imperatorem, simul est Dominus supremus, & Caput totius Imperij, ac simul peculiaris Dominus Austriæ, quæ est una ex cæteris Imperij Provincijs; & sicut Imperij Romani membra sunt omnes, qui cum Archiduce Austriæ, simul Imperatore, in rebus Politicis communicant. Porro Romanam Ecclesiam saltem olim & tempore Apostolorum fuisse Catholicam, seu per totum orbem diffusam, patet ex illo Pauli ad Romanos 1. scribentis: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Unde Ecclesia Romana semper accipiebatur, & hodiedum accipitur pro Catholica, ut idem intelligatur per *Romanam*, & per *Catholicam* Ecclesiam; & hinc *Romano-Catholica* etiam appellari consuevit. Jam ex hactenus disputatis

3. Deduco 1. Vera Christi Ecclesia debet esse perpetua, ita ut continua duratione à temporibus Christi exstet in mundo, ut patet ex art. 2. assertione 2. p. 165. Atqui Lutherana non semper exstitit in mundo; sed ante Lutherum nemo sic credidit, uti nunc Lutherani, saltem in omnibus; quis enim fuit ille? Adeóque non semper exstitit in mundo. Ergo non est vera Christi Ecclesia. Si dicant, Apostolos ita credidisse, repono 1. id esse falsissimum; ut enim taceam cæteros articulos, pro exemplo sit articulus præcipuus apud Lutheranos, nempè de justificatione peccatoris, quam Lutherani tribuunt soli fidei, Apostoli autem tribuerunt fidei & operibus bonis simul. Sic. S. Jo. ep. 1. c. 3. v. 7. ait: *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est.* S. Jacobus c. 2. v. 24. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Et S. Paulus 1. Cor. 13. v. 2. 3. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* En tres Apostoli clarissimè adversantur dogmati Lutheranorum de justificatione. Repono 2. Etiamsi transmitteretur, Apostolos ita credidisse, ut modò Lutherani; tamen nisi ostenderint, tempore intermedio ab Apostolorum usque ad moderna tempora semper & continuò talem fuisse cœtum, qui hæc omnia crediderit, ipsorum Ecclesia non fuit perpetua: ergo nec vera est.

Deduco 2. Qui discedunt ab aliqua Ecclesia anteriore se, non sunt in Ecclesia perpetua, sed sequuntur erroneam: atqui Lutherani discesserunt ab aliqua Ecclesia anteriore se: ergo non sunt in Ecclesia perpetua, sed sequuntur erroneam. Mi. est clara, quia defecerunt ab Ecclesia Romana, quæ utique prior exstitit. M quoad primam partem est evidens, quo ad alteram expresè traditur à D. Paulo 1. Tim. 4. v. 1. ubi sic vaticinatur. *Novissimis temporibus discedent quidam à fide: attendentes spiritum erroris.* En *discedere* à fide, & ab Ecclesia anteriore, est signum, imò definitio hæreseos, & doctrinæ erroneæ juxta S. Paulum. Audiantur pulcherrima verba Joannis Morini (quem tamen 4.

men

men nuper in suas partes multoties trahere nitebatur nonnemo Lutlieranorum, ficto nomine Horallector, tam crudus, quàm rerum imperitus Scriptor) Is in proœmio de administratione Sacramenti Pœnitentiæ apud P. Vitum Erbermann in Bellarm. Vindic. de Indulgentijs in fine egregiè ad scopum nostrũ ita discurrit: *Christus Ecclesiæ suæ adest non uno die, non uno seculo, sed omnibus seculis & singulis diebus omnium seculorum usque ad consummationem seculi. Ita quoque clarissime Apostolus Eph. 4. v. 11. 12. Etenim differentiæ, Catholicum & hæreticum substantialiter constituentes, unúmque ab altero secernentes his propositionibus continentur. Ista propositio* (Ecclesia veritatem secuta est annis 200. 300. 500. 1000. postea erravit, morum iniquitatem, & Regiminis perturbationem amplexa est, & probavit) *hæreticum constituit. Contra ista propositio* (Ecclesia nullo sæculo, nullo die errare potest, aut pravos mores probare) *Catholicum demonstrat. A Deo enim præceptum nobis est Ecclesiam hodie loquentem audire, non solùm alterius ævi. Si semel hoc axioma concutias, omnem excutis de cordibus Christianorum fidei securitatem, túmque necessariò sicut parvuli fluctuantes circumferemur omni vento doctrinæ &c. Nulla enim inter sic sentientem & hæreticos, quotquot fuerunt, sunt, & erunt, quatenus hæretici sunt, differentia prorsus est. Omnes enim hæretici, qui fuerunt, sunt, & erunt, tales sunt propter non auditam hodie & nunc Ecclesiam loquentem & definientem. Obtendere enim & profiteri, se auditurum Ecclesiam, Doctoresque alterius ævi, hoc planè est paucis verbis λόγῳ μαχεῖσθαι λογῶν. Nam idem importune jactant & ostentant omnes hæretici hic ævi secundi, ille tertij, iste quarti & consequenter, sed nullus Ecclesiam* hodie *loquentem & docentem se auditurum syncerè profitetur. Omnes Hæretici volunt Ecclesiam audire mutam, non loquentem, Doctores mortuos, non vivos, ut, quod vivis & loquentibus judicibus fieri non potest, mutis & mortuis illudant.* Ita verissimè Morinus.

Deduco 3. Vera Christi Ecclesia perpetuò debet esse visibilis, ita ut à mundo cognosci possit ex publica & externa fidei professione, & Sacramentorum communione, ut patet ex art. 3. assert. 2. p. 174. Atqui Lutherana non fuit perpetuò visibilis, mundóque cognita, ut ipsimet fatentur; nam sic se latebras invenisse putant, quibus evitent importunas exactiones Catholicorum, identidem postulantium scire, ubinam locorum fuerit, & inter quos homines, vera Christi Ecclesia ante Lutherum per mille & amplius annos. Ergo non est vera Christi Ecclesia. Gerardus, qui tamen & ipse ad Latibulariam Ecclesiam se recipit, non tamen tutum ibi asylum reperit, imò sibi ipsi contradicens n. 70. his verbis se prostituit: *extra cœtum Vocatorum* (tam veros quàm putatitios fideles complectentem) *non sunt quærendi electi* (veri fideles) *quicunque igitur pertinent ad Ecclesiam invisibilem, illi etiam ad visibilem, sed non contrà.* Ex quibus verbis sic argumentor: Ecclesia invisibilis Electorum juxta Gerardum non datur sine Ecclesia visibili Vocatorum: at- 5.

atqui juxta eundem saltem Ecclesia invisibilis semper dari debet : ergo & Ecclesia visibilis: ergo. *Major* nostri primi argumenti est vera ex confessione propria Lutheranorum: *Minor* verò in confesso est apud eosdem, imò eam ex professo statuunt inter sua principia. Neque dicas, Gerardum sæpius docere oppositum, nempe Ecclesiam totam posse fieri, & jam fuisse invisibilem; id enim Gerardum dicere, non abnuo; sed simul tibi innuo, quàm falsos sequaris Magistros, & quàm difficile sit sibi constare in oppugnanda veritate.

6. Deduco 4. Vera Christi Ecclesia debet esse infallibilis in rebus fidei, ut constat ex art. 4. assert. 2. p. 185. Atqui Lutherana non est infallibilis: ergo non est vera. Mi. prob. Nulla Ecclesia Particularis, ut fatentur Lutherani, est infallibilis; sed Lutherana, ut ijdem fatentur, est Ecclesia Particularis: ergo. Rursus. Juxta Lutheranos nullus cœtus visibilis est Ecclesia Universalis, & infallibilis: ipsorum cœtus est visibilis: ergo. Ubi enim & apud quos sit vera fides interna, sine qua consistere nequit Ecclesia Christi vera, nec ipsi nôrunt, sed solus Deus; atque adeò juxta ipsos solùm invisibilis Ecclesia est infallibilis; quod dicere planè ineptissimum est. Quid enim prodest infallibilitas Ecclesiæ invisibilis, quam audire, interrogare, & accedere nequeunt homines, utpote ipsis incognitam? Quomodo se illi associabunt, ut sint firmi, tuti, & constantes in fidei professione, si tam fides, quàm Ecclesia vera lateat? Cui Doctori, vel Instructori in rebus fidei prudenter credere possunt firmissimè, si nesciant, vel saltem dubitare possint, an ipse Instructor doceat veram fidem, an ista doctrina sit illa, quam tenet Ecclesia Christi vera infallibilis, quam adire & consulere nequeunt? O absurditas, ô stultitia!

Deduco 5. Illa sola potest esse vera Christi Ecclesia, quæ 1. est perpetua, seu à temporibus Christi, à quo fundata est, semper exstitit in mundo. 2. Quæ semper fuit visibilis, ac mundo cognita. 3. Quæ semper fuit infallibilis, atque in rebus fidei nunquam erravit. Atqui hæc omnia reperiuntur in Ecclesia Romana: ergo hæc sola potest esse vera Christi Ecclesia. M. est certa ex dictis; hæ enim sunt proprietates & dotes tales, ut sine ijs vera Ecclesia consistere non valeat; quis enim credat, Christum, qui, utpote Deus, est Architectus sapientissimus & potentissimus, ædificâsse tanto impendio Ecclesiam pro paucis duntaxat annis, quibus ipse & Apostoli adhuc in terris degebant: Ecclesiam talem, quæ mundo esset incognita, cùm tamen voluerit esse necessariam ad salutem: Ecclesiam fallibilem, cui nemo securè adhiberet fidem sine periculo erroris? m. constat evidentiâ communis famæ, & historiæ tum Politicæ, tum Ecclesiasticæ, ex quibus habetur imprimis continua à Divo Petro successio Episcoporum Ecclesiæ Romanæ, qui semper fuerunt agniti pro summo Capite & Pastore Universali ab omnibus omnino fidelibus, non tantùm Romæ, sed per totum orbem existentibus. Deinde 7.

Roma-

Romana fuit Ecclesia, quam adeò impugnârunt Gentiles, à qua *discesserunt* hæretici, quæ fuit semper prædicata in plerisque Provincijs mundi, imò & recepta in innumeris; adeóque ubique cognita, ac perpetuò visibilis exstitit. Quod autem fuerit infallibilis, patet tum ex eo, quia nullus error cum veritate ipsi imputari potest, tum quia aliquando saltem, etiam juxta Adversarios, fuit vera Christi Ecclesia, consequenter infallibilis: si autem fuit aliquando vera, semper fuit, cùm *portæ inferi non possint prævalere adversus eam.* Mat. 16.

CAPUT II.

De Notis, ex quibus vera Christi Ecclesia discernatur à falsis Sectis.

ARTICULUS I.

An & quas notas habeat vera Christi Ecclesia?

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid sit nota veræ Ecclesiæ, & quas conditiones habere debeat.*
3. 4. *Alia nota est Negativa, alia Affirmativa, qua discerni possit vera Ecclesia à sectis falsis Christianorum.*
5. *Quas notas assignaverint alij, præsertim Bellarminus.*
6. *Nobis placet præcipuè has quatuor adducere, scilicet unitatis, sanctitatis, universalitatis, & antiquitatis; ad quas tamen adhuc alias reducimus.*
7. *Necesse est, ut Ecclesia vera habeat notas aliquas clarè sui distinctivas à sectis falsis.*
8. 9. *Inter eas sunt vel maximè unitas, sanctitas, universalitas, antiquitas, & cum his connexæ, quas etiam Lutherani admittere debent.*
10. 11. 12. *Solvuntur Objectiones.*

1. SCiendum 1. per notas (seu signa) veræ Ecclesiæ intelligi ea, ex quibus Ecclesia vera possit discerni ab omni secta falsa, seu quæ sint apta ducere in cognitionem veræ Ecclesiæ; nam signum in genere dicitur esse id, quod ducit vel ducere potest in cognitionem alterius. Unde

2. Sciendum 2. Ad veram & propriè dictam notam requiri 1. ut sit notior, quàm id, cujus est nota vel signum. 2. Ut sit propria illi rei, cujus est signum, & non communis alijs rebus; nam accidentia communia non possunt ducere in notitiam certæ rei: sic malè dares pro signo distinctivo Petri ab alijs hominibus, dicendo, Petrum esse, qui habet duos oculos, duas manus &c. 3. Ut sit inseparabilis à re significata, saltem si sit nota adæquata. Sic pariter signa veræ Ecclesiæ debent 1. esse notiora, quàm sit ipsa Ecclesia vera. 2. Propria veræ Ecclesiæ, & sectis falsis non communia, saltem si simul sumantur; quamvis enim singula convenire debeant veræ Ecclesiæ, non tamen singula seorsim debent esse propria quarto modo, hoc est, convenire omni, soli, & semper, licèt simul sumpta debeant ita esse propria, & soli Ecclesiæ veræ convenire. 3. Inseparabilia à vera Ecclesia, iterum saltem simul sumpta.

3. Sc. 3. Alias notas Ecclesiæ vocari negativas, alias affirmativas: *negativæ* sunt, in quibus argumentari solùm negativè possumus, v. g. hoc modo: ista Ecclesia non est una & concors in suis dogmatis: ergo non est vera. *Affirmativæ*, in quibus valet argumentum affirmativum v. g. hoc modo: ista Ecclesia est sancta: ergo est vera. Nam sanctitas non potest convenire falsæ sectæ, fortè tamen concordia in dogmatis &c. Aliquæ ex his (etiam seorsim sumptæ) sunt propriæ veræ Ecclesiæ quartô modô: aliæ autem sunt tales, S. simul sumantur cum reliquis.

Sc. 4. Hìc loci solùm afferendas esse illas notas, quæ veram Ecclesiam distinguunt ab omni alia secta *Christianorum*; quippe signa & notas illas, per quas discerni debet à sectis non Christianorum, puta Gentilium, Judæorum, & Paganorum, adduximus de Divinitate Christi. 4.

Sc. 5. Varias à Catholicis assignari notas veræ Ecclesiæ, & nunc plures, nunc pauciores, pro ratione scilicet instituti sui. Thomas Bozius Congregationis Oratorij Presbyter affert & deducit 99. signa seu notas veræ Ecclesiæ, Bellarminus 15. nimirum sequentes. Prima est ipsum nomen *Catholicum*. 2. Antiquitas. 3. Duratio nunquam interrupta. 4. Multitudo & varietas credentium. 5. Successio Episcoporum in Romana Ecclesia ab Apostolis deducta usque ad nos. 6. Conspiratio in doctrina cum Ecclesia Antiqua. 7. Unio membrorum inter se, & cum Capite, Romano Pontifice. 8. Sanctitas doctrinæ. 9. Efficacia doctrinæ, utpote convertentis animas. 10. Sanctitas vitæ Auctorum, sive primorum Patrum nostræ Religionis. 11. Gloria miraculorum. 12. Lumen Propheticum. 13. Confessio Adversariorum. 14. Infelix oppugnantium Ecclesiam exitus. 15. Felicitas divinitus collata propugnatoribus Ecclesiæ. Alij brevitatis studiosi celebriores Ecclesiæ notas ad quatuor, easque magis splendidas & generales reducunt, scilicet unitatem, sanctitatem, 5.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tem, universalitatem, & antiquitatem, in Concilio & Symbolo Nycæno expressas, ubi jubemur credere, *unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Sanctitatem & Universalitatem docet ipsum quoque Symbolum Apostolicum, in quo credimus *sanctam Ecclesiam Catholicam*: Catholica autem idem est ac Universalis.

6 Sc. 6. Etiam nobis constitutum esse memoratas quatuor notas, tanquam insigniores, & reliquarum fontes, deinceps persequi, ita tamen, ut ad singulas adjiciamus unam vel alteram, magis cognatam, majoris claritatis & soliditatis gratiâ. Sic ad notam *Unitatis* addemus notam necessarij Judicis Controversiarum fidei. Ad notam *Sanctitatis* notam Miraculorum. Ad notam *Universalitatis* notam conversionis Gentilium. Ad notam *Antiquitatis* notam, originis. Id adhuc observa quòd nota Antiquitatis, quæ indicatur in Symbolo Nicæno per vocem *Apostolica*, præferenda nobis videatur, & ijs, qui instruuntur pro fide Catholica, primo loco proponenda, tum quia admodum facilis est captu, tum quia admodum clarè convincit, tum quia lumen Naturæ dictat, ut initiò statim rerum investigetur origo.

7. Dico 1. Vera Christi Ecclesia debet habere aliquas notas, ex quibus dignoscatur ab omnibus falsis sectis, ac reddatur evidenter credibilis. Probatur facilè. Omnes obligantur credere Ecclesiam, eique se adjungere sub pœna æterni exitij, ut fatentur Adversarij: atqui nisi Ecclesia haberet tales notas, ex quibus dignosci posset à falsis sectis, nemo posset eam credere, & se illi adjungere, utpote incognitæ; neque teneretur id facere, nisi ipsi redderetur evidenter credibilis tum absolutè, tum respectivè, seu habito respectu ad alias sectas, ejusmodi signis destitutas. Unde iterum Invisibilis Protestantium Ecclesia omnium risui exponitur; si enim habere debeat notas distinctivas, per quas discerni possit ab hominibus à falsis sectis, quomodo hominibus potest esse ignota, & incognoscibilis?

Confirmatur. Sicut in Naturalibus essentiæ rerum nobis non immediatè innotescunt per se ipsas, sed per certas proprietates exteriùs sese prodentes: ita multò magis essentiæ rerum supernaturalium, inter quas etiam est vera Christi Ecclesia, non nisi per certas proprietates, & notas, exteriùs sese prodentes, nobis innotescunt. Cæterùm dixi in assertione, *evidenter credibilis*, non *evidenter vera*; cùm ingens inter hæc duo discrimen intercedat: evidenter verum dicitur illud, quod vel in se vel in suis principijs videtur clarè; evidenter credibile dicitur id, quod nec in se nec in suis principijs videtur clarè, habet tamen tot ac tanta motiva & testimonia, ut quilibet vir sapiens meritò credere possit ac debeat, & fidem prudenter negare nequeat. In exemplo, si Judex proprijs oculis clarè videat, aliquem occidi, habet evidentiam veritatis: si autem ipse non videat, sed habeat 20. vel 30. viros gravissimos, qui testantur se vidisse hominem occidi, Judex habet evidentiam credibilitatis. Quæ sunt evidenter vera, propriè non possunt credi sub ratione evidentiæ, cùm

cùm fides sit de rebus *non apparentibus*, ut ait Apostolus. Quæ sunt evidenter credibilia, possunt & debent credi, cùm Deus non possit permittere tantam apparentiam, quæ faciat objectum evidenter credibile, quin ipse loquatur, & tale objectum revelet. Sic etiam non potest permittere, ut Ecclesia falsa ijs notis conspicua sit, ut reddatur evidenter credibilis absolutè & respectivè; quia sic ipse deciperet homines, ad ea credenda obligatos, quæ per motiva credibilitatis sunt evidenter credibilia, & digna assensu.

2. Dico 2. Hæ quatuor Notæ, Unitas, Sanctitas, Universalitas, Antiquitas (consequenter & aliæ cum his connexæ) debent etiam à Lutheranis admitti. Probatur 1. A Lutheranis admittitur Symbolum Apostolicum, item Symbolum Nicænum, quia statim in primo art. Augustanæ Confessionis reverentur auctoritatem Concilij Nicæni, in quo factum est Symbolum: atqui in his duobus Symbolis continentur hæ quatuor notæ, in Nicæno quidem omnes, quia sic habet: credo *unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*; in Apostolico duæ, quia sic habet: credo *sanctam Ecclesiam Catholicam*: ergo hæ quatuor notæ etiam à Lutheranis admitti debent. Confirmatur. In art. 7. Conf. Aug. Lutherani docent, *quòd una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit*: ergo fatentur, veram Christi Ecclesiam debere esse *unam, sanctam, & Apostolicam*; si enim *perpetuò manere* debeat, utique ab Apostolis usque nunc manere debuit, & deniceps perservare debet. Quòd autem Ecclesiam veram fateantur debere esse *Catholicam*, colligitur ulteriùs ex art. 21. ubi dicunt, in sua doctrina nihil esse, quod à Scripturis discrepet, vel ab Ecclesia *Catholica*.

Probatur 2. ex ratione. Vera Christi Ecclesia debet habere aliquas notas distinctivas à falsis sectis, ut patet ex assertione præcedente, & ex Providentia Divina, ad quam spectat providere de medijs, quibus perveniri possit ad veram Ecclesiam. Atqui per has quatuor notas vera Christi Ecclesia optimè distingui & discerni potest à falsis Christianorum sectis: ergo has quatuor notas debet habere: ergo ab omnibus admittendæ sunt. Mi. prob. quia unitas in doctrina, sanctitas tum doctrinæ tum morum, universalitas seu diffusio per totum orbem, & successio continua à temporibus Apostolorum habent illas conditiones, quas suprà requisivimus ad utiles notas Sciendo 2. nam imprimis sunt certiores & notiores, quàm ipsa vera Ecclesia. Deinde sunt propriæ soli Ecclesiæ veræ, saltem si simul summantur; imò sanctitas, etiam seorsim, uti & origo, & successio Apostolica, sunt propriæ soli. 9.

Demum quòd sint, etiam singulæ seorsim, inseparabiles à vera Christi Ecclesia, probatur figillatim. 1. De *Unitate* doctrinæ: evidens est, Deum non esse Deum dissensionis, sed unitatis, Spiritum S. non esse Spiritum contradictionis, sed veritatis, & Regnum in se divisum stare non posse: atqui vera Ecclesia est à Deo, regitur à Spiritu S. est Regnum

à

à Christo fundatum, ut fatentur Adversarij: ergo evidens est, Ecclesiam debere esse unam in doctrina: non discordem, non divisam in se. 2. De *Sanctitate* doctrinæ. Evidens est, Deum nihil impium docere & præcipere posse: sed potiùs omnem ejus doctrinam esse puram, sanctam, & ad virtutes exstimulantem, unde & Sanctitas morum promanat: atqui doctrina Ecclesiæ, prout & ipsa Ecclesia, debet esse à Deo, cùm vera Religio, ejúsque dogmata, & præcepta debeant esse revelata à Deo, ut alibi dictum est, & Lutherani non negant: ergo evidens est, Ecclesiam debere esse sanctam in doctrina; consequenter & in membris, saltem quibusdam, ut dicetur de nota Sanctitatis. 3. De *Universalitate* quoad locum: evidens est, illam Ecclesiam debere esse Catholicam, seu universalem, hoc est, diffusam per totum orbem, quam omnes tenentur amplecti, & extra quam non est salus: sed veram Christi Ecclesiam tenentur omnes sequi, & extra illam non est salus, ut iterum fatentur Adversarij: ergo evidens est, veram Christi Ecclesiam debere esse universalem quoad locum. 4. De *Antiquitate*: evidens est, veram Christi Ecclesiam debere proficisci à Christo: atqui non provenit à Christo, nisi sit antiquissima, durans à Christi & Apostolorum temporibus usque ad nos; quæ enim postea exortæ sunt, non à Christo fundatæ sunt, sed ab hominibus, à Christi Ecclesia discedentibus, à quibus & nomen acceperunt, uti Ariana ab Ario, Pelagiana à Pelagio, Lutherana à Luthero, Calviniana à Calvino &c. ergo evidens est, veram Christi Ecclesiam debere esse antiquissimam & Apostolicam.

Ob. 1. Vera Christi Ecclesia juxta Catholicos debet esse visibilis, non minùs ac Imperium Romanum, Regnum Galliæ, aut Respublica Veneta visibilis est: sed ad dignoscendum Romanum Imperium, Rempublicam Venetam &c. non necessariæ sunt ullæ notæ: ergo nec ad dignoscendam veram Ecclesiam. 10.

R. 1. D. M. est visibilis quoad professionem fidei. C. M. quoad ipsam fidem internam, seu quoad ipsam veritatem fidei, & Sacramentorum. N. M. Cùm igitur hæc veritas fidei & Sacramentorum non videatur evidenter, sed credatur, debet reddi evidenter credibilis per certa signa, sicut essentiæ rerum naturalium, v. g. animal rationale non videtur in se, sed solùm in proprietatibus illius, & effectibus tanquam in signis. Cæterùm forma essentialis Ecclesiæ non est illa ipsa, per quam singuli fideles constituuntur, nimirum fides interna; sed quia Ecclesia quà talis (sicut omnis ordinata congregatio) est totum relativum, ejus forma non potest esse absoluta, sed debet esse respectiva, nimirum *Unio* illa, fundata in singulis hominibus, eandem fidem, Sacramenta, & Pastorem profitentibus: quæ forma essentialis non est invisibilis, licèt forma, per quam singuli fideles in ratione veri fidelis tanquam partis Ecclesiæ constituuntur, sit invisibilis, nimirum vera fides; quæ tamen fit sensibilis per externam professionem: quatenus igitur plures in hac professione ex-

terna conspirant, ipsa forma essentialis Ecclesiæ, nempe ista adunata professio, seu unio professentium, est sensibilis. R. 2. N. m. Etiamsi Imperium Romanum, Respublica Veneta &c. sit visibilis, tamen habet, & habere debet suas notas, & characteres distinctivos ab alijs hominum cœtibus, cujusmodi characteres sunt locus, nomen, sigillum, professio, & studia externa, quibus membra se invicem juvant &c.

11. Ob. 2. Notæ, per quas discernenda est vera Ecclesia, debent esse propriæ & essentiales: sed illæ quatuor, quas adduximus, non sunt propriæ & essentiales, sed communes & accidentales; nam unitas in doctrina, diffusio per totum orbem &c. potest esse communis cum secta falsa, & vicissim Ecclesia vera potest esse, quin sit diffusa per totum orbem &c. ergo. R. 1. D. M. debent esse propriæ, simul sumptæ C. M. singulæ seorsim N. M. Item debent esse essentiales, hoc est, inseparabiles. C. M. debent esse ita essentiales, & intrinsecæ, sicut proprietates quarto modo v. g. risibilitas in homine. N. M. & sic distincta m. N. C. R. 2. T. M. N. m. *Propriæ* soli veræ Ecclesiæ sunt imprimis omnes simul sumptæ, deinde aliquæ etiam seorsim sumptæ, ut esse sanctam, esse Apostolicam &c. Demum etiam singulæ seorsim; cùm impossibile sit, ullam sectam falsam tali unitate, & tali per orbem propagatione &c. præditam esse, quali defacto conspicua est vera Ecclesia, nimirum Romana; eò quòd ejus unitas sit per totum orbem, perpetua, & proveniens ab uno Capite, controversiarum infallibili Judice: diffusio autem per totum orbem sit facta non sine magnis prodigijs, contrà nitente Gentilium feritate, Orci potentiâ, perversæ naturæ genio, sine vi, sine armis, sine alijs humanis adminiculis &c. *Essentiales*, hoc est, inseparabiles esse à vera Ecclesia tam omnes, quàm singulas, probant nostra argumenta, præsertim ex Symbolo Apostolico, & Nicæno desumpta; quamvis enim dempto decreto Divino, & abstrahendo à revelatione Divina, posset fortè vera Ecclesia non diffundi per totum orbem, hodie tamen ex revelatione Divina constat, veram Ecclesiam debere esse *Catholicam* &c.

12. Dices. In Symbolo Apostolico non reperitur vox *Catholicam*: ergo. R. N. A. Nam Symbolum Apostolicum ex perpetua Traditione Ecclesiæ in art. 9. ita sonat: *Sanctam Ecclesiam Catholicam* (subintellige *credo*) **ein heilige Allgemeine Kirch.** Correspondet textus Græcus, versiones omnes cum SS. PP. Unicus Lutherus, videns suam novitiam sectam non posse vocari Catholicam, hoc est, Universalem quoad doctrinam, locum, tempus, & personas, temerario ausu, & sacrilego falsi crimine violentas manus, sicut Scripturæ S. sæpius, ita Symbolo Apostolico intulit, pro *Catholicam* substituens *Christianam*, ita ut hodiedum Lutherani Symbolum corruptum recitent hoc modo: **Ein heilige Christliche Kirch**; quasi verò idem esset **Christlich & Allgemein** / *Christiana* Ecclesiæ dicuntur omnes, quæ confitentur Christum: sed propterea dici non possunt *Catholicæ*, seu Universales, ita ut omni loco, & omni

omni tempore exstiterint, in doctrina consentientes. O miseras animas, quæ à tam effronte, sacrilego, & perfido Monacho se ita decipi sinunt in re gravissima!

ARTICULUS II.

De Nota Antiquitatis.

SUMMARIUM.

1. *Ingressus ad notam Antiquitatis.*
2. *Quæ triplici Syllogismo absolvetur;*
3. *Non tamen alio, nisi negativo; quod observabitur etiam deinceps ad impugnandas falsas sectas; facta tamen semper aliqua inde reflexione ad Ecclesiam Romanam.*
4. *Vera Christi Ecclesia debet habere doctrinam antiquissimam, ut Scriptura, Symbola, Patres, ratio ipsa demonstrant, & ipsi Lutherani fatentur.*
5. *Quidquid obganniant alij.*
6. *Ecclesia Lutherana non habet doctrinam antiquissimam.*
7. 8. *Quidquid replicent ejus Sectatores.*
9. *Non alia Lutheranæ sectæ competit antiquitas doctrinæ, quàm illa, quam habet à Simone Mago, & alijs antiquis hæreticis.*
10. *Ecclesia Romana habet legitimam antiquitatem.*
11. *Quam pro Germania nostra specialiter confirmant certi Idiotismi, modique loquendi antiquissimi.*
12. 13. *Nec ullo argumento solido in dubium revocari potest hæc antiquitas*
14. *Vera Christi Ecclesia debet habere continuam successionem Episcoporum, præsertim in Cathedra Petri.*
15. *Frivolæ sunt exceptiones Adversariorum.*
16. *Lutherana secta non habet hanc continuam successionem.*
17. 18. *Frustra contendunt, hanc successionem non requiri.*
19. *Eam tamen habet Ecclesia Romana,*
20. 21. 22. *Frustra oppugnatam à Sectarijs.*
23. *Vera Christi Ecclesia non potest habere turpem Auctorem & vitiosam originem.*
24. 25. *Lutherana secta habet turpem Auctorem, vitiosam originem.*
26. 27. *Non potest hæc labes evitari, quidquid dicatur.*
28. *Econtra Ecclesia Romana immunis est ab hac labe.*
29. *Neque Papa est Auctor illius.*

1. SCiendum 1. Sicut ad demonstrandam nobilitatem suam illustrius ar-

gumentum non habent Mundi Principes, quàm si retrogradiendo longissima

sima serie per Majorum suorum nomina devenire possint usque ad Auctorem stirpis suæ longè clarissimum, nobilissimum v. g. ad Carolum M. ad Julium Cæsarem &c. Ita Sponsa Christi, nimirum Ecclesia, non alia illustriori nota se probat nobilissimam, quàm si seriè nunquam interrupta retrogradi possit per continuam Episcoporum successionem usque ad ipsos Apostolos, usque ad primum Ecclesiæ Caput D. Petrum, imò ad ipsum Fundatorem Christum JESUM, in quo utique summa nobilitas. Quo igitur Ecclesia est antiquior, eò est nobilior. Unde

2. Sciendum 2. Triplici Syllogismo à nobis notam Antiquitatis, qua dignoscatur evidenter vera à falsa Ecclesia, pertractandam: in 1. antiquitatem continuæ successionis in doctrina Christi & Apostolorum: in 2. antiquitatem continuæ successionis Episcoporum seu Pastorum: in 3. antiquitatem & nobilitatem Originis.

3. Sciendum 3. Quòd non alios, nisi negativos, Syllogismos in singulis notis formaturus sim; cùm præcipuus finis sit, ostendere falsitatem sectæ Lutheranorum, & per consequens omnium Apostatarum ab Ecclesia Antiqua: semper tamen reflexio fiet ad Ecclesiam Romanam, utrùm hæ notæ, quas Lutheranorum cætui non convenire demonstrabimus, conveniant Romano-Catholicæ Ecclesiæ. Atque sic primariò ex quatuor notis suprà memoratis argumenta *negativa* depromam, secundariò *affirmativa*. Licèt enim fortè non in singulis seorsim bonum sit argumentum affirmativum, bonum tamen est in singulis argumentum negativum, ita ut, ubi vel unica ex recensendis notis non reperitur, ibi vera Christi Ecclesia non sit.

SYLLOGISMUS I.

Vera Christi Ecclesia debet habere doctrinam antiquissimam, continua successione à Christo & Apostolis derivatam.

Sed Lutherana non habet doctrinam antiquissimam, continua successione à Christo & Apostolis derivatam.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Major patet

4. 1. Ex Scriptura S. quæ de Ecclesia & viris fidelibus dicit: *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo JESU.* Eph. 2. v. 20. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ec-*

Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Mat. 16. v. 18. *Hic* (JESUS) *erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus DEUS sedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob* (in Ecclesia) *in æternum, & regni ejus non erit finis.* Luc. 1. v. 32. 33. Huc pertinent etiam illi textus, quibus probavimus suprà Perpetuitatem Ecclesiæ, & Indefectibilitatem in rebus fidei. Idem prænuntiârunt Prophetæ in Antiquo Testamento. *In diebus Regnorum illorum suscitabit DEUS Cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Dan. 2. v. 44. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Oseæ 2. v. 19. *Sponsabo te mihi in fide.* v. 20. Qui & similes textus satis clarè docent, veram Christi Ecclesiam debere ab ipso Christo esse fundatam, ab Apostolis propagatam, & continua successione conservatam usque ad finem mundi, adeóque doctrinam veræ Ecclesiæ debere esse antiquissimam & semper conservatam.

2. Ex Symbolo tum Apostolico tum Nicæno; quod utrumque à Lutheranis admittendum est. Nicænum clarè & explicitè veram Ecclesiam vocat *Apostolicam*, adeóque ab Apostolis continua ejusdem doctrinæ serie propagatam, cùm vera Ecclesia semper & perpetuò debeat dari in mundo juxta ea, quæ de Perpetuitate ejusdem diximus. Apostolicum autem veram Ecclesiam appellat *Catholicam*: atqui verè propriéque Catholicum, teste Vincentio Lirinensi contra hæreses c. 3. est, *id tenere, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Notetur bene, *quod semper.*

3. Ex SS. Patribus, apud quos indubitatum est, illam Ecclesiam, quæ post Christi & Apostolorum tempora introducta est, & quæ in signum Novitatis suæ ab alio, quàm à Christo, nomen trahit, uti Ariana ab Ario, Pelagiana à Pelagio &c. falsam esse. Audiamus S. Hier. in Dialogo contra Luciferianos in fine. *Brevem tibi apertámque animi mei sententiam proferam, in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat. Si ubi audieris, eos qui dicuntur Christi* (seu Christiani) *non à Domino JESU Christo, sed à quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas, scito, non esse Ecclesiam Christi; sed Antichristi esse Synagogam. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit.* 1. Tim. 4. Audiant & notent sibi hæc Lutherani, qui à Luthero instituti, & nominati sunt. Idem Hier. mox subjungit: *Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum Capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt; cùm & diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, & Scripturæ non in legendo consistant, sed intelligendo. Alioquin si litteram sequimur, possumus & nos quoque novum nobis dogma componere; ut asseramus, in Ecclesiam non recipiendos, qui calceati sint, & duas tunicas habeant.* Notent sibi hæc iterum Lutherani, qui solis Scripturis,

juxta proprium dictamen intellectis, niti volunt. S. Epiphan. hæresi 55. *Termini nobis positi sunt & fundamenta &c. Apostolorum Traditiones, & Scripturæ Sanctæ, & successiones doctrinæ &c. Nemo decipiatur novis fabulis.* S. Augustinus l. contra ep. fundamenti. c. 4. sic pronuntiat: *Tenet me in Ecclesiæ gremio auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata* &c. Item l. 4. de Baptis. cont. Donatist. c. 24. hanc tradit regulam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Et epist. 118. ad Januarium: *Siquid tota per orbem frequentat Ecclesia; hoc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est*: Ergo Ecclesia nec in fidei Articulis, nec in Decretis morum errat unquam, sed semper & continuò retinet Doctrinam Christi, & Apostolorum. Irenæum, Basilium, Origenem, Tertullianum, & alios PP. brevitatis causâ omitto.

4. Ex ratione. Vera Christi Ecclesia utique debet esse fundata à Christo; ab hoc enim dicitur *christiana*: & quidem non tantùm pro paucis annis, sed pro omni tempore; cùm Christus, utpote prudentissimus Architectus, sicut Ecclesiam suam non super arenam, sed super petram, nullo hostium insultu expugnabilem, ædificare voluerit, ita haud dubiè voluerit, id exigente ejus Providentiâ & honore. Ergo vera Christi Ecclesia debet esse antiquissima, & à temporibus Christi, ac Apostolorum continua ejusdem doctrinæ successione usque ad nos derivata.

5. Ex confessione propria Sectatiorum; quippe Lutherani non tantùm fatentur, veram Ecclesiam debere esse introductam à Christo, sed etiam docent in sua Confessione August. art. 7. *quòd una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit, in qua Evangelium purè docetur, & rectè administrantur Sacramenta.* Ergo Christi Ecclesia vera debet semper esse in mundo, & *continuò* eandem Christi doctrinam retinere: ergo Ecclesia Nova, quæ non perpetuò fuit à Christi, & Apostolorum temporibus, neque ejus doctrinam *semper* habuit, vera Christi Ecclesia non est.

Dices 1. Ecclesia est notior, quàm antiquitas ejus; quia facilius est scire, hìc aut illic esse Ecclesiam, quàm scire, eam olim fuisse per multa sæcula: ergo antiquitas non potest esse nota veræ Ecclesiæ. R. N. suppositum Antecedentis; non enim est quæstio de Ecclesia qualicunque, sed de Ecclesia *vera* Christi. Hæc veritas Ecclesiæ in se evidens non est, sicut evidens est, dari aliquam Ecclesiam; ejus tamen antiquitas, velut veritatis proprietas & nota, saltem moraliter est evidens, scilicet ex historijs, communi & constanti fama, temporum, locorum, & hominum cognitione. 5.

Dices 2. Ex humanis adminiculis non debet pendere fides nostra, utpote *Divina*; historiæ autem, fama communis &c. sunt tantùm motiva *humana*. R. Non pendet ab illis ut moraliter tantùm certis, sed ut connexis cum illis

illis supernaturalibus signis, quæ denotare debent veram Ecclesiam, & à Deo permitti non possent, nisi revera essent locutio Dei supernaturalis, & metaphysicè certa; quippe fama de antiquitate & alijs notis veræ Ecclesiæ non potest esse imitabilis ab ulla secta falsa, adeóque redditur evidenter credibilis, quòd sit supernaturalis, & metaphysicè certa, licet *evidens* sit moraliter tantùm. Deinde licèt hæc fama & historiæ tantùm moraliter essent certæ, & non simul supernaturalis Dei locutio, tamen jam omnes tenerentur illam Ecclesiam sequi, pro qua stat moralis certitudo, & signa moraliter certa.

Dices 3. Si antiquitas doctrinæ, seu conformitas doctrinæ cum doctrina Christi & Apostolorum, potest esse nota veræ Ecclesiæ, tunc etiam *pura Verbi prædicatio*, ut volunt Lutherani, potest esse nota veræ Ecclesiæ; quia inter se hæc duo non distinguuntur: sed consequens à Catholicis non admittitur: ergo &c. N. M. quamvis enim realiter non distinguantur quoad rectũ, potest tamen conformitas doctrinæ cum doctrina Christi & Apostolorum fieri nobis evidens per externam professionem Christi & Apostolorum, ac simul per professionem modernorum fidelium, licèt ipsa veritas doctrinæ (quæ realiter est ipsa conformitas cum doctrina Apostolorum) non fit evidens. *Pura prædicatio* non potest esse nota, quia minùs est cognita quàm ipsa Ecclesia.

Minor demonstratur

6. 1. Ex oppositione dogmatum, quæ Christus & Apostoli ex una, ex altera verò parte tenet Ecclesia Lutherana. 1. Lutheranorum dogma & quidem præcipuum est, hominem justificari sola fide, sine ullis operibus præteritis, præsentibus, & futuris, scilicet pœnitentiæ, charitatis &c. ut expressè docet liber Concordiæ, p. 274. b. edit. Tubing. 1580. 2. Humanitatem Christi esse ubique, non minùs ac ejus Divinitatem propter unitatem personæ, ut docet idem liber sæpius. 3. Unicam Scripturam sufficere, & audiendam esse, non Ecclesiam. 4. Mandata Dei observari non posse, nec necessariò debere, modò fortiter credatur fide speciali in Christum. 5. Bonis operibus justorum non reddi mercedem propriè dictam in cœlis &c. At Christus & Apostoli è diametro docuerunt oppositum. I. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 13. v. 5. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Mat. 7. v. 21. haud dubiè observándo Decalogum. *Ex operibus justificatur, & non ex fide tantùm.* Jac. 2. v. 24. *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Jo. 3. v. 14. II. *Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut, ubi sum ego, & vos sitis.* Jo. 14. v. 3. *Venit JESUS, & stetit in medio.* Jo. 20. v. 19. *Surrexit, non est hic.* Marc. 16. v. 6. III. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Mat. 18. v. 17. IV. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Mat. 19. v. 17. *Qui dicit, se nôsse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Jo. 2. v. 4.

Si

Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest. 1. Cor. 13. Charitatem autem non habet, qui non observat mandata. V. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Mat. 5. v. 12. &c. Ergo Lutherana Ecclesia non habet doctrinam Christi, & Apostolorum.

2. Ex historijs, ex quibus (dato etiam, nunquam concesso, quòd doctrina Lutheranorum conveniret cum Evangelio, cum doctrina Christi, & Apostolorum) nullatenus probari potest *continua successio* doctrinæ Lutheranorum usque ad tempora Apostolorum: consequenter Apostolica non est, nec debitam habet antiquitatem; nam doctrina Christi, & Apostolorum nunquam interire, aut interrumpi potest. Jam per duo propè sæcula petitur à Lutheranis, ut nominent vel unicam Provinciam, urbem, pagum, tugurium, communitatem quamcunque, in qua per decem sæcula à Gregorio M. (quem nondum audent inter Antichristos numerare, utpote Papam verè sanctissimum, & pro tali ab omnibus semper habitum) usque ad Lutherum omnia prorsus dogmata credita sint, quæ nunc creduntur à Lutheranis, eodem modo administrata Sacramenta &c. Petitur, ut nominent Doctores, imò vel unicum per mille & ampliùs annos, immediatè Lutherum antegressos, qui in tota fidei doctrina conspiraverit cum Luthero, & Lutheranis, qui docuerit 1. Humanitatem Christi esse ubique. 2. Eum in Evchariſtia non esse ante actualem sumptionem. 3. Sacrificium Missæ esse idololatriam. 4. Illos Scripturæ libros, quos Lutherani recipiunt, esse unicam regulam doctrinæ fidei. 5. Romanum Pontificem esse Antichristum. 6. Invocationem Sanctorum esse idolomaniam. 7. SS. imaginum cultum esse idololatricum. 8. Duo tantùm esse Sacramenta. 9. Non esse Purgatorium. 10. Vota & vitam monasticam esse superstitiosam &c. Hæc, inquam, & cætera dogmata, quæ hodie tenent Lutherani, vel tenuerunt, omnia fuisse credita ab ulla etiam minima communitate ante Lutherum, aut prædicata vel ab unico Doctore, ostendere jubentur Lutherani ex Historicis, qui utique non reticuissent, si talis olim Religio fuisset in mundo; cùm alia, etiam minutissima, ad Religionem spectantia, diligentissimè annotârint. Verùm hactenus nec unicum quidem hominem ex tota antiquitate potuerunt nominare, qui ita credidisset, & docuisset in omnibus, ut credunt, & docent modò Lutherani. Et quomodo Lutheranismum velut ovum ostendant ante gallinam? Ergo ex defectu continuæ durationis non est Apostolica Lutheranorum secta.

3. Ex propria confessione Lutheri, & Lutheranorum. Nam Lutherus sæpius apertè fatetur, suam doctrinam esse novam; in præf. to. 1. Lat. ait: *Solus primò eram, & certè ad tantas res tractandas ineptissimus, & indoctissimus; casu enim, non voluntate, nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor.* In Brevi Confess. suam doctrinam vocat *novam, & supra modum scandalosam per universum mundum.*

Ldo

1. de summa Mandatorum Dei dicit, *se neminem scire, qui de fide, & operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apostolis.* De Captivit. Babylon. *Tyrannis Papalis jam à multis saculis fidem extinxit.* Contra Regem Angliæ gloriatur, *se ita produxisse Verbum Dei in lucem, ut à mille annis non fuit,* Rursus de captiv. Babyl. contra Missam ait: *Nec te moveat, quòd totus orbis contrarium, & sensum, & usum habeat.* Et de abrog. Miss. f. 244. hos scrupulos patitur: *Tu solus sapis? tot-ne errant universi? tanta sacula ignorârunt &c.?* Similia reperiuntur in præfatione Augustanæ Confessionis. *De justitia fidei omnia templa, monasteria, schola, denique libri omnes Theologorum recentium antea muti erant. Nemo docebat, peccata remitti per fidem Christi. Sacramenta impiè prophanata sunt, postquam recepta est opinio, quòd ex opere operato justificent. Et hac opinio doctrinam fidei prorsus oppressit* &c. In art. 20. dicitur, *de hac doctrina* (de sola fide justificante) *olim fuisse altum silentium.* Idem insinuant usitatissimæ locutiones Lutheranorum, quibus fidem suam vocare solent *Evangelium renatum, renovatum, restitutum, reformatum, doctrinam reparatam, resuscitatam, postliminio reductam, restauratam, Evangelium Wittenbergæ capiens initium* &c. Unde & Lutherum passim appellant *Inceptorem Reformationis, Instauratorem collapsæ, vastatæ, desolatæ, dirutæ Ecclesiæ* &c. Ergo fatentur, suam Ecclesiam non continuò duravisse, & ante Lutherum saltem immediatè non fuisse.

Reponunt 1. suam Ecclesiam esse eandem cum primitiva tempore Christi, & Apostolorum, cùm eorum doctrinam in SS. Litteris expressam accuratè sequatur: ergo. R. 1. N. Ant. Ratio negandi patet ex dictis n. 6. Nec refert, quòd Lutherani adducant pro se textulos quosdam Scripturæ, violenter in alienum sensum detortos, & juxta privatum sui spiritûs interni dictamen explicatos; si enim hoc sufficeret, nulla daretur secta falsa & hæretica; quippe omnes hæretici sua falsa dogmata probârunt per quosdam textus juxta privatum spiritum explicatos: sic Arium probabant, Filium esse minorem Patre ex illo Jo. 14. *Pater major me est*: Christum non esse Deum ex illa Christi confessione, *ut cognoscant te solum verum Deum.* Joan. 17. Sic Manichæi probabant, Christum non esse verum hominem ex illo Pauli ad Gal. 4. *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Sic Sabelliani probabant, Filium Divinum quoad Personalitatem non distingui à Patre realiter, ex illo Jo. 10. *Ego & Pater unum sumus.* R. 2. Hoc ipsum semper dixisse, & hodiedum dicere eodem jure posse omnes hæreticos; hi enim omnes spreta Ecclesiæ auctoritate thrasonicè jactant, suam doctrinam esse doctrinam Christi, & Apostolorum, idque probant provocando ad Scripturam: sic fecerunt Ariani, sic faciunt Calvinistæ, Zwingliani &c.

Dicent: Calvinistæ, & alij Sectarij

non possunt provocare ad Scripturam, quia non puram sequuntur Scripturam, sed ei aliquid addunt ex sua ratione. At vicissim dicent Calvinistæ & alij, Lutheranos deficere à Scriptura, & ei ex suo sensu aliquid addere, dum retinent imagines Sanctorum in templis suis, hostias, non panem usualem, distribuunt, Christum secundùm humanitatem ubique existere asserunt &c. Anabaptistæ dicent, Lutheranos deserere Scripturam baptizando parvulos, Ariani, quia filium in Divinis credunt æqualem Patri &c.

2. Reponunt 2. Ecclesiam Lutheranam semper habuisse continuam successionem doctrinæ, & ante Lutherum Lutheranismum semper extitisse, licèt non sub hoc nomine, bene tamen sub nomine Ecclesiæ Christianæ, Apostolicæ, Catholicæ. R. 1. Hæc responsio imprimis est contra propriam Lutheri, & Lutheranorum confessionem n. 6. allatam. 2. Hæc dici possunt pariter & eodem jure à Calvinistis, Zwinglianis, & hæreticis omnibus. 3. Sub his nominibus *Ecclesiæ Christianæ, Catholicæ* &c. immediatè ante Lutherum non alia intelligebatur Religio nisi Romano-Catholica, quæ defacto ijsdem nominibus gaudet, & jure possessorio eadem sibi usurpat. Vel nominent aliam, cui hæc nomina fuerint ante Lutherum tributa, præter Romanam.

Dicent 1. In hac ipsa Romano-Catholica Ecclesia, seu in Papatu fuit Ecclesia Lutherana ante Lutherum, sed occulta, invisibilis, nempe in cordibus illorum, qui Scripturam, Symbolum Apostolorum, Decalogum, & orationem Dominicam retinebant, & omnem in Christo fiduciam reponebant, erroribus Papisticis non infecti, & ideo, quamvis essent in Papatu, non tamen erant de Papatu. R. 1. Id ipsum potest dici ab omnibus hæreticis, scilicet suæ sectæ addictos latitâsse in Papatu. 2. Ecclesiam occultam statuere est quærere latebras, & fingere Ecclesiam Chymæricam; cùm Ecclesia invisibilis repugnet juxta superiùs dicta. 3. Quomodo tam audacter asserunt, fuisse aliquos in Papatu, Lutheranæ doctrinæ consentientes, cùm isti à nullo, etiam qui illis temporibus vixit, cognosci potuerint? Quomodo innotuerunt Lutheranis? 4. Qui fuerunt in externa communione fidei cum Ecclesia Romana, ritè præsumuntur etiam fuisse in interna fidei communione quoad omnes articulos, nisi probetur contrarium; saltem præsumuntur omnes articulos credidisse implicitè, explicitè verò saltem illos, quorum explicita notitia est necessaria ad salutem. 5. Non sufficit ad conservationem Ecclesiæ conservari tantùm Scripturam, Symbolum Apostolorum, Decalogum &c. si in alios errores, & hæreses prolabatur; sicut rudera diruta domûs non faciunt domum.

Dicent 2. Non est de essentia Ecclesiæ, ut semper sit visibilis, splendida, & conspicua, ut semper habeat liberum exercitium Religionis & publicum, Verbique prædicationem publicam: ergo. R. 1. N. Ant. fides enim ex auditu est, & non obtinetur sine prædicatione, sine Doctoribus: sed prædicatio (uti & Sacramentorum administratio) juxta Lutheranos est de essen-

tia

tiæ Ecclesiæ, & proprietas illius inseparabilis; invisibiliter autem exerceri nequit. 2. Sit, quòd Ecclesia Lutherana ante Lutherum non habuerit Doctores, & Prædicantes publicos, exercitium liberum & publicum; cùm quæstio hic præcipuè tantùm sit, utrùm simpliciter habuerit aliquos, vel aliquem Doctorem & Prædicantem, prorsus eadem docentem, quæ nunc ab ipsis creduntur? Utrùm simpliciter aliquam Ecclesiam, aliquod moderno simile Religionis exercitium habuerint, sive id publicum, sive privatum fuerit? Si habuerint, nominent vel unicum Doctorem, nominent unicum locum, aut tempus, quo fuerit hæc Ecclesia, istud exercitium; non enim hic quæritur, qualis ante Lutherum fuerit Ecclesia Lutherana, an visibilis, illustris, an invisibilis, oppressa &c. sed an simpliciter fuerit, ubi fuerit, quos Doctores habuerit?

Dicent 3. Licèt nesciatur, ubi fuerit ante Lutherum Lutherana Ecclesia, quinam ejus Doctores &c. malè tamen indè infertur, eam & eos non exstitisse; cùm à negatione nostræ cognitionis malè inferatur negatio rei, eò quòd multa dentur, licet à nobis ignorentur. R. 1. Hoc effugio iterum se tueri poterunt omnes hæretici. 2. Nostrum argumentum non est purè negativum, sed fundatur in hac ratione positiva: semper fuerunt accurati Historici, qui res memorabiles, cujusmodi utique est Religio integra, annotârunt scripto pro Posterorum eruditione: cùm igitur de doctrina & Ecclesia Lutherana ante Lutherum sub nullo nomine ac titulo mentionem fecerint, prudentissimè infertur, eam non exstitisse. 3. Lutheranis, utpote asserentibus, suam Ecclesiam sub alio nomine ante Lutherum exstitisse, & in Papatu fuisse, incumbit onus probandi: & quamdiu non sufficienter probaverint, & congruos testes adduxerint, tamdiu rectè à nobis negatur, nobisque patrocinatur argumentum negativum: qui enim aliquid affirmat, ille probare debet positivè; non ille, qui negat.

Dicent 4. Doctrina Lutheranæ Ecclesiæ semper viguit sub Papatu 1. in infantibus baptizatis. 2. in rudibus & simplicibus. 3. in morientibus, qui erroses suos in agone agnoverunt, suaque merita nihil valere coram Deo videntes omnem spem salutis collocârunt in meritis Christi. Quo modo mortuus est Carolus V. Imperator, & D. Bernardus. R. 1. Cuilibet prudenti ex hac Adversariorum responsione, prorsus infantili, simplici, & ridicula, satis innotescere, in quas angustias redacti sint miseri, dum infantes, qui nec rationis, nec linguæ usum habent, simplices, qui vix sciunt, quid credant, certè non aliud credunt, quàm quod audiunt à suis Pastoribus, imò & ratione carentes pro testibus suæ fidei adducunt, æquales, vel etiam ineptiores quoad hoc Judæis, qui dormientes testes adhibere conati sunt ad negandam Resurrectionem Christi. R. 2. Hos testes eodem jure adhiberi posse pro se à Calvinistis, à Zwinglianis, ac omnibus hæreticis. R. 3. Infantes hos, utpote à Catholicis parentibus natos, Catholico ritu baptizatos, majori j. c.

adjudicari Ecclesiæ Romano-Catholicæ. Quòd aliqui in agone fiduciam suam posuerint, & quidem unicè in meritis Christi, suis meritis diffidentes, rectè fecerunt, & minimè contra doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, quæ quamvis doceat, hominem justum per opera sua bona mereri augmentum gloriæ, docet tamen simul, hominem ex peccatore fieri justum gratis ex meritis Christi, quamvis non sine cooperatione hominis libera: item docet, hominem nunquam certò scire, utrùm sit verè justus coram Deo, consequenter utrùm habeat vera merita. Unde partim propter incertitudinem, utrùm habeamus vera merita, partim ex humilitate, spem nostram rectè in solis Christi meritis collocamus. Neque, qui ita moriuntur, moriuntur Lutheranicè, ut falsò, sine fronte, ac impiè cum omnium bonorum justa indignatione affingunt sanctissimo & Catholicissimo Bernardo, ac Augustissimo Imperatori Carolo V. non sine gravissima injuria Serenissimæ Domûs Austriacæ. An hoc est Lutheranicè mori, si quis distinctè confitearur sua peccata Sacerdoti, sub una specie suscipiat Evchariſtiam, priùs devotè adoratam, si quis exequias Catholico ritu sibi viventi adhuc peragi velit, & quàm plurima Missæ Sacrificia post obitum postulet, si inter viros Religiosos sibi assistentes, precibus juvantes &c. emoriatur (quæ omnia fecit Carolus V.) quamvis fiduciam ponat in meritis Christi? Certè nemo sanus id dixerit. Sicut enim ad hoc, ut aliquis dicatur Catholicè mortuus, requiritur, ut in fide omnium articulorum, quos tenet Ecclesia Romana, vitam finiat; ita ad hoc, ut quis Lutheranicè dicatur mortuus, necesse est, ut profiteatur fidem Lutheranam, omnésque ejus articulos teneat usque ad finem. Und R. 4. Edicant Lutherani, quinam & ubi fuerint isti simplices, isti Lutheranicè morientes? Memoratis duobus facta est summa injuria.

Dicent 5. Semper fuerunt aliqui, qui se opponerent Papæ, & fundamentales articulos Lutheranissimi tenerent, uti Ecclesia Græca, Waldenses, Hussitæ &c. ergo semper fuerunt aliqui Lutherani. R. 1. Hæc responsio causam Lutheranorum penitus jugulat, dum apertè schismaticos & hæreticos pro suæ fidei socijs adducunt. R. 2. N. Conſ. Quamvis enim semper Ecclesia & Papa habuerit rebelles filios, propterea tamen nec illa desiit esse Sponsa Christi, nec iste Caput fidelium; sicut Rex non desinit esse Caput Regni, licèt quidam rebelles se illi opponant. R. 3. N. alterum membrum Antec. quippe nequaquam fundamentales Lutheranissimi articulos tenuerunt ij, qui se opposuerunt Papæ; de Ecclesia Græca, quàm dissideat ab eo in maximi momenti rebus, ostendimus *in Examine Polemico Augustanæ Confessionis art. VI.* De Waldensibus, Hussitis. &c. passim ostendunt Auctores, qui horum hæreticorum errores recitant, præsertim Tannerus Anat. p. 2. demonst. 6. §. 5. Deinde statim redit quæstio, ubinam fuerit Ecclesia Lutherana ante Waldenses; Hussitas, Ecclesiam Græcam? R. 4. & quæro, quare hos sibi alumnos at-

attribuant potiùs Lutherani, quàm Calviniſtæ? quo jure majori? R. 5. Quæſtio non eſt, an aliqui fuerint ante Lutherum, & quinam, qui *quædam* Lutheranorum dogmata tenuerunt, ſed an, & quinam *omnia* tenuerint, ſive ea vocaveris fundamentalia, ſive accidentalia; quam quidem diviſionem rejecimus in materia de *Indifferentiſmo*. R. 6. Peſſimam eſſe argumentationem, quam Lutherani hìc, & in libro, cui titulus eſt *Catalogus teſtium Veritatis* (falſitatis potiùs) adhibent, procedentes à particulari ad univerſale v. g. hoc modo: Eccleſia Græca negat Primatum Romano Pontifici: hoc facit etiam Lutherana: ergo Eccleſia Græca eſt Lutherana. Item: S. Juſtinus Martyr S. Scripturam ſummè æſtimabat: hoc faciunt etiam Lutherani: ergo S. Juſtinus fuit Lutheranus. Quis non videt ſophiſma? An non etiam pari jure ſic licet arguere: Mahumetes agnovit unum Deum: hoc faciunt etiam Lutherani: ergo Mahumetes fuit Lutheranus? Item hoc modo: bos habet os: Lutherus habuit os: ergo Lutherus fuit bos.

9. Cæterùm ſi Lutherani velint ſibi vendicare omnes, qui Romano Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ ſe oppoſuerunt, omnino eorum fides erit valde vetuſta, & aliquod totum ſucceſſivum perantiquum; cœpit enim jam tempore Apoſtolorum, & duravit per omnia ſæcula, dum varij hæretici, uti Simon Magus, Nicolaitæ, Ariani, Pelagiani &c. ſucceſſivè cœperunt ſe opponere Eccleſiæ Romanæ, ac ab ea diſcedere. Imò Catholici Doctores eruditè oſtendunt, quòd Lutherana ſecta ſit combinata ex varijs jam olim damnatis hæreſiarcharum erroribus, uti P. Georg. Scherer in ſeinem Lutheriſchen Bettler-Mantel / P. Marquardus Leo in demonſt. Cathol. & noviſſimè in patenti folio ſuccinctè P. Caſparus Mändl, Collega meus Colendiſſimus, qui propoſuit hunc Syllogiſmum. *Fides, quæ credit hæreſes, ab Univerſali ſancta Eccleſia primorum 4. ſæculorum damnatas, eſt falſa fides: Lutherana eſt talis fides, quæ &c. ergo eſt falſa fides.* Mirum eſt, quos ſcrupulos habuerint Lutherani Præcones, & Magiſtri circa *Majorem* hujus Syllogiſmi, quæ tamen eſt optima, & evidentiſſima. Aliqui, quod planè riſum movet omnibus Logicæ peritis, putabant, eam eſſe identicam, petitionem principij &c. uti M. Lomer & Horalle-ctor: alij aliùm quærebant in ſcirpo nodum. An quia *Minorem* judicabant innegabilem? Atque ſic Eccleſia Lutherana eſſet quidem pervetuſta, & à temporibus Apoſtolorum ſecundùm aliquam ſui partem exiſtens, non tamen eſſet *Apoſtolica*, cùm fuiſſet ſine Apoſtolorum doctrina, ſed hæreticis conſona.

An Eccleſia Romana habeat legitimam Antiquitatem, & continuam durationem doctrinæ?

10. R. omnino. Probatur 1. negativè. Non poſſunt Adverſarij ſolido argumento evincere, quòd Eccleſia Romana, quam omnes fatentur olim fuiſſe veram, & Apoſtolicam, ab Apoſtolica

& Christi doctrina defecerit in ullo articulo fidei : ergo est in possessione suæ antiquitatis, nec ex ea dejici potest, nisi luculentè proberur defectio : quod Adversarij nunquam præstiterunt, nec præstabunt deinceps, nisi ad Græcas Calendas.

Confirmatur. Si in Ecclesia Romana (aliquando juxta omnes vera) fuisset facta aliqua mutatio Religionis, & doctrinæ Apostolicæ circa articulum fidei, debuisset aliquod fidei dogma, quod Christus, vel Apostoli docuerunt, fuisse abolitum; vel novum, Apostolicæ doctrinæ contrarium, aut aliunde erroneum, fuisse introductum : sed neutrum probari potest ; deberet enim ostendi 1. dogma ipsum. 2. Auctor illius novus. 3. tempus, quo. 4. locus, ubi cœperit ejusmodi falsum dogma. Hæc enim quatuor in omni mutatione insigni ostendi possunt, & debent, uti nos facillimè demonstramus de hæreticis, ac Novatoribus, qui à nobis discedentes nova dogmata disseminârunt, vel antiqua abolere studuerunt : sic scimus dogma illud blasphemum (filium esse minorem Patre) ortum esse Auctore Ario, sacerdote Alexandrino circa annum Christi 324. sic scimus dogma illud pestilens (hominem sola fide justificari) introduci, Purgatorium verò aboleri cœptum à Luthero Monacho in Saxonia anno Christi 1517. &c. Atqui nihil horum unquam probare potuerunt Adversarij de Ecclesia Romana.

Probatur 2. positivè. Romana Ecclesia saltem olim, & aliquando fuit vera Christi Ecclesia, & Apostolica (quod quidem omnes Protestantes fatentur communi calculo, quamvis discrepent de tempore defectionis ; dum alij determinant sæculum III. alij IV. alij V. alij VI. alij, uti Centuriatores, nullum determinant tempus, sed dicunt, hanc defectionem paulatim, & insensibiliter contigisse, post VI. tamen sæculum de ea apertè constitisse, dum scilicet Papa titulum Universalis Episcopi sibi usurpavit, & sic Antichristum se ostendit : ex qua ipsa accusantium discordia patet, quam innocens Susanna sit Ecclesia Romana) Romana Ecclesia, inquam, saltem aliquando fuit vera : ergo semper permansit, & adhuc permanet esse vera : cùm vera Christi Ecclesia debeat esse perpetua, & semper infallibilis, ut suprà demonstratum est, & portæ inferi contra eam, utpote ædificatam super petram, prævalere nequeant. Adeóque doctrinam Apostolicam continuò retinuit, & sic est antiquissima cum successione doctrinæ perpetua.

Probatur 3. Tempore Lutheri non alia in mundo erat Religio, saltem alicujus nominis, quàm Paganismus, Judaismus, Mahumetanismus, Ecclesia Græca, Secta Hussitarum, & Ecclesia Romana. Jam de primis tribus nulla esse potest controversia, quia nec sunt Religiones Christianæ ; ex tribus autem posterioribus manifestè nulla fuit Apostolica, quàm Romana ; ab hac enim post 1000. & amplius annos pleno schismate se separavit Græcia, & Huss primùm post 1300. annos suas hæreses sparsit. Ergo vel nulla tunc fuit Ecclesia Apostolica, legitimam ætatem

hæ

habens, & vera; vel illa fuit evidenter Romana: illud prius nec Adversarij admittunt: ergo.

11. Probatur 4 Specialiter ex Idiotismis Germanis, quòd Ecclesia Romana tamdiu viguerit in nostra Germania, quamdiu hæc agnoscit Christum, atque per totum tempus, ex quo semel in eam introducta est fides, & Ecclesia Christi. Ex quibus evidenter sequitur, non tantùm antiquiorem esse Ecclesiam Romanam, quàm sit Lutherana, sed etiam admittere oportere unum ex his duobus, nempe vel Ecclesiam Romanam fuisse adhuc veram & Apostolicam, quando Germania nostra fuit conversa ad fidem Christi, & consequenter etiam hodie: vel in Germania nunquam fuisse veram fidem Christi, omnesque Majores nostros cum viris sanctissimis, qui fidem Christi in Germaniam induxerunt, & ideo ejus Apostoli rectè appellantur, fuisse idololatras, hæreticos, infideles, damnatos &c. ac inter hos *S. Crescentem*, qui fuit discipulus S. Pauli, & primus Episcopus Moguntiæ, *S. Beatum*, qui jam à D. Petro dicitur fuisse constitutus Episcopus Constantiensis, *S. Maternum*, *S. Eucharium*, quorum prior Coloniensis, alter Trevirensis Episcopus à D. Petro missus est, *S. Lucium*, qui sæculo II. Evangelium prædicavit in Rhætia. *S. Kilianum*, qui Franconiam, *S. Rupertum*, qui Bavariam, *S. Bonifacium* qui alias Provincias Germaniæ fidem Christi edocuit sæculo VII. *S. Pirminium*, qui Alsatas & Suevos, *S. Ludgerum*, qui Saxones inferiores convertit sæculo VIII. *Carolum Magnum*, quo adnitente Saxones ex integro fidem Christi receperunt sæculo IX. & alios viros Apostolicos, qui fidem Christi in Germaniam vel introduxerunt, vel amplificârunt, vel etiam proprio sanguine rigârunt. Hos autem omnes, qui fidem Ecclesiæ Romanæ docuerunt nostros Majores, & Progenitores, fuisse meros Impostores, idololatras, hæreticos, infideles, damnatos &c. & veram Christi Ecclesiam in Germania nunquam fuisse, nullus vel exaudacissimis Protestantibus concedit, & cuilibet, cui sana adhuc ratio & aliqua pietas est, per se incredibile videtur. Jam verò quòd tempore Lutheri fuerit, & hodiedum illa ipsa fides Ecclesiæ Romanæ, quæ olim in Germaniam introducta est, in Germania fideli, seu Catholica persistat, demonstratur argumentis ex compito & trivio, ut loquitur Tertullianus in simili negotio, hoc est, ex vulgi, etiam hæretici, modis loquendi, & antiquissimos certorum vocabulorum usu, quibus dudum, ut patet ex priscis libris, & Fundationum piarum litteris, ac traditione, certa mysteria, & fidei dogmata, cum Sectarijs nostri temporis modò controversa, exprimi consueverunt. Ea autem, quæ ferè omnia desumpsi ex P. Gretseri libro, quem vocat *Murices Catholicæ & Germanicæ Antiquitatis*, ante 100. annos edito, reducam ad 4. Classes. In 1. afferam ea, quæ ad Evchariſtiam. in 2. quæ ad reliqua Sacramenta. in 3. quæ ad Ministros Ecclesiæ, & statum Religiosum. in 4. quæ ad Ecclesiam, templa, ac ceremonias spectant.

L

I. Circa *Eucharistiam* jam pridem ante Lutheranismum in usu erant, & adhuc sunt sequentia vocabula Germanica. 1. Consecratio vocabatur, ut hodie adhuc, die **Wandlung** / quæ vox significantissimè exprimit *Transsubstantiationem*. 2. Ipsum Eucharistiæ Sacramentum more antiquissimo vocatur **unsers HErꝛn Fronleichnamb** / hoc est, *verum & sanctum Corpus Domini nostri*; quippe tò **Fron** apud antiquos Germanos idem significabat ac *sanctum*, vel *verum*, Et hinc alij vocabant hoc Sacramentum **Wahrleichnam**. Idem **Fron** accipiebatur subinde pro *præcipuum*, *primarium*, sic Altare summum appellabatur **Fron-Altar** / & atrium illud, quod est circa templum primarium, **Fron-Hoff**. 3. Missam à Latino vocant Germani **Mess** / de qua exstant hi rhythmi antiquissimi in parænesibus Tyrolis: **Wenne der Priester Messe thut / du GOttes Gnade kumbt balsmen gelich / und wird das Brod Fleisch und Blut.** Quia verò in Ecclesiarum dedicationibus occasione Missæ solennioris ingens hominum multitudo confluebat, & sic distrahendis & permutandis rebus se offerebat opportunitas, advolârunt etiam mercatores, ac nundinas, & mercatus celebriores instituerunt, quibus postea sacrum nomen adhæsit, & appellari consueverunt **Mess**: uti **Franckfurter-Mess / Leiptziger-Mess** &c. Præterea Germani Missam sæpius vocant, & jam olim vocârunt **Mess-Opffer** / &, qui celebrat Missam, dicitur **opfferen** à verbo Latino *offero*; ergo evidens est, antiquos Germanos habuisse Missam, eámque pro vero Sacrificio agnovisse.

II. Circa *reliqua Sacramenta* notatu digna sunt ista. 1. Antiqui Germani, quando jurabant per Sacramenta, non per duo vel tria, sed per *septem* Sacramenta jurare solebant, ut notat Gretserus in Muric. 2. Sacramentum Confirmationis à Latino *confirmare*, *confirmatio* vocant **Firmen / Firmung** / item Crisma, seu Latina, seu Græca hæc vox sit, **den Crisam**. Quò facit illud commune dictum de homine nauci: **Es ist Crisam und Tauffan ihm verlohren** / hoc est, Sacramentum Confirmationis, & Baptismi. 3. Sacramentum Ordinis apud Germanos nemo aliter nominat, quàm **die Priesterweyhe** / aut absolutè **die Weyhe** / quæ vox Germanis antiquis significabat *Sacrum*, *Consecrationem*, *Sanctificationem*. Majores nostri, inquit I. de festis Hospinianus Calvinista, **weyhen** *sacrare* dicebant. Sic in oratione Dominica antiquis rhythmis composita ita exprimuntur verba, *sanctificetur nomen tuum*: **Weyhe sey namo theiner.** Huc pertinent ista: **Kyrch / Weyhe** / dedicatio, seu consecratio templi, **Weyhrauch** / thus Divino cultui consecratum, **Wasser weyhen / Saltz weyhen** / consecrare aquam, salem, **die Weyhnacht** / sancta nox, nox benedictionis.

III. Circa Ministros Ecclesiæ, & statum Religiosum notandum est 1. Quòd antiquissima vox **Priester**, originem habens à Græco Presbyter, Religionem Romano-Catholicam indicet, non Lutheranam, apud quam nullus est *Sacerdos*, quia nullum Sacrificium: sunt itaque

Lutherani

Lutherani *sine Rege* (scilicet Pastore, & Judice supremo, ac Universali) *sine Lege* (cùm suam libertatem Christianam nolint arctari præceptis) *sine Sacrificio* (nimirum sine Missa) consequenter *sine Altari*, *sine Sacerdote* &c. ut nunc maledicti Judæi. 2. Quòd nunquam in antiquis Germanorum libris reperiatur vox ein Priesterin / quod indicat, Sacerdotes semper fuisse cælibes. 3. Quòd Sacerdos à Germanis etiam vocari consueverit Pfaff / à Latino Papa, tenuibus mutatis in aspiratas more Germanis usitato: qua voce nihil aliud significatur, quàm *Pater*, Vatter. Hinc licèt Lutherani has voces Pfaff / Mess Pfaff proferant animo injuriam inferendi Catholicis Sacerdotibus, tamen re ipsa injuriosæ non sunt, & apertè indicant, quàm antiqui apud Germanos sint Catholici Sacerdotes, & quàm novelli sint Prædicantes; quis enim unquam legit in antiquis monumentis Wort-Diener / Diener am Wort &c. quibus nominibus suos Præcones appellant Lutherani? Ab eodem *Papæ* vocabulo derivatur à Germanis quoque nomen Papst / quo summum Pontificem designant, & rectè quidem, quia is per antonomasiam est Papa, Pater, Vatter. Ab hoc Patre, Christi Vicario, D. Petri Successore longè glorioſius est Catholicis vocari Papisten / Päpstisch / quàm Sectarijs appellari Lutherisch / Calvinisch &c. ab excucullato Lutheto, & infami Calvino &c. quia illud antiquitatem, istud novitatem indicat. 4. Quòd Sacerdotes præcipui, & Antistites vocentur à Germanis Bischöff / quæ vox à Græco ἐπίσκοπος derivatur per aphæresin primæ litteræ, & per apocopen ultimæ, ac mutata tenui in aspiratam. Quis unquam hos Antistites apud Antiquos appellari legit Superintendenten? 5. Quòd Monasteria, & Claustra Religiosa prorsus antiqua sint, indicant hæc & similia nomina, Closter à Latino *Clostrum* seu *Claustrum*, Münster à *Monasterio*, München urbs, dicta à Monacho, quem habet in suis insignibus, Münchs-Münster / Pfaffen-Münster / Münsterling / Monasteriolum, Appenzell / quasi *Abbatis cella*. Quis unquam legit de aliquo loco, à Prædicantibus appellato, v. g. Prædicanten-Hofen / Prædicanten-Münster / Prædicanten-Zell / sicut Pfaffen-Münster / Pfaffen-Hofen &c.? 6. Quòd in quibusdam templis Religiosorum, quæ Sectarijs cesserunt in prædam, adhuc nomen Catholicum retineatur v. g. bey den Barfüsseren / bey den Predigeren &c. quod evidens signum est, hujusmodi domicilia non pro his inquilinis, sed pro Religiosis exstructa esse.

IV. Circa *Ecclesiam*, *templa*, *& ceremonias* notandum est 1. ipsum nomen Catholisch à Græco καθολικὴ deductum, hinc enim colligitur, quòd Germani fidem suam semper crediderint esse Catholicam, Allgemein / consequenter veram, ac illam, quam Christus per totum orbem prædicari voluit. 2. Templum à Germanis semper appellatum fuisse Kirch à Græco κυριακὸν, latinè *Dominicum*; unde Germanis primaria templa vocantur Dom, vel

Thum-Kirchen. Hæc autem templa fuisse Deo specialiter consecrata, ac dedicata, indicat vox Kirch-Weyh / *dedicatio templi*, quam quidem Lutherani etiam celebrant, sed in cullna tantùm & popina. 3. Ipsos Sectarios (si velint intelligi) cogi certa templa imò & oppida à certis Sanctis, etiam Religiosis, Sacerdotibus, Abbatibus, Episcopis &c. indigetare, quos tamen coli, & invocari prohibent, v. g. bey Unser Lieben Frauen / bey St. Ulrich / bey St. Niclas / bey St. Gallen / bey St. Blasi / bey St. Catharina / bey St. Anna / bey St. Veit ꝛc. Quibus nuncupationibus indicatur, ab antiquis Germanis Sanctos fuisse veneratione, & invocatione cultos; ut enim eorum impetrarent patrocinia, ejusmodi loca ac templa ipsis dedicata sunt. 4. De mortuis loquentes consuêsse dicere: Helff ihm GOtt / tröst ihn GOtt / GOtt sey ihm gnädig ꝛc. quibus bene precandi formulis indicatur, Germanos jam olim credidisse Purgatorium, cùm existentes in cælo non indigeant ejusmodi precibus, existentes autem in inferno nihil indè juventur. 5. Mendicos dicere solitos: Vergelts GOtt / *Deus compenset, remuneret*: sed cur optarent *mercedem*, si nulla hominis apud Deum essent merita? Hoc est, opera mercede apud Deum digna? 6. Varios anni dies à certis ceremonijs appellari etiam à Sectarijs debere (si velint intelligi) v. g. der Aschen-Mittwoch à cineribus benedictis super capita spargi solitis, die Faßnacht / hoc est, Fastnacht à jejunio Quadragesimali, der Palmtag à benedictione & gestatione Palmarum, die Creutz-Wochen à crucibus præferri solitis in supplicationibus, quæ in illa hebdomade instituuntur; unde ire ad supplicationes, seu Processiones vocant mit dem Creutz gehen / Liechtmess / quasi *Missa luminum* à cereis, quæ in festo Purificationis benedicuntur, & accenduntur &c. 7. Germanos *benedictionem*, & *benedicere* expressisse per vocem Segen / segnen / à latino *signo*, scilicet *i* mutato in *e* Suevorum more, quasi esset *segno*. Unde dum dicunt, segne dich / idem est, ac zeichne dich mit dem Zeichen deß H. Creutzes; nam signo S. Crucis fieri solent benedictiones. En! quàm antiquus apud Germanos S. Crucis, & Benedictionum sit usus. Atque hæc & similia vocabula, ac loquendi formulæ, jam cum ipsa fide Christiana in Germaniam introductæ, continuo in usu esse perrexerunt (vel edissere aliam & recentiorem earum originem) ac simul manifestè indicant, fidem Romanæ Ecclesiæ, non Lutheranæ, apud nostros Majores fuisse. Ut adeò vel Germania nunquam habuerit veram Christi fidem, quod admittere durum, & stultum est; vel Ecclesia Romana habuerit, & adhuc habeat veram, & antiquæ fidei doctrinam.

Ob. 1. Neque Catholici possunt ostendere, ea omnia à fidelibus fuisse credita ante 1200. 1300. 1400. annos, quæ creduntur ab ipsis: ergo nec ipsi habent continam successionem in doctrina Apostolica. 2. Quamvis nominari nequeat auctor, tempus &c. novi dogmatis, tamen potuit succes- 12.

sivè

vè irrepere error, & dormientibus pastoribus ab inimico superseminari zizania: ergo. R. ad 1. Catholici tamdiu persistunt in possessione pacifica, & quieta præscriptione fidei antiquæ, quamdiu ab adversarijs non fuerit manifestè ostensa defectio, error, & apostasia. Ad 2. Licèt errores successivè irrepsissent in Ecclesiam Romanam, deberet tamen nominari posse iste error, falsum dogma, imò auctor & tempus, cùm errores totius Ecclesiæ circa res fidei non possint latenter, & nemine advertente, propter gravitatem rei introduci. Sic licèt Lutherus successivè suos errores, & falsa dogmata sparserit, incipiendo ab Indulgentijs &c. tamen sciuntur errores, auctor, tempus, & locus.

23. Ob. 2. Ecclesia Romana moderna in multis adversatur doctrinæ Apostolicæ v. g. in Transsubstantiatione, Missa, Cœna Domini, Purgatorio, Invocatione Sanctorum &c. ergo non ampliùs habet doctrinam antiquam. 2. Pontifices, & Concilia invexerunt multas novitates, de quibus nihil sciebant Veteres: ergo. R. 1. generatim, quòd multa quidem successu temporis ab Ecclesia Romana fuerint explicitè definita, ac pro articulis fidei declarata quæ priùs tantùm credebantur implicitè, utpote in Scripturis, & Traditionibus non clarè expressa; nunquam tamen aliquid definitum est contra Scripturam, Traditionem, & doctrinam Apostolicam; illud priùs non tollit identitatem fidei, cùm eosdem articulos semper crediderint fideles, licèt non semper omnes explicitè, utpote nondum explicitè revelatos; antiqui tamen semper debebant esse parati credere omne id, quod explicitè fuerit ab Ecclesia aliquando definitum. Deinde potest fieri mutatio circa ritus & ceremonias, item circa leges pro varietate circumstantiarum sine detrimento fidei. Demum multa finguntur ab hæreticis, & sparguntur falsa v. g. quòd iste vel ille Pontifex instituerit Confessionis Sacramentum, Sacrificium Missæ, Purgatorium &c. cùm tamen solùm aliquam circumstantiam, aut ritum extrinsecum addiderint, vel Mysterium magis declaraverint &c. Unde R. 2. speciatim ad 1. N. A. vel Dist. juxta explicationem paulò antè datam. Ad 2. D. A. invexerunt novitates in dogmatis N. A. in ritibus C. Ant. Vel invexerunt novitates, declarando & explicitè definiendo ea, quæ priùs tantùm implicitè continebantur in Verbo Dei scripto, vel tradito C. Ant. contraria dogmata statuendo, vel priora abolendo N. A. & C. Plura adducere hujus loci non est, sed spectat ad particulares particularium materiarum tractatus.

SYLLOGISMUS II.

Vera Christi Ecclesia debet habere continuam successionem Episcoporum, præsertim in Cathedra suprema Petri.

Sed Lutherana non habet continuam successionem Episcoporum, præsertim in Cathedra suprema Petri.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Major probatur

¶4. 1. Ex Scriptura S. ex qua constat, quòd Christus suæ Ecclesiæ constituerit Pastores, & Doctores, præsertim unum supremum D. Petrum, Jo. 21. cui specialiter commisit omnes omnino oves suas, dicendo: *Pasce oves meas*: per Pastores autem, & Doctores intelliguntur Apostoli, & eorum Successores Episcopi juxta illud supremi Pastoris monitum ad sibi subordinatos Pastores: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè &c. neque ut dominantes in Cleris.* 1. Petri 5. v. 2. Et juxta illud Pauli: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. v. 28. Hujusmodi Episcopos autem, & Pastores Christus Dominus Ecclesiæ suæ non dedit ad breve duntaxat tempus, sed usque ad supremi judicij diem, ut testatur idem Paulus: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij in ædificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum* &c. Eph. 3. v. 11. seqq.

2. Ex Patribus, qui frequenter hac Episcoporum successione tanquam argumento evidenti usi sunt ad ostendendam veram Ecclesiam contra hæreticos. Sic Irenæus l. 3. c. 3. contra Valentinum enumerat Episcopos Romanos à Petro usque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, ac dicit, *per hanc successionem confundi omnes hæreticos.* Tertullianus de præscript. adv. hæres. c. 32. Sic insultat hæreticis: *edant origines suarum Ecclesiarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit Auctorem, & Antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum edit.* Hieron. in dial. contra Luciferianos ait: Ecclesiæ

cleſia non eſt, quæ non habet Sacerdotes; conſequenter quæ non habet Epiſcopos, à quibus ordinari debent Sacerdotes: ipſi autem Epiſcopi debent ordinari ab alijs Epiſcopis, & ſic retro, uſque dum veniatur ad Apoſtolos, qui poteſtatem ordinandi alios acceperunt immediatè à Chriſto vel à Petro; dicit enim immediatè antè de Hilario Diac. hæretico: *Neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & Presbyteros non habens. Cum homine pariter interijt & ſecta, quia poſt ſe nullum Clericum Diaconus potuit ordinare.* Optatus Milev. l. 2. contra Parmen. *Veſtræ Cathedræ originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.* Taceo alios Patres magno numero citari ſolitos. Non minùs enim propter ſucceſſionem Epiſcoporum, quàm propter ſucceſſionem doctrinæ Eccleſia vocatur à Patribus *Apoſtolica*. Vide Tannerum Anat. Demonſt. 4. §. 2.

3. Ex Ratione 1. Quia Eccleſiæ regimen ſemper debet eſſe tale, quale fuit initiò à Chriſto conſtitutum: à Chriſto autem conſtitutum eſt tale, ut eſſet unum Caput & Epiſcopus ſupremus, nempe Petrus, cæteri autem Apoſtoli tanquam Epiſcopi ſubordinati: ergo ſemper debet eſſe unus ſupremus Epiſcopus, D. Petri in Cathedra Apoſtolica Succeſſor, ac alij Epiſcopi Particulares locorum, ac ſubordinati, quaſi Succeſſores reliquorum Apoſtolorum. 2. Quia Eccleſiæ ſemper neceſſarij ſunt Epiſcopi, qui habeant poteſtatem, ab Apoſtolis in ſe derivatam, paſcendi gregem Dei &c. cùm iſta poteſtas ſit ſupernaturalis, à nullo hominum conventu communicabilis alteri, cùm nullus cætus, multò minùs unus homo in individuo, eam habeat per ſe, nec acceperit ullus à Chriſto, niſi Apoſtoli: ergo accipi debet ab Epiſcopis, Apoſtolorum Succeſſoribus, & quidem ſine interruptione; ſi enim fieret interruptio, & ſucceſſio iſta ceſſaret, nemo ampliùs accipere poſſet legitimè hanc poteſtatem, cùm nemo eam haberet ampliùs, & dare poſſet. 3. Quia fideles ſunt oves Chriſti, &, ne errent, debent ſequi ſuos Paſtores: ergo ſemper debent dari Paſtores, & quidem, quia rectus ordo id exigit, aliqui Majores, aliqui Minores; aliàs enim eſſet mera confuſio. Majores autem ſunt Epiſcopi: hi autem non poſſunt ſe ipſos facere Epiſcopos: ergo debent fieri ab alijs, hi iterum ab alijs poteſtatem habentibus, donec deveniatur ad Apoſtolos per ſucceſſionem nunquam interruptam.

Ob. 1. Succeſſio perſonarum nulla eſt, ubi non eſt ſucceſſio doctrinæ Apoſtolicæ: ergo iſta ſucceſſio perſonarum, non eſt nota Eccleſiæ veræ. R. 1. Succeſſio perſonarum, ſcilicet Doctorum, & Epiſcoporum continua ab ipſis Apoſtolis eſt ſignum etiam ſucceſſionis doctrinæ Apoſtolicæ, & quidem valde æſtimabile, niſi evidenter demonſtretur defectio à doctrina Apoſtolica. R. 2. N. C. vel Diſt. non eſt nota affirmativa veræ Eccleſiæ, ſi accipiatur ſola, T. C. non eſt nota Negativa, ex qua rectè inferatur negativè. N. C. Rectè ſiquidem ſic infertur: ubi non eſt ſucceſſio continua perſonarum uſque ad Apoſtolos, ibi vera Chriſti Eccleſia non eſt, nec Apoſtolica: ſed apud Lutheranos &c. 15.

Ob. 2. Potest dari successio personarum, & Doctorum, etiam, in aliqua secta falsa: ergo hæc successio non est legitima nota veræ Ecclesiæ. R. T. A. N. C. vel Dist. ut suprà: se sola non est nota affirmativa, & proprietas quarto modo C. C. Negativa. N. C.

Minor est evidens.

16. 1. Ex hystorijs, ex quibus evidenter constat, Lutherum non fuisse Episcopum, & Pastores Lutheranorum non ulteriùs posse retrogredi, quàm usque ad Lutherum Patriarcham suum, qui tamen nec habuit, nec dare potuit potestatem *Ordinis* Episcopalis, utpote non Episcopus, adeóque non habens potestatem ordinandi alios, nec potestatem *jurisdictionis*, vi cujus posset administrare Sacramenta, prædicare publicè Verbum Divinum &c. utpote excommunicatus, & omni jurisdictione, quam priùs accepit à Catholicis Episcopis, per excommunicationem privatus. Ergo in Luthero fuit abrupta successio Episcoporum ab Apostolis derivata, adeó. que apud Lutheranos hæc successio non datur; ad hanc enim requiritur, ut aliquis fiat Episcopus, & potestatem ordinandi alios acquirat vel ab Apostolo, vel ab Apostoli successore, habente parem cum Apostolo potestatem. Quòd autem nullus possit validè ordinare alios, nisi sit Episcopus, patet manifestè ex perpetua praxi, ac sensu communi totius Ecclesiæ, etiam Primitivæ, & ex S. Scriptura, ritè intellecta, ac exposita ab Ecclesia, ut traditur in materia de Sacramento Ordinis.

2. Ex propria confessione adversariorum; quippe Gerardus in LL. Theol. tit. de Ecclesia c. 11. sect. 5. sæpius dicit, nihil curandam successionem personarum continuam ab Apostolis, sibi sufficere successionem doctrinæ &c. Id quod & alij repetunt. Quòd autem ipsis pariter desit successio doctrinæ Apostolicæ, constat tum ex Syllogismo præcedente, tum ex defectu successionis personalis. Rursus fateri coguntur Lutherani, fidei suæ Doctores, & Ecclesiæ suæ Pastores fuisse incognitos, totum ministerium Verbi fuisse corruptum: ergo fatentur se non posse probare suæ Ecclesiæ Pastores à Luthero usque ad Apostolos, imò ante Lutherum nullos fuisse veros Pastores; cùm Papa, à quo in cæteros Episcopos debeat profluere vocatio, potestas & Ordinis, & jurisdictionis, juxta ipsos fuerit Antichristus.

Ex quibus colligitur, in Ecclesia Lutherana nullum dari Sacerdotem, consequenter nec talem Ministrum, qui validè conficiat Sacramentum Evchariistiæ, pœnitentes validè absolvat à peccatis, & prædicet Verbum Dei legitimè. Probatur; quia ista potestas est spiritualis: ergo debet accipi, vel immediatè à Deo, vel ab ijs, qui acceperunt à Deo, uti Apostoli, eorúmque legitimi Successores non interrupti. Atqui Lutherani Ministri non accipiunt hanc potestatem immediatè à Deo; quomodo enim id probant? Neque ab Apostolis, eorúmque legitimis Successoribus, parem potestatem habentibus; accipiunt enim vel à Magistratu Civili, cui nunquam dictum est à Christo:

sto: *Pasce oves meas &c. quorum remiseritis peccata &c. Hoc facite in meam commemorationem &c. Ite in mundum universum, prædicate Evangelium &c.* Vel accipiunt à Ministerio Ecclesiastico: atqui istud non habet potestatem ordinandi & vocandi Ministros à se, neque ab Apostolis propter defectum continuæ successionis, vi cujus semper debuissent accipere alij ab alijs retrogrediendo usque ad Apostolos, quod factum non est; nam in Luthero ista successio fuit interrupta.

17. Ob. 1. Deus in regenda Ecclesia non semper utitur successione Præsulum ordinaria, sed subinde extraordinaria, sive non semper vocat Ministros mediatè, scilicet mediante homine, cui olim potestatem concesserat, sed subinde etiam immediatè per se. Sic in Veteri Testamento extraordinariè misit, & immediatè per se vocavit Prophetas, ut suæ Ecclesiæ collapsæ prospicerent. Pariter fecit in Novo Testamento, excitans Lutherum velut Eliam, aut Joannem Baptistam, ut restauraret Ecclesiam suam in gravissimos errores prolapsam. R. Omnino, Deus potest utique aliquem, vel aliquos viros egregios vocare modo extraordinario, & immediatè per se, & subinde solitus est, sed simul observat hæc duo. 1. Ejusmodi viros talibus signis, & suæ extraordinariæ Missionis characteribus instruit, nimirum vel dono miraculorum, vel extraordinariâ vitæ sanctimoniâ, vel utraque hac dote simul, ut nemo prudens dubitare possit, eos esse specialiter à Deo missos: nihil tale reperitur in Luthero, sed contraria omnia. 2. Non mittit, ut aliter doceant, quàm ij, qui sedent super Cathedram Moysis, vel Petri, nec, ut Ecclesiæ Universæ doctrinam mutent, sed ut eandem majori fructu prædicent, ac potissimùm, ut corrigant perversos mores, homines abducant à vitijs, & virtutes imprimant. In Prophetis Antiqui Testamenti fuit insuper hæc ratio mittendi, ut mundo prænuntiarent futurum Messiam, & alia, quæ spectant ad Regnum Christi, & ad Ecclesiam futuram Novi Testamenti. Cæterùm omnibus risum movent Lutherani, dum Lutherum, hominem sceleratissimum, & nulla Prophetici Spiritûs dote insignem, comparant cum Prophetis, cum Elia, Joanne Baptista &c. utpote vitâ & moribus dissimillimum.

18. Ob. 2. Etiamsi Ecclesia Lutherana non possit ostendere successionem Præsulum usque ad Apostolos, tamen potest esse ac dici Apostolica: ergo. Ant. prob. Ecclesia Christi jam tempore Apostolorum erat, & in Symbolo dicebatur *Apostolica*; licèt tunc nulla adhuc esset successio Præsulum: ergo. R. N. Ant. Ad probationem, quamvis initiò non habuerit successionem Præsulum formaliter, habuit tamen radicaliter, hoc est, jam tum exigebat Ecclesia Christi continuam per secutura tempora successionem Præsulum propter promissionem Christi sibi factam. Vel: successionem initiò habuit in actu 1. licèt non habuerit in actu 2. sicut in infantia datur discursus quoad actum 1. sive in radice & potentia, non quoad actum 2. Tempore Apostolorum nulla opus erat successione formali, & actuali.

actuali, cùm sine hac facilè constaret, quòd Pastores Ecclesiæ suam potestatem acceperint à Christo; nunc autem sine actuali successione ostendi non posset, quomodo suam potestatem derivâssent à Christo moderni Ecclesiæ Præsules.

An Ecclesia Romana habeat continuam successionem Episcoporum, præsertim in Cathedra Petri?

19. R. Affirmativè. Probatur de successione in Sede Pontificis Petri (si enim probatum fuerit de hac, eo ipso probatur de aliorum Præsulum legitima successione Apostolica; cùm Episcopi, & inferiores Pastores suam potestatem, ordinationem, & missionem derivent ab hac Sede Apostolica & Pontificia Petri) de hac, inquam, successione probatur 1. negativè; quia ab Adversarijs non potest ostendi ulla moralis interruptio successionis continuæ Pontificum Romanorum usque ad modernum Papam Clementem XI. ergo Romana Ecclesia manet in possessione legitimæ successionis.

Prabatur 2. positivè ex historijs tam profanis, quàm Ecclesiasticis, in quibus de sæculo ad sæculum accuratè referuntur Pontifices ordine sibi succedentes, eorúmque gesta & mores, incipiendo à D. Petro, ferè sicut Imperatorum Catalogus à Julio Cæsare usque ad modernum Augustissimum Carolum VI. accuratè contexitur ab Historiographis. Videatur Bellarminus, Baronius, Gaulterius & alij. Proinde nos Catholici irrefragabiliter possumus ostendere, quomodo omnes & singuli Sacerdotes, Episcopi, Archiepiscopi &c. sint legitimè vocati, & ordinati, potestate tam Ordinis, quàm Jurisdictionis Spiritualis prædíti; quippe Sacerdotes & Parochi eam accipiunt ab Episcopis consecrantibus, & hi ultimatò à summo Pontifice, qui nunc est Clemens XI. qui successit Innocentio XII. Ante hunc fuère Alexander VIII. Innocentius XI. Clemens X. Clemens IX. Alexander VII. Innocentius X. Urbanus VIII. Gregorius XV. Paulus V. Leo XI. Clemens VIII. & sic per singula sæcula ascendendo devenitur denique ad S. Petrum Apostolum, qui ab ipso Christo audijt: *Pasce oves meas.* Jo. 21. & sic constitutus est Pastor Universalis omnium Christi ovium, Caput Apostolorum, & Rector totius Ecclesiæ, cum omni potestate spirituali, quæ requiritur ad regendas oves rationales, easque perducendas ad beatitudinem supernaturalem, ac æternam.

Ob. 1. Successio Pontificum sæpius 20.
fuit interrupta 1. Per illicitam, & Simoniacam occupationem Sedis Romanæ. 2. Per Anti-paparum dissensionem tempore Schismatum, dum subinde duo vel tres simul erant Pontifices. 3. Per hæresim & apostasiam, in quam lapsi sunt quidam Pontifices: ergo. R. Negando, his casibus unquam *moraliter* fuisse interruptam successionem Pontificum (physica enim interruptio, per breve tempus vacante Sede, nihil obest, sicut Solij Imperatorij vacatio, quæ necessariò propter mortalitatem humanam sæpius debet contingere, nihil obest successioni Impe-

rato-

ratorum) quippe in primo casu, quo aliquis illegitimè intruditur, nec postea ab Ecclesia acceptatur (nam acceptatio Ecclesiæ subsequens esset nova, & valida electio, omnes defectus Juris humani supplens) censetur Sedes Romana ad tempus vacare. In altero casu vel unus est verus Papa, utpote à majore Ecclesiæ parte acceptatus, vel si nullus sit verus propter defectum sufficientis acceptationis, iterum censetur vacare Sedes: sicut Solium Romani Imperij Politici in ejusmodi casibus censetur vacare. Quanto autem tempore vacare possit, determinari ultimatè nec potest, nec debet, sicut fit in alijs rebus moraljbus innumeris. In tertio casu (quem tamen possibilem negant multi cum Bellarmino) si Papa ut homo privatus incideret in hæresim notoriam, desineret esse Papa, & sic vacare incideret Sedes. Vide theses nostras præteriti anni de Romano Pontifice art. 4.

Dices. Magnum illud schisma in Concilio Constantiensi terminatum, & circa annum Christi 1380. inchoatum, in quo tres se gerebant pro Romano Pontifice, duravit circiter 40. annis: ergo, si tempore schismatis censetur vacare Sedes, vacavit valde notabili tempore, consequenter fuit utique interruptio *moralis*. R. in hoc tristi schismate semper fuit unus & verus Pontifex, licèt non omnibus sufficienter cognitus; cæteri autem fuerunt putatitij tantùm, & Antipapæ, ac proinde non fuit interrupta successio moraliter; non enim est credibile, quòd Christus tanto tempore relinquat Ecclesiam, legitimo Capite destitutam. Adde, quòd in hoc diuturno schismate satis etiam emicuerint *veri* Pontifices, qui scilicet succedebant Urbano VI. Quamvis ex ejusmodi schismate ingens incommodum patiatur Ecclesia, nullum tamen patitur damnum irreparabile, quia Pontificum dubiorum acta cessante schismate vel infirmantur (cùm non sit obligatio sequendi Pontificem duntaxat *probabilem*) vel confirmantur à Papa futuro *certo & indubitato*, prout etiam factum est finito hoc schismate à Martino V.

Ob. 2. Successio Pontificum est valde dubia, quia statim de primo Successore Petri dubitatur, fueritne Clemens, an Linus: ergo. 2. Aliqui Pontifices fuerunt valde scelerati. 3. Ecclesia Romana non habuit successionem ceremoniarum earundem v. g. in Baptismo, in quo olim non adhibuerunt exorcismos, uti nunc: sic & alias olim ceremonias habuerunt in Missa &c. R. ad 1. N. A. ratio addita nihil probat, quia parùm refert, an inter D. Petrum & Clementem alius intercesserit Pontifex, modò semper unus successerit alteri; lis enim inter Auctores non est, an D. Petro successerit immediatè aliquis in supremo Regimine, sed utrùm immediatè successerit Clemens, vel ante Clementem successerit Linus, & Cletus; quod posterius est probabilius: sed quidquid dicatur, successio manfit integra: nec fuit interrupta. Ad 2. Sit, quòd pauciſſimi quidam, respectu tanti numeri, fuerint mali Pontifices, quorum tamen pessimus melior exstitit Luthero: qui huc ad rem? Nunquid & inter progenitores Ch sti 21. onu-

enumerantur homines scelerati? Propterea tamen linea stirpis Davidicæ non fuit interrupta. Mala vita Pontificis non debet præjudicare, & derogare ejus potestati, jurisdictioni, infallibilitati in fidei decretis; sicut valor Sacramentorum non est alligatus probitati Ministri; ne scilicet malè esset consultum fidelibus, & Ecclesiæ. Cæterùm si Lutherani adeò delectentur, ut apparet, sordibus Pontificum, quas semper habent in ore; necesse non est, ut Româ petant istum odorem: invenient domi suæ, quos carpant, flores non dissimiles, minore in evolvendis historijs studio. Adeant duntaxat Lutherum suum. Ad. 3. Quid successio ceremoniarum spectat ad successionem Episcoporum? Dein quomodo constat Adversarijs, olim etiam ab Apostolis non fuisse adhibitos exorcismos? Unde constat ipsis, quòd Apostoli in collatione Baptismi recitaverint orationem Dominicam, vel alias illas ceremonias adhibuerint, quas hodie adhibent Lutherani? Nunquid & ipsa Confessio Augustana fatetur satis art. 21. ritus & ceremonias posse esse varias, *neque Canones* (en! supponunt, ritus plerosque pendere à Jure Pontificio, quando scilicet Christus nihil determinavit) *esse tam duros, ut ubique eosdem esse ritus velint*?

Ob. 3. Etiam Imperatores Romani Ethnici olim, & nunc Turcici, non carent successione: ergo successio personarum nil juvat Ecclesiam Romanam, nec ea est propria veræ Ecclesiæ. R. N. C. non enim successio personarum qualiscunque reperitur in Ecclesia Romana, sed talis, quæ promissa est à Christo, volente suam Ecclesiam regi ab Episcopis, & uno Capite usque ad finem mundi, quæ conservata est mirabiliter inter tot hostium, & inferni machinationes. Et ista successio est propria veræ Ecclesiæ ita, ut, quæ illam non habet, vera non sit, illa autem vera sit, quæ habet eam, saltem sumptam cum alijs notis. Cæterùm comparatio circa successionem Præsulum fit non cum cætibus Paganorum & Gentilium, sed cum alijs Ecclesijs Christianis; lis enim est, qua ratione Ecclesia Christi vera discerni possit à sectis falsis, quæ etiam se dicunt Christianas. 22.

SYLLOGISMUS III.

Vera Christi Ecclesia non est, quæ malum habet Auctorem, & vitiosam originem.

Sed Lutherana habet malum Auctorem, & vitiosam originem.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Major

Major est indubitata.

23. 1. Ex Scriptura S. *Mala arbor malos fructus facit: non potest arbor mala bonos fructus facere.* Mat. 7. v. 17. 18. *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* v. 16. &c. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. 1. v. 4.

2. Ex lumine naturali. Quis enim ex fonte turbato hauriat puram aquam? Quis pretiosum liquorem infundat in vas sordidum? Quis prudens igitur credat, Deum Sanctissimum, Sapientissimum, docere voluisse homines sanctitatem & justitiam per hominem sceleratum? Quis credat, majori veritatis lumine collustrâsse hominem perfidum, ac vitijs deditum, quàm sanctissimos quosque viros? Divinæ ac cælestis Sapientiæ thesauros defodisse in fœtida cloaca? Ad erudiendam Sponsam suam dilectam, ad reformandam Ecclesiam (si tamen possibile foret eam aliquando labi in errores fidei, in hæreses, in idololatriam &c.) usum esse instrumento tali, quod simul est instrumentum diaboli ad DEUM offendendum? &c.

3. Ab exemplo omnium hæresum, quæ nunquam habuerunt bonos Auctores, sed semper sceleratos, ac turpem originem. Pessimus fuit Simon Magus, omnium ab Ecclesia apostatarum Coryphæus, obscœnissimus Nicolaitarum Auctor, primogenitus Sathanæ Marcion, ut eum appellavit S. Polycarpus, invidiâ tabescens Arius erga Episcopum Alexandrinum, quam Cathedram sibi destinaverat, cæteri plerique superbiâ tumidi, & repulsæ ab aliquo dignitatis gradu, quem ambiebant, impatientes. Nullus unquam exstitit Apostata ab Ecclesia Romana, Novator nullus, sectæ cujuscunque Auctor nullus, qui sanctimoniâ vitæ fuisset celebris, quem pietas & pura Divini cultûs intentio ad novitates impulisset, quem non varia, præsertim superbiæ ac luxuriæ, scelera infamem reddidissent, vel saltem gravissimè suspectum. Quis igitur prudens adhæreat alicui sectæ, cujus Auctorem constat fuisse malum, & vitiosam originem?

Minor probatur evidenter

1. Ex vita & libris Lutheri toti mun- 24.
do notissimis. Quippe evidentiâ historicâ constat, Lutherum 1. fuisse Auctorem, & Protoparentem Ecclesiæ Lutheranæ, à quo & nomen habet; cùm nemo ante Lutherum ita crediderit, ut postea Lutherus docuit. 2. Fuisse hominem perfidum Deo, rebellem suis legitimis Superioribus, votifragum, apostatam, violatorem Monialis Deo pariter obstrictæ per votum continentiæ perpetuæ, quacum sacrilegum attentavit inire Matrimonium, atque in hoc damnato apostasiæ, & irriti Matrimonij statu usque ad finem vitæ perstitit. 3. Fuisse blasphemum, quod ut probem, omissis alijs Lutheri dictis blasphemis quàm plurimis unicè adduco verba illius, quæ habet to. 2. Wittenb. gedruckt von Hanß Lufft 1548. p. 266. ubi ita scribit: Wer ist seines Hers

Hertzens mächtig? Wer kan dem Teuffel und Fleisch widerstreben? Ists doch nicht möglich/ daß wir uns der geringsten Sünd erwöhren möchten/ sintemahl die Schrifft sagt/ daß wir deß Teuffels gefangen seynd/ als unsers Fürsten und Gottes, daß wir thun müssen/ was er will/ und uns eingibt &c. Quæ verba, quia diabolum vocant Deum nostrum, & quidem ita *testante Scriptura*, hominique omnem libertatem in vitandis peccatis adimunt, adeò sunt horribilia, blasphema, & abominanda, ut etiam Lutheranos summopere offendant, Lutheri licèt scurrilitatibus jam assuetos. Unde nuper nonnemo (à se dictus *Horallector*) thrasonicè negavit, hæc verba in Lutheri libris reperiri, & ut alijs quoque persuaderet, centum aureos appromisit se procuraturum R. P. Casparo Mändl, si hæc verba in libris Lutheri ostenderit. Legat Horallector citatum tomum & pag. ac inveniet (indè enim ego exscripsi) atque aurei sui promissi, si quidem vir sit alicujus fidei, non oblivisc atur. 4. Fuisse tam scurrilem in verbis & scriptis, adeò maledicum, ut parem Scriptorem vel nullum, vel non nisi summè protervos, reperire sit. 5. Tradidisse doctrinas prorsus scandalosas, ad peccata trahentes, à bonis operibus avocantes. v. g. has: *Caveamus à peccatis, sed maximè à legibus & operibus bonis, solamque promissionem Dei attendamus & fidem.* serm. de Nov. Testam. seu de Miss. in fine. *Summa ars & sapientia Christianorum est nescire legem, ignorare opera & totam justitiam activam.* argum. in ep. ad Gal. to. 1. Witt. Germ. p. 2. 6. Sibi sæpius contradixisse. Ut alias innumeras contradictiones taceam, pro exemplo unicam affero. In Postilla Eccles. super Dom. 1. post Epiph. edit. Witt. 1584. p. 168. docet, Ecclesiam, sive Concilia, utut sancta sint, errare tamen posse in rebus fidei. At in Tract. de veteri vera Ecclesia to. 7. Witt. Germ. 1554. p. 562. docet oppositum, dicens: *Ecclesia nec debet, nec potest mendacia & errores docere, ne in unico quidem articulo &c. & qui posset aliud fieri, cùm os Dei sit os Ecclesiæ?* Item: *Deus non potest mentiri, ita nec Ecclesia.* Ita Lutherus. qui planè mirabilis vir est, utpote necessitatus ad dicendum verum; cùm ex duabus propositionibus contradictorijs, quas fecit plurimas, alterutra necessariò sit vera. Vide nostrum *Examen Polemicum August. Conf. art.* 2. infrà.

Neque dixerint, etiam S. Augustinum multa retractasse. Nam contra est 1. aliud est *retractare*, aliud est sibi *contradicere*; qui retractat, fatetur suum errorem circa illam materiam, in qua retractat: non verò, qui sibi contradicit, utpote vel non amplius memor illius, quod priùs dixit, vel pertinaciter inhærens suis dictis, & ex superbia nolens errorem fateri. 2. S. August. retractans emendavit, quod ex infirmitate humana, & ignorantia minùs bene scripserat; Lutherus verò sibi contradicens non emendavit perperam & scienter contra Ecclesiam scripta, sed dubium reliquit mundum, quid ipse docuerit,

nunc

nunc istud nunc aliud pro impetu effuriens. 3. S. August. non se jactavit Reformatorem Ecclesiæ, Evangelistam, Prophetam, uti Lutherus, & ideo errare potuit, retractare decuit: turpe autem est, ipsum Reformatorem Ecclesiæ errare, retractare, vel potiùs sibi contradicere &c.

25. 2. Ex vitiosa origine, & causa defectionis Lutheri ab Ecclesia Catholica. Causa enim & origo prima fuit vel superbia, vel invidia, vel avaritia, vel omnes tres simul, ut scribit Florim. Remundus de Ortu & Progress. hæres. valde enim dolebat Luthero, munus promulgandi Indulgentias Jubilæi ab Augustinianis ad Dominicanos translatum fuisse. Cochlæus in Actis Lutheri. Hinc enim passione indomita perciius è Cathedra non tantùm abusus Indulgentias carpere, ac alios fidei articulos jugillare cœpit, præter intentionem ex animi intemperie ulteriùs progressus, ac in varios errores prolapsus. Jussus polinodiam canere, ex superbia parére noluit, imò, quam cecinit hic Augustæ, in publicum progressus iterum negavit se cecinisse. Sed quæcunque ex his vitijs, an superbia, invidia, vel etiam luxuria fuerit causa defectionis, justa non fuit, sed detestanda: *Hæc causa non propter Deum cœpta est, nec propter Deum finietur*, dixit ipsémet Lutherus in disputatione cum Eckio Lipsiæ. Cæterùm sperabat Lutherus fulmen Vaticanum ope Saxonis effugere, sed non potuit. Unde in Pontificem Romanum, Leonem X. ad quem eodem tempore scilicet 6. Sept. 1520. ita scripsit adulante calamo: *Appella-vite Danielem in Babylone (in medio Leonum, Ezechielem inter scorpiones, agnum in medio Luporum) & innocentiam tuam insignem egregio studio tutatus sum. Scilicet celebratior & augustior est in omni terrarum orbe tot tantorum virorum litteris cantata opinio, & vitæ tuæ inculpata fama, quam ut à quovis vel maximi nominis possit quavis arte impeti &c.* Vatiniano odio exardescere cœpit & implacabili, omnibus diris eum devovens, ac Antichristum appellitans, postquam accepit Bullam Excommunicationis, quæ tunc jam erat Romæ expedita, dum ista ad Pontificem scripsit Lutherus, ejus tamen rei adhuc ignarus. Hoc fuit initium malorum. An putas, Dei causâ tumultuari cœpisse Lutherum?

3. Ex defectu vocationis legitimæ, si enim Lutherus à Deo ad opus Reformationis vocatus non est, Lutheranismi planè vitiosa est origo. Atqui vocatus non est à Deo, nec immediatè per se, & modo extraordinario, quia in Luthero nullum signum, nullus character hujus extraordinariæ vocationis reperitur, nimirum nec gratia miraculorum, nec inusitata vitæ sanctitas, imò ipse fatetur, se hoc modo non esse vocatum, dicens to. 2. Jen. Lat. f. 431. *Gloriari non possum, quod Deus de cœlo sine medio me miserit.* Neque vocatus est mediatè à Deo, & modo ordinario. 1. Quia nulla potest dari vocatio ad novam fidem introducendam, cùm Ecclesia Christi debeat esse *perpetua*, & indefectibilis, ut fatetur ipsa Confessio Aug. art. 7. 2. Quia, licèt posset Ecclesia deficere in fide, nulla

vocatio mediata, quæ fit per homines, sufficeret ad tantum munus, quale est reformare Ecclesiam in rebus fidei. 3. Quia vel fuit vocatus à Magistratu Ecclesiastico, vel à Politico? Non ab Ecclesiastico, quia Superior Religiosus eum mittens ad prædicandum nec potuit nec voluit dare potestatem prædicandi novam fidem, imò licèt voluisset & potuisset dare, hæc tamen potestas fuisset iterum adempta à supremo Ecclesiæ Prælato, dum fuit tanquam perduellis excommunicatus. Non à Magistratu Politico Wittenbergensi; iste enim nec Jure Divino nec Humano habet potestatem vocandi Ministros Ecclesiæ. Neque profuit Theologici Doctoratûs gradus, utpote quem ipse contemnit to. 2. Witt. Lat. in assert. artic. art. 30. ubi approbavit omnes articulos Hussij, inter quos est etiam iste: *Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdem non plus Ecclesiæ prosunt, quàm diabolus*, licèt idem Lutherus to. 5. Jen. Germ. p. 492. omnia tribuat suo Doctoratui: *Dixi sæpe*, ait, *& iterum dico, totum mundum me non acceptu-rum pro Doctoratu meo; quia aliàs desperare deberem, si tale ac tantum mihi incumbens negotium, sicut fur irrepens, absque vocatione & manda-to Dei cœpissem.* Quasi verò in collatione Doctoratûs conferretur potestas prædicandi quidlibet pro libitu, & non potiùs per expressum juramentum omnes Candidati adstringerentur ad nihil docendum, quod Ecclesiæ sit contrarium. Denique bene observa, provocatione Lutheri nihil posse afferri, quod non pariter servire possit ad defendendam vocationem Calvini, Zwinglij, Pelagij, Arij, & cujusvis hæretici.

4. Ex Confessione Augustana, quæ est primus liber Symbolicus Lutheranorum. Hæc Confessio, ut ipsi exprobrant Theologi Palatinales apud Szentivani *in Responsis non Responsis* p. 28. imprimis scripta est paucorum Theologorum consilio, pauci Ordines Imperij eam exhibuerunt, labor scriptionis & defensio soli Melanchthoni incubuit. Ad hæc scripta est cum festinatione & temporis angustia, Augustæ in diversorio, in Comitijs urgente Cæsare exhibita cum maximo metu periculorum, postea verò illi ipsi, qui Confessionem scripserunt, aliqua subinde correxerunt, ut satis ostendit editionum diversitas. Contraria omnia evenerunt in Concilio Catholicorum Tridentino, cui post 18. annorum deliberationes & discussiones rerum à præstantissimis Theologis institutas subscripserunt Cardinales 4. Archi-Episcopi 25. Episcopi 168. Abbates 7. Procuratores absentium Episcoporum 39. Generales Ordinum 7. assentientibus Legatis Imperatoris, Regum, & Principum plurimorum &c. Dein Confessio Augustana, & ejus Apologia scaret mendacijs & falsitatibus, cujusmodi 40. annotavi ego in *Examinis Polemici editione altera in fine*, Tannerus autem in Anat. p. 3. ad minimum 130. falsitates, in Augustana Confessione ejusque Apologia contentas, apertè detegit. Præclari Auctores Lutheranæ Ecclesiæ Lutherus & Melanchthon! præclara origo! Quis sit tam vecors, ut

ex ejusmodi fontibus se credat sanam & puram fidei doctrinam haurire posse? Est evidenter incredibile.

26. Ob. 1. Lutherus non est Auctor Ecclesiæ Lutheranæ, quia non attulit novam doctrinam, sed antiquam & Apostolicam: ergo. R. 1. Hæc est antiqua nænia omnium hæreticorum, qui ad solam Scripturam, varias interpretationes patientem, & ad doctrinam Apostolicam semper provocabant: ergo causa Lutheranorum per hoc effugium non fit melior, quàm cujuslibet hæresiarchæ. R. 2. Ex superiùs dictis patet falsitas Antecedentis. R. 3. Lutherus juxta Lutheranos saltem fuit Reformator Ecclesiæ, & ita docuit, qualiter per mille & ampliùs annos nemo ante ipsum: ergo est incredibile, quòd attulerit doctrinam Apostolicam, & veram; aliàs enim per tot sæcula nemo fuisset in vera fide, & nulla in Ecclesia sana doctrina. R. 4. Est per se incredibile, quòd homo passionibus superbiæ, odij, &c. excæcatus magis illuminatus fuerit, & perfectiùs intellexerit, quænam sit vera & Apostolica doctrina, quàm innumeri sapientiâ, sanctitate, miraculis clarissimi viri, & fortissimi Martyres. Quæso, quo fundamento id verisimiliter probant Adversarij?

27. Ob. 2. Licèt Lutherus caruisset omni vocatione speciali & externâ ad reformandum, habuit tamen vocationem generalem, & communem omnibus Christianis, quæ consistit in hoc, quòd, quando Ecclesia est perturbata per falsas doctrinas, vel per persecutiones, eo ipso quilibet habeat potestatem prædicandi purum Verbum Dei, impugnandi errores, Ecclesiam in necessitatibus constitutam juvandi, quicunque juvare, & emendare potest; sicut quando est incendium, non opus est vocatione speciali ad illud extinguendum, sed ipsa necessitas proximi & charitas vocat satis, & obligat quemlibet, qui potest, ad opem ferendam. Sic Ecclesiæ publica necessitas erat sufficiens Luthero vocatio. R. 1. Quantacunque sit Ecclesiæ perturbatio, nunquam Christus ejus gubernaculum deserit, nunquam permittere potest, ut portæ inferi prævaleant, nunquam desistit eam docere, ne in errorem incidat columna & firmamentum veritatis circa res fidei. R. 2. Permisso, quòd Christus suam Ecclesiam ita desereret, ut tota (quod tamen impossibile est) erraret in articulo aliquo fidei, tamen non posset quilibet statim accurrere, & prædicare Verbum Dei sine legitima & speciali vocatione; si enim id liceret, sub hoc prætextu quilibet involare posset in munus docendi, & sic forent tot novæ doctrinæ, discrepantes &c. quot currerent, & prædicarent non missi, non vocati, uti contigit tempore Lutheri; mox enim Lutheri exemplo stimulati, & prætexentes reformationem Ecclesiæ, prædicare cœperunt non missi Calvinus, Zwinglius, Oecolampadius, Carolstadius, Bucerus, Mynsterus, Servetus &c. & quilibet novam doctrinam, parique jure. R. 3. Unde probat talis, qui in publica necessitate accurreret, se rectè docere, se esse infallibilem, se magis sapere, quàm reliquos omnes &c.? R. 4. Paulus universaliter prohibet prædicare

care sine legitima missione seu vocatione, nec excipit perturbatum Ecclesiæ statum, dum dixit: *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. v. 15. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron* Hebr. 5. v. 4. R. 5. Hoc effugium servire posset omnibus Hæreticis, & Sectarijs.

Dices. Qui veram prædicat doctrinam, ille habet sufficiens indicium, quòd sit vocatus à Deo: sed Lutherus prædicavit veram doctrinam, quia purum Dei Verbum: ergo. R. 1. Hoc argumento iterum omnes hæreticos uti posse, Pelagianos, Arianos, Wicleffistas, Hussitas &c. imò quemlibet alium, qui hodie surgeret, & Scripturam pro suo arbitrio explicans novam fidem spargeret. Notetur bene hæc instantia; est enim Lutheranis insolubilis. Si dicant, alios non attendere purum Dei Verbum, idem sibi regeri ab alijs audient. R. 2. Doctrinam veram afferre pro signo legitimæ vocationis est petere principium; quia in quæstione est, utrùm Lutherus veram doctrinam proposuerit: quòd autem non prædicaverit veram doctrinam, probatur ex hoc ipso, quòd non fuerit vocatus à Deo: *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Nemini enim assistit Deus, nisi quem ipse mittit. Ex vocatione debet judicari doctrina, non ex doctrina vocatio.

An Ecclesia Romana non habeat malum Auctorem & vitiosam originem?

28. R. Non. Ratio est in promptu. Auctor fidei, quam tenet Romana Ecclesia, non alius assignari potest, nisi Christus principaliter, *qui eam sibi acquisivit sanguine suo.* Act. 20. v. 28. Secundariò Apostoli, & ipsa Ecclesia, assistente Christo & Spiritu S. proponens ea, quæ credenda & facienda sunt; cùm juxta hactenus disputata, & ab Adversarijs data, saltem olim Romana Ecclesia Christum habuerit Auctorem, veráque fuerit Ecclesia: quæ autem semel fuit vera Christi Ecclesia, habet perpetuam sibi promissam Spiritûs S. assistentiam, ut nunquam possit deficere tota, ac in peccatum hæreseos vel apostasiæ cadere. Atqui Christus utique est Auctor sanctus, Ecclesia utique semper est sancta. Imò & Pontifex, si solus aliquid decidat, uti potest, ex Cathedra loquens, *sanctissimus* est, scilicet ratione officij, qua Vicarius Christi, & in rebus fidei specialiter adjutus à Spiritu S. quamvis ut homo privatus, & non quà docens universam Ecclesiam, possit absolutè esse sceleratus. Non itaque malum Auctorem, non vitiosam habet originem Ecclesia Romana.

Dices. Papa est Auctor dogmatum Ecclesiæ Romanæ: Papa sæpe fuit malus: ergo. M. P. quia Romanenses non minùs à Papa dicuntur Papistæ, quam Protestantes à Luthero Lutherani: ergo vel Lutherus non est Auctor Ecclesiæ Lutheranæ, vel Papa erit pariter Auctor Ecclesiæ Romanæ. 29. R. 1. N. M. Papa est potiùs interpres & os Dei, per quod nobis fidei dogmata proponit Deus infallibiliter, & hoc os, iste interpres, & Rector Ecclesiæ est constitu-

stitutus à Christo, iste audijt: *pasce oves meas.* Jo. 21. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. Nihil simile potest dici de Luthero, iste non sedit super Cathedram Petri, non fuit vocatus à Deo, non constitutus Christi Vicarius. Ac insuper, quod bene notandum est, nullus Papa proposuit novam doctrinam priori, ab Universali Ecclesia receptæ, contrariam, sicut tamen Lutherus fecit. §. 2. N. Mi. quòd sæpe; nam rari fuerunt mali & scelerati Papæ; isti tamen vel nihil definierunt circa res fidei, vel, si definierunt, id non facere potuerunt ut privati homines, sed ut *Vicarij Christi*, sub qua ratione & ab omni errore ac lapsu immunes sunt, & titulo *Sanctitatis* gaudent: peccata Pontificum sunt peccata ut hominum *privatorum.* Lutherus & docens & non docens fuit homo privatus, erroribus obnoxius, imò oppletus, tam contra fidem quàm contra bonos mores. Nunquam fuit constitutus Christi Vicarius, D. Petri Successor &c. §. 3. N. probationem, quòd pari modo nos vocemur Papistæ, quo ipsi dicuntur Lutherani. *Papa* est nomen officij, & supremi Præsidis in Ecclesia, à Christo constituti, & ideo *Papista* nihil aliud sonat, quàm hominem addictum Christi Vicario, cui tanquam uni Capiti per totum orbem parent omnes fideles: ergo idem significat, ac *Christianus*, *Catholicus*; atque sic non nominamur à persona privata. Econtra *Lutherus* est nomen apostatæ & excucullati Monachi, hominis privati, nullam habens connexionem cum Christo, cum Universitate fidelium: & hinc Lutheranus significat hominem addictum puro homini, scelerato, Deo & Superioribus legitimis rebelli &c. consequenter non minùs probrosum est vocari Lutheranum, quàm Calvinistam, Zwinglianum, Hussitam, Pelagianum, Nestorianum, Arianum &c. ab Auctoribus harum sectarum.

ARTICULUS III.

De Nota Unitatis.

Summarium.

1. *Aliud est Ecclesiam esse unicam, & aliud esse unam.*
2. *Una diverso modo dicitur.*
3. *Hic tantùm sermo erit de Unitate doctrinæ, & Unione cum Capite.*
4. *Veram Christi Ecclesiam debere esse concordem in doctrina, multipliciter probatur.*
5. 6. 7. 8. *Quid Lutherani excipiant, & opponant.*
9. *Lutheranam sectam non esse concordem in doctrina fidei, constat ex Lutheri contradictionibus.*
10. *Ex dissensione suorum Doctorum perpetua.*
11. *Ex discrepantia librorum Symbolicorum.*

12. *Demum à priori, quia Lutherani non parent uni Judici.*
13. *Ecclesia Romana semper est concors in rebus fidei, ut patet à posteriori.*
14. *Et à priori, cùm sequatur unum infallibilem Judicem.*
15. 16. *facilia sunt, quæ contra unitatem Ecclesiæ Romanæ objiciuntur.*
17. 18. 19. *Demonstratur necessitas alicujus supremi Judicis Controversiarum in vera* Ecclesia.
20. 21. *Quid illi possit & soleat opponi.*
22. *Apud Lutheranos nullum agnoscitur Judex supremus Controversiarum fidei.*
23. *Nec Scriptura S. aut Spiritus S.*
24. *Nec Magistratus Politicus.*
25. *Nec Spiritus internus potest statui pro Judice.*
26. *Ecclesia tamen Romana semper habuit Caput & Judicem supremum legitimum.*
27. *Nec integra Concilia cum Papa,*
28. *Nec Papa solus unquam erravit definiendo aliquem fidei articulum.*

1. SCiendum 1. Aliud est Ecclesiam esse *unicam*, & aliud esse *unam*. Unica erit, si præter illam non alia existat, quæ vera sit & salvifica. Unicam debere esse Ecclesiam, demonstravimus *in opusculo de Indifferentismo*, & suprà à pag. 35. & 59. idque clarum est ex SS. litteris, in quibus Ecclesia dicitur *Corpus* Christi, *unum ovile* &c. Unica igitur esse debet, scilicet *Totalis*; nam partiales & particulares Ecclesias (inter se tamen conspirantes) dari plures, v. g. Gallicanam, Indicam, Peruanam, Chinensem, Moguntinam, Augustanam &c. nemo negat. De hac Ecclesiæ unicitate hìc non est sermo, sed de unitate, de qua

2. Sciendum 2. ex Bellarm. Ecclesiam multipliciter posse dici unam. 1. Ratione ejusdem principij, id est, Dei vocantis. 2. Ratione ejusdem finis ultimi, scilicet salutis æternæ. 3. Ratione eorundem mediorum, puta fidei, Sacramentorum, legum. 4. Ratione ejusdem Spiritus S. à quo tanquam à Rectore Universa Ecclesia gubernatur. 5. Ratione ejusdem Capitis, tanquam Rectoris conjuncti, scilicet Christi, ac ejus Vicarij Papæ. 6. Ratione conjunctionis membrorum inter se, & præcipuè cum Capite. Ex his acceptionibus duæ ultimæ denominant Ecclesiam propriè unam; nam per primam Ecclesia rectiùs dicitur *ex uno*. per 2. *ad unum*. per 3. *per unum*. per 4. *sub uno*, quàm *una*. Per 5. & 6. verò propriè dicitur *una*, id est, unum corpus, unus populus, una societas. Et hunc discursum approbat ipse Gerardus, dùm in LL. Theol. de Eccles. n. 34. ait de hac divisione: *Bellarm. haud insciè philosophatur de Ecclesiæ unitate.*

Sciendum 3. Sermonem nobis hìc fore duntaxat de hac duplici Ecclesiæ unitate, scilicet de unione membrorum inter se, & quidem præcipuè circa fidei doctrinam, dein de unione cum Capite, seu supremo Judice, & quidem visibili, Christi Vicario. Per 3.

duos

duos igitur Syllogismos evidenter ostendam, Ecclesiam Lutheranam non esse veram Christi Ecclesiam; unitatis verò hujus duplicis notam convenire Ecclesiæ Romano-Catholicæ.

SYLLOGISMUS I.

Vera Christi Ecclesia debet esse una, seu concors in tota fidei doctrina.
Sed Lutherana non est concors in tota fidei doctrina.
Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Major est certa

4. 1. Ex S. Scriptura. *Unus Dominus, una fides.* Eph. 4. v. 5. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* 1. Cor. 14. v. 33. *Omne Regnum divisum contra se desolabitur; & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit.* Mat. 12. v. 25. Ubi autem inter membra Ecclesiæ non est concordia in tota doctrina fidei, & in omnibus dogmatis, non est *una fides*, Deus fieret *Deus dissensionis*, & regnum Christi ac domus Dei esset *divisa contra se.*

2. Ex Symbolo Nicæno, quod ab Adversarijs admittitur, in quo Ecclesia vocatur *una*; inter varias autem unitates eminet *unitas fidei & doctrinæ*, ut vel ipse Gerardus fatetur n. 231.

3. Ex Confessione Augustana, in qua docent, quòd *una* sanctà Ecclesia perpetuò mansura sit. Una autem non est, si in fidei articulis divisa est, & aliqua membra hoc, alia aliud credunt. Addit enim Confessio: *ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelij & administratione Sacramentorum.*

4. Ex ratione. Vera Christi Ecclesia regitur à Christo, & à Spiritu S. ergo in articulis fidei debet conspirare; cùm utique Spiritus S. utpote Deus, non possit docere opposita, sibi ipsi contradicere, huic istud, alteri aliud credendum proponere. Ergo, ubi est contradictio in doctrina fidei inter ejusdem Ecclesiæ membra, evidens est, talem Ecclesiam non esse Christi, nec regi à Christo & Spiritu S. adeóque veram Ecclesiam non esse.

Ob. 1. Lutherani non negant, Ecclesiam debere esse unam in fidei doctrina; sed tantùm negant, unitatem in doctrina qualemcunque, & solitariè acceptam, esse notam veræ Ecclesiæ: nota enim veræ Ecclesiæ est unitas in doctrina *vera*; adeóque videndum priùs est, an Ecclesia habeat *veram* doctrinam, deinde an sit una; cùm unitas ex veritate probanda, non vicissim. Igitur pura Verbi Divini prædicatio erit nota veræ Ecclesiæ, non unitas &

concordia doctrinæ. R. Est in quæstione, quænam Ecclesia habeat *veram* doctrinam fidei, hoc ipso, quòd quæratur, quænam sit *vera* Ecclesia: ergo unitas in doctrina *vera* quà vera non potest esse nota veræ Ecclesiæ; conspiratio in doctrina potest esse signum, an doctrina sit vera nec ne: non viciſſim.

Dices. Vel unitas in doctrina vera, vel unitas in doctrina falsa, est nota veræ Ecclesiæ? Non unitas in doctrina falsa: ergo unitas in doctrina vera, adeóque antecedenter ad hanc notam debet constare, quænam sit vera Ecclesia: ad quid ergo hæc nota? R. N. M. quando dicimus, unitatem in doctrina esse notam veræ Ecclesiæ, abstrahimus, utrùm sit unitas in doctrina vera vel falsa, & præcisè attendimus, utrùm in aliqua Ecclesia detur unitas & concordia in doctrina: si advertimus non dari, inferimus evidenter negativè, talem Ecclesiam non esse veram: econtra si deprehendimus talem unitatem, inferimus affirmativè (saltem si adsint cæteræ notæ, vel si sit unitas, ex uno infallibili ac universali Judice dependens) Ecclesiam talem esse veram, & proponere veram doctrinam. Adeóque veritas Ecclesiæ probari potest & debet ex unitate & consensu fidelium in doctrina.

6. Ob. 2. Vera Ecclesia potest consistere, etiamsi non in omnibus fidei articulis sit una & concors, modò detur concordia in articulis fundamentalibus & primarijs: ergo. R. N. Ant. Dein Adversarij non possunt determinare, quinam articuli sint fundamentales; ubi enim de his vel verbulum in Scriptura? Adversarij probant Ant. 1. In Ecclesia primitiva Christi, quæ utique fuit vera, fuerunt dissensiones circa fidei articulos, nimirum erat secta Simonianorum, Ebionitarum, Corinthianorum &c. 2. Etiam veri fideles se opponebant Apostolis quoad observationem Legis Mosaicæ, Act. 11. 3. Ipsi Apostoli interdum discordârunt inter se, utì Petrus, Paulus, Barnabas. Gal. 2. Act. 15. 4. Ipse Christus prædixit: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Mt. 10. v. 34. 5. S. Cyprianus cum Ecclesia Africana dissentiebat à Romana circa baptizandos illos, qui ab hæreticis jam baptizati redibant ad Ecclesiam. R. ad 1. Simoniani &c. fuerunt hæretici, & ideo non membra Ecclesiæ. Ad 2. Dissensio quoad observationem Legis Mosaicæ non repugnavit unitati fidei, cùm ejus abrogatio tunc nondum fuerit definita. Corinthij & Galatæ graviùs errârunt, sed non pertinaciter: quæ tamen pertinacia requiritur ad hæresim formalem. Ad 3. Apostoli non discordabant in fide, sed lis erat circa facta quædam particularia, utì an Petrus rectè fecerit simulando Judaismum? An Marcus fuerit assumendus in socium Missionis Evangelicæ? Ad 4. Christus non prædixit pugnam fidelium inter se circa res fidei jam definitas, sed fidelium cum infidelibus, vel cum ijs fidelibus, qui volunt avertere à servitio Divino. Ad 5. S. Cyprianus restitit Ecclesiæ Romanæ tunc, quando nondum erat definitum, baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos. Postea errorem suum, quem fortè

tè æquo ardentiùs priùs defenderat, correxit, & cum Ecclesia Romana sentiens etiam Martyrio eluit.

7. Ob. 3. Etiam sectæ falsæ possunt habere unitatem in sua doctrina, imò habent, uti Mahumetanismus, Judaismus, & hæreses omnes; absque ea enim non constituerent unum corpus, unam sectam: ergo. 2. Etiam in regno Antichristi dabitur aliqua unio, imò datur defacto in regno Sathanæ, ut Salvator indicat. Mat. 12. 3. Sicut una est Ecclesia, ita & una est diaboli Babylon: ergo sive detur unitas in Ecclesia aliqua, sive non, nihil indè probatur. R. 1. universaliter, nos unitatem in doctrina (separatam à cæteris notis, & abstrahendo, quòd proveniat ab aliquo visibili & universali Capite ac Judice Controversiarum infallibili) non vendere pro nota veræ Ecclesiæ affirmativa, quasi ibi eo ipso detur vera Ecclesia, ubi reperitur unitas in doctrina, sed tantùm pro negativa, ita ut, ubi non reperitur unitas in doctrina fidei, ibi nec vera reperiatur Ecclesia. Deinde tantùm inquirimus Ecclesiam veram ex ijs, quæ Christiano nomine gloriantur; non autem fit comparatio ad sectas Paganorum & Judæorum, quarum falsitas ex alijs capitibus ostenditur.

R. 2. specialiter ad singula. Ad 1. potest negari Ant. absolutè de illa unitate, quæ habetur circa omnes fidei articulos dependenter ab aliquo supremo & infallibili Judice. Cæterùm nec Mahumetanismus, nec Judaismus est uniformis, sed in diversas sectas divisus, imò nec Alcoranus, qui est liber Symbolicus Judæorum * secum ipso concordat, ut præter alios ostendit Gaulterius in Tab. Chron. sæculo VII. & alibi. Quæ sit hæreticorum tum veterum tum recentiorum unitas, patet indè, quòd viri, etiam diligentissimi, vix statuere potuerint, aut hodiedum possint eorum dogmata. Unde jam olim à PP. variè referebantur Eutychetis, Pelagij &c. hæreses. In hoc uno concordes sunt semper hæretici, quòd conspirent ad devastandum agrum Ecclesiæ Romanæ, à qua egressi sunt rebelles: nimirum capitibus quidem diversa spectant, caudis tamen sunt invicem colligati; sicut vulpes, quas caudis colligatas, positis in medio earum facibus, Samson immisit in segetes Philisthæorum, easque vastavit. Judic. 15. Ad 2. erit quidem conspiratio in recipiendo Antichristo, & forte etiam in negotijs ad regimen Politicum spectantibus, non tamen in omnibus fidei dogmatis. Adde, quòd nec ista consensio in recipiendo Antichristo futura sit diuturna, iisque circumstantijs affecta, quibus splendet consensio in vera Christi Ecclesia. In regno Sathanæ ferè similis est concordia, qualis est apud hæreticos, & in regno Antichristi; solùm enim in hoc conspirant, quòd omnes reluctentur Deo, & hominibus nocere cupiant; in cæteris sunt summè discordes, nullus apud ipsos ordo, sed mera confusio. Ad 3. Ferè est eadem responsio; quippe Babylon diaboli tantùm una est unitate Capitis, non unitate sententiarum, & fidei, quia in regno diaboli nulla datur fidei doctrina.

8. Ob. 4. Unio seu unitas Ecclesiæ est spiritualis : ergo insensibilis : ergo non potest esse nota veræ Ecclesiæ. R. D. M. unio inadæquatè sumpta. C. M. adæquatè sumpta. N. M. Unio interna & spiritualis sit sensibilis per externam & sensibilem ejusdem fidei professionem, quæ est altera pars unionis completæ & adæquatæ.

Minor ostenditur

9. 1. Ex contradictionibus Lutheri, Lutheranæ sectæ protoparentis, secumipso pugnantis, quæ certissima nota sunt falsæ doctrinæ, vel ipso Luthero teste, qui ad Embserum sic scripsit: *Qui in materia Religionis sibi ipsi adversatur, & vel in uno tantùm articulo mentitur, è Deo non est.* Contradictiones autem Lutheri sunt ferè innumeræ: Jodocus Coccius in Thesauro Cathol. to. 1. §. 8. a. 7. ex libris Lutheri colligit 80. antilogias manifestas de Invocatione Sanctorum, de Purgatorio, de Ecclesia, de Primatu Pontificis, de Sacramentis, de Missa &c. Circa unicum mysterium, nempe de Communione sub utraque specie Gaspar Querhamer numerat 36. contradictiones. Alij integra volumina scripserunt de Lutheri contradictionibus. Adducamus unum vel alterum exemplum. De *potestate Papæ* scribens admittit omnia septem Sacramenta. *De Captiv. Babyl* dicit: *principio neganda mihi sunt septem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda: Baptismus, Pœnitentia, Panis &c. Quamquam; si usu Scripturæ loqui velim, non nisi unum Sacramentum habeam, & tria signa Sacramentalia &c. Si rigidè loqui volumus, tantùm duo sunt in Ecclesia Dei Sacramenta, Baptismus & Panis.* De Papatu sic scribit epist. de Anabaptismo ad duos Parochos to. 2. Germ. f. 229. *Nos ingenuè fatemur, quod in Papatu multa bona sint, quæ & indè ad nos usque promanârunt. Fatemur nimirum, quod in Papatu vera sit S. Scriptura, verus Baptismus, verum Altaris Sacramentum, vera claves ad remissionem peccatorum, verum concionandi munus, verus Catechismus* &c. At in Postilla Eccles. in ep. Dom. 2. Adventûs ait: *Non nisi diabolica impostura est, quidquid in Papatu extitit, à summo vertice usque ad imum pedis.* Quomodo hæc & similia cohærent?

Non possunt hæc negare Lutherani, sed Magistrum suum excusare conantur dicendo, eum initiò fuisse adhuc *infamissimum Papistam*, ut ipse Lutherus se vocat in præf. tom. 1. Lat. nec satis illuminatum, atque sensim reformâsse Ecclesiam. Sed prorsus frivola & ridicula hæc est excusatio. 1. Quia Deus, si mittit Propheram, priùs ipsum perfectè instruit, & illuminat; Dei enim perfecta sunt opera. Nec ostendes ullum verum Prophetam, & Apostolum, qui sibi contradixerit, & hac excusatione indiguerit. 2. Quot homines interea fuerunt seducti, & falsâ doctrinâ tracti ad interitum? 3. Assignari non potest tempus, quo perfectè illuminatus fuerit hic novus Propheta; quidsi id nunquam contigisset, cùm

cùm variare non desierit, dum vixit? Certus saltem minimè es de perfecta ejus illuminatione, ac de tempore, quo facta sit: quidsi igitur etiam posterioribus temporibus docuisset contra Scripturam S. sicut antè docuisse eum tu fateri cogeris? 4. Etiam contradixit sibi circa ea, quæ post multos suæ defectionis annos scripsit &c.

10. 2. Ex dissensionibus Doctorum Lutheranorum, qui nunquam conspirârunt, neque conspirabunt deinceps, cùm desit Judex supremus, cujus judicio omnes debeant acquiescere. Hinc quilibet credit, quod vult, cùm interpretetur Scripturam, ut vult. Si autem loqui placeat de integro Ministerio Verbi, iterum nullum se subjiciet alterius judicio. Augustanum non se subjiciet Norimbergensi, Norimbergense non Ratisbonensi &c. Wirtenbergensis Ecclesia non Saxonicæ, Saxonica non Danicæ, Danica non Suecicæ &c. cùm horum Ministeriorum & Ecclesiarum Doctores quilibet putent, se æquè sapere, ac alij videntur sapere sibi, meliùs intelligere Scripturam, quàm alij &c. Quid mirum, si dissentientibus Doctoribus dissentiant & discipuli? Si oves nesciant, quid credendum, cùm id ignorent Pastores, saltem non conveniant in rebus fidei, & quidem gravissimis? Spectemus tantisper litigantes & se mutuò dilacerantes Præcones, Magistros, Doctores, & Superintendentes Lutheranos.

Anno 1568. jussu Augusti *Electoris* Saxoniæ, & Jo. Guilielmi *Ducis* Saxoniæ convenerunt Altenburgum 12. Theologi deputati, nimirum sex Electorales, & sex Ducales, ut finem imponerent periculosis litibus de Justificatione, libero arbitrio, & adiaphoris, sed infelici eventu; nam de unico Justificationis articulo (utique fundamentali, utpote præcipuo) calidè ac callidè disputantes nihil aliud effecerunt, nisi quòd errores mutuos utrinque & cupidè annotarent, & alteros gravissimis dicterijs impeterent, *Servetianos*, *Antinomos*, *Enthusiastas*, *Manichæos*, *Epicuræos*, *Pseudo-prophetas*, *prophanos stolidos*, *talpis cæciores*, *spectra fugacia*, *Sycophantas*, *falsarios*, *impios*, *errorum & corruptelarum palliatores*, *agyrtarum & præstigiatorum similes*, *furoris æstu percitos* &c. appellitando. Vah! quàm elegantia hæc sunt nomina; haud dubiè ex Promptuario Lutheri à genuinis discipulis desumpta. Imò nec de *Norma* & libris Symbolicis convenire poterant furiosi hi Disputatores, quippe Electorales inter Symbolicos reponebant libros Melanchthonis & auctam ab eodem Augustanam Confessionem, Ducales verò repudiabant &c. Vid. Forer. in Bello Ubiquist. & alios passim. Ijdem Ducales DD. objecerunt Electoralibus, quòd à Verbo Dei, à Confessione Augustana, Apologia, & Scriptis Lutheri deviaverint tum in alijs, tum in his propositionibus: *Bona opera sunt ad salutem necessaria: impossibile est sine bonis operibus salvari aut justificari: nemo sine operibus salvatus est unquam.* Econtra Electorales inter alia objecerunt Ducalibus has propositiones tanquam erroneas: *Deus sine operibus nostris non effi-*

ca-

cit justos & salvat, quia ipse in nobis operatur contritionem. Bona opera sunt perniciosa ad salutem &c. En alij, nempe Electorales dicunt, bona opera esse necessaria ad salutem, alij nempe Ducales, eadem esse pernicioſa ad salutem. Utra pars verum dicit in articulo primo & præcipuo apud Confessionistas? Quis decidit, vel decidere potest apud ipsos hanc Controversiam? cùm quælibet pars pro se jactet Scripturam, cùm neutra agnoscat alteram pro Judice. Idem est de libero arbitrio, & alijs Controversijs, in quibus hodiedum nesciunt Lutherani, quid sentiant, vel sentire debeant. Unde tam ambiguæ circa has materias apud ipsos locutiones, nominatim apud Lomerum.

Præterea teste Tan. Anat. l. 3. tit. 3. communia apud Lutheranos sunt sequentia pronuntiata. 1. Omnia opera, quantumvis bona, hominis etiam justi, ex se & natura sua esse peccata mortalia, secundùm misericordiam Dei verò venialia. 2. Hominem non habere liberum arbitrium faciendi bonum & omittendi malum. 3. Opera bona non esse necessaria ad salutem: quod non solùm Lutherani Rigidi cum Illyrico & Ambsdorffio, verùm etiam Molliores in memorato Colloquio Altenburgensi cum Wigando & socijs defenderunt, ubi dixerunt, hanc propositionem, *Bona opera sunt necessaria ad salutem*, à plerisque Ecclesijs Lutheranis esse damnatam &c. Longè alia hìc Augustæ docentur nunc à M. Lomer, dum dicit, hominem in statu renovationis per gratiam Dei habere liberum arbitrium faciendi bonum vel malum. Saurbrunnen: Cur *Discurs.* 13. 15. &c. & *alibi*, hominem teneri bona opera facere, sine operibus bonis non posse hominem salvari, cùm fides sine operibus sit mortua; item Deo placere nostra bona opera, ex fide profecta, Deum remunerari ex gratia, & ex promissione teneri nostra opera bona præmiari &c. *Discurs 15 cit. & alibi.* Idem Lomerus Disc. 3. p. 54. ait, in Novo Testamento opus non esse Sacerdotibus propriè dictis, adeóque non dari veros Sacerdotes: econtra alius, qui eodem anno, & in eadem causa scripsit (Horallector ficto nomine) multis contendit, Lutheranos Præcones esse veros Sacerdotes &c. Aliqui Duce Illyrico & Spannenbergio dicunt, peccatum originale esse ipsam naturam & substantiam hominis, alij cum Selneccero, Heshusio &c. illud esse accidens tradunt. Et sic de alijs articulis loquendo. Neque dicant, privatos Doctores utique posse dissentire ab alijs, & dissentiendo errare; nam ostendant aliquem vel aliquos Doctores, qui sint publici, & erroris incapaces. An non omnes sunt homines privati apud ipsos? Nunquid una Communitas in rebus fidei nullarenus vult subesse alteri? &c. Ne verò excipiant, & concordiam doctrinæ prætendant in suis libris Symbolicis contentam, *Minor* Syllogismi ulteriùs probatur

3. Ex dissensionibus librorum Symbolicorum inter se, & Doctorum cum libris Symbolicis. Inter libros Symbolicos, ad quos adstringuntur Lutherani utpote communiter receptos, sunt Con-

Confessio Augustana, ejusdem Apologia, liber Concordiæ, Articuli Smalcaldici, Catechismus uterque Lutheri tam minor quàm major. Jam de *Confessione Augustana* loquendo, illa imprimis non concordat secum ipsa, sed mutata est tum à Melanchthone, imò incorrupta nunquam prodijt ab anno 1550. usque ad annum 1580. Latina discrepat à Germanica notabiliter: in Viennensi Bibliotheca asservantur quatuor valde discrepantes editiones ejusdem diverso tempore à Lutheranis oblatæ Cæsari: neque negant Lutherani, suam Confessionem sæpe fuisse variatam, & de ejus depravatione integrum librum conscripsit Chytræus Lutheranus. Deinde non concordat cum alijs libris Symbolicis: nam in præfatione fatetur, Papam habere potestatem congregandi Concilium Universale, adeóque agnoscit eum pro Capite totius Ecclesiæ; econtra articulus 4. Smalcaldicus, & defacto Lutherani communiter habent eum pro Antichristo: in Art. 18. concedit homini libertatem ad efficiendam justitiam spiritualem cum gratia Spiritûs S. econtra in articulis Smalcald. negatur omnino libertas ad bonum: in art. 7. fatetur Ecclesiam perpetuò visibilem; Lutherani id passim negant: in art. 3. de abus. dicit, Missam retineri apud Lutheranos & summa reverentia celebrari; econtra nullam Augustæ videmus Missam, sed passim à Lutheranis vocatur Idolatria. Respondent aliqui, ibi nomine Missæ intellectam fuisse Cœnam. Sed contrà est 1. debuerunt intelligere Protestantes Sacrificium Missæ, tum quia de hujus abrogatione jam tum accusabantur, tum quia ante illud tempus nemo hominum nomine Missæ intellexit Cœnam, sed Sacrificium Eucharistiæ. 2. De Cœna jam fuit tractatum art. 10. ergo hìc de Missa propriè dicta, & non iterum de Cœna egit Confessio Augustana.

Sic *Apologia* Conf. Aug. neque secum ipsa, neque cum ipsa moderni Lutherani conspirant; quæ imprimis ante editionem Chytræanam 1585. nunquam prodijt genuina, quæ autem prodijt 1531. in duplici forma, scilicet in 4. & 8. prodijt, sed neutra cum altera conspirabat; nam prior rotundè sic docet de bonis operibus: **Wir bekennen / daß das ewige Leben ein Lohn seye als ein Sach / die uns GOTT von wegen seiner Verheissung schuldig ist.** Posterior verò non absolutè id asserit, sed ita tergiversatur: **Wann wir schon sagten / das ewige Leben sey ein Schuld von wegen der Verheissung / sagten wir doch nichts ungereimbtes.** Similes discrepantias invenies de Cœna Domini in memorata duplici editione, plures in alijs circa alias materias. Bellum Ubiquist. p. 97. Dein Apologia, cùm ex instituto tractat de numero & usu Sacramentorum art. 13. sic loquitur: *Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum DEI & promissionem gratiæ, quæ est propria novi Testamenti*; paulò antè verò dixit, se agere de Sacramentis *propriè* dictis: ergo numerat Pœnitentiam inter Sacramenta propriè dicta,

tum quia addit *verè & propriè*, tum quia addit rationem, in essentia Sacramenti propriè dicti fundatam, tum quia eodem modo loquitur de Absolutione, quo modo loquitur de Baptismo & Eucharistia. Atqui Lutherus cum cæteris Lutheranis modernis negat, Pœnitentiam esse Sacramentum propriè dictum: ergo. Idem dici potest de *Ordine*, quem prædicta Apologia Aug. Conf. loc. cit. pariter Sacramentis accenseri permittit, contra communem Lutheranorum doctrinam.

Liber Concordiæ, qui litibus mederi voluit, eas magis accendit. Imprimis enim adversatur Augustanæ Confessioni, dum dicit art. 7. *Panem & vinum propter Sacramentalem unionem verè esse Corpus & Sanguinem Christi*, damnatque *transsubstantiationem*. Confessio autem art. 16. dicit: *Quòd Corpus & Sanguis verè adsint &c.* Germanicum exemplar originarium sic habet: Daß der wahre Leib und Blut Christi wahrhafftig unter der Gestalt deß Brods und Weins im Abendmahl gegenwärtig sey / und da ausgetheilt und genommen wird. Ubi clarè indicatur transsubstantiatio, cùm corpus Christi dicatur esse sub *speciebus panis & vini*, non sub pane & vino, multò minùs quòd panis & vinum sit verè Corpus & Sanguis Christi, ut ait liber Concordiæ contra omnem etiam rationem; cùm evidenter implicet, panem esse Christum, non minùs ac hircum esse cervum. Dein liber Concord. p. 266. edit. Tubing. 1580. dicit, hominem *in conversione actuali esse instar trunci, lapidis, & columnæ salis*, adeóque non liberè operari justitiam, & *cooperari Divinæ gratiæ*, sed primùm *post conversionem*, quam solus Deus in ipso, etiam resistente, operatur, acquirere vires liberè cooperandi ad bonum: quod est contra Conf. Aug. art. 18. Præterea liber Concordiæ admittit, Humanitatem Christi ubique & in omni loco esse præsentem propter unionem cum Personalitate Verbi, quem articulum habet pro fundamentali, quamvis is non modò repugnet art. 3 Aug. Confess. docenti, quòd Christus fuerit natus, descenderit ad inferna, resurrexerit à mortuis, ascenderit ad cœlos &c. adeóque etiam repugnet Symbolo Apostolorum; si enim Humanitas Christi est ubique, ubi est Verbum Divinum, non potuit incipere esse in aliquo loco, in quo priùs non fuit; sed nasci, descendere ad inferna, resurgere, ascendere ad cœlum &c. formaliter dicunt motum ad locum, ubi priùs non erat; & hinc secundùm Divinitatem, nemo dicit, Christum esse natum, ascendisse ad cœlos &c. Sed etiam repugnat maximæ parti Lutheranorum, qui scilicet huic Bergensi formulæ non subscripserunt, sed detestati sunt, uti Synodus Dresdensis 1571. Theologi Anhaltini, Halsati, Helmstadienses, Bipontini, integra Dania, Urbes plurimæ, nempe Norimberga, Spira, Wormatia, Francofurtum, Argentina, Brema &c. Imò iste articulus de Ubiquitate Christi est contra omnes Lutheranos, cùm collat Sacramentum Cœnæ; si enim Humanitas Christi est ubique, tunc Corpus Christi & Sanguis sumitur in quovis

vis prandio & cœna, ubi sumitur panis & vinum, quidni etiam in popinis cum cerevisia aut farcimine? Quid enim deest?

12. 4. A priori. Ibi nec potest esse unitas & concordia in doctrina fidei, ubi nullus est aptus & infallibilis Judex Controversiarum, qui lites componat: sed Lutherani non habent aptum & infallibilem Judicem, eò quòd Pontificem & Ecclesiæ auctoritatem repudiaverint: ergo.

Dices. Etiam apud Lutheranos est consensio in articulis fundamentalibus, &, siqui dissentiant in his, parati sunt mutare mentem, si quis eis contrarium ostenderit ex Scriptura: ergo etiam Lutherani habent sufficientem unitatem in fidei doctrina. R. 1. N. Ant quoad 1. membrum: ratio negandi patet ex paulò antè dictis. Adde, quòd pessimè fiat discrimen inter articulos fundamentales & non fundamentales, cùm omnes, si satis innotuerint, sint necessariò credendi, eo ipso quòd sint articuli fidei, & à Deo revelati, qui utique nec in parvis rebus fallere potest, aut suam auctoritatem ita prostituere, ut homini liberum relinquat credere vel non credere, quod ipsi loquitur. Accedit, quòd Adversarij non possint determinare ex fundamento aliquo certo, quinam articuli sint fundamentales, qui non. R. 2. N. 2. membrum Ant. vel potiùs ejus suppositum, quòd sufficiat, siquis tantùm paratus sit doceri ex sola Scriptura, quia ex hac non facilè quis potest convinci, utpote quæ varios plerumque sensus patitur. Convincat Lutheranus ex sola Scriptura, si possit, Sabellianum, ut admittere debeat mysterium SS. Trinitatis, Anabaptistam, ut cogatur admittere Baptismum parvulorum, Calvinistam, ut præsentiam Christi corporalem agnoscat in Eucharistia, Schwenckfeldianum, ut fateatur existere Scripturam S. & Divinam, iisque libris comprehendi, quos Lutheranus agnoscunt pro Divinis. Quàm parùm convincet Lutheranus istos ex sola Scriptura, tam parùm convincere potest alium Lutheranum, circa articulos fundamentales à se discrepantem, ex sola Scriptura: semper enim reponet, se melius intelligere Scripturam. Unde R. 3. Omnes hæretici hoc dixerunt, & etiamnum hoc ipsum prætendere possunt, se paratos mutare mentem, si ex Scriptura S. ipsis ostendatur error, probè gnari, muti hujus Judicis sententiam facilè eludi posse, vel textum ipsum vocando in dubium, vel interpretando in commodum suæ Ecclesiæ &c.

Supposita igitur & evidenter probatâ in rebus fidei Lutheranorum discordiâ, quæro nunc, siquis vellet Lutheranam Religionem capessere, ubinam haurire eam posset synceram, puram, & illibatam? Vel si dubium incidat circa dogma fidei inter Lutheranos. v. g. de Justificatione, Ubiquitate Humanitatis Christi &c. de quibus articulis hodiedum apud ipsos controversia est & diversitas, quem Judicem adeant, cui partes ligitantes omnes parére debeant, qui infallibiliter litem decîdat, & clarè &c.? Scriptura sola evidenter non sufficit, cùm omnes eâ se niti clament: Ministerium Verbi externum, aut Magi-

Magistratus Politicus sunt homines, & ideo fallibiles, nec una civitas aut regio attendit, & velut Judicem agnoscit Magistratum aut Ministerium alterius civitatis aut regionis. Interim civitates & regiones ferè omnes inter se discrepant in rebus fidei; ad quam ergo securè ibit, qui puram sequi cupit doctrinam Lutheranæ Ecclesiæ?

An Ecclesia Romana habeat unitatem in tota fidei doctrina?

13. R. affirmativè. Probatur 1. à posteriori; constat enim ab experientia, fideles omnes omni tempore & loco per totum orbem conspirâsse in omnibus fidei articulis, sufficienter propositis, omnésque Ecclesiæ Romanæ Doctores, licèt scripserint in diversissimis locis, temporibus, linguis, miro semper consensu prorsus eadem docuisse dogmata, utut aliàs genio, indole, natione, studijs dissimiles. Nec potest ab Adversarijs ostendi ullus Papa, aut Concilium Generale, quod alicui fidei articulo, ab Ecclesia vel à Scriptura sufficienter jam proposito, contrarium statuisset.

Hic tamen tria advertenda sunt. 1. Successu temporis aliqua posse ab Ecclesia definiri & declarari pro certis fidei articulis, quæ priùs è Scripturis vel Traditionibus non satis clarè eruta, ac definita fuerant; quo casu illa, quæ successu temporis creduntur *explicitè*, utpote explicitè ad credendum proposita, olim & semper credebantur saltem *implicitè*: quod nihil obest unitati in doctrina fidei, sicut unitati non oberat in Veteri Testamento, in quo plurima, in Scripturis contenta de Christo, & alia mysteria, credebantur solùm implicitè per actum universalem credendo omnia, quæ Deus revelavit; quæ nunc præsente Christo magis eruta credi debent explicitè; in hoc enim est nulla contradictio. 2. Antequam aliquid clarè & explicitè definitum sit à Sede Apostolica, & pro articulo fidei nondum sufficienter propositum, liberum esse Doctoribus in utramque partem disputare, & sentire pro libitu citra læsionem unitatis fidei, quæ tantùm versatur circa articulos fidei *sufficienter propositos & clarè definitos*. 3. Doctores privatos, siquid doceant contra articulum fidei definitum, nihil præjudicare unitati Ecclesiæ Universalis; vel enim scienter id faciunt, vel ignoranter: si ignoranter; error iste est materialis, nec ipsos separat ab unitate fidei, quia per actum fidei generalem, quo credunt omnia à Deo revelata, credunt suæ doctrinæ oppositum, & id ipsum, quod explicitè negant per ignorantiam: si scienter; definunt esse Catholici, & fiunt hæretici, persistente interim *Universali* Ecclesia in unitate fidei.

Neque dicas, id ipsum posse responderi à Lutheranis, scilicet eos, qui sentiunt contra fidei articulos à Lutherana Ecclesia receptos, non ampliùs esse Lutheranos, sed hæreticos. Nam contra est 1. Quia Lutherana Ecclesia vel ipsis fatentibus non est Universalis, sed particularis: ergo, qui sentit contra eam, non sentit contra Ecclesiam Universalem, consequenter propterea hæreticus non est. Romana

au-

autem est Universalis, ut hìc supponitur, infrà probabitur. 2. Quia nescitur, quid in multis articulis, quos pro fidei articulis tamen habent omnes Lutherani, sentiat Ecclesia Lutherana v. g. de Ubiquitate Christi, de bonis operibus & justificatione, de libero arbitrio &c. dum una pars hoc, alia aliud sentit. 3. Quia nescitur, penes quos sit pura doctrina Ecclesiæ Lutheranæ, an penes illos, qui receperunt librum Concordiæ, an penes illos, qui illum rejecerunt, utrùm apud Rigidos, vel apud Molles Lutheri discipulos &c. cùm neque libri Symbolici, neque Doctores conspirent, ut vidimus. 4. Quia apud Lutheranos unica credendorum regula est Scriptura; quilibet autem dicet, se juxta Scripturam sentire, etiamsi sentiat contra articulos à Lutheranis receptos; qui igitur probabunt, talem non esse membrum Ecclesiæ Lutheranæ? 5. Quia Lutherani agnoscunt pro suis, qui profitentur se Augustanæ Confessioni addictos, licèt sciant, hos plurimùm inter se discrepare. Et sanè si tantùm illos agnoscerent pro membris Ecclesiæ Lutheranæ, qui in omnibus fidei articulis consentiunt, tunc planè pusillus foret grex, & Ecclesia valde exilis, imò innumeræ forent Ecclesiæ Lutheranæ, ac ferè tot, quot membra Augustanæ Confessionis: quænam ex his erit genuina? Nam unam Ecclesiam non constituunt qui in doctrina fidei non conspirant. At ex hoc ipso, quòd ij, qui habentur pro Lutheranis, non conspirent, sequitur, quòd sicut non unam, ita nec veram constituant Ecclesiam. Et ex hoc ipso, quòd ex secta Lutheri statim aliæ plurimæ, inter se distinctæ, & jam tempore Bellarmini omnino centum numerabantur, pullulaverint, prudentes inferebant, Lutheranam sectam non esse veram Christi Ecclesiam.

Probatur 2. à priori, quia in Ecclesia Romana datur regula credendorum certa, infallibilis, visibilis, scilicet Romanus Pontifex, aliquid definiens pro fidei articulo vel sine vel cum Concilio Universali, juxta ea, quæ diximus *in Papatu nunquam errante*. Unde sic demonstro unitatem & concordiam Ecclesiæ Romanæ in rebus fidei: vel creduntur ubique à Romano-Catholicis ea omnia, quæ proponuntur credenda à Romano Pontifice, credendorum regula; vel non creduntur? Si creduntur ubique, hoc ipso datur unitas & concordia fidei: si non creduntur ubique ab omnibus, qui se profitentur Romanæ Ecclesiæ addictos, tunc isti homines particulares, scienter discredentes, non amplius sunt membra Ecclesiæ Romanæ: ergo omnia membra Ecclesiæ Romanæ semper & ubique necessariò conspirant in fidei doctrina. 14.

Ob. 1. Etiam inter doctores Theologos Ecclesiæ Romanæ sunt gravissima dissidia v. g. de gratia efficaci, de prædestinatione, de causalitate Sacramentorum &c. præsertim inter Dominicanos & Jesuitas: ergo nec apud Papistas est illa adeò decantata unitas fidei. 2. Tot sunt divisiones & schismata apud Romano-Catholicos, quot sunt diversi ordines v. g. Benedictinorum, Augustinianorum, Franciscanorum &c. ergo. R. ad 1. N. Cons. vel Dist. Ant. sunt gravissima dissidia in ijs rebus, quæ 15.

nondum sunt publica Ecclesiæ auctoritate pro articulis fidei definitæ & declaratæ. C. A. in articulis fidei jam definitis ab Ecclesia, vel clarè contentis in Scriptura. N. A. Ingens & multiplex disparitas est inter Catholicos dissidentes, & inter Lutheranos dissidentes. 1. Catholici Doctores non dissident in articulis fidei, sed tantùm in aliqua opinione, scholasticis disceptationibus adhuc relicta, econtra Lutherani dissident in articulis fidei v. g. de Ubiquitate Christi, de necessitate bonorum operum ad salutem &c. 2. Catholici dissidentes simul sunt parati se submittere judicio Ecclesiæ, ejúsque definitioni quamprimum acquiescere, si fuerit secuta, & hinc non absolutè discordant, sed semper sub hac tacita conditione: nisi aliter definierit Ecclesia. 3. Apud Catholicos disceptantes non est pertinacia: sine pertinacia autem nemo est hæreticus. Econtra Lutherani suum placitum absolutè tuentur, & cum ingenti pertinacia, eò quòd alium Judicem nolint admittere, quàm Scripturam, quam tamen quælibet pars per se & pro se esse claram jactitat, suæ imaginationi pertinacissimè inhærens, quidquid dicant alij. Ad 2. N. A. diversi Monachi non in fide, sed in modo vivendi & se vestiendi discrepant; quod tam parùm tollit unitatem in Republica Ecclesiastica, quàm parùm tollit in Politica, si unus albâ, alter nigrâ &c. indutus veste incedat, si unus carnes, alter pisces comedat &c. Neque Fundatores SS. Ordinum fuerunt Auctores novæ doctrinæ fidei, sed institutores severioris vitæ ac disciplinæ.

Ob. 2. Quamvis in Regno Pontificio sit externa quædam unitas, quam ipsi concedimus, inquit Gerardus de Ecclesia n. 239. vera tamen ac interna unitas ipsi deest. 2. Unio in Ecclesia Romana est servilis & coacta à Papa, qualis est unio miscellanei exercitûs, in quo sunt milites sub uno quidem Duce, sed variè affecti interiùs: ergo non est vera unitas fidei. R. ad 1. Gratis & sine fundamento negatur nobis unitas vera ac interna in rebus fidei, si conceditur externa unitas in professione externa eorundem dogmatum. Talis enim quisque debet præsumi esse interiùs, qualem se gerit exteriùs, nisi probetur esse hypocrita. Et quamvis de singulis non sit certum, an habeant eandem fidem internam, quam profitentur exteriùs, de tota tamen collectione certum est, quòd in ijs saltem aliqui (quamquam ego ordinariè de plerisque, & majori parte verum esse censeam) habeant etiam veram fidem internam, ne pereat tota Ecclesia, quam perire, non posse, suprà ostendimus. Ad 2. N. Ant. Nam omnes boni Catholici in consueta fidei professione jurata dicunt, se fidem Ecclesiæ Romanæ profiteri *sponte*. Neque obstat, quòd subjiciant suum sensum sensui Ecclesiæ, quia id liberè præstant, sicut quando subjicimus sensui Christi, vel Sectarij subjiciunt suo proprio sensui verba Scripturæ. 16.

SYL-

SYLLOGISMUS II.

Vera Christi Ecclesia debet habere Caput visibile, & Judicem supremum ac infallibilem.
Sed Lutherana non habet visibile Caput, & Judicem supremum ac infallibilem.
Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Major probatur evidenter

1. Ex Scriptura S. in qua comparatur
17. Ecclesia *Corpori.* Eph. 4. *Regno.* Dan. 2. *Domui.* 1. Tim. 3. *Navi.* 1. Petri 3. *Exercitui ordinato.* Cant. 6. Atqui in corpore debet esse Caput, in Regno Rex, in domo Patersamilias, in navi Gubernator, & in exercitu Dux quidam supremus; verbo unum Caput supremum, cui omnes pareant, idque visibile. Cùm igitur Ecclesia sit Corpus, Regnum, Domus &c. visibilis, ut ostensum de Visibilitate Ecclesiæ, pariter Rector & Caput visibile ipsi adaptatum sit oportet, subordinatum tamen Capiti invisibili principali Christo, à quo Ecclesia regitur invisibiliter.

Confirmatur 1. Christus defacto suæ Ecclesiæ constituit Caput aliquod sui Vicarium, visibile, & in terris supremum, nempe D. Petrum, dicens ei soli: *Pasce oves meas.* Jo. 21. *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Mat. 16. ergo D. Petrum constituit supremum Pastorem, cui omnes, quotquot volunt esse oves Christi, sive Apostoli sint, sive Episcopi, sive alij fideles, obedire voluit, ejúsque doctrinam fidei (hac enim pascuntur oves rationales) in omnibus sequi; consequenter, ne tota erret Ecclesia, infallibilitatem ipsi conferre debuit in *solvendis quibuscunque* fidei controversijs. Eadem autem forma Ecclesiæ, quam Christus instituit, semper durare debet. Confirmatur 2. Apostolus ait: *Oportet hæreses esse.* 1. Cor. 11. v. 19. ergo oportet & Judicem esse visibilem ac infallibilem, qui errantes corrigat, fideles confirmet, dubia solvat, controversias decidat, quem homines adire & audire possint.

2. Ex universali dictamine omnium 18.
gentium, usu, & praxi; quippe constat a posteriori, nullam fuisse unquam gentem tam barbaram, quæ, postquam semel in societatem civilem coiverat, non sibi aliquod vivum, visibile, & supremum Caput, ac Judicem (abstrahendo, an suprema hæc auctoritas sit penes unum vel plures) constituisset. Idque confirmant judicia Philosophorum, qui magistratus omnes probabant, specialiter tamen Regimen Monarchicum, tanquam optimum. Quæ Gentes & Philosophi, quamvis omnino judicârint, Deum (vel Deos) esse alio-

lioquin ſupremum rerum humanarum arbitrum, nihilominus tamen aliquem ex hominibus, Deo ſubordinatum, Judicem cujuslibet Communitatis ſtatuendum eſſe cenſuerunt. Si igitur naturale lumen omnibus dictat, cuilibet Communitati præficiendum eſſe aliquod Caput viſibile, & ſupremum Judicem, Deo quidem ſubordinatum; quis id negabit Eccleſiæ Chriſti, cùm & ipſa ſit aliqua Communitas, & quidem *ordinata*, cui utique Chriſtus non minùs providerit pro ſua infinita ſapientia & dilectione Sponſæ ſuæ, quam providit Natura Communitatibus Politicis. Neque deſeruerit Regnum ſuum ſecundùm viſibilem præſentiam, quin ei conſtituerit ac perpetuò conſervet Pro-Regem, qui ſuas vices ſupleat in viſibili Regimine (ſine hoc enim ſenſibiles homines non poſſunt regi connaturaliter) ac omnibus cum ſuprema poteſtate præſit tanquam ſummus Judex.

19. 3. Ex ratione. In qua Eccleſia nullus eſt Judex ſupremus, auctoritate infallibilis, ibi immortales ſunt lites, interminabiles controverſiæ, nulla in fide conſenſio, nulla in credentibus concordia, nulla unitas, &, quod caput eſt, nulla firmitas & certitudo in credendo. Ferè ſicut, ſi in aliqua Republica Politica nullus eſſet Judex & via legitima componendi Controverſias civiles, mera foret confuſio, omniaque litibus perſonarent & diſſenſionibus. Ergo neceſſe eſt, ut in vera Chriſti Eccleſia, in qua debet eſſe pax & concordia fidei, ſumma certitudo in credendo &c. exiſtat aliquis Judex ſupremus, ac infallibilis. Quin & viſibilis; quia ut aliquis Judex ſit utilis Communitati, debet poſſe adiri & audiri à Partibus litigantibus, & ita ab eo pronuntiari ſententia, ut Partibus evidenter conſtet, penes quam ſit victoria. Atqui niſi Judex ſupremus in Eccleſia eſſet homo viſibilis, non poſſet adiri & audiri ab hominibus, qui ſunt Partes litigantes: ergo &c.

Ob. 1. ex Scriptura. *Chriſti regnam non eſt de hoc mundo.* Jo. 28. Et 20.
cùm contentio eſſet orta inter diſcipulos, *quis eorum videretur eſſe major.* Luc. 22. Chriſtus eos reprehendit, & dixit: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* Item cùm Apoſtolus Eph. 4. deſcriberet Regimen Eccleſiæ, nullam fecit mentionem unius Capitis & ſupremi Judicis, dum ait: *Et ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos* &c. *Unum Corpus, unus Spiritus* Nec dixit: unum Caput viſibile, Pontifex, ſupremus Judex. R. Chriſti Regnum non eſt quidem *de hoc mundo*, hoc eſt, non eſt mundanum & ſæculare; eſt tamen *de hoc mundo*, hoc eſt, aliquo Capite viſibili & Judice ſupremo inſtructum, ſicut Regna hujus mundi, & inter homines conſtituta. Chriſtus non reprehendit ſimpliciter in ſuis diſcipulis aliquam præeminentiam, ſed illam, quæ ambitioſè affectatur, & deſpoticè geritur, ut ſit apud Reges Gentium. Apoſtolus ibi non deſcripſit ordinem & Hierarchiam Eccleſiæ, ſed varia enumeravit dona, quæ ſunt in Eccleſia. In altero textu implicitè

innui-

innuitur *Caput* per verba *unum Corpus*, nam Corpus sine Capite, & quidem proportionato, monstrum est.

21. Ob. 2. Ecclesia est Corpus mysticum Christi: ergo solus Christus est Caput Ecclesiæ; in corpore enim mystico non requiritur Caput visibile. 2. Si Ecclesia præter Christum habet aliud Caput, est biceps, & monstrosa. 3. Ecclesia est Sponsa Christi: ergo præter Christum non debet dari alius Sponsus, vel aliud Caput; nam *vir*, seu Sponsus, *est caput mulieris*. Et per se absurdum est, ut Vicarius Regis sit Sponsus Reginæ: ergo licèt aliquis esset Vicarius Christi in regenda Ecclesia, is tamen non posset esse Sponsus & Caput Ecclesiæ. R. ad 1. Dist. Ant. est Corpus mysticum Christi, constans tamen ex meris membris physicis & visibilibus, scilicet ex collectione fidelium, qui indigent Rectore pariter visibili & Capite proportionato C. A. constans ex membris mysticis & invisibilibus &c. N. A. Corpus mysticum dicitur eatenus, quatenus membra Ecclesiæ constituunt unum corpus morale, à Christo erectum, sanctificatum, & perpetuò gubernandum per internum & in visibilem influxum. Deinde solus Christus est quidem Caput Ecclesiæ principale, & nunc invisibile, hoc tamen non impedit, quò minùs admitti possit aliud Caput visibile, vicarium, subordinatum. Ad 2. Neque propterea Ecclesia fit biceps, sicut biceps non fit Regnum Politicum, si Rex absens constituit Pro-Regem & Vicarium suprema potestate donatum; sicut mulier non fit biceps, si præter Caput naturale acquirat aliud morale, nempe virum. Si Ecclesia non haberet Caput proportionatum, scilicet visibile, foret acephala, hoc est, sine Capite, satis utique monstrosa. Ad 3. N. Cons. Allegoria de Sponso & Sponsa rectè quidem accommodatur Christo & Ecclesiæ, sed non in omnibus: sicut nec allegoria de Capite & Corpore physico in omnibus quadrat; nam Corpus physicum non habet unum Caput principale, & aliud subordinatum, licèt Corpus morale & mysticum habere possit. Neque in moralibus absurdum est Vicarium esse Sponsum Reginæ subordinatum; licèt in physicis desponsationibus absurdum foret.

Minor patet ad oculum

22. 1. Ex evidenti inspectione gubernationis, quæ viget in Ecclesia Lutherana. Lutherani enim non agnoscunt inter se ullum Principem sæcularem, aut Prædicantem, aut Superintendentem, qui toti Confessionistarum Ecclesiæ præsit, sed quisque Princeps in sua ditione (independenter ab alterius auctoritate) Ministerium suæ Ecclesiæ instituit, & ordinat: hi autem Ministri, à Principe sæculari alicujus provinciæ, vel à Magistratu alicujus civitatis constituti, nihil prorsus auctoritatis habent in alijs Provincijs, in alijs Civitatibus, eidem Confessioni Augustanæ addictis. Ita Prædicantes, & Ministerium Wirtenbergense, nihil possunt in ditione Hannoveriana, Danicum nihil in ditione Saxoniæ, Augustanum nihil Ulmæ, Norimbergense nihil Ratisbonæ &c.

2. Ex Confessione propria Lutheranorum-

norum. sic Lutherus in assertionibus articulorum art. 29. ait: *Via nobis facta est enervandi auctoritatem omnium Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta.* Et alibi: *Capite hoc Evangelium, quia neque Papæ, neque Conciliis, neque ulli hominum commissum est, ut concludat, quid sit fides. Ideo debeo dicere, Papa, tu concluſisti cum Concilijs; nunc habeo ego judicium, an acceptare queam nec ne.* Et in Præf. assert. articulorum: *Scriptura ipsa per seſe certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpres, omnium omnia probans, judicans* &c. Sic Hunnius Sess. 13. protocoll. Monac. edit. 2. p. 295. & 302. *Non tantùm possunt, sed etiam debent Christiani, judicium examinare, an decisio facta sit secundùm canonem Verbi Dei.* Et quamvis Prædicantes in Colloquio Ratisbon. fassi sint Sess. 9. præter Scripturam S. esse aliquem Judicem vivum, scilicet *ipsum Ministerium Verbi*, hoc est, Prædicantes; simul tamen addiderunt, hunc ipsum Judicem non esse supremum, non judicare authoritate Prætoria, cui videlicet absolutè & sine alia inquisitione obtemperandum sit; ejus judicium esse non potestatis, sed interpretationis; non absolutè infallibile, sed sub hypothesi tantùm incerta, si videlicet, & quamdiu sequitur ductum Divini Verbi &c. Vide Tannerum Anat. p. 2. Demonst. 6. §. 2. Nec suaserim ulli Ministerio, ut sibi in judicando supremam auctoritatem arroget; mox enim, & jure, peteretur ab eo, ut suæ potestatis & infallibilitatis documenta ostenderet, Divinum chirographum &c. Haud dubiè cæteri Prædicantes reponerent, se æquè sapere, æquè doctos, probos, à Deo illuminatos, ac Scripturarum peritos esse &c. nec indigere aliorum magisterio &c. Hæc & similia utique humilitas Prædicantica, & spiritus omnibus apostatis propè congenitus, eructare non desisteret.

3. Ex superbo ac notorio contemptu & repudiatione legitimi Judicis, nempe Romani Pontificis, qui à Christo constitutus Jo. 21. *Pasce oves meas* &c. in possessione muneris Pastoralis Universalis, ac supremi Regiminis jam tempore Lutheri per 15. sæcula exstiterat.

Ob. 1. Scriptura S. est optimus Judex, nec opus est alio: Scripturam S. habent Lutherani: ergo. R. N. M. Ratio negandi est 1. Quia Scriptura est lex: sed lex in nulla Republica humana est Judex, sed præter leges constituitur Judex, cum auctoritate juxta leges pronuntians. 2. Quia non est Judex Universalis, & omnium controversiarum; nam plurimæ sunt lites de ipsa Scriptura, scilicet an sit aliqua Scriptura Divina, quænam illa sit, quibus libris comprehensa, an non corrupta in rebus fidei & morum, & plerumque quisnam sit legitimus sensus Scripturæ &c. has autem controversias non potest decidere sola Scriptura; cùm ista specialiter & clarè non pronuntiet, an interpretatio Lutheranorum sit vera, an verò Calvinistarum, aut Catholicorum &c. sed post litem eadem tibi verba exhibeat, quæ ante litem, adeóque litem non decidat. 3. Quia in multis est ob- 23.

scura

ſcura etiam fidelibus, & linquarum peritis, unde & Chriſtus & Apoſtoli Scripturam Veteris Teſtamenti, quæ erat de Chriſto, interpretabantur Auditoribus ſuis. 4. Quia etiam ſumma myſteria, uti Trinitatis, Proceſſionis Spiritûs S. numerum Sacramentorum &c. non ſatis exprimit, aliaque ad ſalutem neceſſaria, uti Baptismum parvulorum, &c. 5. Quia utique litteram nudam Scripturæ ſeu corticem non aſſignabunt pro Judice Controverſiarum Lutherani, ſed interpretationem genuinam illius ac ſenſum legitimum. *Nec enim putemus, in Verbis Scripturarum eſſe Evangelium, ſed* in ſenſu; *non in ſuperficie, ſed in medulla &c. Grande periculum eſt, in Eccleſia loqui, ne fortè de interpretatione perverſa de Evangelio Chriſti hominis fiat Evangelium, aut, quòd pejus eſt, diaboli.* Verba ſunt S. Hieron. in c. 1. epiſt. ad Galat. to. 6. Atqui de interpretatione genuina & legitimo ſenſu Scripturæ potiſſima lis eſt, nec à Scriptura deciditur: ergo.

Dices. Spiritus S. in- & per Scripturas loquens eſt Judex, utique legitimus: ergo. R. N. A. tum quia non omnia myſteria per Scripturas nobis loquitur clarè, & quidem neceſſaria ad ſalutem, tum quia non decidit controverſias de ipſa Scriptura agitabiles, tum quia non clarè explicat ſenſum genuinum Scripturæ, tum quia Judex legitimus debet eſſe talis, quem partes litigantes poſſint adire, audire, & ita diſtinctè percipere, ut altera pars evidenter ſciat, ſe cauſam obtinuiſſe, altera evidenter ſciat, ſe cauſam perdidiſſe, quantum eſt ex parte hujus Judicis. Atqui Scriptura, vel Spiritus S. loquens per Scripturam, non ita diſtinctè dicit ſententiam, ut altera pars evidenter ſciat, ſe cauſam obtinuiſſe, altera ſe eam perdidiſſe, quantum eſt ex parte hujus Judicis: ergo. Denique ſi Scriptura, vel Spiritus S. per Scripturam loquens eſt ſufficiens Judex, quare conſtituunt Lutherani tot Miniſtros Verbi, & Prædicantes ad diſcenda fidei dogmata? Ad quid perditio hæc in inutilibus his hominibus ſuſtentandis cum eorum familia, uxore, & liberis, ſi Scriptura, & Spiritus S. loquens in- & per Scripturam ipſos ſufficienter doceat tanquam certiſſimus, infallibilis, & univerſalis Judex? Spiritus S. non tantùm per Scripturas voluit nobis loqui, ſed etiam per Eccleſiam & inſtrumenta animata per Vicarium Chriſti.

Ob. 2. Magiſtratus Politicus poteſt 24.
eſſe Judex legitimus etiam in controverſijs fidei: ergo Lutherani habent legitimum Judicem. R. N. Ant. Ratio negandi eſt 1. Quia iſte Judex non eſt Univerſalis per totam Eccleſiam Confeſſioniſtarum, nam una Regio vel Civitas ſicut in Politicis, ita nec in Eccleſiaſticis, paret Principi vel Magiſtratui alterius Regionis vel Civitatis. 2. Quia non eſt infallibilis, cùm juxta Lutheranos omnis homo ſit fallax & mendax. 3. Quia caret legitima poteſtate, quia à Chriſto nunquam eſt dictum Magiſtratui Politico: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: ſuper te ædificabo Eccleſiam meam: quodcunque ſolveris: paſce oves meas &c.* à populo autem, quæ hanc ſpiritualem poteſtatem ducendi animas ad finem ſu-

pernaturalem ipsámet non habet, accipere non potest. 4. Quia Ecclesia primitiva per 300. annos regebatur à Capite visibili & supremo quodam Judice, non tamen à Principe Politico, quia per illud tempus ferè totum fuit nullus Princeps sæcularis, Christianam fidem amplexus. Idem ferè dic de Ministerio Verbi cujuslibet ditionis privatæ.

25. Ob. 3. Spiritus S. hominem interiùs docens & illuminans est sufficiens Judex: hunc habent Lutherani sibi loquentem: ergo. R. N. M. Ratio negandi est 1. Quia probari non potest, quòd iste spiritus cujuslibet hominis privati sit Spiritûs S. testimonium, & non potiùs spiritus privatus, dictamen erroneum, imaginatio inanis & pertinax, vel omnino spiritûs atri magisterium. 2. Quia diversæ sectæ, imò diversi homines ejusdem sectæ allegant singuli testimonium Spiritûs S. internum, & quidem ad probanda dogmata contradictoriè oppositа. 3. Quia nulli homini privato promissa est divinitus infallibilitas. 4. Quia fideles debent uniformiter instrui & regi: sed spiritus internus diversis diversa dictat. 5. Quia Judex inter homines debet sensu percipi, ejúsque sententia: sed internus spiritus non potest sensu percipi à partibus litigantibus. 6. Quia nulli privato competit potestas coactiva in alios: hæc autem vel maximè requiritur in Judice; aliàs ejus sententia non curatur. 7. Si fideles omnes se dirigi crederent à Deo unicè per internas inspirationes, fieret mera confusio, cum nullus curaret suos Præpositos, & hinc 8. frustra constituerentur Pastores, Doctores, Concionatores &c.

An Ecclesia Romana habeat visibile Caput, & Judicem legitimum ac infallibilem?

R. Habet, & semper habuit, nimirum Romanum Pontificem, vel cum Concilio Universali, vel sine hoc aliquid definientem pro articulo fidei, utpote qui est Vicarius Christi in terris, & Successor in Pontificatu D. Petri, cui Christus omnes omnino *oves suas* sine ulla exceptione *pascendas* commisit Jo. 21. super quem *ædificavit Ecclesiam suam*, cui illimitatam *solvendi & ligandi potestatem* dedit Mat. 16. pro quo *rogavit, ut non deficiat fides* ejus Luc. 22. Atque Romanum Pontificem pro Christi Vicario, ac visibili Capite, & supremo Judice semper à temporibus Apostolorum agnoverunt omnes fideles, ac tota Ecclesia Catholica, quæ propterea *Romana* dici consuevit. Isque in omnes Provincias Christiani orbis exercuit suam supremam potestatem & universalem, instituendo vel deponendo Episcopos, ferendo leges, & censuras, dispensando, appellationes admittendo, hæreses damnando, Concilia Universalia convocando, approbando, ijs præsidendo &c. Proinde est in antiquissima & perpetua possessione supremi Regiminis, & muneris pastoralis Universalis. Vide Theses nostras de *Papatu nunquam errante* per totum, præcipuè art. 4. & infrà cap. 4. §. 4. de Capite Ecclesiæ. 26.

Con-

Confirmatur ex SS. PP. S. Irenæus, qui vixit II. sæculo post Christum, l. 3. c. 3. ita pronuntiat: *Ad Romanam Ecclesiam propter majorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles.* S. Hieron. to. 2. epist. 58. ad Damasum de hypost. nomine: *Hic in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat; ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Optatus Milev. indè probat 2. contra Parmen. Donatistas non pertinere ad Ecclesiam veram, quòd non essent conjuncti cum Syricio Papa. S. August. de Cæciliano Episcopo sic loquitur epist. 162. *Cùm se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua* semper *Apostolicæ Cathedræ viguit* Principatus, *per communicatorias litteras esse conjunctum.* Vide Coccium l. 7. art. 6. Præterea observatum est, illas Ecclesias, quæ ab isto Capite, controversiarum Judice supremo, Pontifice Romano defecerunt, aruisse velut ramos à radice præcisos. Sic contigit Ecclesijs Asiaticis, Africanis, & Græcis, quæ quamdiu cum Romano Pontifice communicârunt, tamdiu erant in flore, ita ut celebrarent integra Concilia, multos numerarent viros vel doctrina, vel sanctitate, vel utraque hac dote simul illustrissimos. Nunc verò his aliisque omnibus ornamentis destitutæ squallent &c.

27. Ob. 2. Integra Concilia, etiam cum Papa, errârunt sæpiùs: ergo Ecclesia Romana non habet infallibilem Judicem. R. Cùm hujus loci non sit ad singula in particulari descendere, quod factum est in *Papatu nunquam errante art.* 5. hìc summatim & generaliter adduco novem fontes, ex quorum uno vel pluribus semper dari poterit sufficiens responsio ad casus particulares. 1. Concilia, ex quibus formantur objectiones, subinde sunt tantùm Particularia, non Generalia; solùm autem decisiones Generalium Concc. faciunt articulum fidei. 2. Vel non sunt unita cum Pontifice, aut approbata ab eodem. 3. Vel approbata quidem, sed solùm ex parte, & non secundùm ea, in quibus est error. 4. Vel, quod adducitur, non est sententia Concilij, sed alicujus tantùm Patris. 5. Vel, quæ proferuntur, solùm sunt argumenta, probationes, & disputationes præviæ; hujusmodi autem non sunt de fide, sed solùm de fide est ipsa sententia definitiva, sive id præcisè, in quo est decisio. 6. Vel verba Concilij subinde depravantur, & perperam citantur ab hæreticis. 7. Vel saltem malevolè trahuntur in perversum sensum. 8. Vel tantùm continent errorem facti, non juris, seu circa factum aliquod particulare, nullam habens connexionem necessariam cum decisionibus fidei. Cùm per errorem Papæ circa factum particulare tota Ecclesia non inducatur in errorem circa res fidei & morum. 9. Vel, si circa mores sit decretum, tantùm est error quoad *circumstantias*, scilicet loci, temporis, personarum &c. non quoad substantiam; si enim erraret quoad substantiam, præcipiendo vitia & prohibendo virtutes, tota Ecclesia deberet credere, vitia esse bona, virtutes malas, & sic

erraret in fide, & desineret esse sancta in decretis morum. Si verò erret quoad circumstantias modi, personarum &c. nimis multas & graves leges ferendo &c. Leges istæ non sunt justæ, adeóque nec obligatoriæ, atque sic Ecclesia, cùm non teneatur eas acceptare, non inducitur in errorem. Ex his fontibus semper haurire poteris aliquam vel plures responsiones, præsertim si in historia Ecclesiastica probè versatus fueris.

28. Ob. 2. Pontifices Romani jam sæpe errarunt, & sibimet contradixerunt: ergo Pontifex Romanus non est legitimus Judex. R. D. A. errârunt aliquoties in vita & moribus tanquam homines privati. C. A. errârunt in rebus fidei tanquam Doctores publici, quâ definientes, & ex Cathedra loquentes. N. A. & C. Quid ad casus particulares respondendum sit, vide in *Papatu nunquam errante art. 7. & 8.* Vel consule primum enumeratos novem fontes, ex quibus petendæ sunt responsiones ad objectiones ex Concilijs petitas; multi ex ijs, præsertim posteriores, etiam hic servire possunt.

Dices 1. Si Pontifex potest labi in alia scelera, non ampliùs est ratio, cur non possit labi in peccata contra fidem: ergo potest errare etiam in fide; cùm intellectus non sit firmior voluntate. R. N. A. nam si Pontifex erraret in fide, quâ definiens, tunc tota Ecclesia erraret in fide, cùm omnes fideles teneantur sequi hunc Judicem, sibi à Deo constitutum, tanquam oves Pastorem: totam autem Ecclesiam Deus non potest permittere in errorem labi. Si verò Pontifex ut homo privatus labatur in alia peccata, non pervertitur tota Ecclesia. Deinde intellectui Pontificis est promissa infallibilitas in fide, non verò voluntati immutabilitas in virtutibus alijs. Pro Petro rogavit quidem Christus, *ut non deficiat fides ejus*, non autem rogavit, ut non deficiat charitas, justitia, castitas &c. illius.

Dices 2. Est probabile, quòd Pontifex, ut homo privatus, possit incidere in hæresim (fit, quòd eam docere, & Ecclesiæ credendam proponere nequeat) ergo potest esse hæreticus: ergo non requiritur unio fidelium cum Pontifice tanquam Capite. R. Transs. Enthymema, quod à Bellarm. & alijs multis non malè negatur; quæro autem: vel Papa hæreticus esset notoriè talis & notoriè contumax? Quo casu deponitur, & desinit esse Pontifex, nullúsque fidelium tenetur ampliùs ei obedire. Vel esset hæreticus occultus? Tunc non esset vitandus, sed Ecclesia cum ipso externam saltem communionem habere deberet; id tamen sine ullo suo periculo; cùm Deus non possit permittere, ut Papa occultè hæreticus vel aliquid definiat, vel (si permiserit eum aliquid definire) ut definiat falsum & hæreticum; eò quòd infallibilitas Pontifici promissa & data sit intuitu Ecclesiæ, ne scilicet tota Ecclesia inducatur in errorem.

ARTI-

ARTICULUS IV.

De Nota Sanctitatis.

SUMMARIUM.

1. *Alia est Sanctitas doctrinæ, alia morum: de utraque est sermo.*
2. *Vera Christi Ecclesia debet esse sancta in doctrina.*
3. *Et hæc sanctitas est nota veræ Ecclesiæ.*
4. *Apud Lutheranos non est sanctitas doctrinæ.*
5. *Quod confirmatur.*
6. 7. *Nec verè promovent gloriam Dei, nec falsi quid nos ipsis imputamus.*
8. *Ecclesia autem Romana verè sancta est in doctrina.*
9. 10. *Quam frustra vitiare nituntur Adversarij.*
11. *Sed & sancta in suorum membrorum vita ac moribus debet esse vera Ecclesia.*
12. *Quæ sanctitas morum est nota veræ Ecclesiæ, imò se sola est nota etiam affirmativa veræ Ecclesiæ.*
13. *Non verò reperitur apud Lutheranos, ut tum à posteriori,*
14. *Tum à priori patet.*
15. *Quomodocunque se excusent.*
16. *Sanctos sibi fingere, vel ad se rapere nituntur plagiarij.*
17. *At Romana Ecclesia semper habuit sanctos homines utriusque sexûs.*
18. *Ut vel ipsi Adversarij fatentur.*
19. 20. *Nec obest, quod in ea semper etiam fuerint scelerati, aut quædam scelera in quibusdam circumstantijs tolerata.*
21. *Miraculis optimè confirmatur sanctitas tam doctrinæ quam morum.*
22. *Quæ triplici modo accipi possunt,*
23. *Tamen duæ tantùm eorum classes ad veritatem comprobandam aptæ sunt.*
24. *Quomodo miraculum verum à falso discerni possit ac debeat.*
25. *Vera miracula sunt certissima signa veræ Ecclesiæ.*
26. *Vera Christi Ecclesia debet esse conspicua miraculis.*
27. 28. *In cassum nituntur eliminare miracula, aut eorum vim infringere Adversarij.*
29. *Etiam hodiedum fiunt, & fieri oportet miracula.*
30. *Apud Lutheranos nullum unquam repertum est verum miraculum, in confirmationem suæ Ecclesiæ aut dogmatum factum.*
31. 32. *Inanes eorum exceptiones.*
33. *At Romana Ecclesia plurimis miraculis per singula sæcula fuit conspicua.*
34. *Non fuerunt effectus naturales, sig-*

figmenta, aut præstigiæ, ut mentiuntur hæretici.

35. *Nec solùm fidem Christianam, sed Romano-Catholicam confirmabant.*

36. *Gerardi vertigo.*

1. SCiendum 1. Sanctitatem, qua de hìc agimus, esse duplicem, scilicet doctrinæ & hominum; sanctitatem doctrinæ poteris dicere etiam speculativam, hominum verò seu membrorum Ecclesiæ sanctitatem practicam, vel sanctitatem morum. Quamvis meo judicio ipsa doctrina rectiùs dicatur sancta tam speculativè quàm practicè; speculativè sancta est, quatenus recte docet credere, practicè sancta est, quatenus rectè docet facere. Unde

Sciendum 2. Ad sanctitatem doctrinæ tria requiri. 1. Ut omnia, quæ docet, sancta sint negativè, hoc est, ut nihil doceat falsum, indecens, iniquum &c. 2. Ut ejus dogmata etiam sancta sint positivè, seu talia, quæ per se placent Deo, bona, decentia, & justa sunt. 3. Ut sancta sint etiam practicè, hoc est, talia, quæ ostendant, quomodo acquirenda sit vera sanctitas morum.

Sciendum 3. Quamvis sanctitas hominum seu membrorum Ecclesiæ simpliciter consistat in gratia sanctificante, & omnes (saltem in infimo gradu) sancti sint, qui sunt in statu gratiæ, & observant mandata Dei sub peccato mortali obligantia; ad majorem tamen sanctitatem membrorum Ecclesiæ requiritur 1. Fides actualis, & observatio mandatorum etiam sub levi peccato obligantium, ita ut hæc saltem non facilè & cum plena deliberatione violentur. 2. Observatio etiam Consiliorum Christi. 3. Dominium passionum, ne perturbent rationem, & dominentur voluntati. 4. Variarum virtutum & bonorum operum exercitium. Et quò ampliùs quis in istis profecerit, eò majorem sanctitatem (quæ sublimior sanctitas vocatur etiam *Perfectio*) obtinebit.

Sciendum 4. Ad discernendam veram Christi Ecclesiam à falsis nos iterum usuros duobus Syllogismis, uno circa sanctitatem doctrinæ, altero circa sanctitatem morum, vel membrorum Ecclesiæ. Cùm verò miracula sint valde illustre signum utriusque sanctitatis, quam habere debet vera Christi Ecclesia tam in doctrina, quàm in membris suis, adjiciemus tertium Syllogismum de miraculis, ex quibus egregiè, sicut sanctitas dignoscitur, ita Ecclesiæ veritas discernitur.

SYLLOGISMUS I.

Vera Christi Ecclesia debet esse sancta in doctrina.
Sed Lutherana non est sancta in doctrina.
Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Majo-

Major est indubitata

2. 1. Ex Scriptura S. *Lex Domini immaculata.* Ps. 18. v. 8. *Justitiæ Domini rectæ* v. 9. *Sobrietatem, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem.* Sap. 8. v. 7. *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.* Psal. 92. v. 9. *Ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo* &c. Apoc. 21. v. 2.

2. Ex Symbolo Apostolico & Nicæno, in quo Ecclesia dicitur *sancta.* Imò Confessio Augustana in terminis docet art. 7. quòd una *sancta* Ecclesia perpetuò mansura sit. Atqui absolutè sancta dici non posset, nisi esset sancta in doctrina. Quis enim ex Lutheranis Ecclesiam Calvinistarum, Zwinglianorum, Anabaptistarum simpliciter sanctam appellabit, eò quòd credat in Christum, habeat Scripturam sanctam, & Baptismum &c.? Itaque requiritur, ut Ecclesia vera in *omnibus* suis dogmatis sit sancta, nihilque falsum, indecens, & injustum doceat, atque ut à vitijs suos cultores abducat, ad virtutes stimulet.

3. Ex ratione. Vera Ecclesia est vera Religio: vera autem Religio in omnibus suis tum dogmatis fidei, tum præceptis morum debet esse sancta, sive Deo placens; nam Religio vera nihil est aliud, quàm modus colendi Deum, ab ipsò Deo profectus, & quidem colendi eo modo, quo ipse vult coli. Ergo omnis ejus doctrina tam fidei quàm morum, utpote à Deo profecta, & voluntati Divinæ (quæ est regula omnis sanctitatis creatæ) conformis, non potest non esse sancta. Et hoc argumentum adeò est evidens, ut à nemine negari queat.

Dicunt tamen Lutherani cum Gerardo suo. Quamvis Ecclesia sit & esse debeat sancta in omni sua doctrina; tamen hæc sanctitas doctrinæ non potest esse nota veræ Ecclesiæ. Probant: non potest constare, an & quænam doctrina sit sancta, nisi ex Scripturis: ergo sanctitas doctrinæ non est nota per se, utpote aliunde primùm probanda. Confirmant 1. Si sanctitas doctrinæ est nota veræ Ecclesiæ, tunc etiam ipsa doctrina sancta erit nota veræ Ecclesiæ, quia hæc duo sunt unum & idem. Atqui posteriùs non admittitur à Papistis, aliàs enim deberent admittere, quòd pura prædicatio doctrinæ sit nota veræ Ecclesiæ: de puritate autem & sanctitate doctrinæ non potest constare nisi ex SS. litteris. Confirmant 2. Sanctitas doctrinæ non potest cognosci, nisi aliquis discutiat omnes articulos alicujus Ecclesiæ: hoc autem est ferè impossibile, præsertim indoctis: ergo sanctitas doctrinæ est ferè incognoscibilis: ergo non potest esse nota. 3.

R. N. assertum. Ad probationem N. A. Quis negabit, sanctitatem doctrinæ, quæ vigebat in Lege Veteri, antequam ulla Scriptura S. exstaret, scilicet ante Moysem, item sanctitatem doctrinæ, quam prædicabat Christus & Apostoli, potuisse cognosci? Sed tunc, primo saltem septennio (nam ante annum Christi 41. nec Evangelium, nec epistola, aut alius liber Canonicus Novi Testamenti fuit conscriptus) non exstabat Scriptura, complectens Christi

doctrinam & Apostolorum. Sanctitas igitur doctrinæ patére potest tum per se & adminiculo luminis naturalis, nullum errorem aut inconveniens in ea videntis, tum ex eo, quòd manifestè appareat apta perducere homines ad virtutis studium, ac retrahere à vitijs, tum quòd actu perducat ad omnem honestatem, lumine naturali cognitam. Hæc igitur doctrinæ *immunitas* ab errore manifesto, & *aptitudo* ad peccatores emendandos, ac implantandas virtutes (adeóque sanctitas doctrinæ, tam positiva, quàm negativa) longè est notior, quàm vera Scriptura; cùm veritas Scripturæ primùm dignosci queat ex veritate Ecclesiæ, veritas autem Ecclesiæ ex sanctitate doctrinæ & alijs notis. Probent enim Lutherani, si viri sint, Gentilibus sanctitatem doctrinæ suæ ex Scripturis. Isti, tamdiu negabunt Scripturæ auctoritatem, donec eam ipsis probaverint ex testimonio Ecclesiæ &c. ut fatetur Gerardus de Ecclesia c. 10. n. 126. Quomodo igitur alibi dicere potest, doctrinæ sanctitatem non posse constare nisi ex Scriptura?

Unde patet ad Confirmationem 1. Nos Catholici enim, quando dicimus, Sanctitatem doctrinæ (vel doctrinam sanctam, quæ duo utique idem sunt) esse notam veræ Ecclesiæ, intelligimus talem sanctitatem, quæ consistit in immunitate ab errore manifesto & aptitudine ad emendandos peccatores &c. quæ patére possunt independenter à Scriptura S. Ad 2. Confirmationem N. M. nam si rudis (rationis tamen capax) nullum videt errorem manifestum in doctrina, quam hausit, & aliunde novit per famam & experientiam, homines juxta hanc doctrinam viventes fieri valde sanctos, à gravioribus vitijs liberos, virtutum studiosos, item valde multos hujusmodi vitæ sanctimoniâ insignes adstipulari huic doctrinæ &c. satis cognoscit sanctitatem doctrinæ, quin discutiat particulari examine omnes & singulos articulos. Unde Ecclesiam veram optimè discernere poterit à falsa, si unius doctrinam videat immunem ab errore manifesto, atque aptam stimulare homines ad majorem Dei cultum tum externum, tum internum, ad diligens Pietatis, Castitatis, Charitatis aliarúmque virtutum studium &c. actu perducentem; non item doctrinam alterius Ecclesiæ.

Minor probatur facilè

1. Ex oculari inspectione articulorum Ecclesiæ Lutheranæ, quorum aliqui 1. evidenter sunt incredibiles & falsi. 2. Aliqui simul evidenter Deo injuriosi & indecentes. 3. Aliqui evidenter sceleribus faventes & virtutibus inimici. Adeóque Sanctitate tam negativa quàm positiva, speculativa & practica destituti. Hos autem articulos, quos habent Lutherani Auctores & libri magni nominis (quod paratus sum postulanti ostendere) nunc recensebo. 4.

Evidenter incredibiles & falsi sunt 1. hominem carere libero arbitrio ad faciendum bonum & omittendum malum. 2. Non posse observare mandata Dei. 3. Peccare per omnem concupiscentiæ motum mortaliter, etiamsi is involuntarius sit & indeliberatus, in infantia, in amentia, in somno contingens, ut

ex-

expressè docet Lomerus in seiner fort-gesetzten Abfertigung. 4. Etiam justum in omni opere bono peccare, & quidem mortaliter, cùm juxta ipsos omne peccatum ex natura sua sit mortale, & dignum supplicio æterno. 5. Lutheranos esse certissimos certitudine fidei de sua salute &c.

Evidenter injurioſi Deo ac indecentes sunt 1. Deum præcipere & exigere ab hominibus observationem suorum mandatorum, & impletionem legis, nec tamen ijsdem dare vires ad id necessarias; quod est facere Deum insipientem & stultum. 2. Deum punire eos æternùm, qui violant sua mandata, cùm tamen observare non potuerint; quod est Deum facere tyrannum, injustum. 3. Deum præcipere, ut homines peccent mortaliter; cùm præcipiat aliqua opera sub gravi obligatione, quæ tamen præstari non possunt ab hominibus; imò facere, ut omnia opera, quia nunquam fieri possunt, quin aliquid imperfecti, consequenter mortaliter peccaminosi admixtum habeant, sint mortaliter peccaminosa: quod est Deum facere peccatorem, & auctorem peccati. 4. Deum gravissimè peccantes, modò credant se esse justos & non puniendos, sed salvandos, non punire; quod est Deum facere fautorem scelerum & sceleratorum. 5. Deum reputare justos, qui tamen re ipsa peccatores sunt, scilicet peccatis originali & actualibus (tectis tamen) gravissimis inquinati; quod est Deum facere ineptè indulgentem affectui. 6. Deum aliquos salvare & æternùm præmiari propter fidem, alios autem æternùm punire igne infernali propter carentiam fidei; cùm tamen nec illis fides, nec istis carentia fidei fuerit libera, cùm solus Deus operetur fidem, & alios actus spirituales in hominibus, ad salutem necessarios, homines autem careant potestate & libero arbitrio ad eos eliciendos vel omittendos; quod est facere Deum injustum personarum acceptorem. 7. Christum etiam quoad naturam Divinam fuisse Mediatorem inter Deum & hominem; quod est facere Christum minorem Patre, licèt Deus sit, vel omnino negare, ipsum esse Deum &c. Taceo blasphemas propositiones Lutheri, dicentis, *diabolum esse Deum nostrum juxta Scripturam.* Tom. 2. Witt. Germ. 1548. pag. 266. Et: Christus JEsus ist / lieber Teufel / auch dein Teuffel worden. Tom. 1. Witt. p. 87. b. in c. 2. ep. ad Gal. anno 1538. explicatum. Christus fuit *maximus peccator. Maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus.* Colloq. Mens. f. 101. item to. 1. Witt. fol. 86. 152. 153. in Epist. ad Gal.

Evidenter faventes sceleribus, & inimici virtutibus sunt 1. hominem justificari & salvari per solam fidem; quod angustam cœli portam nimis dilatat. 2. Bona operà non esse necessaria ad justificationem, & salutem, imò obesse; quod extinguit studium virtutis & bonorum operum. 3. Summam mandatorum Dei esse *agere pœnitentiam & credere in Evangelium*; agere autem pœnitentiam nihil esse aliud, quàm se emendare; quod est probare peccata

præterita, vel saltem non improbare. 4. Præter fidem requiri quidem opera bona, sed solùm ut effectum & testimonium fidei coram hominibus, non verò coram Deo, ubi nihil valet, nisi fides; quod est facere hypocritas humanis oculis servientes. 5. Non-renatos nullum posse elicere actum fidei, charitatis Dei &c. internum, non-renatis autem æquiparari eos, qui per peccatum violant fœdus Baptismale, ut docet Gerard. de Eccl. n. 252. adeóque Lutheranos, cùm peccent ferè singulis momentis juxta sua ipsorum principia, non posse credere, Deum diligere &c. quod facit homines desides in exercitio harum virtutum, & nec meriti nec demeriti capaces, utpote non liberos. 6. Præcepta Divina non posse observari; quod facit audacter transgredi præcepta, cùm nulla sollicitudine servari possint. 7. Confessionem distinctam peccatorum non esse faciendam homini; quod est frænum optimum adversus vitia tollere. 8. Vota castitatis, obedientiæ &c. non debere observari; quod est facere sacrilegos. 9. Hominem per omnia sua opera, etiam optima, nihil mereri apud Deum, non fieri Deo gratiorem, nec plus præmij habiturum &c. quod est Deo minuere gloriam, & tollere eorum virtutis. 10. Jejunia, peregrinationes, afflictiones corporis voluntarias nihil prodesse coram Deo; quod est fovere carnem & augere tentationes. 11. Sanctos religiosè coli & invocari non posse; quod est debito honore privare Sanctos in cœlo, homines verò in terra existentes illorum patrocinio, & sequtura indè ingenti utilitate. 12. Pro Defunctis non esse orandum; quòd est communionem Sanctorum, & charitatem erga miseros tollere. 13. Omnibus rei uxoriæ dandam esse operam, & Matrimonium esse præceptum; quod est consilium & exemplum Christi spernere, ac Sanctorum. 14. Nullum esse peccatum, per quod homo excidere possit æterna felicitate, præter infidelitatem; quod est latam viam aperire omnibus sceleribus.

2. Probatur ex eo, quòd doctrina Ecclesiæ Lutheranæ non sit sancta, quia per illicita adminicula introduci & conservari debuit, scilicet 1. per falsationes SS. litterarum, uti sæpiùs fecit Lutherus, v.g. dum ista verba Rom. 3. v. 20. *per legem cognitio peccati*, ita vertit: Durch das Gesätz kombt nur Erkantnüß der Sünden. Quasi verò lex *tantùm* ideo esset data, ut cognoscatur peccatum, & non potiùs ut observetur. 2. Per fraudes, quibus Catholicos infamant, quasi adorarent ligna & saxa non aliter, ac Ethnici sua Idola, quasi Sanctos & B. V. adorarent ut Deos, quasi merita Christi nihil, sua autem maximè curarent &c. 3. Per alia mendacia innumera, quibus vel aliqua dogmata affingunt Catholicis, vel pessimè interpretantur, vel viris egregijs varia crimina v. g. proditiones principum, cædes regum, varia turpitudinum genera impijssimè impingunt &c. illos præsertim, qui eorum conatibus maximè obsistunt, per libellos famosos, per publicas conciones &c. ubique infamare, & contemptibiles reddere satagunt &c. confictis re-

5.

scio

scio quibus criminibus. Idque semper fecerunt, & adhuc faciunt.

6. Ob. 1. Illa doctrina verè est Sancta, quæ solius Dei & Christi Mediatoris gloriam maximè promovet, humanum econtra fastum & arrogantiam deprimit: sed utrumque facit doctrina Ecclesiæ Lutheranæ: ergo. Min. prob. docet, solum Deum esse adorandum & invocandum, non Sanctos, & creaturas: item docet, omnem fiduciam esse collocandam in Christi meritis, nullam in hominibus, aut in meritis proprijs &c. ergo. R. D. M. quæ maximè promovet gloriam Dei &c. verè, & in omnibus. C. M. Quæ solùm fictè id facit, nec in omnibus dogmatis. N. M. Quàm Deo injuriosa, omnique honestati iniuica dogmata alia reperiantur in Lutheranismo, paulò antè vidimus. Adde, quòd nec allata verè promoveant gloriam Dei & Christi, sed tantùm fictè. Magis enim reipsa glorioſum est Deo, hominúmque fastum deprimit, si isti non soli audeant comparere coram tanta Majestate sine Patronis, qui tanquam familiares & dilecti amici tanti Regis invocantur tanquam intercessores: utique enim magis glorioſum est Principi supremo, si habeat supplices non tantùm gregarios & plebem, sed etiam magnates & principes, qui & ipsi omnem suam dignitatem se ei tatentur debere. Rursus meritis Christi nihil derogatur, sed potiùs augetur gloria Christi, si dicatur, eum non solùm meruisse nobis primam gratiam & gloriam æternam, sed etiam ijs, qui semel ab eo in gratiam sunt recepti, ac libertate prædiri, vires impetrasse per sua merita merendi augmentum gratiæ & gloriæ æternæ: sicut Omnipotentiam Dei non deprimit, sed extollit, qui dicit, eam non agere omnia per se solam, sed etiam rebus creatis contulisse vim agendi. Neque propterea per se datur ansa superbiendi creaturis, cùm agnoscant & fateri cogantur, se sibi solis relictas nihil omnino posse, posse tamen & debere quemlibet cum Apostolo dicere: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Phil. 4. Item: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15.

7. Ob. 2. Multa impinguntur Lutheranis à Catholicis, quæ ipsi non docent. Sic 1. non docent absolutè, mandata Dei non posse obsetvari, sed tantùm, non posse *perfectè* in hac vita impleri. 2. Opera bona requiri tanquam signa & effectum fidei, licèt non requirantur ut dispositio ad justificationem, & ut merita. 3. Etiam Lutherani hortantur ad observationem mandatorum Dei, & ad exercitium bonorum operum. R. 1. me paratum esse omnia, quæ retuli, ostendere vel in libris Lutheri, vel in libris Lutheranorum Symbolicis, imò pleraque etiam in lucubrationibus Lomeri, qui *hic* & *nunc* scripsit. Audiamus unum vel alterum apophtegma Lutheri. In argumento in epist. ad Gal. editionis primæ sic pronuntiat: *Summa ars & sapientia Christiana est nescire legem, ignorare opera, & totam justitiam activam.* Ad c. 2. epist. ad Gal. *Quando sic docetur: fides justificat quidem, sed simul servare oportet mandata Dei, quia scriptum est: si vis ad vitam ingredi, serva mandata; ibi statim Christus negatus est* &c.

In assert. art. art. 31. *Justus in omni opere bono peccat.* De Captiv. Babyl. c. de Baptismo. *Nulla peccata hominem baptizatum damnare possunt, nisi sola incredulitas.* Alibi : *Nihil ad nos Christianos præcepta Decalogi pertinent.* Quod idem reperi in Colloquio Altenburgensi. §. 2. Quamvis defacto non ita docerent omnes, aut etiam non ita doceant ubique, tamen causam suam non faciunt meliorem, quia indè intelligitur manifesta discordia in rebus fidei, dum moderni contradicunt antiquis, hìc existentes alibi degentibus.

8. §. 3. ad singula. Ad 1. sufficit, modò fateantur, Deum exigere sub peccato mortali tam perfectam observationem mandatorum, quàm perfecta in hac vita possibilis non est; ex hoc enim jam sequitur, Deum imprudenter præcipere, injustè minitari transgredientibus infernum &c. Ad 2. Imprimis aliter docuit Lutherus, & Rigidi Lutherani : deinde quæro : vel sine bonis operibus possunt homines justificari & salvari, vel non? Sive deinde dicas, ea requiri per modum causæ & dispositionis, sive per modum effectûs & signi. Si non possunt : ergo opera bona sunt necessaria ad salutem, falsúmque est, fidem solam sufficere, quod semper jactant : si possunt salvari sine bonis operibus, nemo curabit multùm bona opera, & sic sequentur illa absurda, suprà. n. 4. insinuata. Ad 3. Quid juvat exhortari ad observationem mandatorum Dei, si observari non possint? ad exercitium bonorum operum, si ista sint peccaminosa, ad salutem non necessaria?

Dices. Justè potest Deus exigere ab homine, quod sibi debetur, si homo propriâ culpâ id sibi impossibile reddidit : sed homo per peccatum originale propriâ culpâ sibi reddidit impossibilem observationem mandatorum Dei : ergo justè eam Deus ab illo exigit, tanquam sibi debitam. 2. Non possumus Deum diligere, uti diligendus est : neque evitare motus concupiscentiæ : ergo primum & ultima duo mandata Decalogi non possumus observare. §. ad 1. N. Ma. N. Mi. & Cons. Quis enim justè & prudenter exigeret à servo suo pedibus destituto, ut ambulet; licet servus pedes suos propriâ culpâ amisisset v. g. rixando? Dein per peccatum originale difficilior quidem nobis facta est observatio mandatorum Dei, non tamen impossibilis, adjuvante Dei auxilio, semper parato. Ad 2. Non præcipitur nobis summa intensio in amando Deo, quæ utique impossibilis est etiam Sanctis in cœlo : sed tantùm præcipitur amor appretiativè summus, ita ut Deum præferamus omnibus rebus creatis, existentibus & possibilibus, quæ possent nos separare à Deo; quod facere possumus. Motus concupiscentiæ non sunt peccata, quamdiu non accesserit consensus voluntatis, quem semper habemus in nostra potestate, & cohibere valemus.

An Ecclesia Romana sit sancta in doctrina?

R.

8. R. quòd fic. Probatur 1. Quia nihil docuit unquam rectæ rationi contrarium, & falsum; nihil Deo indignum, & indecens; nihil iniquum. Nihil enim tale à lynceis Adversarijs unquam deprehendi & ostendi potuit: ergo est sancta in doctrina negativè. 2. Quia Ecclesia Romana non tantùm prohibet omnia, quæ sunt contra mandata Dei, contra dilectionem proximi, & contra lumen rationis, sed etiam insuper hortatur suos, & urget tum per consilia, tum per præcepta, ad omnis generis opera pia, sancta, Dei honorem ac hominum salutem promoventia: qualia sunt orationes frequentes, publicæ & privatæ, sacrificia tum celebranda tum audienda, Sacramentorum decens usus, castigationes corporis variæ; præsertim jejunia, opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia, eleemosynæ &c. ergo ejus doctrina est etiam sancta in doctrina positivè & practicè. 3. Quia hortatur suos, ut etiam sequantur consilia Christi, ut scilicet per observationem accuratam voluntariæ paupertatis, perpetuæ castitatis, & obedientiæ perfectæ ad apicem sanctitatis & perfectionis Evangelicæ perveniant: ad quas virtutes inviolabiliter observandas multa millia imò multi milliones voto nuncupato se jam obstrinxerunt, relictis sæpe ingentibus divitijs, summis mundi dignitatibus, & quandoque etiam sceptris & coronis, integris principatibus & provincijs &c. ergo est sancta eminenter.

9. Ob. 1. Ecclesia Romana vilipendit Scripturam S. eique æquiparat verba Pontificis, Traditiones humanas &c. ergo in sua doctrina non est sancta. 2. Doctores Catholici docent valde laxas sententias contra bonos mores v. g. fornicationem simplicem non esse peccatum: ergo. R. ad 1. Falsum est, quòd Ecclesia Romana vilipendat Scripturam S. sed id asserit, quòd Traditiones Divinæ & Apostolicæ habeant eandem prorsus auctoritatem, quam habent Scripturæ Divinæ & Apostolicæ, quatenus nempe Deus nobis loquitur non minùs per Traditiones istas ab Ecclesia propositas, quàm per Scripturas nobis ab Ecclesia propositas & declaratas. Neque interest, an Verbum Dei sit scriptum, vel traditum, modò constet, quòd sit Verbum Dei. Imò per Traditionem & auctoritatem Ecclesiæ debet nobis constare, an & quænam Scriptura sit Divina & Apostolica. Unde negatur suppositum, quòd Verbum Pontificis ex Cathedra pronuntiantis, aut Traditiones sint verbum hominum, nisi instrumentaliter tantùm, sicut est ipsa etiam Scriptura: principaliter verò & originaliter sunt Verbum Dei, nobis loquentis per os Ecclesiæ. Ad 1. Licèt aliqui privati Doctores subinde tradiderint nimis laxas sententias, tamen illas non approbat Ecclesia: imò ejusmodi propositiones solent gravissimè prohiberi à summis Pontificibus, uti factum est ab Alexandro VII. Innoc. XI. XII. &c. post cujusmodi prohibitionem nulli Catholicorum licet propositiones illas docere, aut in praxim deducere. Deinde quòd ullus Catholicorum doceat, fornicationem non esse peccatum, haud credo; cùm clarè repugnet Juri Naturali, & Divino; nam Paulus expresse

presse excludit à Regno Dei fornicarios. 1. Cor. 6. v. 9.

10. Ob. 2. In Jure Pontificio reperiuntur quædam planè flagitiosa, ac inter alia in Decreto Gratiani c. 2. causa 12. q. 1. dicitur, *amicorum omnia debere esse communia, etiam uxores.* Et c. 4. Dist. 44. ex Conc. Tolet. docetur, *eum, qui non habet uxorem posse habere concubinam.* Ergo doctrina Ecclesiæ Romanæ non est sancta. R. ad 1. Assumentum illud de *communione uxorum* est suppositititium, nec reperitur in manu-scripto authentico Clementis Romani, ex cujus epist. citatur textus. Gratianus sæpe ex vitiosis exemplaribus malè descripsit, & eatenus tantùm authoritatem habet, quatenus cum originibus concordat. Ad 2. Ibi nomine *concubinæ* intelligitur vera uxor, sed minùs solenniter ducta, scilicet sine tabulis dotalibus, & sine alijs Juris tum Civilis tum Canonici solennitatibus & privilegijs juxta veterem morem, præsertim Antiquæ Legis. Videtur fuisse conjugium hoc simile illi, quod hodie vocatur Matrimonium Conscientiæ.

SYLLOGISMUS II.

Vera Christi Ecclesia debet esse sancta in suorum membrorum vita & moribus.

Sed Lutherana non est sancta in suorum membrorum vita & moribus.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Major probatur

11. 1. Ex Scriptura. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Tit. 2. v. 14. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret &c. ut sit sancta & immaculata.* Eph. 5. v. 26. 27. *Omnis arbor bonos fructus facit. A fructibus eorum cognoscetis eos.* Mat. 7. v. 16. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta.* 1. Petri 2. v. 9. Idem insinuant illæ parabolæ, in quibus Ecclesia comparatur sagenæ pisces bonos & malos congreganti, & areæ triticum & paleas (hoc est, homines sanctos, & peccatores) asservanti. Ergo in Ecclesia Christi semper debent esse homines sancti, saltem aliqui.

2. Ex efficacia doctrinæ. Non enim doctrina sancta, quam habere debet Ecclesia Christi, potest esse sine fructu; id enim intendit Christus per suam doctrinam, per consilia Evangelica, per suas adhortationes ad sui sequelam, ad sectandam perfectionem, sanctitatem vitæ, charismata meliora &c. ut sal-

saltem aliqui, exemplum Christi proximiùs imitantes, excellentiorem sanctitatem adipiscerentur; spectatque ad providentiam Christi, ut semen suæ doctrinæ afferat fructum, trigesimum, sexagesimum, vel etiam centesimum. *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.* dicit Deus Isa. 54.

3. Ex confessione propria Lutheranorum, juxta quos Ecclesia ex essentia sua est congregatio *Sanctorum*, ita ut peccatores non sint membra illius vera, sed solùm admixti in externa societate. Cæterùm pro certo supponendum hìc est, quòd vera sanctitas & perfectio Evangelica non consistat in sola fide, sed in hac, & simul in actibus aliarum virtutum, præsertim charitatis erga Deum, & proximum; qui enim non diligit, manet in morte, 1. Jo. 3. Et si quis fidem omnem haberet, ita ut montes transferret, charitatem autem non haberet, nihil ipsi prodesset. 1. Cor. 13. Præterea insignem sanctitatem, in diligenti imitatione Christi consistentem, nunquam obtinet, qui solùm observat præcepta, nisi etiam sequatur consilia Christi, actus virtutum arduos exerceat, se ipsum fortiter vincat, passiones animi domet, pura in omnibus ducatur intentione &c. Hæc enim omnia Christus in suo Evangelio vel præcepit vel suasit: utique autem non frustra præceperit, nec frustra suaserit, ita ut non semper habeat aliquos saltem, apud quos fructificent ejusmodi mandata & consilia.

4. A posteriori, cùm experientiâ constet, & ex sacris hystorijs, in vera Ecclesia utriusque Testamenti exstitisse viros eximiæ, imò & prodigiosæ sanctitatis, uti erant Patriarchæ in Lege Naturæ; Prophetæ ac alij in Lege Scripta; Apostoli, Episcopi, Patres, Doctores, Martyres, Virgines, Ordinum sacrorum Fundatores &c. in Lege Gratiæ: ergo signum est, quòd Providentia Divina in vera Religione semper florere velit sanctitatem in vita ac moribus prorsus conspicuam, & coram mundo illustrem, ut indè glorificetur & magis colarur Deus, juxta illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Mat. 5. v. 16.

12. Notandum hìc est, sanctitatem in vita & moribus fidelium, juxta doctrinam suæ Religionis viventium, etiam se sola esse notam veræ Ecclesiæ, non modò negativam, sed etiam affirmativam, si de illa sufficienter constet, uti constare potest attentis diligenter circumstantijs, præsertim si accedat communis persuasio hominum, vel etiam miracula, vaticinia &c.

Dices. Sanctitas est interna & invisibilis: ergo non potest esse nota Ecclesiæ veræ. R. Licèt vera sanctitas consistat præcipuè in actibus voluntatis internis, ea tamen sufficienter dignoscitur per opera pia & sancta, tanquam bona radix ex bonis fructibus, vel sicut anima hominis sit sensibilis ac exteriùs cognoscitur per discursus & operationes rationales. Per operationes igitur externas virtutum, sine quibus nec

datur sanctitas interna, sit ista sufficienter sensibilis, adeóque interna per sanctitatem externam.

Urgebis. Opera externa sunt communia hominibus bonis & malis, & sæpe nos decipiunt, sintque non rarò re ipsa hypocritæ, qui nobis videntur sancti: ergo sanctitas vitæ & morum non potest esse nota veræ Ecclesiæ. R. T. A. nam diu non potest simulari sanctitas coram attentis & curiosis observatoribus. N. C. vel D. C. ergo sanctitas vitæ singulorum hominum in particulari & seorsim non est nota veræ Ecclesiæ. T. C. Sanctitas vitæ omnium, qui in aliquo cætu habentur pro sanctis. N. C. Licèt fortè in quolibet particulari homine possimus falli circa ejus sanctitatem veram, non tamen possumus falli circa sanctitatem totius collectionis; Deus enim non potest permittere, ut non aliqui saltem (licèt nobis determinatè & in individuo non cogniti) sint veri sancti ex fidelibus; qui enim aliàs Ecclesia posset dici *Sancta*, uti tamen dicitur in Symbolo Apostolico, si nulla ejus membra essent verè sancta? Vera igitur fides, licèt in singulis possit dari absolutè sine sanctitate, non potest tamen dari in omnibus simul sumptis sine sanctitate tam interna quàm externa.

Minor constat

13. 1. A posteriori; cùm nullus unquam fuerit habitus pro sancto ab Orbe Christiano, qui Lutheranismum professus est, non minùs, ac nullus pro sancto est habitus, qui Arianam, Pelagianam, Anabaptisticam, vel aliam hæresim secutus est. Neque ullus fecit miraculum vel unicum, cùm tamen Deus semper solitus sit sanctos & dilectos servos suos multis magnisque prodigijs facere conspicuos coram Mundo in contestationem sanctitatis eorum. Unde apud Germanos natum est vetus illud proverbium: **Man glaubt an keinen Heiligen / er thue dann Wunder-Zeichen.** Ostendant Lutherani & nominent nobis vel unicum suæ sectæ addictum, qui fecerit miraculum verum, qui ab Orbe Christiano fuerit habitus pro Sancto &c.

Confirmatur 1. Si aliquis fuisset insigniter & verè sanctus apud Lutheranos, tunc utique fuisset Martinus Lutherus eorum protoparens & Reformator: sed iste certè non fuit; is enim, cùm reformare aggressus est Ecclesiam, ac inducere Lutheranismum, fuit homo votifragus, Deo & superioribus suis rebellis, perfidus Apostata, sacrilegas nuptias post emissum castitatis perpetuæ votum contrahens cum Moniali pariter jam Deo devota, atque in hoc sacrilego connubio permansit usque ad finem vitæ. Item fuit homo blasphemus in Deum & Sanctos, superbus & arrogans, ebriosus helluo, obscœnus & trivialis scurra, maledicentissimus in quosvis sibi adversantes, etiam Principes tam Ecclesiasticos quàm Politicos, familiaris diaboli discipulus, audax Bibliorum & Symboli Apostolici corruptor &c. Vide *meum Examen Polemicum August. Conf. art. 2.* Major indè suadetur, quia utique decet, ut primus, qui reformat, sit insigniter sanctus, cæteri enim hunc sequuntur.

Si

Si igitur Reformator non est sanctus, nec cæteri esse possunt.

Confirmatur 2. ex propria confessione Adversariorum, qui non tantùm nullum insigniter sanctum ex nova sua doctrina enatum referunt, sed potiùs de suorum perversitate multùm conqueruntur. Lutherus in Postilla Domest. Dom. 1. Adv. *Videmus* (ait) *quòd hoc tempore* (Reformationis Lutheranæ) *homines sint multò peiores, truculentiores, tenaciores, libidinosiores, quàm antea unquam in Papatu fuerunt.* In Præf. ad Postillam Eccles. *Nostrorum plerosque sepriceps ille diabolus invasit, & deteriores effecit, quàm in Papatu fuerunt.* Andreas Musculus celebris Præco Dom. 1. Adv. *Cum nobis Lutheranis hoc tempore ita agitur, ut, siquis videre volet ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impostorum, fanoratorum, civitatem aliquam adeat, in qua Evangelium purè* (id est, Lutheranicè) *prædicatur, catervatim tales ibi reperiet &c. apud quos homines omnis virtus & honestas penitus extincta est &c. omnia diabolo frena laxa &c.* Similem confessionem publicam de suis Lutheranis faciunt Melanchthon ad c. 6. Mat. Jo. Brentius ad c. 3. Mat. Jacobus Andreæ conc. 4. ad c. 21. Lucæ, Wigandus & alij apud Coccium to. 2. l. 8. art. 12. Jam sic argumentor. Si tanta perversitas Lutheranorum exstitit statim primis Reformationis temporibus, ubi communiter solet esse major fervor & pietas, quid posterioribus annis evenerit? Unde non mirum, quòd inter Calvinistas, dum genio indulgere volebant, dicatur invaluisse hoc proverbium: *Hodie Lutheranicè vivamus.* Nec ægrè ferre possunt, quod de ipsis scripsit P. Vitus Erbermann in suis Trophæis troph. 1. c. 8. *ipse*, ait, *qui per 23. annos cum Lutheranis vixi, tantùm non iurare ausim, me neminem unum, qui cum iis perseveraverit, vidisse, de quo probabiliter judicare potuerim, eum esse Spiritualem, Spiritu DEI agi, quærere, quæ JESU Christi, non autem, quæ sua sunt. Ejusmodi homo in cœtu Lutheranorum est rara avis, albóque simillima corvo.*

2. A priori; talia enim principia habent Lutherani, ut nullus possit esse sanctus. Nam ad sanctitatem 1. requiritur observatio mandatorum Dei, in qua consistit dilectio Dei, ad salutem necessaria: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Jo. 14. v. 21. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Mat. 19. v. 17. Sed Lutheranis est impossibile observare mandata Dei. 2. Immunitas à peccatis, saltem mortalibus; *Odio enim sunt Deo impius & impietas ejus.* Sap. 14. v. 9. Sed Lutherani in omnibus operibus peccant, etiam bonis, cùm semper agant contra Legem Dei, ad tam perfectum servitium ipsos obligantem, quàm perfectum eis est impossibile; & quidem peccant mortaliter, cùm nullum peccatum ex natura sua veniale admittant. Adde, quòd in ipsis usque ad mortem perduret peccatum originale, omnésque motus concupiscentiæ, etiam involuntarij, sint peccaminosi mortaliter. 3. Requiritur exercitium bonorum operum, & variarum virtutum, præser- 147.

tim Charitatis, sine quibus fides est mortua, nihilque prodest, ut fatentur: Sed apud Lutheranos nulla dantur bona opera coramDeo, imò omnia opera sunt peccaminosa, atque eo ipso ingrata Deo, nulla spiritualia, aut in potestate hominis constituta. 4. Macerationes & castigationes corporis voluntariè susceptæ. v.g. Jejunia, flagella, humicubationes, sibi subtrahere voluptates etiam licitas, refrænare cupiditates & passiones animi &c. uti semper fecisse Sanctos constat, & Paulus ipse docuit: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Gal. 5. v. 24. *Castigo Corpus meum, & in servitutem redigo.* 1. Cor. 9. *Mortificate corpora vestra.* Coloss. 3. v. 5. Sed Lutherani opera pœnitentiæ, castigationes, & mortificationes corporis cane pejùs & angue oderunt, imò rident in Catholicis. 5. Sequi consilia Christi; nam sanctitas vera consistit præcipuè in eo, ut faciamus secundùm voluntatem, beneplacitum, & corDei: voluntas autemDei bona, beneplacens, & perfecta utique sunt mandata ejus & consilia: consequenter verè & insigniter sanctus est, qui cum gratia Divina non tantùm observat mandata, sed etiam consilia Christi; is enim adipiscitur sanctitatem perfectam, seu Evangelicam perfectionem juxta illud: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.* Mat. 19. v. 21. *Omnis, qui reliquerit domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* v. 29. Sed Lutherani non tantùm non sequuntur hæc & similia Christi consilia, sed etiam contemnunt ac rident in Catholicis, præsertim Religiosis. Ostendant nobis vel unicum, qui per totum tempus, quo viget Lutheranismus, amore perfectionis Christianæ & Evangelicæ domum, agros, parentes, uxorem, liberos reliquerit, qui spreta ampla hæreditate, stemmatis nobilitate &c. spes & res tantas præcisè ideo deseruerit, ut Christum arctiùs imitaretur pauperem pauper &c. ac ad perfectionem Evangelicam eluctaretur, quantas res & spes quot annis, & non ita pridem hic Augustæ, reliquerunt, & relinquunt Catholici utriusque sexûs in summo etiam flore ætatis, valetudinis &c. Ergo apud Lutheranos nec sunt, nec esse possunt veri & eximiè sancti homines.

Ob. 1. Quamvis opera bona, si spectentur secundùm rigoremLegis & Justitiæ Divinæ, ea exigentis, semper sint aliquo modo peccaminosa, tamen propter Christum ex Misericordia Dei acceptantur, & *verè credentibus* non imputantur ut peccaminosa. 2. Licèt bona opera aliquid imperfecti & peccaminosi in se habeant, tamen non sunt peccata, nisi in ijs ponatur fiducia, quasi possemus per ea aliquid mereri. 3. Quamvis Lutherani propter permanentiam peccati originalis, & propter peccata actualia sint peccatores & immundi, tamen propter fidem in Christum non imputantur ista peccata renatis. 15.

R. ad 1. Quod peccaminosum est & contra legem Dei, non potest acceptari

ri à Misericordia Dei ut bonum, *Deo enim odio sunt impius & impietas ejus;* vel igitur Misericordia Dei debet facere, ut opera bona non sint peccaminosa, non ponendo legem, cui adversentur, vel debet odisse, non acceptare, sed imputare in peccatum. 2. Implicare videtur in terminis *opus bonum peccaminosum.* 3. Lutherani nunquam possunt ponere conditionem necessario requisitam ad hoc, ut opus peccaminosum, vel peccatum aliquod ipsis non imputetur; hæc enim conditio est *verè credere*: verè credere est mandatum Dei, quod à Lutheranis non potest perfectè impleri, consequenter peccant etiam credendo; quomodo ergo per & propter fidem, tanquam per actum peccaminosum, potest ipsis imputari justitia Christi, & non imputari peccatum? 4. Fides vera in Christum non est, nihilque valet juxta modernos Lutheranos sine dilectione Dei. Lomer in seiner Saur-Brunnen-Cur p. 395. nunquam autem possunt diligere Deum tantùm, quantùm juxta ipsos præcipitur in primo præcepto Decalogi sub pœna inferni: ergo. 5. Præter fidem & dilectionem requiritur etiam pœnitentia, seu dolor de peccato commisso. Saur-Brunnen-Cur p. 270. sed juxta principia Lutheranorum nemo potest ita dolere, ut non magis teneatur dolere sub peccato: ergo quivis dolendo, & volendo delere peccatum peccat. Qualis hæc sanctitas? 6. Peccatores, fœdus baptismi violantes, quod ferè semper fit apud ipsos, æquiparantur non-renatis; non-renati non possunt verè credere: ergo. 7. Actus internus fidei & alij actus spirituales non sunt liberi Lutheranis: ergo non est in eorum potestate ponere conditionem, sine qua non fiunt justi. 8. Denique per se absurdum est, Deum videre peccatum in homine, illud tamen non imputare; quomodo enim Dei mundissimis oculis placere possunt tanquam dilecti amici, qui sunt peccato maculati, tanquam leprâ infecti, tanquam charactere diaboli insigniti &c.? Leprosus non fit mundus per hoc, quòd pulchro pallio ejus tegantur sordes, etsi tu velis ipsum reputare pro mundo; sic neque peccatores fiunt justi, amici, filij Dei, nec Ecclesia munda, *sancta, & immaculata, non habens maculam aut rugam,* Eph. 5. per hoc, quòd justitiâ Christi ipsi imputatâ tegantur peccata, vel quòd fideles reputentur justi & sancti. Ferè sicut non potest reputari sapiens per sapientiam alterius, qui in se stultus est, ac intrinsecâ caret sapientiâ.

Ad 2. Lutherani utique non ponunt fiduciam in suis bonis operibus, & tamen juxta ipsos peccaminosa sunt, ita ut Lutherus in Serm. de novo Test. seu de Missa pronuntiaverit: *Caveamus à peccatis, sed maximè ab operibus bonis & legibus.* Item in serm. de Bapt. *Quanto sceleratiores, tanto citius Deus suam gratiam infundit. Si adornes te, ut catus, bonis operibus, ut te Deus acceptet, nihil efficies.* Deinde cur operâ bona fiant peccata, si aliqua fiducia ponatur in bonis operibus; cùm Christus adeptionem justitiæ &

salutis alligaverit certis operibus bonis & observationi mandatorum Dei? Nemo potest firmam & certam fiduciam ponere in meritis Christi, nisi ex sua parte ponat opera, sine quibus non est promissa justitia & salus, nempe fidem, timorem Domini, pœnitentiam, dilectionem Dei, Deus enim *promisit coronam vitæ diligentibus se.* Jo. 1. v. 12. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 1. Jo. 3. Non igitur ex sola fide de factis promissionibus, sed etiam ex bonis operibus nascitur fiducia & spes firma: aliàs non est fiducia, sed præsumptio. Principalis quidem causa nostræ salutis est Dei misericordia & merita Christi, secundaria autem, & conditio *sine qua non*, sunt bona opera. Ad 3. patet ex dictis ad 1.

16. Ob. 2. Etiam Lutherani habent suos Sanctos, nimirum 1. Infantes baptizatos. 2. S. Petrum, S. Paulum, & cæteros Apostolos. 3. Illos, qui vitam probam & honestam ducunt, quales invenire est plurimos inter Lutheranos. 4. Martyres, qui pro Confessione Augustana graves ærumnas, imò & mortem perpessi sunt. 5. Lutherum, & ejus vestigia legentes. Lomerus præter eos, per quos tum in Antiquo, tum in Novo Testamento patravit Deus prodigia, nullum nominat, dicens, eos, quos posset adducere, tantùm fore ridendos. Haud dubiè intellexit Lutherum &c.

R. N. assertum. Ad 1. dico, infantes non habere fidem actualem, per quam tamen juxta Adversarios apprehenditur Christi justitia, & homo justificatur & salvatur. Deinde hìc est sermo de sanctitate morum: infantes autem nec bene nec malè possunt esse morati. Præterea quare Lutherani hos infantes tribuunt potiùs suæ Ecclesiæ, quàm Calvinistæ? Imò infantes baptizati spectant ad Ecclesiam Romano-Catholicam, sicut ipse Baptismus, quem Lutherani habent mutuum à Catholicis. Ad 2. Quo fundamento Lutherani sibi tribuunt potiùs S. Petrum, & alios Apostolos, quàm Catholici, apud quos in longè majore veneratione sunt quàm apud Lutheranos? An non hos ipsos pro sua secta potuissent eodem jure adducere Ariani, Pelagiani &c. olim, & nunc Calvinistæ &c.? Quare non etiam Lutheranos sanctos fuisse dicunt, vel quo jure dicerent, Abraham, Isaac, Jacob, imò & Adamum? Deinde Sancti debent reperiri in Ecclesia omnibus sæculis; nominare igitur oportet eos post tempora Apostolorum, qui ab Orbe Christiano fuerint habiti pro Sanctis, & tamen crediderint in omnibus, ut Lutherani. Præterea quomodo S. Jacobum, qui in terminis contradicit fundamentali articulo Lutheranorum, asserens, *hominem justificari ex operibus, & non ex fide tantùm.* c. 2. v. 24. possunt numerare inter sanctos Lutheranos? Idem faciunt S. Petrus & S. Paulus, quorum ille ait: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* ep. 1. c. 4. v. 8. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis.* epist. 2. c. 1. v. 10. Et Paulus: *Si habuero omnem fidem, charitatem*

ritatem autem non habuero, nihil sum. 1. Cor 13. v. 2. Ad 3. Vel isti, qui ducunt exteriùs vitam probam & honestam, etiam interiùs sunt boni, & errore invincibili circa fidem laborantes? tunc boni sunt quidem, non tamen ex ductu sui Evangelij Lutherani, sed ex bonitate suæ Indolis, ad honestatem pronæ, aut ex bona educatione, aut ex instinctu rationis, & isti spectant insuper re ipsa ad veram Christi Ecclesiam, nempe Romano - Catholicam, non ad erroneam, scilicet Lutheranam. Vel laborant ignorantia vincibili, aut alijs peccatis sunt interiùs fædati? & isti utique non sunt sancti, cùm hæresis formalis sit inter gravissima flagitia. Deinde fortè non admodum multi ex adultis Lutheranis sunt verè & moraliter boni interiùs, seu ab omni peccato mortali liberi, etiamsi invincibiliter putent se esse in vera fide, sed sunt sæpe sepulchra dealbata, sicut etiam sæpe solent esse Ethnici & Gentiles, qui multas virtures morales exercent v. g. misericordiam erga pauperes, mansuetudinem &c. Præterea etiamsi sint verè moraliter boni, & in gratia sanctificante constituti propter Baptismum, & carentiam omnis peccati mortalis deliberati; non tamen habent splendorem sanctitatis & perfectionis Christianæ; de hujusmodi autem Sanctis, in gradu excellenti, hìc nobis est sermo. Ad 4. Qui propter Augustanæ Confessionis fidem sustinuerunt tormenta aut mortem ipsam, non magìs sunt Martyres quàm rebellis subditus, aut miles transfuga, qui morte mulctatur; quia pariter fuerunt rebelles Matri Ecclesiæ, & illius perfidi desertores, sine sufficienti causa, sine probato errore in fide, in quem vera Christi Ecclesia nunquam prolabi potest. *Non pœna Martyrem facit, sed causa*, dixit S. Aug. Conc. 2. in Ps. 34. Causa igitur, pro qua passi sunt, mala fuit; ideo non Christi, sed diaboli Martyres exstiterunt. Adde, quòd ist Martyres Lutherani plerumque etiam passi sint propter alia gravissima crimina, & non præcisè propter fidem suam, nimirum quia fuerunt simul perturbatores quietis Politicæ, homines blasphemi, sacrilegi &c. Ad 5. Pro Luthero æquè potuisset nominari Judas Iscariotes aut Julianus Apostata, horúmque assectæ. Unde rectè fecit Lomerus, silentio supprimens suos Sanctos, rideri metuens, si nominaret.

Nunquam igitur habuerunt sanctos Lutherani, nec modò habent; atque ex horum defectu rectè infertur etiam defectus doctrinæ sanctæ; si enim doctrina esset sancta, etiam aliquos saltem homines efficeret sanctos, juxta ea, quæ dicta sunt in probatione *Majoris* n. 11. Proinde Ecclesia Lutherana non est *sancta*, nec in doctrina nec in moribus, cùm tamen veram Christi Ecclesiam *sanctam* esse debere fateantur nobiscum in Symbolo Apostolico.

An Ecclesia Romana sit sancta in moribus & vita suorum membrorum?

R. semper fuit. Probatur 1. ex Annalibus Ecclesiasticis, Martyrologijs, & 17.

& alijs libris Hiſtoricis, in quibus deſcribuntur vitæ ſanctiſſimorum hominum utriusque ſexus, non modò inſigni innocentia, pietate, virtutum ſtudio, ſed etiam miraculis ſplendentium; & quidem per ſingula ſæcula à temporibus Apoſtolorum uſque ad tempus modernum. Legentibus occurrunt SS. Patres, Eccleſiæ Doctores, ſummi Pontifices, utì S. Clemens, S. Dionyſius Areop. S. Ignatius & S. Cypr. MM. S. Hieron. S. Ambroſ. S. Auguſt. S. Baſilius, S. Leo, S. Gregorius &c. Occurrunt Martyres innumeri, & ultra 11. milliones, qui ſumma alacritate inter graviſſimos cruciatus omnia cum vita & ſanguine profuderunt pro fide Eccleſiæ Romanæ, utì S. Laurentius, S. Sebaſtianus, S. Georgius S. Vitus &c. Occurrunt propè infiniti SS. Confeſſores, ac inter hos multi Epiſcopi, & Fundatores Ordinum, utì S. Henricus, S. Udalricus, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciſcus &c. cum plurimis eorum filijs, Placido, Roberto, Antonio Patavino, Vincentio Ferrerio &c. Occurrunt Virgines plurimæ, utì S. Agnes, S. Catharina Alexandrina, & Senenſis, S. Gertrudis &c. Ex ijsdem conſtat, viros ſanctiſſimos fuiſſe, qui prædicârunt fidem Eccleſiæ Romanæ, eamque in varias provincias introduxerunt, utì S. Lucius D. Pauli Diſcipulus, qui prædicavit primus Ratisbonæ in Bavaria circiter anno 61. S. Marcus ejusdem D. Pauli Diſcipulus Paſſavij anno 70. S. Maternus D. Petri Diſcipulus Treviris anno 95. SS. Quirinus & Maximilianus in Auſtria anno Chriſti 291. S. Narciſſus Auguſtæ anno 307. S. Rupertus in Bavaria anno 535. SS. Kilianus & Burchardus Herbipoli anno 687. S. Wilibaldus Euſtadij, & S. Bonifacius in Thuringia ac reliquæ Germaniæ partibus circa annum 746.

Confirmatur ex Annalibus recentioribus hominum memoriam haud multùm ſupergreſſis, ex quibus conſtat ſanctitas extraordinaria ac toti mundo notiſſima virorum, qui vixerunt tempore Lutheri & poſt Lutherum in Eccleſia Romana, quod eſt evidens indicium, in Eccleſia Romana adhuc vigere integram, veram, & incorruptam fidem Chriſti, utpote extra quam nulla datur vera & tam prodigioſa ſanctitas. Tales autem fuerunt S. Pius V. Papa, S. Carolus Boromæus Cardinalis, S. Thomas de Villanova Archiepiſcopus, S. Franciſcus Saleſius, & S. Andreas Corſinus Epiſcopi, S. Ignatius, S. Philippus Nerius, S. Petrus Nolaſco, S. Joannes Dei, & S. Cajetanus, cum S. Thereſia, Fundatores Ordinum, S. Franciſcus Xaverius, S. Ludovicus Beltram, S. Petrus de Alcantara, S. Franciſcus Borgia, B. Franc. Solanus, B. Stanislaus Koſtka, B. Aloyſius Gonzaga &c. Confeſſores & Religioſi, S. Maria Magdalena de Pazzis, S. Roſa Limana, Virgines Religioſæ. Taceo alios plurimos, famâ ſanctitatis & miraculis conſpicuos, pro quorum ſanctificatione jam formati ſunt Proceſſus. Unicus Dominicus à JESU MARIA Ord. Carmel. Diſcalc. qui per plures annos in noſtra Germania verſatus, cum Duce Bavariæ Maximiliano caſtra ſecutus, & poſt victoriam contra Fridericum Pala-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

latinum & Sectarios haud procul Pragâ prodigiosè obtentam Viennæ mortuus est. Iste unicus, inquam, sufficeret ad confundendos omnes Sectarios, & veram sanctitatem tum Ecclesiæ Romanæ tum suam satis superque probandam, cùm tota ejus vita ferè nil fuerit nisi continuum & concatenatum miraculum.

Probatur 2. ex constanti, communi, & certissima fama, uti & ex vulgatis Calendarijs, ex quibus nemini non constat, plurimos in Ecclesia Romana reperiri, quos totus Christianus Orbis habet, & semper habuit pro veris sanctis. Quòd autem isti fuerint membra Ecclesiæ Romanæ, patet evidenter 1. ex libris, quos isti sancti elucubrârunt. 2. Ex factis, quæ ediderunt, uti erant cultus & invocacio B. Virginis MARIÆ aliorúmque Sanctorum, Jejunium Quadragesimale, adoratio Evchariſtiæ Sacrificium Missæ, preces pro Defunctis, castigationes acerbæ corporis, usus Sacramentorum Confirmationis, Extremæ Unctionis &c. 3. Ex votis Religiosis, quia multi fuerunt Monachi, Abbates, aut alij Religiosi. 4. Ex subjectione erga Pontificem Romanum. 5. Ex officijs, quæ obierunt ex demandatione Pontificis Romani. 6. Ex zelo, quo prædicârunt & propagârunt fidem Romanæ Ecclesiæ. 7. Ex devotione erga ædes & loca sacra. 8. Ex reverentia, quam exhibebant SS. imaginibus &c. 9. Ex communi persuasione hominum.

128. Probatur 3. ex confessione Adversariorum. Lutherus in epist. de Anabapt. ad duos Parochos rotundè fatetur, *sub Papatu esse nucleum Christianismi, & multos pios, magnósque sanctos.* In epistolam ad Gal. c. 5. ait: *Admiratur mundus sanctitatem Benedicti, Gregorij, Bernardi, Francisci, & similium; quia audit, eos magnifica in speciem, & insolita quædam opera fecisse.* Melanchthon in Apol. Aug. Conf. tit. de votis Monasticis Bernardum, Franciscum, aliósque Monachos vocat *Sanctos.*

Quanti æstiment Lutherani sanctitatem Ecclesiæ Romanæ, patet etiam ex eo, quòd plurimi, doctrinâ, nobilitate, aliisque dotibus eximij, instante mortis periculo (ubi vel maximè solemus eligere ea, quæ judicamus meliora, Deo magis grata, nostræque saluti magis proficua) ad Ecclesiam Romanam transierint, inter quos meritò nominari debet Joannes Elector Saxoniæ, qui fuit primus ex Principibus antea Lutheri sectator, in agone tamen iterum resipuit, & Catholico ritu ultima Sacramenta recepit, ut authenticè constat ex Confess. & Anti-Confess. August. Card. Kollonit. Alij, etiam valentes adhuc, unius amore salutis, & perfectionis Christianæ, ad Romanam Ecclesiam redierunt relictis parentibus, amicis, opibus, honoratis officijs &c. Et vix est Princeps aliqua familia, quæ elapso sæculo non unum aut plures Catholicis submiserit. Exempla recentia coram oculis habemus Regem Augustum, Saxoniæ Electorem, Reginam Hispaniæ, Ducem Wolffenbitelianum &c. Econtra non memini, ullum ex Catholicis Principibus post illam primam generalem defectionem,

in summis rerum perturbationibus factam, relictâ Ecclesiâ Romanâ ad Lutheranam defecisse. Item non memini, de ullo me legisse vel audijsse, qui instante propinqua morte deseruisset Ecclesiam Romanam, liberè desciscens ad Lutheranos, ut tutiùs veniret ad cœlum. Rursus non memini, neque credo, vel unicum, rerum peritum, ex Catholicis amplexum esse fidem Lutheranam, ut hac via vitam duceret sanctiorem, faciliùs assequeretur perfectionem Christianam, & salutem æternam. Sed qui deficiunt à nobis ad Sectarios, vel sunt mali Sacerdotes & Religiosi apostatæ, vel pauperes, quorum illos petulantia carnis, istos penuria panis trahit in ruinam: aut sunt homines scelerati, leves, venales, desperati, quos vel timor justi supplicij, vel spes lucri, promotionis, gratiæ Principum &c. præcipites agit.

Audiamus adhuc alios duos ex Adversarijs Recentioribus, clarissimum testimonium pro sanctitate Sacerdotis Catholici & quidem Jesuitæ, nimirum S. Francisci Xaverij deponentes. Philippus Baldeus in Historia Judica (in der warhafften und ausführlichen Beschreibung der berühmbten Ost-Jndischen Küsten anno 1672. Amstelodami impressa c. 13. p. 76.) de eo ita pronuntiat: *Si Xaverius fuisset nostræ Religionis, etiam apud nos ut alter Paulus cum veritate esset æstimandus, & colendus, velut alter Sanctus Paulus. Quamquam autem Religionis fuerit à nostra diversa, aio, bonos omnes ejus zelo, vigilanti cura, & morum sanctitate excitari debere ad cavendam in faciendo Dei opere negligentiam -- Si considero patientiam & lenitatem, qua magnis juxta ac infimis sanctos vivósque Evangelij latices propinavit &c. cogor exclamare: quis in mirabilibus istis similis illi? ... Utinam, cùm talis tantúsque exstiteris, esses, aut fuisses nostræ Religionis!* Altiùs adhuc attollit Tavernierius, vir, dempta Religione, omni ex parte egregius (Recueil de plusieurs relations & traités singuliers & curieux) more Catholici ita loquens: *Sanctus Franciscus Xaverius hoc in loco vitam cum Missione finivit, fide Christiana, quacunque transisset, mirificò cum progressu stabilitâ, non solùm suo Zelo, sed & vitæ exemplo morúmque sanctitate --- Doctrinam Christianam propagatam fuisse studio & curâ sancti hujus viri, quem rectè Sanctum Paulum, & verum Indiarum Apostolum nominare possis.*

Notentur in his elogijs verba *Sanctus* Xaverius, *alter Sanctus Paulus, ejus morum sanctitate, vitæ exemplo, sancti hujus viri, in Mirabilibus, sanctos Evangelij latices, verum Apostolum: utinam esses vel fuisses nostræ Religionis!* Si Xaverius fuit sanctus, morum integritate, & Apostolicis virtutibus ornatus, si verus Apostolus propagavit fidem Christianam, puros Evangelij incorrupti latices propinans, mirabilia patrans, alter Sanctus Paulus &c. ut vel Adversarij rei veritate convicti fateri debent: quid est, quòd quis dubitet, num in Ecclesia Romano-Catholica sint veri Sancti, & doctrina illius tota sit vera, pura, sancta, Evangelica,

Apo-

Apostolica? Edicite, quis prudens suspicari possit (nedicam asserere) Romano-Catholicos esse impios Idololatras, superstitiosos, in Deum & Christum injuriosos, dum offerunt Sacrificium Altaris pro vivis & defunctis, dum adorant Christum in Eucharistia, dum formant signum Crucis in fronte, dum adhibent aquam lustralem, dum se Deo nuncupatis voluntariè votis obstringunt, dum invocant Deiparam, dum à Summo Pontifice Indulgentias petunt, dum fidem solam ad salutem sufficere prædicant &c.? Hæc enim omnia & singula prædicavit & fecit Franciscus Xaverius, Catholicus, Sacerdos, Religiosus, Jesuita, quem vosmetipsi non potestis non proclamare *Sanctum*, *verum Apostolum*, *alterum S. Paulum*, *morum sanctitate* conspicuum, *vitæ exemplo* illustrem, *mirabilium* patratorem, *sanctos Evangelij latices* propinantem.

19. Ob. 1. In Ecclesia Romana semper reperire fuit homines plurimos valde scelerato s, & reperiuntur etiamnum: ergo nec fuit nec est sancta sanctitate morum in suis memb is. Ant. prob. 1. plurimi fuerunt scelerati Pontifices. 2. Cardinales, Episcopi, Clerici, Religiosi. 3. Qui fuerunt boni, subinde facti sunt pessimi: ergo hominum Sanctitas, utpote instabilis, non potest esse nota, Ecclesiam Romanam esse veram. R. 1. T. A. N. C. Modò semper aliqui existant boni & sancti in aliqua Ecclesia, jam datur nota veræ Ecclesiæ. Propter aliquos sanctos jam potest Ecclesia dici *sancta* per Synecdochen, scilicet propter partem, eámque nobiliorem. R. 2. Dist. Ant. ita tamen, ut semper fuerint, & adhuc sint plurimi sancti & justi. Trans. Ant. ita ut nulli, vel non nisi pauciss imi exstiterint sancti & justi. N. A. Nimis lyncei sunt Sectarij in observandis peccatis Catholicorum, cùm tamen longè plura invenire possent inter suos, nisi sponte cæcutire vellent. Ad 1. Pontifices scelerati non fuerunt plurimi, sed respectu tanti numeri, & tantæ eminentiæ, pauciss imi. Cur dissimulant, quòd ferè tertia pars Pontificum Romanorum publice annumerata sit Sanctis? Ad 2. non diffitemur, in agro Ecclesiæ sæpius fuisse zizania, etiam inter Clericos & Religiosos, præsertim tempore Apostasiæ Lutheranæ; inter pessimos autem corypheus exstitit Lutherus, & Calvinus, ille quidem inter Religiosos, iste inter Sacerdotes, uterque dux non ovium Christi, sed malè olentium hædorum sui similium. Ad 3. N. Cons. Non enim sanctitas alicujus personæ singularis, de qua utique certitudinem non habemus, utrùm vera sit vel ficta &c. sed sanctitas plurium alicujus cætûs, & constans per omnes ætates saltem in quibusdam, nota est veræ Ecclesiæ.

Ob. 2. Catholici, imò etiam Romani Pontifices in suis urbibus erigunt Lupanaria: ergo nulla est sanctitas morum apud Catholicos. R. D. A. erigunt Lupanaria, vel potiùs erigi permittunt ac tolerant ad cavenda majora mala, nempe adulteria, incestus, aliasque pejores libidines. T. A. probant & approbant. N. A. Ubi omnia mala impediri nequeunt, rectè permittuntur mi-

20.

minora (non probantur) ut evitentur majora. In Ecclesia Romana, si omnes viverent juxta directionem illius, omnes forent boni & sancti; si igitur abusus ac scelera irrepant, per accidens est, non secundùm doctrinam & leges Ecclesiæ, quæ semper carpit & punit vitia, nunquam docet aut approbat.

SYLLOGISMUS III.

Vera Christi Ecclesia debet esse conspicua miraculis.
Sed Lutherana non est conspicua miraculis.
Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

21. SCiendum 1. Geminam sanctitatem tam doctrinæ quàm morum optimè confirmari miraculis; quia hæc sunt quasi Sigillum Dei infallibiliter aliquid attestantis. Siquidem verum miraculum non nisi Divina virtute fieri potest; proinde si in confirmationem alicujus Religionis, vel hominis sancti, videamus contingere miraculum, evidens signum ac nota est, ejusmodi Religionem esse veram, vel hominem esse verè sanctum; cùm evidenter repugnet, Deum testari falsum. Miraculum igitur vel unicum, si de eo constaret evidenter, evidenter probaret, Religionem, in cujus contestationem factum fuisset, esse veram: si verò constet solùm moraliter & evidenti credibilitate de illo, saltem probat, ejusmodi Religionem esse evidenter credibilem, & quidem tanquam nota affirmativa. Quòd verò miracula sint etiam nota negativa, ita ut vera Ecclesia esse non possit, quæ miraculis caret, probabimus postea probando *Majorem Syllogismi* facti.

22. Sc. 2. Miraculum accipi tripliciter. 1. Latè pro omni effectu raro & mirabili, cujus causa non statim apparet, licet causa sit naturalis vel artificialis; & hæc vocantur miracula naturæ, miracula artis; sintque potiùs *mirabilia*, quàm verè *miracula*. 2. Strictiùs pro extraordinario Dei opere, licèt non absolutè vires totius naturæ superante, sive dein id faciat Deus solus, sive cum aliqua creatura: cujusmodi miraculum erat loquens asina Balaam, aut curationes prodigiosæ quorundam morborum in organis nondum destructis &c. probabiliter enim aliquis Angelus jussu Dei movit linguam asinæ in voces articulatas, sicut dæmon movit os serpentis, ut loqueretur Evæ: sic Angeli, vel Sancti, ex speciali beneficio Dei possunt applicando occultè pharmaca sanare morbos aliquos &c. 3. Propriè & strictissimè pro opere supernaturali, omnium creaturarum vires & exigentias superante, ita ut à solo Deo fieri possit, sive quoad substantiam operis, sive quoad modum & circumstantias, in quibus opus fit. Cujusmodi miracula, & opera *quoad substantiam supernaturalia* sunt vera resuscitatio mortuorum, illuminatio cæcorum, curatio claudorum,

rum, ut fatetur Gerardus ipse de Eccl. n. 247. item penetratio duorum corporum, replicatio, retrocessio solis, glorificatio corporis humani, prædictio futurorum & donum prophetiæ &c. Opera *quoad modum supernaturalia* essent v. g. productio rosæ in hyeme, curatio febris sine ullo pharmaco adhibito &c. licèt enim naturæ vires non transcendat producere rosam absolutè, aut vires artis pellere febrim, transcendit tamen in his circumstantijs, in quibus causæ naturales & creatæ nihil possunt, sed vel solus Deus, vel saltem influxu speciali operari debet divina virtute.

23. Sc. 3. Miraculum in prima acceptione non servire ad probandam veritatem Religionis, miraculum verò in tertia acceptione, utpote opus & testimonium Dei, fallere impotentis, certissimè sufficere æd probandam veram Ecclesiam. De miraculo autem in secunda acceptione aliquos dubitare, an sufficiat ad probandam veram Religionem, vel aliam rem. Mihi indubitatum est, ejusmodi miracula secundæ classis apta esse ad aliquid probandum, in cujus nempe testificationem fiunt; cùm talia miracula fuerint multa ex ijs, quibus suam Divinitatem Christus, & suam Missionem Prophetæ, aut viri Sancti & Apostolici veram fidem comprobârunt, uti fuerunt evocatio ignis de cœlo facta ab Elia. 3. Reg. 18. illa vox de nube resonans: *Hic est Filius meus dilectus*: Matt. 3. &c. Verùm in his miraculis debet bene attendi, ne fraus diaboli, cùm ejus vires absolutè non transcendant, interveniat. Ut autem verum miraculum à fraudibus diaboli, præstigijs, illusionibus sensuum, verbò, à falso miraculo securè, & saltem morali certitudine discerni possit,

Sc. 4. Verum miraculum à falso 24.
sufficienter discerni posse, si prævia oratione ad Deum ac ex intentione syncera considerentur hæc quatuor 1. Opus ipsum quoad materiam & formam. 2. Operans. 3. Operandi modus. 4. Finis operis. Si enim *Materia*, ad cujus confirmationem miraculum putatur esse factum, sit vana, inutilis, curiosa, impia, aut apertè falsa, S. Scripturæ, Traditionibus, Patribus, miraculis alijs manifestis, aut lumini naturali repugnans, meritò censetur esse fraus & opus dæmonis. Si *formæ* non sit legitima, nimirum si opus ipsum nec supernaturale quoad substantiam aut modum, nec aliud Dei opus extraordinarium esse, ex circumstantijs deprehendatur. Si *operans* sit homo sceleratus; quamvis enim donum patrandi miracula sit gratia gratis data. 1. Cor. 13. non necessariò supponens charitatem & statum gratiæ, atque conferri possit etiam peccatoribus, imò & infidelibus, uti concessum est donum prophetiæ gentilibus Sybillis; ordinariè tamen Deus operari miracula consuevit per homines bonos & sanctos. Si *operandi modus* sit superstitiosus v. g. Si adhibeantur ineptæ ac superfluæ ceremoniæ, si res fiat clàm, coram paucis testibus, iisque exiguæ fidei &c. meritò suspectum redditur miraculum. Præsertim si *finis operis*, vel operantis sit malus, v. g. si ex superbia, avaritia,

aut alio pravo affectu fiat opus insolitum ad obtinendum magnum nomen, divitias, voluptates carnales &c. His casibus certè miraculum non est, sed fraus & dolus hominum, aut ludibrium & præstigiæ diabolicæ.

Quòd si verò intendatur gloria Dei, veritas fidei, aut alius finis sanctus. Si res agatur publicè, sine ineptis ceremonijs & nugis. Si operans credatur esse homo probus vel sanctus. Si opus ipsum deprehendatur prorsus extraordinarium, specialem, vel etiam solius Dei influxum requirens. Si denique materia, in cujus contestationem fit, sit digna testimonio divino speciali; omnino & certò judicandum est, esse verum miraculum, præsertim si accédat examen & judicium hominum proborum & prudentum, vel etiam Episcoporum, sine quorum approbatione noluit Trident. Concilium nova miracula promulgari; quantumvis hoc decretum ex praxi limitandum sit ad publicas conciones & libros.

25. Sc. 5. Lutheranos, aliósque Sectarios, cùm omnibus omnino veris miraculis destituti sint, negare, miracula esse notam veræ Ecclesiæ, ac insuper asserere, primùm ex Scriptura colligendum, quodnam miraculum sit verum, quódque falsum; adeóque non veritatem Doctrinæ & Ecclesiæ ex miraculis, sed miraculorum veritatem ex doctrina desumendam esse. Quod planè est hysteron proteron, & falsissimum. 1. Quia Christus non jussit Judæos ex Scriptura examinare, utrum miracula vera essent, quæ patravit, sed eos ablegavit ad sua miracula, atque sic non miraculorum veritatem ex doctrina sua, sed doctrinæ veritatem probavit ex miraculis. 2. Quia, dum Apostoli converterunt Gentes per miracula, non poterant eas ablegare ad Scripturam, ut ex hac examinarent eorum miracula, cùm nullam Scripturam antecedenter agnoverint; sed ex miraculis credibilem faciebant ipsis doctrinam suam, & Scripturam ipsam. 3. Quia miracula sunt effectus veræ Ecclesiæ, veræ fidei, veræ Scripturæ: ergo potiùs hæc per illa, non illa per hanc probari debent. 4. Quia miracula sunt per se magis nota, quàm Scriptura & doctrina, atque propter excellentiam & insolitum splendorem suum per se satis quemlibet convincunt, & palàm faciunt, quòd sint opera à Deo facta, qui testari falsum non potest. Tam apertè se non prodit Scriptura S. aut vera doctrina. Id tamen concedo, si aliunde jam satis constet de vera Ecclesia, vera doctrina, vera Scriptura, miraculorum veritatem per illius approbationem validè confirmari. Adeóque non soli Turcæ ac Mahumetani omnem miraculis vim adimunt, ac antiqui hæretici, Ariani, Eunomiani &c. omnia tribuentes Scripturis à Deo dictatis (quas tamen à Deo dictatas esse probare nequeunt) sed etiam moderni Sectarij, miracula ridentes, quibus carent, solâ Scripturâ contenti. Contra hos jam

Maior Syllogismi probatur

1. Ex Scriptura S. utriusque Testamenti, ex qua constat, in Ecclesia vera semper viguisse donum miraculorum, 26.

rum

tum ad ipsam doctrinam hominibus persuadendam, tum ad fidem faciendam ijs, quos Deus vel ad mores reformandos, uti Prophetas, vel ad introducendam novam doctrinam, uti Christum & Apostolos, modo extraordinario misit. Audiantur aliqui textus. Cùm Moyses mitteretur à Deo ad populum Israël ex Ægypto liberandum, is autem tergiversaretur, dicens: *Non credent mihi, neque audient vocem meam* &c. non respondit Deus: debent credere, velint nolint, sed dedit ipsi potestatem faciendi miracula, nempe baculum suum vertendi in colubrum, & vicissim, manum in sinum positam inficiendi leprâ, & iterum repurgandi, aquam fluminis transmutandi in sanguinem &c. Exodi 4. Neque Christus ipse voluit credi sibi, aut Apostolis, nisi facerent miracula. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Jo. 10. v. 25. 37. 38. *Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*, dixit Nicodemus Jo. 3. v. 2. *Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent.* Lucæ 9. v. 1. Eandem potestatem dedit Christus septuaginta Discipulis, dicens: *In quamcunque civitatem intraveritis &c. curate infirmos, & dicite illis: appropinquavit in vos Regnum Dei.* Luc. 10. v. 9. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Jo. 14. v. 12. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent &c.* Marc. 16. v. 17. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis* v. ult.

Confirmatur ex PP. Tertull. l. de præscript. adverss. hæret. *Si alium Deum prædicatis*, ait ad hæreticos, *cur eiusdem rebus & litteris utimini, contra quem prædicatis? si eundem prædicatis, quomodo aliter? alioqui probate vos novos Apostolos: dicite, Christum iterum descendisse, & dedisse vobis virtutem eadem signa edendi, quæ edidit ipse.* S. August. l. de utilit. credendi c. 16. docet, quòd illa sit habenda pro vera Ecclesia, quam *Miraculis* confirmatam omnium Gentium assensus profitetur. Et in l. contra epist. Fundam. c. 4. ait: *Multa sunt, quæ in Ecclesiæ gremio justissimè teneant &c. tenet auctoritas miraculis inchoata.* Vide plures in Papatu Catholico P. Kelleri.

2. Ex ratione. Vera miracula sunt vox & testimonium Dei: ergo illa Ecclesia est vera, pro cujus dogmatis fiunt miracula: ergo miracula sunt nota certissima veræ Ecclesiæ, & omnium illustrissima: atqui non est credibile, quòd Deus Ecclesiam suam, ad quam amplectendam omnes obligat, privare voluerit notâ certissimâ, illustrissimâ: ergo. Hìc observa, quòd miracula, etsi subinde directè fiant ad gloriam ali-

alicujus Sancti illustrandam, indirectè etiam simul confirment & clarè ostendant veram Ecclesiam; est enim impossibile, ut aliquis falsæ Religionis cultor sit verè sanctus; *nam justus ex fide vivit, & sine fide impossibile est placere Deo*, Hebr. 11.

Confirmatur tum ex constanti experientia, vi cujus semper aliqua miracula patravit Deus in vera Ecclesia, nimirum Romana, ut posteà dicetur, tum ex conversione plurimarum Gentium, quæ solis ferè miraculis ad fidem perductæ sunt.

27. Ob. 1. Miracula non sunt propria Ecclesiæ veræ, sed etiam communia falsis sectis: ergo non sunt nota genuina veræ Ecclesiæ. Ant. prob. 1. Vespasianus Ethnicus sanavit claudum & cæcum, item Balaam, & Sybillæ prædixerunt futura. 2. Idem legitur de hæreticis Montanistis. 3. De Albigensibus verò, quòd incesserint supra mare. 4. Magi Ægyptiorum coram Pharaone fecerunt opera similia, quæ fecit Moyses. Exod. 7. v. 8. aquam mutando in sanguinem, virgam vertendo in serpentem &c. 5. Adventus Antichristi erit in virtute & signis, teste Paulo 2. Thess. 2.

R. N. Ant. vel Dist. Non sunt propria veræ Ecclesiæ, hoc est, non necessariò & semper fiunt ab hominibus sanctis, & veræ Ecclesiæ membris. C. Ant. hoc est, non sunt certissimum signum, illam Ecclesiam esse veram, in cujus confirmationem fiunt. N. A. & Cons. In probationibus, quæ afferuntur, non sunt vera, sed falsa miracula, illusiones sensuum, præstigiæ &c. quod constat partim ex ipsa Scriptura S. uti de miraculis Magorum Ægyptiorum, & Antichristi, partim ex accurata inspectione juxta ea, quæ diximus Sciendo 4. partim quia aliunde constat evidenter, gentiles & hæreticos habere dogmata falsa & impia, consequenter falsam Religionem: in testificationem autem rei falsæ non potest fieri miraculum verum. Quando igitur aliquid est apertè falsum, tunc miraculū, quod videtur contigisse in ejus testimonium, est evidenter sputium & præcisè apparens. Adde, quòd miracula gentilium vel hæreticorum possint contingere ad veræ fidei dogmata confirmanda. Sic Sybillarum vaticinia erant in testimonium futuri Messiæ: vel etiam in commendationem Virginitatis, quæ colebatur à Sybillis & Vestalibus: vel insuper in testificationem Divinæ Providentiæ, ut Gentes ex ejusmodi signis supernaturalibus cognoscerent, Deum esse Auctorem supernaturalium, atque ideo fide supernaturali & cultu honorandum, ac supernaturalem remunerationem sperandam. Vespasianus non sanavit cæcum & claudum, in quibus organum naturale erat destructum, sed istud vel insidebatur à dæmone in eum finem, ut videretur sanari, cùm dæmon desineret nocere: vel solùm erat impeditum, & naturali medicina reparabile, quam occultè adhibere potuit diabolus. Simile quid dicendum ad miracula hæreticorum. De quibus insuper advertè, hæreticorum miracula, licèt conficta tantùm, & præstigiæ sint, tamen esse admodum rara, ne scilicet aliqua apud imperitos concilietur falsis sectis auctо-

auctoritas. Cæterùm ad Providentiâ Dei spectat impedire, ne in confirmationem falsæ sectæ fiat prodigium tale, cujus falsitas deprehendi non possit: ipséque teneretur facere aliud verum & majus miraculum ad confutandum spurium, si alio modo ab hominibus dignosci nequiret; ne scilicet à Deo inducantur in errorem, cùm ipsis evidens sit, miracula vera esse vocem Dei infinitè veracis.

28. Ob. 2. Miracula nec sunt necessaria ad probandam veram fidem, vel extraordinariam missionem, nec sunt utilia: ergo illis potest carere vera Ecclesia. Ant. prob. 1. Multi crediderunt, & adhuc credunt, licèt nullum viderint miraculum: ergo. 2. S. Jo. Bapt. nullum fecit miraculum, & tamen fuit extraordinariè missus à Deo. 3. Dæmones sciverunt Christi miracula, & tamen ejus Divinitatem non crediderunt. 4. Qui non credit Scripturæ S. neque miraculis credet juxta illud Christi. Luc. 16. *Si Moysen & Prophetas non audiant, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* 5. Multi dicent mihi in illa die: *Nonne in nomine tuo prophetavimus* &c. Mat. 7. Et tamen dicet ipsis Christus: *Non novi vos.* 6. S. Aug. dicit, Donatistis non esse credendum, etsi facerent miracula. Et l. de unit. Eccl. ait: *Quæcunque talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia hæc in ea fiunt.*

R. Licèt miracula non absolutè sint necessaria, cùm Deus potuisset alio modo sufficienter credibilem reddere & cognoscibilem veram Ecclesiam; tamen ipsi de facto placuit ijs uti ad faciendam fidem mysterijs revelatis, & ideo saltem sunt valde utilia, imò quandoque moraliter necessaria. Et hinc N. Ant. Ad probationem 1. Quamvis multi non viderint per se miracula, tamen audiunt cum tanta veritatis apparentia, ut prudenter negare nequeant, miracula in confirmationem certorum mysteriorum & suæ fidei facta esse. Ad 2. sit, quòd S. Jo. Bapt. nullum fecerit miraculum ipse, tamen miraculosa fuit ejus conceptio, & nativitas, ita ut præ admiratione dicerent: *Quis, putas, puer iste erit?* ergo miraculis testatum fecit Deus, quòd S. Jo. Baptistam extraordinariè miserit. Deinde tam mirabilem ac inusitatæ sanctitatis vitam duxit in deserto, ut ea instar plurium miraculorum fuerit, ita ut Christus ipse de illa testimonium perhiberet, dicens: *Non surrexisse majorem Joanne Baptistæ, eúmque plus esse quàm Prophetam.* Præterea S. Jo. Bapt. non prædicavit aliter, quàm alij Prophetæ, sed tantùm alio tempore, nempe Christum præsentem monstrans, quem alij futurum annuntiabant. Nihil horum reperire est in Novatoribus, qui se Reformatores jactitant. Cur autem S. Jo. Bapt. non fecerit ipse miracula, in causa fortè est, ne Judæi visâ insolitâ ejus sanctitate haberent ipsum pro Messia, si accessissent miracula. Ad 3. Licèt dæmones sciverint miracula Christi, dubitârunt tamen, utrùm Christus sit verus Deus, seu an sit Filius Dei naturalis, vel adoptivus tantùm. Ad 4. N. assertum. Christi dictum solùm pertinet ad illos articulos, qui clarè sunt expressi in Scriptura, & hos, si aliquis neget, qui tamen

men admittit Scripturam S. neque mortuis credet. Ad 5. Esto quòd etiam improbi possint absolutè patrare miracula, non tamen possunt ad sanctitatem propriam, sed ad veram fidem confirmandam. Ad 6. S. August. locutus est de quibusdam occultis revelationibus, quas se habere dictitabant Donatistæ, non tamen probabant. In altero insinuat, quòd Ecclesia non probetur seu *manifestetur* certò & evidenter per miracula; non tamen negavit, quòd per ea fiat evidenter credibilis.

29. Ob. 3. Miracula solùm erant necessaria pro primis Ecclesiæ temporibus. *Signa enim dantur infidelibus, non fidelibus*: ergo saltem nunc non ampliùs probari potest veritas Ecclesiæ ex miraculis. Neque nunc fiunt miracula. R. Quamvis in rigore non forent necessaria miracula in ijs locis, ubi fides & Religio vera jam altas acquisivit radices; his enim possent sufficere alia motiva credibilitatis, præsertim fama certa de miraculis jam olim factis ab ijs, qui primitus hanc fidem prædicârunt & plantârunt. Nihilominus tamen tantus est amor Christi erga suam Ecclesiam, ut eam constanter ornamento miraculorum conspicuam reddat, & sicut miraculis introducere voluit, ita ijsdem non cesset eam nutrire & conservare. Et hinc, licèt non tantis ac tam copiosis Ecclesia propagata coruscare soleat prodigijs, quot & quantis fundanda fuit primitus, semper tamen aliqua in illa fieri consueverunt; illaque Ecclesia meritò præfertur cæteris, in qua splendet miraculorum gloria. Deinde totus mundus est *infidelis* respectu cujuscunque sectæ & Religionis determinatæ: ergo semper opus est miraculis, ut discernatur vera à falsis; cùm nunquam desint infideles, qui possint converti. Sic respectu Religionis Lutheranæ totus mundus est infidelis, quia est de novo introducta, vel (ut ipsi dicunt) post longissimam multorum sæculorum intermissionem restaurata apud mundum infidelem, cùm ante Lutherum nemo unquam (vel saltem per plurima sæcula, ut ipsi fatentur) ita crediderit in omnibus: ergo in Ecclesia Lutherana miracula fuissent, & adhuc essent necessaria; aliàs rectè rejicitur, imò rejici debet. Imò hodiedum oportet subinde fieri miracula, tum ut languentes in fide excitentur & firmentur, tum quia Paulus 1. Cor. 12. Ecclesiam dixit esse corpus mysticum, cujus membra varijs donis, etiam miraculorum, nonnulla essent instructa.

Minor est certa.

30. 1. Ex defectu probationis; cùm neque ex hystorijs, neque ex fama constet de ullo miraculo, à Lutheranis in confirmationem suæ doctrinæ facto. Lutherus ne muscam quidem, non dicam hominem mortuum, excitare potuit, ejúsque asseclæ nec canem claudum sanare. Tentavit quidem Lutherus diabolum ex puella obsessa ejicere, sed non sine propriæ vitæ periculo, in summas angustias à diabolo redactus, ut refert Staphylus in absolutâ Respons. contra Jac. Smidelinum p. 404. oculatus testis, apud Coccium hìc.

2. Ex confessione propria haud obscu-

ſcura; cùm nunquam velint deveniri ad miracula, ut indè ſuæ Sectæ veritatem probent, vel miſſionem ſpecialem Lutheri ad prædicandum aliter, quàm antea prædicatum erat in Eccleſia Chriſti.

31. Dicunt 1. Qui proponit doctrinam antiquam, jam ſufficienter probatam miraculis Chriſti & Apoſtolorum, non opus habet miraculis novis: Sed Lutherani proponunt doctrinam antiquam, quæ jam olim miraculis Chriſti & Apoſtolorum fuit ſatis probata: ergo. R. 1. N. Ma. Ubi enim talis doctrina non ampliùs exſtat (utì doctrinam antiquam Chriſti & Apoſtolorum in toto mundo non ampliùs exſtitiſſe volunt Lutherani per multa ſæcula ante Lutherum) ijsdem eget adminiculis, ut agnoſcatur eſſe divina, & illa ipſa, quæ olim fuit miraculis confirmata, quibus olim eguit. Deinde Religio in ijs locis, ubi non eſt propagata & recepta, ijsdem adminiculis indiget, ut recipiatur, quàm doctrina de novo & primitus tradita: ſed doctrina Lutherana in plerisque locis totius mundi non eſt propagata ſatis: ergo. R. 2. N. Mi. Ratio negandi patet ex dictis de nota Antiquitatis. R. 3. Hoc ſcutum ſervire & applicari poſſe eodem jure ab omnibus hæreticis, ac dici, ſe afferre doctrinam antiquam, jam ſatis firmatam miraculis Chriſti & Apoſtolorum.

32. Dicunt 2. Nec Eccleſia Lutherana deſtituta eſt miraculis; quid enim fuit aliud illa mirabilis propagatio doctrinæ Lutheri, niſi ſummum miraculum? Potentiſſimi Principes, Eccleſiaſtici & Politici, reſiſtebant pauperi Monacho, nec omnibus ſuis viribus impedire potuerunt curſum Evangelij, quò minùs in plurimis provincijs reciperetur doctrina Lutheri. R. N. aſſertum. Si doctrina Lutheri fuiſſet aſpera, ſi nova jejunia, abſtinentias uxorum, flagellationes & aſperitates alias, ſi voluptatum, divitiarum, & rerum omnium humanarum contemptum præcepiſſet vel ſuaſiſſet, & tamen inſtar magnetis pertraxiſſet homines, & à vitijs ad excellens virtutis ſtudium permoviſſet, ſpeciem miraculi haberet. At verò cùm Lutherus contraria omnia docuerit, & quidquid aſperum, factúque difficile eſt, removerit, ſola fide contentus, cùm jejunia, carnis mortificationes, caſtitatis aliarúmque virtutum ſtudium eliminaverit, diſtinctam peccatorum confeſſionem abrogaverit, aliàque ſenſualitati & vitioſis hominum cupiditatibus valde grata docuerit, nihil ſanè *ſupernaturale*, ſed potiùs multum *infra-naturale* (ut ita loquar) in hac Lutherani Evangelij propagatione reperitur, præeunte laſcivorum & ſuperborum Sacerdotum ac Religioſorum turba, qui præcones agebant, & trahente quosque magis ſceleribus addictos, aut ignorantiæ tenebris magis excæcatos. Quid, quæſo, miraculi eſt, ſi homo ad malum proclivis obvijs ulnis amplectatur carni tam amica dogmata, quæ pæne dormientibus cœlum pollicentur? quid mirum, ſi delicati mortales tam mellitam admittant doctrinam? quid miraculi, ſi homo remotis frænis eò ſinatur currere, quò eum trahit vitioſa natura? Certè non majus

hoc est miraculum, quàm saxa cadere deorsum, si obex removetur.

An Ecclesia Romana sit conspicua Miraculis?

33. R. Plurimis & maximis. Probatur 1. ex fama communi & constanti, ex qua constat, non tantùm olim patrata fuisse in Ecclesia Romana, sed etiam hodiedum patrari miracula, variaque beneficia conferri divinitus, præsertim per invocationem Sanctorum, applicationem Reliquiarum, cultum SS. imaginum, Missæ Sacrificium &c. quæ quidem prodigia eò magis confundunt Lutheranos, ac Ecclesiam Romanam confirmant, quia fiunt circa articulos fidei inter Catholicam & Lutheranam Ecclesiam controversos.

Probatur 2. Ex historia, præsertim Ecclesiastica, atque ex Scriptoribus maximæ auctoritatis, nempe Athanasio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Gregorio, Theodoreto, Eusebio Cæsariensi, Sozomeno, Ruffino, Nicephoro, Simeone Metaphraste, Gregorio Turonensi, & mille alijs, quibus omnibus præfractè negare fidem summa pervicacia ac stultitia est, imò gravissima injuria tantorum virorum, qui vel mendacij, vel levitatis in credendo arguerentur, si ipsis negaretur fides. Quæso, ex quo fundamento Adversarij rejicere possunt testimonia gravissimorum virorum, quos ipsimet subinde in alijs materijs contra nos adducunt? quomodo suspectos habere, qui scripserunt ante Lutherum, adeóque Lutheranis non infensi? quomodo negare fidem prudenter ijs, quibus tot sæcula indubitanter crediderunt? an Neotericis certiora sunt ea, quæ contigerunt olim, quàm ijs, qui illis temporibus vixerunt? Nempe dira necessitas ad hæc extrema cogit miseros Lutheranos; si enim faterentur, in Ecclesia Romana, & quidem circa articulos cum sua secta controversos, fieri & facta esse miracula, manifestè se ipsos damnarent, nec possent divortium facere ab Ecclesia Romana.

Percurramus breviter singula sæcula, & tum ex memoratis Scriptoribus, tum ex alijs, uti Coccio to. 1. l. 8. art. 13. Tannero p. 2. Anat. demonst. 9. Fornero in Palma Triumph. Kellero in Papatu Catholico à f. 487. in quibus plurima alia legere est, ostendamus, in Ecclesia Romana semper viguisse donum miraculorum, consequenter veram fidem, juxta Christi promissionem & prophetiam: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Jo. 14. v. 12. adductò unò vel alterò tantùm prodigiò in singulis.

In I. Sæculo miraculis claruerunt Apostoli, eorúmque discipuli in universum orbem missi. In II. S. Dionysius Areopagita, pro fide Christi capite plexus, abscissum è cervice caput proprijs excepit manibus, & aliquamdiu incedens portavit. In III. Gregorius Neo-Cæsar. solo verbo aut manu um tactu ægros curavit, sola oratione montem loco motum aliò transtulit &c. qui propter assidua miracula etiam nomen *Thaumaturgi* obtinuit. In IV. Per Paphnutium Abbatem & Eremitam, teste Ruffino, non minùs multa & mira signa virtute divina patrata sunt,

quàm

quàm olim per Apostolos; nam solo verbo dæmones profligavit, cæcis visum, ægris sanitatem reddidit &c. S. Hilarius signo crucis formidabilem serpentum turmam fugavit, mortuum vitâ donavit. S. Martinus tres excitavit mortuos, & post mortem tot miraculis inclaruit, ut eorum integros libros conscripserit Greg. Turon. In V. S. Patritius Hiberniæ Apostolus illuminavit cæcos, audire fecit surdos, suscitavit novem mortuos, & alia prorsus mirabilia edidit opera ad doctrinam, quam prædicabat, Ecclesiæ Romanæ propagandam. S. Remigius signo crucis restinxit incendium, curavit dæmoniacum, excitavit mortuum, & precibus impetravit sacrum Chrisma &c. In VI. S. Benedictus Abbas signo crucis confregit vas, in quo ei venenum erat paratum, futura prædixit, mortuum suscitavit. S. Augustinus Anglorum Apostolus, à Papa Gregorio M. illuc missus, cæcis visum, infirmis sanitatem restituit, aliisque miraculis coruscus tum suam, tum Ecclesiæ, cujus prædicabat doctrinam, sanctitatem comprobavit. Et huc usque miracula, uti & veram fidem, in Ecclesia Romana viguisse, haud ægrè plures fatentur Lutherani cum suo Magistro. Sed manus Domini non est abbreviata: nec posteriora sæcula minùs feracia fuere miraculorum quàm priora. Quippe

In VII. Sæculo S. Greg. M. qui clausit sæculum præcedens, fuit vir multorum prodigiorum, ac Petrus Diaconus sæpe in ejus capite Spiritum S. in specie columbæ conspexit. Florentius Episc. Argentinensis, Dagoberti Francorum Regis Filiam, à nativitate cæcam illuminavit &c. In VIII. S. Swibertus in carcerem conjectus ab Angelo liberatus est: cæcos illuminavit: paralysi & alijs morbis ægrotantes sanavit, vitâ defunctos resuscitavit &c. In IX. In translatione Reliquiarum SS. Petri & Marcellini cæcis visus, claudis incessus, surdis auditus, mutis sermo, ægris sanitas restituta est. Similia patravit S. Rembertus Hamburg. Episc. qui Suecos & Danos ad fidem Christi perduxit. In X. S. Udalricus Episc. Augustanus varijs morbis, præsertim comitialibus & epilepticis, laborantes persanavit, & glires usque in hodiernum diem ex sua diœcesi proscripsit. In XI. S. Henricus Bavariæ Dux, postea Imperator à Papa Benedicto coronatus, & à D. Wolfgango educatus, cum paucis millibus pugnans contra 300000. Hunnos, Sclavos, Dacos, aliósque infideles, vidit Angelum Domini cum SS. MM. Laurentio & Adriano omnia hostium tela in ipsósmet Antagonistas retorquere, itáque suos tutari, ut nec unus caderet, aut sauciaretur, hostibus internecione deletis. S. Cunegundis ejus Uxor & Virgo perpetua in adulterij suspicionem conjecta in signum innocentiæ tredecim candentes vomeres illæsis vestigijs calcavit. In XII. S. Otto Episc. Bamberg. prædicans in Pomerania fidem Christi cursum rapidissimi fluminis oratione stitit, dœmones pepulit, in carceribus, item in mari periclitantibus forma corporali adhuc vivens apparuit, eósque liberavit, cùm ejus opem ad Deum expeterent. S. Bernardus mu-

tos, claudos, aridos, frebricitantes maximo numero sanavit. Item prædicans Verbum Dei & fidem Ecclesiæ Romanæ contra hæreticos Henricianos, qui realem Corporis Christi præsentiam in Evchariſtia negabant, & Transsubstantiationem, Missæ Sacrificium, orationem pro defunctis, Invocationem Sanctorum (ut nunc Lutherani) inficiabantur, contra hos, inquam, prædicans D. Bernardus elevata manu & signo crucis multos panes in nomine Dei benedixit, dicens ad confertum populum: *In hoc scietis, vera esse, quæ à nobis, falsa, quæ ab hæreticis, suadentur; si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem.* Postmodum tanta multitudo languentium gustato eo pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, & vir sanctus, per vicina loca regrediens, ob intolerabiles concursus declinaverit ab ijs. In XIII. duo Patriarchæ Ordinúmque Institutores, S. Dominicus & S. Franciscus, tot miraculis insigniti erant à Deo, ut uterque sæculi sui miraculum, totâ vitâ, exstitisse meritò dicatur. Illum fecit Deus suscitatorem plurium mortuorum, huic impressit Christus quinque vulnerum stigmata &c. In XIV. S. Rochus innumeros epidimica peste laborantes sola sanctæ Crucis impressione curavit. S. Catharina Senensis Matrem suam, quæ sine confessione decesserat, ad vitam revocavit precibus, aliáque admiranda fecit. In XV. in quo natus est infelix Luther, S. Bernardinus Senensis Græcè ad Græcos concionatus & intellectus est, licèt eam linguam non didicerit, per aquas siccis pedibus ambulavit, noxios imbres coërcuit &c. S. Antoninus parum olei & mellis instar Eliæ multiplicavit, & præter alia mira & magna hominem defunctum revocavit ad vitam.

In XVI. in quo Euslebiensis Prophetа longè aliam doctrinam prædicans, quàm Ecclesiæ Romanæ cultores, nullum prorsus miraculum edere potuit, isti verò innumeris claruerunt in utroque Orbe. S. Franc. de Paula prunas ardentes illæsis portavit manibus, exanimes non paucos ad vitam reduxit. S. Ignatius Loyola Divinis visitationibus recreatus sæpe, aliquando in extasi mentis per octiduum jacuit, Divinæ patiens & cognoscens, alicujus ex socijs animam in Angelorum comitatu vidit cœlum ingredi, Christum sibi apparentem habuit in via, & protectionem sui Ordinis promittentem audivit. S. Franciscus Xaverius tot ac tanta miracula tam ante quàm post mortem patravit, & quotidie patrat, ut iniri numerus nequeat: pestem fugavit, in pluribus locis simul exstitit, 25. mortuos suscitavit, arcana cordium inspexit, futura prædixit, absentia cognovit, ejus corpus post mortem durat incorruptum & integrum &c. Percipe unicum miraculum paulò distinctius, quod utique omnem virtutem creatam transcendit, & primæ classis est. Coulani, quæ urbs est mari ima haud procul à Comorino, in regno Travancoris, prædicabat Evangelium Xaverius, & cùm quidam pertinaciter resisterent agnitæ veritati, agens de illorum conversione cum Deo preces & lacrymas fudit: postmodum

spe

ſpe plenus juſſit pridie jam ſepultum exhumari, & Barbaris rei exſpectatione ſuſpenſis, in genua provolutus poſt brevem precationem ad defunctum ſe convertit exclamans: *præcipio, ut in nomine DEI vivi ad Religionis, quam prædico, certam & indubitatam fidem faciendam ſurgas.* Ad hanc vocem mortuus vivus & valens, nullius adminiculo, de terra ſe attollit. Erupit omnium una vox: *Magnus Chriſtianorum DEUS: vera Lex, quam docet Magnus Pater.* Exin Baptiſmum certatim petunt & impetrant. Bouhours in vita S. Fr. Xav. à f. 156. Latinè redditâ. Notent Adverſarij verba: *ad Religionis, quam prædico* &c. Xaverius autem prædicavit Religionem Romano-Catholicam, non Lutheranam, Calvinianam &c. & in ejus confirmationem Deus fecit manifeſtum miraculum, ſuſcitando mortuum, conſequenter teſtatus eſt, Fidem & Religionem Romano-Catholicam eſſe veram Deóque placentem.

Hæc & alia S. Xaverij miracula adeò erant ſplendida, ut clara veritatis lux non tantùm Gentiles ad Eccleſiam Romanam permoverit amplectendam, ſed etiam ſectariorum & hæreticorum oculos non leviter perſtrinxerit, atque confeſſionem tantarum rerum expreſſerit; unde Robertus Hakluit Anglicanus Præco ita ſcribere coactus eſt: *Pius ille Confeſſor, & ſolers Indorum inſtructor, Franciſcus Xaverius, poſt multos exantlatos labores, poſt injurias, calamitates magno animo ſuperatas, omnibus benedictionibus ſpiritualibus plenus obiit anno 1552. poſtquam multa hominum millia ad fidem Chriſti perduxiſſet; de hoc viro, virtutibus ejus, & mirabilibus vim omnem Naturæ excedentibus, omnes recentes Indorum hiſtoriæ teſtantur.* Acoſta & Bouhours in vita Xav. Neque ceſſat Sanctus iſte patrare mira in hodiernum uſque diem; primùm ante 10. annos in parva civitate Sabaudiæ la Roche (ad Rupem) dicta haud procul Geneva unus ex Patribus noſtris per annulum, attactu digiti S. Xaverij ſacratum, tot ac tam diverſi generis miracula edidit, ut ſimilia (excepta mortuorum reſuſcitatione) à temporibus Apoſtolorum vix audita fuerint, cum ingenti admiratione finitimarum nationum. Taceo Barzæos, Anchietas, Ludov. Bertrandos, Martinos Valentinos, Aloyſios, Stanislaos, & alios quàm plurimos, ſtupendis prodigijs hoc ipſo ſæculo claros. In XVII. S. Franc. Saleſius pro concione dicens radioſo fulgore micuit, ſub exhortatione in extaſim raptus eſt &c. Dominicus à JESU MARIA ferè perpetuum fuit miraculum per totam vitam, raptus & extaſes fuerunt ipſi propè quotidianæ, corpore elevatus à terra viſebatur ſæpius, dum orabat, futura prænovit &c. Similia paſſim legere potes in vitis Antonij Kuiz de Montoya, Jacobi Martinez, Ludovici de Ponte, Marinæ de Eſcobar &c. In XVIII. nuper inchoato, hinc indè in varijs mundi partibus, præſertim in Indijs, ubi convertuntur Gentiles, Deum per homines in hac vita exiſtentes complura jam patrâſſe & adhuc patrare miracula, quæ nobis nondum cognita ſunt, mihi indubitatum eſt ex uſu

&

& stylo Dei consueto hucusque, continuis miraculis Ecclesiam Romanam per omnia sæcula illustrantis & amplificantis. Quòd autem quotidie operetur vel in hostijs sacris miraculosè immutatis, cujusmodi asservatur hic Augustæ jam per 500. annos ad S. Crucem, vel per reliquias sacras, præcipuè S. Crucis, vel per imagines pias Crucifixi, qualis est in vicinia nostra Biberbachij, vel per statuas & imagines Sanctorum præsertim B. V. uti Laureti, Oettingæ Veteris, in Eremo, Cellæ &c. per Sacrificia Missæ &c. facilè intelliget, qui ejusmodi pia loca adire, suspensa anathemata attendere, memorantes accepta beneficia audire, juratis testibus confecta desuper documenta publica perlegere volet. Ubi specialiter notandum venit, quòd plurima miracula hactenus contigerint, & hodiedum contingant circa res & mysteria inter Catholicos & Lutheranos controversa v. g. circa Sacrificium Missæ, circa Transsubstantiationem, circa suffragium pro Defunctis, circa adorationem Christi in Eucharistia, circa cultum Reliquiarum, venerationem imaginum, invocationem Sanctorum, circa Sacramenta Confirmationis, Confessionis, Extremæ Unctionis, Ordinis, circa aquam lustralem, ceram benedictam &c. Vide Fornerum in Palma Triumph. l. 1. c. 24. & seqq.

54. Ob. 1. Miracula Catholicorum sunt tantùm figmenta, præstigiæ, aniles fabulæ: ergo. 2. Sæpe videntur esse opera ludicra. R. ad 1. N. A. Est enim evidenter incredibile, quòd ex tot ac tantis miraculis, inter varias Gentes diverso loco, & tempore patrata, saltem non aliqua sint vera; quis enim prudens tantæ est pervicaciæ, ut fidem deneget viris summæ aliàs auctoritatis, Hieronymo, Gregorio, Augustino, Palladio, Bernardo &c. qui talia scripserunt? Quis eos omnes arguat mendacij aut simplicitatis? Quis communem & constantem famam tam levitet contemnat? Quis Dei prodigiosa beneficia evidenter expertos & publicè deprædicantes damnet fraudis in re tanti momenti, & quidem in tanto numero? An non est contra rationem, & manifesta calumniandi libido, præfractè tot ac tanta testimonia negare? An non inverecundæ est frontis pernegare ea, quæ sæpius coram ingenti hominum multitudine facta sunt? An non Judæi & Gentiles, & antiqui hæretici pari jure contempsissent, negâssent, & adhuc negare possent miracula Christi, Apostolorum, & primorum Martyrum, ac dicere, fuisse figmenta, præstigias, effectus naturales? Unde patet etiam ad 2. & 3. Circa ultimum addo, si quædam miracula, quæ in speciem videntur vilia & quasi ludicra, ideo suspecta sint Lutheranis, legant Scripturam de asino loquente & conquerente contra Balaam, de Gedeonis lagenis & hydrijs confractis, de Samsonis vulpibus, de maxilla asini, de septem crinibus Samsonis à Dalila rasis &c. Cæterùm non diffitemur, aliqua ex ijs, quæ à plebe habentur subinde pro miraculis, deprehendi falsa, si ad severum examen trahuntur. Plurima tamen sunt talia, de quibus nemo prudens dubitare potest. Ne decipiaris, attende illas circumstantias, ex quibus

bus suprà Sciendo 4. diximus discerni posse vera miracula à falsis. Deinde quæro ex Adversarijs, quare diabolus non faciat pariter tot ac tam splendida, tamque verisimilia miracula apud hæreticos, vel etiam in Ecclesia Lutherana, ut ijs prudenter negari fides nequeat? Certè si posset, non omitteret, quia sic facilius ipsi foret homines ad se pellicere. Cur neque ficta miracula habent hæretici, saltem multa, & valde illustria ad speciem? Cur nullum possunt ostendere, quod ritè examinatum subsistat, & in confirmationem alicujus dogmatis, Ecclesiæ Romanæ adversantis, factum sit?

53. Ob. 2. Miracula Ecclesiæ Romanæ solùm confirmant fidem ejus Christianam, quà Christiana est, non Papisticam & quà Romano-Catholicam; seu solùm confirmant ea, quæ in Papatu adhuc retinentur ex Christianismo antiquo, & quæ adhuc bona ac integra sunt: ergo non habent, cur glorientur Papistæ, cùm ejusmodi prodigia sint communia omnibus Christianis. R. 1. Cur ergo ejusmodi prodigia non pariter fiunt in Lutheranismo? An igitur in eo nihil omnino bonum ac integrum est, ex vero Christianismo relictum? R. 2. Nunquid hoc modo poterant etiam Judæi & Pagani eludere miracula Christi & Apostolorum, dicendo nimirum, ea solùm in confirmationem illorum dogmatum, in quibus Christiani conveniunt cum Judæis & Paganis, non verò aliorum, in quibus discrepant, patrata fuisse? R. 3. Directè N. Ant. Si Rex aliquis, sciens & prudens, aliquod diploma, suo sigillo munitum, publicè promulgari faciat, censetur approbare omnia, & non tantùm partem eorum, quæ in tali diplomate continentur. Talia diplomata Dei sunt miracula in Ecclesia Romana. R. 4. Ex authenticis historijs constat, multa miracula evenisse hactenus in confirmationem eorum articulorum, in quibus Romana Ecclesia discrepat à Lutheranis, & alijs Sectarijs. R. 5. N. suppositum, quòd in Ecclesia Romana circa fidem aliqua non sint bona, & integra: item quòd Christiana Religio quà *verè* Christiana differat à Papistica, seu à Romano-Catholica.

Ob. 3. Miracula, quæ fiunt in Ec- 54.
clesia Romana, vel confirmant doctrinam Propheticam & Apostolicam; vel corruptelas, superstitiones, & cultus Idololatricos? Si prius, demonstrandum est ex SS. litteris, modernam doctrinam Ecclesiæ Romanæ omni ex parte convenire cum doctrina Prophetica & Apostolica. Si posterius, miracula non debent attendi, utpote spuria, & testimonia falsi. Ita subtilizat Gerardus de Ecclesia n. 273. sed non sine vertigine, circulo vitioso, & petitione principij. R. enim, confirmari doctrinam Propheticam & Apostolicam, vel potiùs per miracula palàm fieri, in Ecclesia Romana (non in Lutherana &c.) esse adhuc puram & integram doctrinam Propheticam & Apostolicam. Unde N. suppositum, quòd in Ecclesia Romana sint superstitiones & Idololatrici cultus; eo ipso enim, quòd approbentur à Deo miraculis, non possunt esse superstitiones &c. Non enim evidenter

sunt superstitiones, ut per petitionem principij Gerardus supponit falsò. Neque miracula ex doctrina, sed doctrina ex miraculis, utpote per se valde illustribus, dignosci debet.

ARTICULUS V.

De Nota Catholicismi, seu Universalitatis.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quomodo & quàm variè accipiatur vox Catholicum.*
3. 4. *Quid requiratur & sufficiat ad hoc, ut Ecclesia dicatur Catholica seu Universalis quoad locum.*
5. *Duplex argumentum formari potest ex Catholicismo.*
6. *Primum ex diffusione per totum orbem, quam Ecclesia vera habere debet, ut fusè ostenditur.*
7. 8. *Nec infringitur hæc diffusionis nota objectiunculis Adversariorum.*
9. *Quorum secta nullatenus est aut dici potest Catholica.*
10. 11. 12. *Utut hoc nomen sibi arrogent, vel, si de hoc desperent, illud spernant.*
13. *Quid intelligatur per Ecclesiam Romanam.*
14. *An ista sit & rectè dicatur Catholica.*
15. *Non requiritur, ut omnes omnino homines in omnibus provinciis recipiant fidem Romanam, ut sit Catholica.*
16. *Ecclesia Romana non est Particularis, nisi sub aliquo respectu tantùm.*
17. *Nec obstat, quòd Catholici appellentur Papistæ &c.*
18. *Alterum argumentum petitur ex conversione Gentium, sine qua esse non potest vera Christi Ecclesia.*
19. 20. *Quidquid regerant Adversarij.*
21. *Apud quos nulla unquam viguit conversio alicuius integræ Gentis.*
22. 23. 24. *Excusationes & exceptiones eorum frivolæ.*
25. *Romana Ecclesia semper convertit Gentiles, ac Paganos, ut ostenditur per singula sæcula.*
26. 27. *Inepta Adversariorum responsiones.*

1. SCiendum 1. *Catholicum* esse vocem Græcam, & significare idem ac Universale & commune omnibus, præcipuè quoad locum, seu *esse diffusum per totum orbem*, juxta illud ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, *in Universo orbe*. Mat. 24. v. 14. & juxta illud Cyrilli Jerof. Catechesi 18. *Catholica vocatur Ecclesia, quia per* Universum *sit* Orbem *terrarum diffusa*. Et infrà: *Neque id tantùm quæras simpliciter, ubi sit Ecclesia; sed ubi Catholica Ecclesia: hoc enim*

enim proprium nomen Sanctorum est Sanctæ hujus, & Matris omnium nostrûm, quæ est Sponsa Domini nostri JESU *Christi.* Unde

2. Sc. 2. Quamquam Ecclesia Christi possit dici Catholica ex triplici capite 1. Ratione doctrinæ, quia semper & ubique eandem profitetur doctrinam, sive quia omnibus fidelibus eadem doctrina *communis*, & *universalis* est. 2. Ratione temporis, quia semper durare debet à Christo usque ad finem mundi, seu quia *communis* est omnibus temporibus. 3. Ratione loci, quia ubique per totum orbem debet esse diffusa, seu *communis* omnibus locis: quam triplicem universalitatem expressit Vincentius Lyrinensis, dum l. contra hæreses c. 3. dixit, *Catholicum esse, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum.* De universalitate doctrinæ, & temporis, actum est satis in præcedentibus; nunc agendum de Universalitate loci, quæ proprijssimè venit nomine *Catholicismi.*

3. Sc. 3. Ad hoc, ut Ecclesia dicatur Catholica, seu universalis quoad locum, non esse necesse, ut simul eodem tempore sit ubique per totum orbem recepta, multò minùs ab omnibus omnino hominibus agnita; sed sufficere, si successivè promulgetur & innotescat omnibus totius mundi provincijs ante finem mundi, saltem nobilioribus & amplioribus; sic enim jam verificantur vaticinia Prophetarum & promissiones Christi. Adeòque non simul, sed moraliter debet diffundi vera Christi Ecclesia per totum mundum, ac pervenire ad omnes gentes; non tamen quomodocunque, sed ita, ut in omnibus provincijs *fructificet*, seu ut aliqui saltem recipiant veram Christi fidem, & constituant hoc pacto aliquas Ecclesias particulares: quæ Ecclesiæ particulares, per totum mundum existentes, faciunt unam Ecclesiam universalem, seu Catholicam, ut ait Beda l. 5. Histor. c. 22.

4. Sc. 4. Ut Ecclesia defacto non tantùm dici possit, sed etiam verè sit Catholica, requiri, ut jam actu fuerit aliquando vel adhuc sit in plerisque mundi provincijs; Ecclesia enim defacto jam senuit omnium consensu: si ergo in juventute vel adolescentia sua non crevisset, per orbem totum propagata, quomodo crescceret in senectute? Adde, quòd Paulus ad Colossenses 1. v. 6. dicat: *Evangelium pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis.* Dixi tamen *in plerisque*, ut insinuarem, Ecclesiam adhuc posse crescere, & introduci in novas Regiones, quæ nondum sunt cognitæ; antequam enim totum mundum illustraverit, non venit dies Domini; postquam verò illustraverit, veniet, ut ipse Christus prædixit Mat. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; & tunc veniet consummatio.*

5. Sc. 5. Ad discernendam veram Christi Ecclesiam à falsis ex Catholicismo posse formari duplex argumentum valde solidum, in quorum uno veritas Ecclesiæ Romanæ & falsitas Lutheranæ probetur ex diffusione per totum orbem, in altero ex conversione Gentilium. Lu-

therani hìc iterum tergiversari volunt, & latebras quærere, dicendo, non Ecclesiam *vocatorum*, sed *electorum*, non *visibilem*, sed *invisibilem* esse debere Catholicam; quod quàm ineptè & falsò dicant, patet evidenter tum ex dictis de visibilitate Ecclesiæ, tum ex eo, quòd Ecclesia Christi diffundi per totum orbem debeat per Evangelij prædicationem, & conversionem Gentium, quæ utique fieri nequeunt insensibiliter. Et quæso, si Ecclesia invisibilis tantùm debet esse Catholica, nunquid quilibet hæreticus dicere poterit, suam Ecclesiam esse verè Catholicam, & per totum orbem diffusam, scilicet invisibiliter?

SYLLOGISMUS I.

Vera Christi Ecclesia debet esse Catholica.
Sed Lutherana non est Catholica.
Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Major est certa

6. 1. Ex Scriptura S. utriusque Testamenti. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe.* Mat. 24. *Euntes ergo docete omnes gentes &c.* Mat. 28. Oportet *prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma.* Luc. 24. v. 47. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Rom. 10. v. 18. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. 16. v. 15. *Et fructificavit in universo mundo.* Coloss. 1. v. 6. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Act. 1. v. 8. Idem prænuntiatum est in antiquo Testamento, *Benedicentur in semine tuo* (hoc est, in Christo, ut exponit D. Paulus Gal. 3.) *omnes gentes terræ.* Gen. 22. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 2. *Reminiscentur & convertentur ad Dominum omnes fines terræ.* Ps. 21. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Malach. 1. Ergo est indubitatum, veram Christi Ecclesiam debere esse Catholicam, seu in toto orbe aliquando prædicatam, & ab omnibus gentibus receptam.

2. Ex Symbolis, quæ etiam ab Adversarijs admittuntur; imprimis quidem ex Symbolo Apostolico, in quo jubemur credere Sanctam Ecclesiam *Catholicam.* 2. Ex Symbolo Nicæno, in quo jubemur credere unam, Sanctam, *Catholicam*, & Apostolicam Ecclesiam. Prima autem quatuor Concilia, eorúmque canones admittunt Lutherani Scriptores celebriores, uti Gerardus in LL. Theol. de Eccl. n. 161. dicens: *Haud quaquam discessimus à fidei regula*

gula, vel à quatuor illorum Conciliorum canonibus; quidquid dicat M. Lomer in ſeiner Saur-Brunnen: Cur p. 271. (refutatus à me p. 171. & 172. ſuprà) ad nihil ſe volens adſtringi, niſi quod in prima Eccleſia tempore & ſcriptis Apoſtolorum deciſum & comprehenſum eſt. 3. Ex Symbolo S. Athanaſij, quod ſoli fidei Catholicæ adſcribit ſalutem, aſſerens: Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat *Catholicam* fidem: quam niſi quisque integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit. Ita S. Athanaſius.

3. Ex ratione. Ad veram Chriſti Eccleſiam vocati ſunt omnes totius mundi incolæ, eamque tenentur omnes amplecti, ſi ipſis ſufficienter promulgetur, ſub amiſſione æternæ ſalutis: ergo vera Chriſti Eccleſia debet per totum orbem ſufficienter promulgari & diffundi; aliàs Deus vocaret omnes ad Eccleſiam, nec tamen omnibus præberet ſufficientia media perveniendi ad Eccleſiam: ergo vera Chriſti Eccleſia debet eſſe Catholica quoad locum.

4. Ex ipſo nomine, quo ſemper, ab ipſis etiam Apoſtolis, inſignita eſt vera Chriſti Eccleſia, dum ſemper vocata eſt *Catholica*: non enim Patres tantùm, ut fatentur omnes Lutherani, quantùm ſcio, & ipſe etiam M. Lomer pag. 184. in ſeinem Bamer / tum in Symbolo Apoſtolico, tum aliàs, Eccleſiam Chriſti appellârunt Catholicam, & quidem tam Græci quàm Latini: verùm etiam ipſimet Apoſtoli in ſuo Symbolo eam hoc nomine diſtinxerunt ab Eccleſijs falſis, ut conſtans eſt traditio, & Gerardus n. 149. expreſsè fatetur his verbis: *Non abnuimus, ab ipſis Apoſtolis hanc appellationem* (Catholicam) *eſſe profectam, cùm enim ex ore Magiſtri audirent, Eccleſiam in novo Teſtamento non amplius, ut in veteri, angustiis Judææ limitibus fore inclusam, ſed Evangelium prædicandum eſſe per totum mundum, indè Eccleſiam N. T. vocârunt* Catholicam, *quia ſcilicet ſine reſpectu ac diſcrimine locorum, nationum &c. ex omnibus hominum generibus in univerſo orbe colligitur.* Ergo vera Chriſti Eccleſia debet ſicut eſſe, ita & vocari Catholica, & quæ hoc nomine deſtituta eſt, Eccleſia, quam Apoſtoli propagârunt, non eſt. Hac Lutheranorum confeſſione non obſtante (quod vehementer miror) in gratiam ſui Magiſtri Lutheri, qui per ſummam temeritatem & impietatem Symbolum Apoſtolicum mutilavit, & corrupit, omittendo vocem **Catholiſche** / & ſubſtituendo **Chriſtliche Kirch** hodiedum retinent Symbolum mutilatum, falſatum, corruptum, probè ſcilicet gnari, hoc illuſtre nomen, ab Apoſtolis veræ Chriſti Eccleſiæ attributum, ſuæ Sectæ non congruere, & conantes idcirco ablata voce ſuis eximere ſcrupulum, quem prudentibus facilè ingeſſiſſet relicta vox **Catholiſch** ſeu **Allgemein.**

5. Ex aperta Lutheranorum confeſſione. Quippe Auguſtana Confeſſio art. 1. de abuſ. dicit, ſe non diſſentire in ullo fidei articulo ab Eccleſia *Catholica*. Adhuc expreſſiùs fatentur DD. Lutherani in actis Ratisbonenſ. tit. 6. apud Tannerum, ubi ſic loquuntur: *Quicquis ab Eccleſia Catholica & Univer-*

versali, hoc est, per omnia loca & tempora diffusâ & propagatâ usque ad fines terræ, eáque secundùm externam professionem & communionem per totum terrarum orbem diffusâ, se separaverit, hoc solo scelere, quòd à Christi unitate sejunctus est, non habebit vitam æternam.

6. Ex SS. PP. S. Cyprianus l. de unit. Eccl. mihi pag. 254. *Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur &c. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit.* S. Augustinus, qui præ cæteris ex hac nota Catholicissimi frequentiùs, & solidè Donatistas impugnavit in egregio suo libello de unitate Ecclesiæ per plura capita. Dein l. 2. contra litteras Petil. c. 16. ita aggreditur hæreticum: *Objicio Schismatis crimen; quod tu negabis, ego autem statim probabo. Neque enim communicas omnibus gentibus, & illis Ecclesijs Apostolico labore fundatis.* Et contra epist. Fundamenti c. 4. *Tenet me in Ecclesia* Catholica *ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Rursus l. de vera Relig. c. 7. *Tenenda est nobis Christiana Religio, & ejus Ecclesia communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolint, ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.* Vinc. Lirin. l. cont. hæres. c. 34. ita monet: *Vocum novitates devita, quas recipere atque sectari nunquam Catholicorum, semper verò hæreticorum fuit. Et revera quæ unquam hæresis, nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit, quis unquam hæreses instituit, nisi qui se priùs ab Ecclesiæ Catholicæ universitatis & antiquitatis consensione discreverit?* Pacianus ep 1. ad Sympron. tom. 1. col. 304. Bibl. Patrum: *Christianus mihi nomen est: Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, indè significor.* Item: *Ab hæretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, dum Catholicus dicitur.* Clarum igitur est, juxta sensum Patrum, veram Christi Ecclesiam esse & dici debere Catholicam, &, quæ nec re nec nomine Catholica est, hæreticam esse.

Ob. 1. Id, quod Ecclesiæ non convenit perpetuò & semper, illud non est genuina & propria illius nota: atqui diffusio per totum orbem non convenit perpetuò & semper veræ Ecclesiæ; quia Ecclesia primò continebatur solis Judææ finibus. Item in fine mundi tam angustis arctabitur terminis, ut vix ullus fidelium futurus sit juxta illud Christi: *Filius hominis veniens, putas, fidem reperiet in terra?* Luc. 18. ergo. R. D. Ma. Quod non semper convenit, hoc est, quod nec Ecclesiæ natæ, adultæ, & in suo

ſtatu completo conſtitutæ convenit, non eſt nota genuina Eccleſiæ. Tranſ. Ma. Eccleſiæ naſcenti, nondum in ſtatu completo conſtitutæ, ut fuit per unum vel alterum annum, antequam Apoſtoli diviſi in univerſo orbe prædicaverant Evangelium; vel agonizanti, ut erit in fine mundi tempore Antichriſti. N. Ma. Et ſic diſtincta Min. N. Conſ. Vel aliter Diſt. Ma. Quod non convenit perpetuò & ſemper, hoc eſt, per ſpatium notabile, & moraliter conſiderabile. Tranſ. Ma. Per ſpatium breve tantùm pauciſſimorum annorum, moraliter non conſiderabile reſpectu tot ſæculorum. N. Ma. Etiam jam tempore Apoſtolorum fuit Eccleſia, ſicut ab ipſis Apoſtolis appellata, ita verè Catholica, teſte Paulo Rom. 1. *Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.* Neque potuit & debuit primo ſtatim momento per totum orbem diffundi, fructificare, & creſcere, ſed ſucceſſivè, ideo enim comparatur *grano ſinapis.* Mat. 13. quod initiò parvum eſt, ſed poſtea in magnam ubertatem excreſcit. Et hinc ſtatim initiò etiam poterat Eccleſia dici Catholica, ſcilicet virtualiter, ſeu in virtute & in actu 1. non formaliter & in actu 2. Cæterùm in fine mundi non ad tantam paucitatem perſecutione Antichriſti (quæ non niſi per tres annos cum dimidio duratura creditur) redigentur fideles, ut non ampliùs in potiſſimis mundi plagis ſaltem aliqui ſuperſint, & veræ Eccleſiæ doctrina ubique in recenti adhuc memoria exiſtat. Adeóque perſeverabit tunc eſſe Catholica & Univerſalis.

Dices 1. Ad verificandos textus Scripturæ ſufficit, quòd Eccleſia Chriſti fuerit aliquando diffuſa per totum orbem, ſcilicet tempore Apoſtolorum: ergo iſta nota Catholicismi non eſt perpetua, nec Eccleſia debet ſemper eſſe diffuſa per totum orbem. R. 1. N. A. Nam iſte articulus fidei, qua credimus *Eccleſiam Catholicam* in Symbolis, ſemper debet eſſe verus; adeóque non ſufficit Eccleſiam ſemel fuiſſe diffuſam per totum orbem cognitum ad breve tempus, ſed ſemper debet eſſe diffuſa & omni tempore notabili. R. 2. N. ſuppoſitum A. quòd tempore Apoſtolorum Eccleſia per totum ſimpliciter orbem fuerit diffuſa; ſed tantùm fuit diffuſa per provincias plerasque tunc cognitas. Si enim fuiſſet diffuſa ſimpliciter per totum orbem, & converſæ omnes omnino Gentes, adeóque vaticinia perfectè impleta; jam pridem debuiſſet interire mundus juxta prædicationem Chriſti: *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Mat. 24. Dicimus ergo, prædicationem Evangelij debere fieri in toto mundo ſucceſſivè ante finem mundi. Nihilominus tamen, ut dici poſſit Catholica defacto, debuit jam nunc fuiſſe prædicata, & fructificâſſe aliquando in toto moraliter Mundo, nunc cognito. Neque dicas propterea, falſos fore illos textus Scripturæ, quibus Eccleſia jam tempore Apoſtolorum dicitur eſſe annuntiata per totum orbem. Nam Scripturæ mos eſt aliquid dicere de omnibus, quod convenit ferè omnibus, & de toto, quod ferè toti convenit, uti

Mat.

Mat. 2. ubi dicitur *tota* Hierosolyma esse turbata cum Herode, & Luc. 2. *universus* orbis esse descriptus, licèt non simpliciter de tota Jerosolyma, vel universo orbe intelligendum sit.

Dices 2. Si defacto contingeret, ut unica adhuc provincia retineret veram fidem, vel talis Ecclesia esset Catholica vel non? Si esset: ergo ad veram Christi Ecclesiam non requiritur diffusio actualis, sed sufficit illa, quæ fuit primis sæculis tempore Apostolorum: si non esset, tunc Ecclesia vera desineret esse Catholica, & sic non ampliùs esset verus articulus 9. Symboli Apostolici. R. 1. N. casum, quòd Ecclesia ante finem mundi possit arctari unâ provinciâ; semper enim debet crescere usque ad finem mundi, licèt in alijs provincijs simul iterum interire possit: conversâ autem provinciâ & gente ultima *veniet consummatio* juxta vaticinium Christi citatum. R. 2. Transmissa possibilitate casûs dico, talem Ecclesiam posse adhuc vocari Catholicam, scilcet ampliativè, quia saltem aliquando fuisset propagata in toto mundo, ac proinde haberet adhuc prærogativam & notam universalitatis, quam nulla secta hæreticorum habuisset unquam, aut esset habitura deinceps; adeóque maneret Catholicismus nota perpetua veræ Ecclesiæ.

Dices 3. Christus Ecclesiam suam vocat *pusillum gregem*. Luc. 12. ergo Ecclesia non debet esse diffusa per totum orbem. R. 1. Ecclesia Christi utique initiò, quando hæc verba audijt à Christo, fuit pusillus grex, sed postea crevit in amplissimum populum, & crescere debuit juxta vaticinia Prophetarum & Christi, sicut granum sinapis minimum crescit in vastam arborem. R. 2. Etiam hodie posse dici pusillum gregem, si comparetur cum omnibus sectis & Religionibus falsis simul sumptis, adeóque comparativè ad omnes sectas falsas collectivè sumptas; non absolutè, nisi humilitate tantùm. Ecclesia vera Christi superat latitudine & diffusione omnes sectas hæreticorum seorsim & distributivè sumptas, cùm nulla fuerit ubique diffusa per totum orbem, licèt fortè omnes collectivè sumptas non superet; nam pulchrè dixit S. Aug. l. de pastor. c. 8. *Ecclesiam esse ubique, hæresim ubique; sed Ecclesiam ubique eandem* (eadem dogmata tradentem) *hæresim verò diversissimam*; nimirum aliam in Oriente, aliam in Occidente, aliam in Anglia, aliam in Germania &c.

Dices 4. Synagoga fuit vera Ecclesia, nec tamen fuit Catholica, seu per totum orbem diffusa: ergo nec Ecclesia Christi debet necessariò esse Catholica. g. N. C. Nam Synagogæ non fuit promissa talis diffusio per orbem totum, nec unquam divinitus obtinuit titulum *Catholicæ*, sicut Ecclesia Christi. Cæterùm nec olim vera Ecclesia Universalis fuit tantùm populus Israeliticus sub Lege Mosaica constitutus, sed etiam alij, uti Melchisedech, Job, Ninivitæ &c. extra Gentem Judæam fuerunt verè fideles & salutis compotes, ut nec Adversarij negant.

Ob. 2. Etiam falsis Religionibus convenit diffusio per totum orbem, ac tanta amplitudo, quanta Ecclesiæ Christi

§.

sti, vel adhuc major: ergo Catholicismus non est nota veræ Ecclesiæ. A. P. Ethnicismus, Turcismus, Judaismus post Christum non minùs, imò magis per totum orbem diffusi & dilatati sunt quàm vera Christi Ecclesia: ergo. 2. Hæresis Ariana teste D. Hieron. corripuit totum orbem, ita ut *mundus miraretur se esse Arianum*: ergo hæc nota convenit etiam sectæ falsæ: ergo Catholicismus non convenit soli Ecclesiæ veræ, consequenter non est propria & genuina illius nota. R. 1. Nos statim initiò c. 2. art. 1. monuisse, quòd hìc non inquiramus notas veræ Ecclesiæ distinctivas à falsis Religionibus *Paganorum*, qui Christum non agnoscunt, uti sunt Ethnici, Turcæ, Judæi, sed distinctivas tantùm à falsis sectis *Christianorum*, seu ab hæreticis. R. 2. Nos ibidem monuisse, quòd notæ aliquæ, seorsim sumptæ, sint quidem veræ notæ negativè, ita ut vera Ecclesia non sit, ubi talis nota non deprehenditur, non autem affirmativè, ita ut, ubicunque talis nota reperitur, etiam vera reperiatur Ecclesia: talis nota negativa est etiam Catholicismus seorsim sumptus, sive diffusio per totum orbem; nisi hæc diffusio spectetur ut vestita circumstantijs talibus, quæ in falsa secta reperiri nequeunt, uti sunt miracula, celeritas conversionis maximorum Principum, & barbararum gentium, inter gravissimas persecutiones, sine vi, sine armis, sine pecunia &c. Cum quibus circumstantijs considerata diffusio per totum orbem, uti defacto contigit, est etiam nota affirmativa. R. 3. Turcismus minimè diffusus est unquam per totum mundum, licèt sit valde dilatatus. Nec Judaismus, præsertim cùm Judæi censeantur ubique esse peregrini tantùm & vagi, sintque sine Rege, adeóque & sine Regno. Adde, quòd Turcismus, Judaismus, uti & Ethnicismus, dividantur & scindantur in innumeras species infimas, & in doctrinis, atque Idolis colendis minimè conspiraverint unquàm: quælibet autem horum infidelium species nullatenus per totum orbem est diffusa, sed vix per integrum Regnum &c. Ad 2. Ariana hæresis ferè intra Orientis limites hæsit, & plerasque Occidentis Regiones non occupavit, ne dicam remotiores in Indijs &c. Adde, quòd non prodigijs, & speciali virtute Divina, sed fraudibus, armis &c. fuerit propagata, & brevi omnino perierit iterum. S. Hieron. locutus est hyperbolicè.

Dices. Ecclesia est, & vocatur Catholica ideo, quia consentit cum doctrina Prophetica & Apostolica, & sine hoc consensu doctrinæ cum doctrina Apostolica nihil prodest qualiscunque amplitudo localis: ergo ex ista amplitudine non probatur vera Ecclesia, sed ex vera doctrina, consentiente cum doctrina Apostolica & Prophetica. Ita iterum in vertigine sua in circulum ambulat Gerardus. R. N. A. & Cons. Vera doctrina non patet per se in omnibus fidei articulis, clarè autem & sensibiliter patet prædicatio doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, atque propagatio per orbem: ergo potiùs doctrina Evangelica & vera probari & cognosci debet ex prædicatione & propaga-

pagatione illius per totum orbem, quàm viciſſim Catholiciſmus ex doctrina Evangelica. Cæterùm Eccleſiam dici Catholicam à doctrina, & non à propagatione ac diffuſione per totum orbem, eſt contra ſenſum communem omnium, etiam adverſariorum, imò & ipſius Gerardi in probatione 4. paulò antè citati ac alibi, item contra etymologiam nominis &c. Quamquam enim Catholica dicatur Eccleſia etiam propter uniformitatem univerſalem in doctrina, non tamen propter veritatem doctrinæ ita dici conſuevit.

Minor eſt indubitata

9. 1. Ab experimentali notitia, qua conſtat, ſectam Lutheranam non eſſe receptam in præcipuis & maximis mundi partibus, aut ita promulgatam, ut fructificaret ibi, nimirum in Aſia, Africa, & America, quæ ſunt partes mundi, quarum ſingulæ ſunt longè ampliores quàm Europa. Sed nec in Europa fructificavit in omnibus Regnis & provincijs; quippe eam nunquam admiſit Hiſpania, Gallia (Regna maxima) Italia, Bavaria. In cæteris Germaniæ provincijs plerisque, uti & in finitimis quibusdam Septentrionalibus regionibus, multùm quidem invaluit, ſed in his quoque diviſum vel cum Catholicis, vel cum Sectarijs Lutheranæ ſectæ adverſantibus, imperium habet. Neque ſperent Lutherani, ſuam ſectam deinceps propagandam per totum mundum; ſi enim in adoleſcentia non ſatis crevit, quomodo creſcet in ſenio? Ecce! poſt generalem illam defectionem, quæ contigit turbatis illis Lutheri temporibus, nullus Princeps Catholicus aut Provincia acceſſit ad ſectam Lutheranam; quid deinceps ſperandum? Nempe cùm adultera ſenuerit, nullos habet ampliùs procos. Adde, quòd Gentiles nunquam ad ſe potuerit convertere Lutheraniſmus.

2. Ex ratione. Inter Lutheranos ſunt diverſiſſimæ ſectæ, in rebus fidei diſcrepantes, uti ſuprà vidimus de Nota Unitatis, ſunt enim Lutherani Rigidi, Molles, Calixtini &c. Jam quælibet ſpecies infimæ Lutheranorum, utpote plurimæ, evidenter non ſunt Univerſales, & diffuſæ per totum orbem, imò multæ neque per totam aliquam regionem aut urbem.

3. Ex propria confeſſione tum Lutheri, qui propterea, quòd novam ſuam ſectam viderit non eſſe *Catholicam*, hanc vocem ex Symbolo Apoſtolico nefariè expunxit, tum Lutheranorum, qui ideo contendunt, Catholiciſſimum non eſſe notam veræ Eccleſiæ, quia apud ſe eum non deprehendunt. Lomerus expreſsè dicit, ſuam Eccleſiam non eſſe Univerſalem ſeu Catholicam, ſpectare tamen ad Univerſalem. Saur. Brunnen Cur. p. 413.

4. Ex ipſo nomine; nam Lutherana Secta nec à Catholicis, nec ab Hæreticis, nec à Gentilibus, nec à Turcis, nec à Judæis, imò nec ab ipſis Lutheranis plerisque vocatur Catholica, ſed ejus aſſeclæ dicuntur *Lutherani*, *Confeſſioniſtæ Proteſtantes*, & *Evangelici*, ad tegendam ſuæ defectionis turpitudinem ſpecioſo hoc nomine abutentes; uti olim

sim fecerunt antiqui hæretici, qui affectabant vocari *cathari* (id est, puri) *Apostolici* &c. ut grandi quadam appellatione viderentur antestare Catholicis. Siqui ex Lutheranis præsumunt (ut aliqui faciunt) se vocare *Catholicos*, prorsus ridiculum est; ut enim intelligantur, addere debent aliquid, & se vocare Luthero-Catholicos, Evangelico-Catholicos, Lutherisch Catholisch &c. quod est idem ac *ferreum lignum* ein eisenes Pfannen-Holtz/ quia esse Lutheranum, & esse Catholicum (tam ratione doctrinæ, quàm temporis, & loci) se mutuò excludunt. Huc quadrat, quod dicunt SS. PP. scilicet signum hæresis esse nuncupari ab homine. Sic S. Justinus in Triphone de hæreticis ait: *Sunt distincti cognominibus, denominati à quibusdam viris, ut quisque fuit auctor novæ doctrinæ. Ex ijs alij vocantur Marcionistæ, alij Valentiniani, alij Basilidiani* (alij Lutherani) S. Hieron. contra Luciferianos in fine: *ſicubi audietis eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino JESU Christo, sed à quoquo alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos &c. scite, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.*

Ob. 1. Fides Lutherana est ubique
10. consentanea Scripturæ: ergo est Catholica. 2. Imperatores Romani edicto sanxerunt, Catholicos dici, qui confitentur articulos de SS. Trinitate: hos confitentur Lutherani. 3. Ipse Bellarm. fatetur, Lutheranam doctrinam, in Saxonia exortam; mox totam pæne Germaniam occupâsse; deinde ad Aquilonem Orientémque se extendisse in Daniam, Norwegiam, Sueciam, Pannoniam; tum verò ad Occidentem & Meridiem pari velocitate delatam: ergo in omnes quatuor mundi plagas fuit diffusa. R. ad 1. N. A. & N. C. Catholicissimus, de quò hìc agitur, non consistit in conformitate doctrinæ cum Scriptura (quamquam hac quoque destitui Lutheranos superiùs demonstratum sit) sed in diffusione per totum orbem. Item malè supponunt, suam doctrinam esse consentaneam Scripturæ. Ad 2. Quando ita statuerunt Imperatores, tunc solùm articuli de SS. Trinitate erant controversi inter Orthodoxos & Heterodoxos: nunc de alijs articulis est lis. Utique Calvinistas non dicent Catholicos Lutherani, licèt credant articulos de SS. Trinitate. Ad 3. Bellarmin. tantùm asserit, Lutheranismum celeriter esse propagatum ad 4. mundi plagas, respectu Germaniæ, non respectu totius mundi consideratas. Utique civitatem Augustanam non dicent propterea Catholicam esse, quia una ejus porta respicit Orientem, alia Meridiem, tertia Occidentem, quarta Septentrionem. Item Catholicam utique non dicent quamcunque domum, quia secundùm certas sui partes respicit 4. mundi plagas. Aliud est *versùs* omnes mundi plagas diffundi, & aliud *per* omnes mundi plagas & partes diffundi.

Ob. 2. Ex nomine infirmum & lub- 11
ricum ducitur argumentum, juxta illud Apoc. 3. *Nomen habes, quòd vivas, & mortuus es*: ergo nostrum argumentum ex nomine petitum nihil probat, utrùm aliqua Ecclesia sit vel non

non sit Catholica. 2. Lutherani vocantur Evangelici: ergo si ex nomine aliquid probari potest, sequitur, apud Lutheranos esse verum Evangelium seu doctrinam Christi. R. ad 1. D. A. Ex nomine secundùm se præcisè sumpto & nudè spectato. C. Ant. Si res respondeat nomini, aut si ex speciali Dei providentia tale nomen sit attributum & conservatum alicui rei, alijs verò negatum. N. A. & C. Nomen *Catholicæ* ab ipso Deo specialiter jam per Apostolos fuit inditum veræ Ecclesiæ, ac in ea mirabiliter conservatum, alijs verò Sectis omnibus fuit negatum, ita ut appellatæ sint à certis hominibus, nunquam verò simpliciter Catholicæ, & sine addito. Adde, quòd his neque conveniat res significata per nomen Catholicum. Ad 2. D. A. Vocantur Evangelici cum veritate, & jure meliori, quàm omnes Christiani, etiam hæretici. N. Ant. Falsò, perperam, & non majori jure, quàm quicunque alij Christiani, etiam hæretici. C. Ant, & N. C. Omnes, qui aliquo modo credunt in Evangelium, vocantur Evangelici eodem, quo Lutherani, jure, id est, nullo; sicut omnes, qui aliquo modo credunt in Christum, vocantur Christiani, etiamsi hæretici sint. Ad hoc, ut aliqui vocentur verè Evangelici, requiritur, ut Evangelium purè doceant, & sine exceptione recipiant, quod soli faciunt Catholici, etiam Consilia Evangelica amplectentes, quæ à Lutheranis & alijs rejiciuntur, spernuntur. Adde, quòd soli Lutherani se ipsos vocent Evangelicos; alij enim non nisi pacis, aut adulationis gratiâ, ipsis tribuunt indebitum hunc & affectatum titulum; sicut mundi stylus est. Præterea Symbola & SS. PP. veros fideles nunquam vocârunt *Evangelicos*, sed *Catholicos*; & sicut signum veri fidelis non est vocari *Christianum*; ita nec est signum, vocari *Evangelicum*.

Ob. 3. *Catholica* à Græco καθολικὴ non potuit bene verti in Germanicum, & insuper ferè idem est ac *Christiana*: ergo Lutherus non malè fecit in sua versione Symboli Apostolici adhibendo pro Catholische vocem Christliche. R. N. A. Quoad utrumque membrum; quis enim ex Germanis non intelligit, quid nunc significet Catholisch / non obstante, quòd sit vox à Græco derivata? Nunquid & istæ voces à Græco sunt derivatæ Evangelisch / Christlich &c. & tamen omnes Germani intelligunt. Deinde cur Lutherus pro voce Catholische non posuit Allgemeine / quæ vox Germanica est, idémque prorsus significat? Falsum verò est, quòd Catholisch und Christlich idem significent; quippe omnes, qui Christum profitentur, etiam hæretici, possunt vocari Christiani, sed nullus potest vocari Catholicus, cujus Religio & fides non sit per totum mundum diffusa. Adde, quòd, etiamsi prorsus idem significarent hæ voces, non tamen in libera potestate Lutheri fuerit unam pro alia substituere. 12.

An Ecclesia Romana sit Catholica?

R. ita. Antequam probem, repeto ac in memoriam revoco, per Ecclesiam *Romanam* intelligi illam, quæ communicat 13.

nicat & subest Romano Pontifici tanquam Capiti supremo & universali omnium fidelium, ac Pastori summo ovium Christi prorsus omnium, ubicunque locorum existiterint, *ad quam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles: in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio*, ut loquitur S. Irenæus l. 3. c. 3. jam in II. sæculo Ecclesiæ Christi. Sicut enim Lutherani per Augustanam Confessionem non solùm intelligunt doctrinam & Ecclesiam particularem in urbe Augusta existentem, sed etiam omnes illos, qui profitentur Augustanæ Confessionis doctrinam, adeoque & alias Ecclesias particulares, communicantes Augustanæ Confessioni; ita etiam Ecclesia Romana non tantùm complectitur illos fideles, qui existunt Romæ vel in ditione Romana, sed omnes alias Ecclesias particulares, Romano Pontifici communicantes & adhærentes, ubicunque locorum existant per totum mundum. Et sicut Archidux Austriæ, si eligitur in Imperatorem, est Caput totius Imperij, & omnium provinciarum Imperialium, inter quas est etiam Austria, cujus est Dominus particularis: ita etiam Episcopus Romanus, dum eligitur in Pontificem summum, successorem D. Petri, cui Christus omnes suas oves commisit Jo. 21. fit Caput & Rector supremus omnium ovium Christi per totum orbem existentium, adeóque omnium Ecclesiarum particularium, non obstante, quòd simul sit proprius & particularis Episcopus Romæ.

Probatur nunc responsio 1. ex historijs omnium sæculorum. In I. statim sæculo ita testatur D. Paulus: *Fides vestra* (Romana) *annuntiatur in universo mundo.* Rom. 1. *Fructificavit & crevit in universo mundo.* Coloss. 1. In II. sæculo teste S. Irenæo l. 1. adversus hæres. *Hanc prædicationem, & hanc fidem Ecclesia, & quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodivit.* Pro III. idem testatur S. Athan. l. de Incarn. Verbi. Pro IV. S. Hieron. in c. 24. Mat. Pro V. S. Augustin. ep. 78. ad Hesychium &c. Vide P. Tanner in Anat. part. 2. Demonst. 3. per singula sæcula. Is ipse cum Bellarm. & alijs verissimè scripsit, Romanam Ecclesiam etiam post Lutheri apostasiam perstitisse Catholicam, toto orbe diffusam, & magnis incrementis auctam, in America præsertim & Indijs; Ecclesiæ enim Romanæ tunc & nunc devota existit Hispania, Gallia, Italia tota, Bohemia ferè tota, Germania, Polonia & Hungaria majorem partem, in Anglia, Scotia, Græcia, Syria, Æthiopia, Ægypto &c. plurimi reperiuntur Catholici. In novo Orbe sine admixtione hæreticorum sunt Ecclesiæ plurimæ & maximæ, Romano Pontifici communicantes in omnibus quatuor mundi plagis, nempe ad Orientem in Indijs, ad Occidentem in America, ad Septentrionem tunc in Japonia, nunc in China, ad Meridiem in Brasilia, Baraquaria. 14.

Prob. 2. Ex ipso nomine; cùm Ecclesia Romana semper, & etiamnum insignita hoc illustri nomine, & dicta sit Catholica, etiam ab inimicis, ad eam

discernendam ab omni alia Secta. Quippe & hæretici, volentes nolentes, hunc ei titulum semper & hodiedum tribuere debent, si velint intelligi, & omnes audito *Catholicorum* nomine non alios intelligunt, quàm Ecclesiæ Romanæ alumnos. Nimirum Providentia Dei hoc nominis decus, quo vera Christi Ecclesia ab Apostolis, Concilijs, & Patribus semper honorata, ac à falsis sectis distincta fuit, Ecclesiæ Romanæ auferri non sinit, utut illius hostes totis semper viribus conati sint hoc ornamentum eidem eripere, sibique attribuere. Ubi autem Deus alicui imponit nomen, eique specialiter conservat, haud dubiè res ipsa per nomen significata ibidem reperitur.

15. Prob. 3. hoc discursu. Aliqua Ecclesia Christi debet esse Catholica, ut patet ex Scriptura S. & alijs argumentis in probatione *Majoris* adductis: sed Lutherana, aut alia quæcunque extra Romanam (par enim omnium est ratio) non est Catholica: ergo Romana debet esse Catholica. Confirmatur. Tempore, quo defecit Lutherus, non fuit alia Christi Ecclesia, saltem alicujus considerationis, quàm eæ, quæ communicabant & suberant Romano Pontifici: ergo vel tunc Romana Ecclesia fuit Catholica, vel nulla fuit Catholica; quod posterius stantibus vaticinijs fieri non potest.

Ob. 1. Ecclesia Catholica est, & verè dicitur illa, quæ per totum orbem est dispersa: sed Ecclesia Romana non est per totum orbem dispersa; nam major pars ex Ecclesijs Christianis non recipit dogmata & ceremonias Romanas. Imò nec Hieron. & Ambrosius, quos tamen inter Pontificios numerant, receperunt; nam ille ad Evagrium de Ecclesia Romana loquens inquit: *Si auctoritas quæritur, Orbis major est Urbe*, iste autem l. 3. de Sacram. c. 1. ait: *in omnibus sequi cupio Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectiùs servatur, & nos rectè custodimus.* Confirmatur. Catholicismus est id, quod ab omnibus, ubique, & semper creditur: sed non omnes, nec ubique credunt omnia, quæ creduntur in Ecclesia Romana: ergo in Ecclesia Romana non est Catholicismus. R. N. m. Nam ad hoc, ut dicatur per totum orbem dispersa Ecclesia, utique non requiritur, ut omnes omnino homines in omnibus provincijs recipiant, aut major pars hominum; quomodo enim alias Paulus dicere potuisset: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Rom. 1. *Fructificat & crescit in universo mundo.* Colos. 1. cùm utique plurimi mortalium in varijs provincijs fidem Christi tunc nondum receperint? Sufficit, modò in partibus & præcipuis mundi provincijs, & quidem cognitis, annuntiata & propagata sit successivè, & moraliter. Unde patet responsio etiam ad Confirmationem. SS. Hieron. & Ambrosius intelligendi sunt de certis consuetudinibus locorum, & quibusdam particularibus statutis, quæ non debent esse ubique eadem, juxta vulgatum axioma: *Si fueris Romæ, Romano vivito more. Si fueris alibi, vivito, sicut ibi.* Non autem intelligendi sunt de dogmatis fidei, aut mo-

rum

rum decretis universalibus. Possunt Romæ particulares quædam consuetudines & abusus irrepere, in quibus utique non tenentur se conformare reliquæ Orbis Christiani Ecclesiæ.

16. Ob. 2. Ecclesia Romana est Ecclesia Particularis, sicut v. g. Ecclesia Coloniensis, Moguntina, Augustana &c. ergo non est Catholica seu Universalis, implicatque in adjecto Ecclesia Romano-Catholica, & Römisch-Catholisch ist ein hültzernes Schir-Eisen / ait Hailbrunner, Lavinganus olim Præco. R. D. A. Ecclesia Romana est Ecclesia particularis, si consideretur, ut est sub Episcopo Romano tanquam speciali Pastore suo C. A. Ut sic enim est pars Ecclesiæ Catholicæ seu Universalis, prima tamen & præcipua, velut est caput in corpore, quoniam in ea residet plenitudo potestatis, seu caput, à quo derivatur potestas spiritualis etiam in alias Ecclesias particulares. Si verò consideretur, ut est sub Episcopo Romano tanquã Pastore Universali omnium Christianorum. Et quatenus sub se continet Ecclesias universas, quibus privilegio singularis dignitatis prælata est, & quacum omnes ratione Capitis Universalis communicare debent. N. A. Quatenus est sub suo Episcopo tanquam Pastore Universali, & ipsa Universalis est, quia non est ipsa tantùm, sed omnes omnino Ecclesiæ particulares simul sumptæ per totum mundum; cùm non ipsa tantùm, sed & omnes aliæ Ecclesiæ subsint Episcopo Romano tanquam Pastori suo Universali, hoc solo discrimine, quòd aliæ Ecclesiæ habeant Episcopum particularem à Romano realiter distinctum, non autem Romana, cujus idem realiter homo est simul Particularis, & simul Universalis Episcopus & Pastor. Ferè sicut Imperator est simul Dominus Particularis & Universalis Austriæ, aliarum autem Provinarum Imperij est tantùm Dominus Universalis. Et ferè sicut Imperium Romanum ijs temporibus, quibus Imperatores residebant Romæ, poterat dici Universale & valdè diffusum, quia cætera Regna suberant Imperatori & Urbi Romanæ, quamquam Urbs Romana non habuerit Dominum Particularem realiter distinctum ab Imperatore, Domino Universali Provinciarum omnium totius Imperij. Cæterùm Römisch-Catholisch non pugnant invicem, sed dicunt idem, & tantùm ideo additur Römisch, ut insinuetur, quænam Ecclesia in se Particularis, à Deo facta sit Universalis seu Catholica, sicut defacto non pugnant hæc duo Oesterreichisch-Käyserlich, sed indicatur, penes quam Domum sit suprema Imperij potestas, & Imperatoria Dignitas. Longè rectiùs dicimus: Lutherisch-Catholisch ist ein Eisen-Pfannen-Holtz; quippe Ecclesiam Lutheranam nec ratione doctrinæ uniformis, nec ratione temporis continui à Christo, nec ratione loci seu diffusionis per totum orbem, Catholicam esse, hactenus demonstratum est.

17. Ob. 3. Nos vocamur *Papistæ*, *Pontificij*, *Romani*, *Romanenses* &c. ergo ex nomine non probamur Catholici. R. 1. Ita vocamur à malevolis & invidis Sectarijs, qui antiquissimam appellationem per omnia sæcula præscriptam nobis

bis invident; ſicut olim alij hæretici ex ſimili invidia conati ſunt Romanæ Eccleſiæ alumnis eripere nomen Catholicorum, appellando eos *Simplices*, *Cinerarios*, *Homouſianos* &c: Non verò ita nominamur ab alijs, imò nec ab ipſis Sectarijs, quando loquuntur ſine paſſione, vel intelligi cupiunt, quos deſignare velint. Id ſaltem certum, & ſatis eſt, quòd audito nomine *Catholicorum* ab omnibus intélligantur Romanæ Eccleſiæ addicti, & non alij. Cæterùm nomen *Papiſtarum*, vel *Romanorum* &c. ſi non detorqueatur in odium, idem eſt, ac nomen *Catholicorum*; nam *Papiſta* ſignificat talem, qui ſubeſt, & obedit Papæ, Rectori Eccleſiæ Univerſali, Oecumenico, & Catholico. Sic pariter *Romanus* ſignificat talem, qui communicat Romano Pontifici & Eccleſiæ Romanæ, quæ Univerſalis, Oecumenica, & Catholica eſt. Et pro tali haberi voluit S. Hieron. dum to. 2. ep. 58. ad Damaſum ſcribit: *Ego interim clamito, ſiquis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt.* Et in Apol. adverſus Ruffinum ad Pammachium & Marcellinum: *Fidem ſuam, quam vocat? eámne, qua Romana pollet Eccleſia? An illam, quæ in Origenis Voluminibus continetur? Si Romanam, reſponderit, ergo Catholici ſumus.* R. 2. Quamvis nos vocaremur tantùm Papiſtæ, & non ſimul Catholici, tamen propterea Lutherani nondum vocantur Catholici, quod tamen nomen in veris fidelibus reperiri debet, tanquam ijs ſolis proprium.

18. Ob. 4. Si univerſus Orbis in 3. partes diſtribuatur, reperies 5. ex illis Chriſtianiſmo, 6. Mahumetaniſmo, 19. Paganiſmo deditas. Præterea ſi ex Europæis ſubtrahantur Proteſtantes Lutherani & Calviniſtæ, item Politici, & qui coacti profitentur Eccleſiam Romanam, vel Papæ auctoritatem in dubium trahunt; planè exiguus ſupereſt numerus: ergo non habet, cur glorietur Eccleſia Romana de ſua amplitudine & diffuſione per totum orbem. R. 1. T. A. N. C. ex hoc enim, quòd plures in multis Provincijs ſint infideles, quàm Catholici Orthodoxi, non infertur, Eccleſiam Romano-Catholicam non fuiſſe diffuſam, vel etiamnum eſſe diffuſam per totum orbem; quia hoc non obſtante potuit & poteſt in plerisque & majoribus Mundi Regnis prædicări, & fructificare. R. 2. N. A. Calculus iſte, quem habet Brerewodius Lond. in Tract. de linguis & Relig. c. 14. vehementer fallit; nam in *Europa*, quamvis ſpatio, numero tamen inhabitantium nequaquam minima inter notas quatuor Mundi partes, non eſt reperire Ethnicos & *Paganos* à Mahumetanis diſtinctos. In *America* potiſſimæ partes ſubjacent Dominio Hiſpanico vel aliorum Principum Chriſtianorum, qui ibi Chriſtianam fidem & legem prædicari & implantari curárunt pulſa Gentilitate. *Africa* in medio parùm eſt habitata: quæ versùs Oceanum extenditur, magnam partem paret Luſitanis & alijs Principibus Chriſtianis: in Ægypto reperiuntur multi Chriſtiani: pariter Congenſes, & Abyſſini ſe profitentur Chriſtianos: pars Mediterraneo contigua veneratur Mahumetem: ubi ergo

tanta

tanta copia *Paganorum Gentilium*, quam fingit Brerewodius? In *Asia* enim Mahumetem pariter colunt Turcæ & Persæ, item in Regno Mogor: quamvis inter hos multi sint Catholici. Supereſt Inſula Japon, & Regnum Chinenſe: verùm in hoc (fortaſſis adhuc & in illa) plurimi reperiuntur Catholici, & augetur quotidie credentium numerus, & ſacra meſſis, multùm obnitente & ringente Orco. Neque verum eſt, quòd *Mahumetaniſmus* ſit vita amplus, ac eſt Eccleſia Romano-Catholica, ſi ejus Cultores per totius mundi provincias diſperſi veniant in computum. De coactis, & tantùm in ſpeciem ſimulantibus fidem Catholicam nihil ſcitur, & eſt mera divinatio vel temeraria ſuſpicio, exceptis quibusdam recèns converſis in Languedocia ſeu Septimania in tractu Cemmenio vulgò Seuennen. Habet igitur, quod corrigat in ſuo computo Brerewodius.

SYLLOGISMUS II.

Vera Chriſti Eccleſia debet convertere Gentiles & Paganos.
Sed Lutherana nunquam convertit Gentiles & Paganos.
Ergo Lutherana non eſt vera Chriſti Eccleſia.

Major conſtat

18. 1. Ex Scriptura S. Ita enim vaticinati ſunt Prophetæ. Iſaias c. 2. v. 2. ait: *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons Domûs Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad Domum DEI Jacob, & docebit nos viaſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus: quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jeruſalem.* Idem ferè ijsdem verbis prædixit Michæas c. 4. v. 1. & 3. Rurſus Iſa. c. 9. *Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis.* & 60. c. *Aperientur portæ tuæ* (alloquitur Eccleſiam) *jugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur.* David verò Pſ. 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem* &c. & Pſ. 18. *Lex Domini immaculata, & convertens animas.* Similia habentur in Novo Teſtamento, uti Mat. 24. *Prædicabitur hoc Evangelium in univerſo Orbe, & tunc erit conſummatio.* Luc. ult. v. 47. *Oportebat prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeroſolyma.* Ex quibus & ſimili-

milibus clarè apparet, ad Ecclesiam Christi semper convertendas esse Gentes, donec ad eam omnes accesserint, adeóque illam Ecclesiam, quæ non convertit Gentes, non esse veram, utpote vivo Verbi Divini semine destitutam; ubi enim est verum semen Verbi Divini, fructum affert; *vivus enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs* Hebr. 4. v. 12.

2. Ex ratione; quia Ecclesia est Christi Sponsa, utique non sterilis, & Divini Verbi semen in cassum recipiens: ergo semper debet Christo gignere novos filios. Novi filij autem sunt Gentiles & Pagani, qui convertuntur ad Christum, & quidem conversione salutari, seu tali, qua non modò agnoscant & credant in Christum, sed etiam ejus doctrinam sequendo salutem consequantur æternam. Confirmatur: illa Ecclesia præ cæteris habenda est pro *Apostolica*, adeóque pro vera, in & à qua convertuntur Gentes ad Christum: sicut tempore Apostolorum convertebantur à viris Apostolicis.

3. Ex ijs argumentis omnibus, quibus probavimus suprà, veram Christi Ecclesiam debere esse Catholicam.

Ob. 1. Non sufficit conversio qualiscunque Gentium ad aliquam fidem, 19.
sed requiritur conversio ad veram fidem, seu ad talem fidem Christianam, in qua viget pura & genuina Christi doctrina: ergo signum veræ fidei & veræ doctrinæ non est conversio Gentilium, sed potiùs examinari priùs & aliunde constare debet de vera fide & doctrina Christi. R. 1. N. suppositum Antecedentis, quòd magna pars Gentilium, vel integra Gens, unquam conversa fuerit ad falsam Christi fidem & hæreticam, aut etiam converti possit; cùm hæc conversio promissa sit specialiter Sponsæ Christi & veræ Ecclesiæ. An autem integra Gens pagana ad aliam pariter paganam conversa sit, aut converti possit, hìc non disputatur, cùm tantùm inquirantur notæ veram Ecclesiam *Christi* distinguentes à sectis falsis *Christianorum*. R. 2. N. C. quippe conversio Gentium ad aliquam fidem utique magis patet per se, quàm veritas fidei & doctrinæ: ergo hæc non debet esse signum illius, sed vicissim conversio debet esse, & est signum veræ fidei, veræ doctrinæ.

Ob. 2. Nunc non ampliùs est necesse, postquam Ecclesia per Apostolos 20.
jam fuit plantata & propagata, ut convertantur Gentes. Nec ampliùs locum habet illud: *Ite in mundum universum* &c. sed istud: *Pascite, qui in vobis est, gregem*: ergo. 2. Etiam ad sectas falsas convertuntur Gentiles & Judæi: ergo. R. ad 1. N. A. Etiamsi enim Apostoli plantârint & propagârint Ecclesiam Christi, non tamen plantârunt ubique, & in regionibus successu temporis primùm cognitis. Deinde alicubi plantata fides iterum fuit per malitiam hominum & diaboli extirpata. Præterea quare Lutherani nolunt obligare adhuc illud præceptum: *Ite in universum mundum* &c. postquam Ecclesia jam est plantata & propagata, contendunt tamen obligare adhuc istud: *Crescite & multiplicamini*, postquam adeò propagatum videmus genus humanum?

Ad

Ad 2. Quamquam hinc indè unum vel alterum ex Paganis ad suam sectam falsam traduxerint hæretici; nunquam tamen integram Gentem, vel Nationem traduxerunt ad se; partim quia non afferunt motiva credibilitatis sufficientia, partim quia Deus non cooperatur prodigijs naturæ vires supergressis. Sed verum est de ipsis, quod pridem Tertullianus edixit de præscript. adv. hæret. c. 4. nimirum *hæreticis hoc esse negotium, non Ethnicos convertendi, sed nostros* (Catholicos) *evertendi.* Id quod Calvinista quidam, ut referunt DD. à Wallenburch de Unit. Eccl. l. 10. §. 2. ex Indijs Orientalibus redieus fassus est etiam de suis; interrogatus enim, an Prædicantes Calviniani Ethnicos converterent; ingenuè respondit: *Nostri Prædicantes hoc non possunt: sed ibi Ethnici primùm convertuntur ad Christum per presbyteros Papistas: postea à nostris Prædicantibus, ubi rerum potiuntur, reformantur.* Dein etsi paucos subinde ex Paganis & Gentilibus hæretici ad suas sectas pertraxerint, id tamen plerumque dolo, fraude, vel metu incusso factum est, quis enim prudens ex Paganis amplectetur Religionem Christianam sine motivis credibilitatis, miraculis &c.? ejusmodi autem apud hæreticos & Sectarios non reperiuntur.

Dices. Tota Gens Gothorum ab Arianis conversa est tempore Valentis Imperatoris: ergo. R. decepta, non conversa est, Gens Gothorum ab Arianis; cùm enim miraculis & motivis credibilitatis, quæ videbat apud Catholicos, permota peteret ab Imperatore Episcopos, parata fidem Catholicam suscipere, Imperator, quia Arianus erat, pro Catholicis dedit Episcopos Arianos. Vide Bellarm. de notis Ecclesiæ c. 12. Igitur motiva credibilitatis, cur Christianam fidem amplexi sint Gothi, non alia erant, quàm quibus fulgere videbant Ecclesiam Romanam; ideo ad hanc conversi dicendi sunt, non ad Arianam sectam, quia materialiter errantes Christiani spectant ad Ecclesiam Catholicam veram.

Minor probatur evidenter

1. A posteriori, & ab experientia, ex qua constat, à Lutheranis nunquam ad suam sectam traductos fuisse Ethnicos, Turcas, Judæos, saltem magno numero, & integram gentem, vel nationem; sed solummodo tepidos Catholicos esse eversos (quod Tertullianus dixit esse *negotium hæreticorum*) aut fortè ab alijs ejusdem secum farinæ sectis ad se traductos. Quis enim unquam legit, vel audivit solidè probatum, à Lutheranis fuisse ex Gentilitate & Paganismo conversam integram nationem, regionem, imò civitatem, vel pagum? Neque id potuerunt in Indijs, ad quas quidem proficiscuntur etiam Præcones Lutherani & Calvinistæ, quamvis non tam animas cælo, quàm sibi divitias lucrandi studiò, vel alia de causa minùs sancta. Audiamus, quid hac de re scripserit R. P. Martinus Martinius, Tridenti natus, vir Apostolicus, & Missionarius Sinensis, cujus corpus & vestes post multos annos ab ejus morte incorrupta & integra inventa sunt. Is anno 1654. 8. Oct. in epistola quadam ad P. Laurent. Forerum data sic scribit: 21.

Ipse audivi à Prædicantibus Hollandis & Anglis (ex quibus Indiam petunt solùm, qui in Europa valere non possunt) cùm dicerent, nihil posse se cum Indis agere, nisi priùs Deum & Christum agnoscant. Unde Jesuitas mittendos ajebant, à quibus hæc agnoscerent Indi, deinde illis facile fore, eos ad veram fidem deducere. Nemirum triticum seminare nesciunt; & bene tanquam inimici homines in medio tritici zizania. Ratio autem, cur Gentiles convertere non possint, inter alias etiam hæc non est nulla (ut sæpe audivi à Sinis & Indis) quòd nihil Sacri habeant, nullas ceremonias, nihil, quo videantur Deo honorem dare, in quo consistit Religio. Mahumetani verò dicunt, Hollandis nihil deesse, ut sibi æquales sint, nisi circumcisionem. Sed vera ratio, cur non ad fidem suam hæretici gentiles convertant, est, quia non sunt de semine virorum *illorum, per quos salus &c. nec ad illos dictum est*: ite in mundum universum, & prædicate. *Unde omnino carent notâ illâ, quæ semper fuit veræ Ecclesiæ propria.* Ita ille de Calvinistis, quòd facilè accommodare quoque poteris Lutheranis.

2. A priori 1. Quia talia proponunt dogmata, quæ vel ipsis Gentilibus & Paganis, ratione præditis, incredibilia apparent, uti sunt, Deum, quamvis infinitè sit sapiens bonus & justus, tamen dedisse hominibus talia mandata, quæ observari nequeunt, eósque, qui non observant, damnare ad ignem & cruciatus æternos: Humanitatem Christi, quamvis creatura sit, esse prorsus ubique, ubi est ejus Divinitas: omnia nostra opera, quamvis optima videantur, in rigore & coram Deo esse peccata, ex se pœnâ ignis æterni digna: ad salutem nihil prodesse eleemosynas, jejunia, pias peregrinationes: inutile esse pro defunctis orare: illicitum Sanctos, Dei amicos, venerari & invocare tanquam intercessores apud Deum: nullum esse Sacrificium propriè dictum &c. 2. Quia ad hæc & similia dogmata Gentibus persuadenda non aliud afferre possunt motivum credibilitatis, nisi Scripturam S. seu Biblia, quorum auctoritatem Gentiles & Pagani respuunt, Lutherani verò probare nequeunt, ac ejus sensum pervertunt, destituti præterea alijs motivis credibilitatis v. g. miraculis, extraordinariâ vitæ sanctimoniâ, hierarchiâ ac subordinatione Ecclesiastica usque ad Judicem aliquem supremum infallibilem &c. 3. Quia ad hoc non sunt missi à Deo, nec sunt de semine Apostolorum & successores illorum virorum, quibus dictum est: *Ite in universum mundum &c.*

3. Ab exemplo omnium eorum, qui ab Ecclesia Romano - Catholica vel per schisma, pel per hæresim defecerunt; nulli enim ex his potuerunt convertere Gentiles, Paganos, Judæos. Imò pleræque ex his Sectis jam penitus interierunt ipsæ, vel ruinam minantur ultimam, quamvis fuerint plurimæ; nam ante Lutheri tempora omnino numerantur 200. hæresiarchæ, & inter hos aliqui valde potentes, ut Arius, Nestorius, Eutyches &c. & tamen plerique ita extirpati sunt, ut, nisi Catholici de ijs scripsissent, nec nomina nec

dog-

dogmata eorum nobis cognita forent. A temporibus Lutheti autem P. Czentivani pro Sæculo XVI. in sua Dissertatione Hæresiologica recensèt 100. novas Sectas : alij novas sectas ex Lutheranismo pullulantes numerârunt ultra 200. ex quibus tamen jam multæ interiere sine ulla conversione Gentilium. Eadem fata manent superstites, haud dubiè in sua sterilitate perituras, ut præcedentes omnes.

22. Ob. 1. Si Lutherani non convertunt Gentiles & Paganos, non est defectus doctrinæ, utpote quæ verè est Apostolica, ut probatur ex Scripturis, sed est defectus ex parte hominum : ergo tamen potest esse penes ipsos vera Ecclesia. R. 1. N. A. est enim defectus tam doctrinæ, quàm hominum : & gratis supponitur, doctrinam Lutheranorum esse Apostolicam, idque ex Scripturis probari. R. 2. N. C. Hoc ipso enim, quòd nullos convertant Gentiles &c. signum est, quòd Lutherani veram doctrinam & veram Ecclesiam non habeant, utpote cui promissa est à Deo & Christo conversio omnium gentium, successiva saltem.

23. Ob. 2. Lutherus pauper Monachus, & Lutherani brevi tempore ad suam fidem pertraxerunt tot populos, tot provincias, tot regna, licèt potentissimos habuerint Adversarios, Papam & Cæsarem : ergo penes ipsos est doctrina efficax, convertens animas, & vivus Dei sermo. R. 1. quamvis multos ad se pertraxerint, ij tamen non fuerunt Gentiles & Pagani : quorum conversio tantùm est nota veræ Ecclesiæ, sed fuere tepidi, scelerati, rudes Christiani. R. 2. N. C. Non enim est comparatio facienda inter conversionem Gentium ad fidem Catholicam, & inter perversionem Catholicorum ad Sectam Lutheranam : Ecclesia Catholica convertens Gentes proponit ipsis creditu valde ardua & inassueta, factu autem valde difficilia, ac vitiosæ sensualitati repugnantia ; cujusmodi conversio utique mirabilis est, ac virtutem supernaturalem requirit. Econtra Lutheranismus Catholicos pervertens proponit pleraque jam ab infantia credita ac proinde assueta, ea verò, quæ factu sunt difficilia, removet, ac vitiosæ sensualitati grata concedit &c. ut alias circumstantias præteream utriusque conversionis. Nimirum facilis descensus averni. Sed revocare gradum, superásque evadere ad auras, hoc opus, hic labor est.

Ob. 3. Gentilibus longè magis videntur absurda, quòd Deus propter aliena peccata voluerit nasci, pati, crucifigi, & contumeliosè mori Filium suum, quàm quòd dederit præcepta observatu impossibilia &c. ergo si illa dogmata non impediunt conversionem Gentilium, nec impedient ista. R. Nativitas, Passio, & Mors Christi, si ritè explicentur, plurimùm commendant, & maximè manifestant infinitam Dei Sapientiam, Bonitatem, Justitiam &c. econtra ex paradoxis Lutheranorum nulla in Deum gloria & admiratio Gentilium, sed potiùs ignominia, imperfectiones, & contemptus redundant ; siquidem Deum faciunt insipientem, crudelem &c. 24.

An Ecclesia Romana converterit & convertat Gentiles ac Paganos ?

25. R. Haud dubiè. Probatur & ad oculum demonstratur ex historijs & experientia quotidiana. Nulla enim gens aut natio, nullum regnum aut provincia ex ijs, quæ hactenus ex Gentilismo & Paganismo fidem Christianam receperunt, fuit conversa ad aliam vel ab alia Ecclesia Christiana, nisi ad Romanam & à Romana, quæ semper suos alumnos & viros Apostolicos per mundum misit in hunc finem. Atqui patet plurimas gentes & provincias Gentilium &c. amplexas esse hucusque fidem Christianam; hanc enim amplexi sunt nostri Majores Germani, Angli, Dani, Sueci, Prussi &c. ergo ad & ab Ecclesia Romana conversi sunt Gentiles & Pagani, quod erat primum membrum quæsiti. De cujus veritate ut perfectiùs constet, & *Min.* evidentiùs probetur,

Percurramus singula sæcula in particulari. In Sæculo I. Apostoli eorúmque discipuli converterunt Gentiles, & Judæos, in Asia, Scythia, India, Armenia, Ægypto, Persida, Mesopotamia Græcia &c. In II. S. Irenæus convertit Celtas, Sequanos, Allobroges &c. S. Lucius verò Noricos. In III. S. Victorinus in Gallia convertit Pictavienses &c. Origenes convertit Arabes, Legati Victoris Papæ Romani Scotos, Norwegos &c. ex parte. In IV. Conversa est magna pars Imperij sub Constantino Imperatore, item Lombardi, Moravi, Valachi &c. In V. Hiberni per S. Patritium à Papa Cælestino missum, item Scoti pleniùs, Burgundi, Franci. In VI. Angli per S. Augustinum à Papa Gregorio missum pleniùs, item Anglo-Saxones, Gotthi seu Visigotthi, & Bavari multi. In VII. Alemanni frequentes, Flandri, item Franci Orientales per D. Kilianum à Papa Conone missum, ac Bavari pleniùs per D. Rupertum; Hollandi per S. Swibertum; Germani passim & Frisones per S. Bonifacium. In VIII. Suevi pleniùs per S. Corbinianum, & Saxones inferiores per S. Ludgerum. In IX. Dani, Sueci, Bohemi, Slavi, Moravi pleniùs sedente Romano Pontifice Nicolao I. & Operarios mittente. In X. Norwegi, Poloni, Moscovitæ &c. In XI. Hungari, Prussi multi &c. In XII. Pomerani, Gotthi pleniùs, Rugiani, Norwegia tota, & Livonia. In XIII. Tartari, Prussi pleniùs. In XIV. Lithuani, Insulæ Canariæ, & plurimæ Africani littoris oræ. In XV. Quinea, Angola, Regnum Congense. In XVI. In quo Lutherus veros Christianos in Germania & Europa pervertere cæpit, longè maximæ accessiones præsertim in Indijs factæ sunt ad Ecclesiam Romano-Catholicam, longéque plures gentes ad eam perductæ, quàm in superioribus sæculis ferè omnibus; quippe duplo tunc major facta est Christiani cultûs amplitudo; antea enim Christiana Religio se non extendit ultra Insulas Canarias, & sinum Gangeticum, quod quidem terrarum spatium est graduum 120. At postea ita amplificata est, ut occurrerint Navigantibus portus Christia-

ſtianorum per ambitum graduum 360. adeóque ambitus 240. gradibus auctus eſt. Vide Thomam Bozium de Signis Eccleſiæ l. 4. In hoc ſæculo ſolus S. Franc. Xaverius Religionem Catholicam invexit in vaſtam Japoniam ex multis regnis conſtantem, & in alia ſex integra regna, ſolúsque propriâ manu baptizavit 1000000. Gentilium, ſicut ſolus S. Vincentius Fererius ante ipſum 25000. Judæorum ad fidem Chriſtianam perduxit. Item ſolus & unus S. Franc. Xaverius hoc Lutheri tempore plures gentes plurésque homines & Paganos ad Chriſtum ac Eccleſiam Romanam adjunxit intra 11. annos, quàm univerſi hæretici à Simone Mago uſque ad modernos Sectarios ſimul ſumpti per 1500. & ampliùs annos ex Gentibus & Paganis ad Sectas ſuas permoverunt. Thomas Bozius loc. cit. Notent hæc Apoſtatæ. Præterea in hoc ſæculo ſoli Jeſuitæ introduxerunt & propagârunt Religionem Catholicã in vaſtiſſimo Imperio Monopotapæ, 25. regna complectentis, in Bratilia, Baraquaria (ubi fuerunt ferociſſimæ gentes) in Regno Peruano, in Inſulis Philippinis &c. Similia præſtiterunt aliorum Ordinum Religioſiſſimi & Apoſtolici viri, puta S. Auguſtini, S. Dominici, S. Franciſci &c. Denique in ſæculo XVII. nuper elapſo in memoratis provincijs indies plurimùm aucta eſt fides & Religio Chriſtiana, & in novas etiam invecta, inter quas facilè principem locum obtinet Imperium Sinenſe vaſtiſſimum, 15. provincijs ampliſſimis conſtans, item Regnum Mogor 35. Regna complectens: & Regnum Thuncinenſe in 7. provincias diviſum, ut taceam alias plurimas Regiones Africæ & Americæ.

Sed & iſto ſæculo, quod nuper cæptum eſt, pergitur in utrisque Indijs, tam Orientalibus quàm Occidentalibus in diſſeminanda fide Catholica, in convertendis Gentibus, quas utique pro continuo more ac infinita bonitate ſua Deus Optimus Maximus Eccleſiæ adjunget novas etiam hoc ſæculo. In hunc enim finem (Deo intus ſtimulante corda) quotidie ſe offerunt Apoſtolorum imitatores, qui ſpretis terrenis omnibus, & relictâ charâ patriâ, parentibus, ſocijs amantiſſimis &c. anhelant ex Europa in Indias, regiones barbaras, terras propè inacceſſas, per vaſtiſſima maria, per vaſtas ſolitudines properare, nullis vitæ periculis, nullis difficultatum obſtaculis, nullis vitæ incommodis, nullis ſibi impendentibus tormentorum ac necis generibus abſterriti, ſed ſolo honoris Divini ac Religionis amplificandæ ſtudio inſtigati; modò mittantur ab ijs, qui mittendi poteſtatem habent, nimirum à Sede Apoſtolica, & legitimis Superioribus; cujusmodi Miſſiones à multis etiam hodiedum continuò impetrantur incredibili animarum lucro, & Gentilium converſione maxima, qui calcatis Idolis, rejecta uxorum multitudine, poſita morum feritate, abdicatâ priſtinâ & inveteratâ vivendi licentiâ ad Religionem Catholicam, quamvis proponat ſublimia creditu, & factu ardua, convolant, capti amore cœleſtium, temporalibus contemptis. Planè (exclamare hìc poſſumus) *digitus Dei eſt hìc!* Audeant & Lutherani, ac ſi poſſint,

fint, talia præſtent. Proficiſcantur & eorum Præcones (ſi uxores ſinant) ad tam remotas & barbaras Gentes ſolius fidei Chriſtianæ, ad eas proferendæ, ſtudio incitati.

Ex quibus patet manifeſtè, ad Eccleſiam Romanam continuò per omnia ſæcola fuiſſe converſos Gentiles & Paganos, omnésque, quotquot unquam Chriſti fidem per Orbem amplexæ ſunt, Gentes & Nationes, Regna & Provincias (ut nihil dicam de particularibus Paganorum, Judæorum &c. converſionibus, quæ etiam in noſtris terris valde frequentes ſunt) eſſe ad Chriſtum perductas ab Eccleſiæ Romanæ Apoſtolicis viris, aut etiam ſubinde fœminis, haud dubiè ſpeciali Dei virtute adjutis. Sic *primis ſæculis* ad Eccleſiam Romanam converterunt Gentes & Idololatras Apoſtoli eorúmque ſucceſſores proximi: *in ſæculis intermedijs* converterunt Gentilium terras, utì Angliam, Germaniam, Poloniam &c. Sacerdotes à Romano Pontifice ſubmiſſi: *in ultimis ſæculis* Indias & novum orbem converterunt & adhuc convertunt variorum cætuum Religioſi.

26. Ob. 1. Converſiones Gentilium, quæ factæ ſunt primis ſex ſæculis ad & ab Eccleſia Romana, poſſunt probari; ſed quæ poſt VI. ſæculum factæ ſunt, longè à prioribus diverſæ ſunt: quippe tunc labefactari jam cœpit puritas doctrinæ, ſuperſtitionibus paſſim irrepentibus, & fermento Traditionum humanarum admixto doctrinæ Apoſtolicæ. Interim tamen quia potuit Deus etiam per corruptum myſterium filios & filias ſpirituales ſibi generare, ac quia tempore Gregorij M. Chiliani, Bonifacij &c. (per quos converſa eſt noſtra Germania) nondum fuit tanta doctrinæ corruptio, quanta poſtremis temporibus conſecuta eſt; ideo converſio illa (intermedijs ſæculis poſt ſextum, & ante iſta poſtrema) Gentilium non deſinit eſſe opus Divinæ Benignitatis. Ita Gerardus in locis Theol. de Eccl. n. 257. &. & imprimis noto, Gerardum hìc fateri, in Eccleſia Romanæ per VI. prima ſæcula fuiſſe puram doctrinam Apoſtolicam, & Gentiles ad eam converſos perveniſſe ad veram Chriſti Eccleſiam, quod alibi non fatetur, nec M. Lomer & alij. Deinde non debet Gerardus ſupponere, ſed probare, quòd poſt VI. ſæculum corrupta fuerit doctrina Apoſtolica in Eccleſia Romana, quod faciet nunquam. Tertiò graviſſimam injuriam infert SS. Chiliano & Bonifacio, quaſi ipſi prædicâſſent doctrinam minùs puram; cùm tamen fuerint viri ſanctiſſimi, & pro Chriſto tanquam veri Martyres occiſi, non minùs ac Apoſtoli. Quartò vel damnat omnes noſtros Majores Germanos, quaſi ad eos nunquam perveniſſet vera & pura fidei Chriſtianæ doctrina, nec via ſalutis unquam ab eis ritè fuiſſet cognita; quod eſt impium: vel putat, Germanos noſtros, qui habuerunt Prædicatores, corruptam doctrinam diſſeminantes, aliter credidiſſe, quàm audierint & docti ſint à Divini Verbi præconibus; quod ſtultum eſt, & incredibile, meraque fictio: imò contra ipſum Gerardum, qui n. 136. ait: *Qualis eſt doctrina, quæ in publico Eccleſiæ miniſterio ſonat,*

sonat, talis etiam judicatur esse illa Ecclesia.

27. Ob. 2. Quis scit, an omnia vera sint, quæ sparguntur à Papistis de tantis Gentilium conversionibus ad Romanam fidem? R. qui dubitat, consulat Historicos tum Antiquos, qui scripserunt ante Lutheri tempora, tum Recentiores; in utrisque enim valde rudem se probat, quisquis vel leviter dubitat. De conversionibus Indorum & Americanorum, post Lutheri tempora factis, si ambigat, consulat epistolas, & libros, non tantùm à Catholicis, sed etiam à Protestantibus scriptos, uti sunt Centuriatores, Baldæus in sua hist. Indica, Richardus Hakluit, Tavernier &c. item consulat suos etiam Mercatores, qui lucri temporalis gratiâ in has terras proficiscuntur.

Atque ex allatis hucusque signis ac motivis credibilitatis pro Ecclesia Romano-Catholica manifestum fit ac evidens, eam non solùm omnibus alijs Christianorum sectis præferendam, verùm etiam absolutè & firmissima fide credendam esse; cùm impossibile sit absolutè, ut Deus tot ac tam splendidis notis ornet Ecclesiam falsam, eâmque adeò reddat evidenter credibilem tam absolutè quàm respectivè, ut nullus prudens possit eam non credere. Proin rectè dicunt omnes, qui Ecclesiam Catholicam profitentur, cum Richardo à. S. Victore l. 1. de Trin. c. 2. *Domine, si error est* (quod credimus) *à te ipso decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis & prodigijs confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.* Supereſt, ut rejiciantur, quæ à Lutheranis asseruntur, veræ Ecclesiæ signa.

CAPUT III.

Quid sentiendum de notis, quas Lutherani assignant ad dignoscendam veram Ecclesiam?

ARTICULUS I.

Examinantur duæ notæ, quas Lutherani communiter assignant.

SUMMARIUM.

1. *Duas notas veræ Ecclesiæ communiter assignant Lutherani, nimirum prædicationem Verbi, & administrationem Sacramentorum.*
2. *Quibus M. Lomer superaddit tres alias.*

3. *Pura Verbi Divini prædicatio non rectè assignatur pro nota veræ Ecclesiæ.*

4. *Nec legitima Sacramentorum administratio.*

5. 6. 7. 8. *Multiplex solvitur objectio.*

1. SCiendum 1. Quamvis Lutherus assignaverit 7. notas veræ Ecclesiæ, contradistinctas à notis, in Symbolo Apostolico & Nicæno comprehensis, ac in Scriptura fundatis, quas suprà nos statuimus; eas tamen ferè omnes referri ad has duas, nimirum ad puram Verbi Dei prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem, juxta art. 7. Augustanæ Confessionis, in quas duas notas communiter ita conspirant Lutherani rarâ concordiâ, ut Gerardus c. 10. n. 126. pronuntiet: *Si de proprijs & essentialibus notis sermo sit, omnes uno ore dicimus, tales Ecclesiæ notas esse duas, puram Verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem*, Nihilominus tamen M. Lomer, Præco Augustanus, super omnes istos sapit; quippe

2. Sciendum 2. M. Lomer prædictis duabus notis in seiner Rettung / & fusiùs in seiner Saur = Brunnen Cur à pag. 85. superaddere tres alias, nimirum 1. GloriamDei. 2. Solatium morientium. 3. Securitatem viæ. Has notas, quamvis re ipsa coincidant cum nota doctrinæ seu Scripturæ S. postea ex instituto refellam, postquam priùs communes & duas ordinarias (quæ ab alijs etiam vocantur *Biblia* & *Baptismus*) refutavero.

3. Dico 1. Pura Verbi Divini prædicatio (seu doctrina Scripturæ S.) non est nota veræ Ecclesiæ. Non quidem nego, veram Christi Ecclesiam non esse sine pura Verbi Divini prædicatione (idem est de legitima Sacramentorum administratione) & vicissim puram Verbi Divini prædicationem non esse extra veram Christi Ecclesiam; nego tamen, pro nota veræ Ecclesiæ assignari posse prædicationem Verbi Divini; quod

Probatur 1. Vel prædicatio qualiscunque Verbi Divini, vel prædicatio *pura & vera*, dicitur esse nota veræ Ecclesiæ: neutra potest esse nota: ergo. Non prædicatio qualiscunque, quia ista datur apud omnes sectas hæreticas: non prædicatio *pura*; quod probatur: nota Ecclesiæ debet esse notior quàm ipsa Ecclesia, ut est evidens penetranti terminos: sed *puritas* doctrinæ, *puritas* prædicati Verbi, non est notior quàm Ecclesia; quia aliunde non potest certò constare, quænam doctrina sit *pura*, & *verum* Verbum Dei, nisi ex declaratione Ecclesiæ; cùm omnes hæretici semper clamaverint, se habere puram doctrinam, verum Dei Verbum: ergo priùs debet constare de veritate Ecclesiæ, quàm de puritate doctrinæ constare possit: ut bene contra hæreticos l. de præscript. pridem pronuntiavit Tertull. dicens: *Quid prædicaverint Apostoli, quid illis Christus revelaverit, non aliter probari debet, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli crediderunt.* Et quæso, unde Lutherani puritatem

(quæ

(quæ per se non est evidens) doctrinæ infallibiliter probabunt, nisi ex testimonio Ecclesiæ, sine cujus magisterio neque ipsa Scripturæ substantia, existentia, & integritas ipsis sufficienter cognita esse potest?

Probatur 2. Vel Scripturæ S. seu Verbi Divini (nam juxta Lutheranorum falsum principium non datur aliud Verbum Divinum, quàm scriptum) prædicatio præcisè, vel *legitima interpretatio* est nota veræ Ecclesiæ? Non prædicatio præcisè, quia hæc iterum reperitur in omnium hæreticorum sectis, qui omnes jactant, se prædicare Verbum Dei in legitimo sensu. Non legitima interpretatio; quia hanc, utpote per se non evidentem, debemus primùm discere à vera Ecclesia (non à spiritu interno cujuslibet hominis privati, cùm soli veræ Ecclesiæ sit promissa infallibilitas, nulli autem privato) ergo vera Ecclesia debet jam priùs esse cognita; consequenter non potest primùm innotescere ex prædicatione seu interpretatione Verbi legitima.

Probatur 3. Non sufficit ad constituendam veram Ecclesiam *purè prædicari* VerbumDei, sed requiritur etiam, ut *audiatur, credatur, & recipiatur*: ergo pura prædicatio Verbi sola neque sufficit ad indicandam veram Ecclesiam, sed requiritur etiam auditio, fides, & receptio: atqui fides & receptio Verbi Divini non potest esse nota veræ Ecclesiæ, quia sunt actus interni & invisibiles: ergo. Si autem dicant, receptionem externam, per quam innotescit interna, esse notam veræ Ecclesiæ, tunc incidunt imprimis in notas Catholicorum v. g. amplitudinem & sanctitatem credentium &c. deinde admittunt notam incertam, dubiam, accidentariam, & à vera Ecclesia separabilem; cùm externa receptio doctrinæ, & externa fidei professio possit esse in hypocritis, & deceptoria. Si verò reponant cum Gerardo n. 142. ibi semper esse aliquos saltem, qui fide interna recipiant Verbum Dei (quia Verbum Dei nunquam redit vacuum) ubi purè prædicatur Verbum Dei, & publico sanat ministerio, licèt ignotum nobis sit, quinam sint illi in individuo, utpote soli Deo cogniti; tunc jugulant se ipsos, & apertè admittunt, Ecclesiam semper debere esse visibilem, & quidem ibi, ubi prædicatur Verbum Dei. Dicant ergo, ubinam locorum fuerit vera Ecclesia (utpote necessariò visibilis) ante Lutherum? Denique etiamsi ibi semper sint aliqui verè fideles, per receptionem Verbi internam, ubi id purè prædicatur, non tamen illos possumus nôsse: ergo cœtus fidelium, seu Ecclesia vera non potest cognosci ex prædicatione & receptione Verbi Dei: ergo hæc non potest esse nota illius.

Probatur 4. Prædicatio Verbi Divini juxta Lutheranos est nota essentialis & inseparabilis à vera Ecclesia, adeóque debet esse perpetua, cùm ipsa Ecclesia sit perpetua juxta August. Confess. art. 7. ergo vera Ecclesia, ante Lutherum existens, habuit hanc notam sensibilem & visibilem. Sed alia Ecclesia, ante Lutherum existens, non potest ostendi, in qua melius fuisset prædicatum Verbum Dei, quàm Ecclesia Romana: ergo si prædicatio & auditio Verbi Divini es-

set nota veræ Ecclesiæ, probaret, nostram Romanam immediatè ante Lutherum fuisse veram Christi Ecclesiam, consequenter Lutheranorum esse falsam, quia defecerunt à vera. Deinde alibi dicunt Lutherani, externum Verbi ministerium posse esse corruptum; quomodo igitur sine contradictione puram incorrupti Verbi prædicationem statuere possunt pro signo essentiali & inseparabili veræ Ecclesiæ, uti tamen faciunt?

Probatur 5. Vera Christi Ecclesia juxta Lutheranos est *congregatio Sanctorum*, invisibilis & à mundo non cognoscibilis: ergo ex nullis signis potest ab hominibus cognosci. Ergo neque ex prædicatione legitima Verbi.

Probatur 6. Prædicatio legitima Verbi est nota communis, quam omnes Sectæ etiam hæreticorum pro se adducunt, & eodem jure, quo Lutherani, adducere possunt, nimirum Calvinistæ, Zwingliani, Donatistæ, Ariani &c. Probent enim Lutherani infallibiliter, se meliùs & puriùs prædicare Verbum Dei, quàm prædicent Calvinistæ, Ariani &c. Afferant vel unicum argumentum speciale & solidum, suam prædicationem, consequenter fidem, esse meliorem, quàm sit Calvinistarum &c. nam 1. Fundatores sunt pares, Lutherus & Calvinus, uterque apostata ab Ecclesia Romana. 2. Utrique tam Lutherani quàm Calvinistæ nituntur eodem & unico fundamento, Scripturâ nimirum juxta proprium dictamen intellectâ. 3. In principalibus erroribus conveniunt, nempe asserendo, hominem justificari sola fide, mandata Dei observari non posse &c. 4. Utrique credunt, alterius Partis sectam esse falsam. 5. Utrique dicunt, Ecclesiam defeciisse, & à se restitutam, reformatam &c. 6. Uterque fundator, Lutherus & Calvinus, caruit legitima vocatione, eámque ijsdem probat argumentis &c. Nullam igitur notam veræ Ecclesiæ habent Lutherani sibi propriam, & quæ non sit communis Calviniistis, imò quam non eodem jure afferre potuissent antiqui hæretici ad probandam suam sectam, prætendentes v. g. puram Verbi prædicationem. Notent hæc Lutherani, & meminerint, Majores suos nunquam potuisse aliquid solidi respondere Patri Kedd, identidem postulanti, ut probent, suam sectam esse meliorem Calviniisticâ, vel aliâ Sectariorum.

Dico. 2. Neque legitima Sacramentorum administratio est nota veræ Ecclesiæ. 4. Probatur ijsdem argumentis, quibus prior assertio, nimirum 1. quia, quatenus *legitima* est, non est notior Ecclesiâ, sed potiùs ex declaratione Ecclesiæ constare potest ac debet, quænam sit *legitima* administratio. *Administratio* autem *qualiscunque* non potest esse nota, cùm aliqua administratio Sacramentorum detur apud omnes Sectarios & Hæreticos. 2. Quia administratio valida & legitima Sacramenti Baptismi est communis verè omnibus hæreticis, ut fatentur Lutherani: ergo non est propria, essentialis, & inseparabilis nota veræ Ecclesiæ, quod tamen ipsi requirunt ad veram notam. 3. Si legitima administratio Sacramentorum est inseparabilis à vera Ecclesia, quæ

debet

debet esse perpetua, tunc ante Lutherum Romana fuit vera Ecclesia, & consequenter Lutherana, ab ea desciscens, falsa. 4. Quia juxta Lutheranos vera Ecclesia Catholica est invisibilis: ergo ex legitima administratione Sacramentorum tanquam ex signo non potest cognosci. Vel, si cognosci potest, vera Ecclesia semper debet esse cognoscibilis mundo, & visibilis, quod est propudiosam Lutheranorum defectionem ex latebris protrahere. 5. Quia eodem jure Sectarij & Hæretici omnes dicunt, penes se esse legitimam administrationem Sacramentorum, quo Lutherani id dicunt. 6. Deniq; quia neq; de natura, neque de numero Sacramentorum satis constat sine auctoritate Ecclesiæ: ergo multò minùs de legitima administratione: ergo hæc non est notior quàm Ecclesia.

5. Ob. 1. Per eandem notam discernitur vera Ecclesia à falsa, per quam discernuntur veri Christiani à falsis: sed veri Christiani à falsis discernuntur per doctrinam: ergo & vera Ecclesia à falsa: ergo doctrina vera, seu pura prædicatio Verbi est nota legitima veræ Ecclesiæ. 2. Ecclesia falsa dignoscitur ex falsa doctrina: ergo etiam Ecclesia vera ex vera doctrina. 3. Primitiva Ecclesia dignoscebatur ex vera doctrina Apostolorum juxta illud Act. 2. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum*: ergo etiam moderna Ecclesia debet dignosci ex eadem. R. ad 1. Dist. Ma. Per quam discernuntur veri Christiani collectivè, vel in genere, C. Ma. Christiani veri in particulari, vel seorsim singuli in individuo sumpti. N. Ma. Veri Christiani collectivè, vel in genere sumpti, sunt ipse cœtus Christianorum verorum, seu vera Ecclesia, quam utique non discernimus ex authoritate Ecclesiæ, sed ex notis suprà allatis & ex motivis credibilitatis extrinsecis. Veros autem Christianos in particulari, & seorsim sumptos, discernimus ex eo, quia profitentur doctrinam ab Ecclesia propositam, & infallibiliter declaratam, adeoque potiùs per auctoritatem Ecclesiæ, quam profitentur, & de qua antecedenter constare debet, quàm per doctrinam. Ad 2. Si aliunde certò constet, quòd doctrina sit falsa. C. A. Secus. N. A. & sub eadem distinctione Conf. Si de doctrina evidenter & apertè constaret, quòd sit vera & Apostolica, tunc utique ex ea posset discerni vera Ecclesia; cùm autem de ipsa non certò constet independenter ab auctoritate Ecclesiæ (multò minùs evidenter) esse non potest nota veræ Ecclesiæ, utpote non notior suo significato. Ad 3. N. A. Doctrina sola Apostolorum non erat nota veræ Ecclesiæ, sed ut vestita & firmata miraculis, prophetijs, aliisque signis credibilitatis; propter cujusmodi signa etiam moderna Ecclesia creditur, & dignoscitur esse vera; per Ecclesiam autem explicantem primùm dignoscitur vera doctrina.

Dices. Per eandem notam cognoscitur vera Ecclesia, per quam cognoscitur verus Doctor: sed verus Doctor cognoscitur, & discernitur à falso per veram doctrinam: ergo & vera Ecclesia per veram

doctrinam purè prædicatam. R. Dist. Ma. Per quam cognoscitur verus Doctor, qui docet res obscuras & infallibiliter. C. Ma. Qui docet res evidentes, vel obscuras solùm probabiliter. N. Ma. & Dist. Mi. Sed verus Doctor cognoscitur per doctrinam, evidenter veram, vel obscuram quidem, quam tamen docet infallibiliter. C. Mi. Si tradit doctrinam obscuram, & solùm probabiliter. N. Mi. & C. Doctrina veræ Ecclesiæ est obscura, nec evidenter vera, & quoad nos neque infallibiliter vera, seu cognita ut vera, nisi per auctoritatem Ecclesiæ: ergo de hac priùs debet constare.

6. Ob. 2. Nulla est certior nota alicujus rei, quàm id, quod essentialiter ipsi competit, & quidem soli, ac semper; cùm nota essentialis debeat esse proprietas rei quarto modo, uti risibilitas respectu hominis: sed pura Verbi Divini prædicatio essentialiter competit veræ Ecclesiæ, & quidem soli, ac semper: ergo. R. Dist. Ma. Si illud sit etiam notius quoad nos. C. Ma. Secus. N. Ma. Est prima & necessaria dos bonæ notæ, ut sit notior, quàm res, quam denotat, & ut signum sit clarius ac manifestius suo significato, ut patet evidenter; nam ineptus est, qui ignotum vult probare per aliud æquè, vel magis ignotum. Sic etiamsi rugibile sit de essentia leonis, & risibile proprietas essentialis hominis, tamen nec per rugibile leonem, nec per risibile hominem dignosco, nisi rugibile, vel risibile (quæ æquè mihi ignota sunt, ac leo & homo) per effectus & operationes accidentarias se prodat, nempe per rugitum, per risum &c. Hoc argumentum fortè procederet, si Ecclesia constaret ex meris Angelis, qui essentias rerum intuitivè cognoscunt, & discernunt: hominibus verò in hac vita necessarium est essentias rerum indagare per effectus & proprietates, quæ incurrunt in sensus.

Dices. Per illud aliqua res optimè distinguitur ab alijs, per quod constituitur: sed vera Christi Ecclesia constituitur per veram doctrinam: ergo. R. Dist. M. Optimè distinguitur ab alijs in se & quoad se. C. M. Quoad nos. N. M.

7. Ob. 3. Scriptura S. est notior quàm Ecclesia: ergo & doctrina vera, seu purè prædicata: ergo nihil obstat, quò minùs doctrina, purè prædicata, sit nota veræ Ecclesiæ. M. prob. vera Ecclesia probatur ex Scriptura juxta S. Augustinum l. de unit. Eccl. ubi dicit: *Nolo hominum documenta, sed Divinis Oraculis S. Ecclesiam demonstrari.* R. N. M. Nam de Scriptura constare sufficienter non potest nisi per auctoritatem & declarationem Ecclesiæ, ut demonstratum est in *Lutheranismo constanter errante* & suprà de Scriptura. Ecclesia insuper exstitit ante Scripturam. S. Augustinus contra Donatistas, qui Ecclesiam solâ Africâ arctatam esse volebant, rectè processit, petendo ab ipsis, ut ex Scriptura S. id clarè probent; cùm Scriptura sæpius doceat clarè oppositum, scilicet veram Ecclesiam debere esse diffusam per totum orbem, ad eam convertendas omnes gentes &c. Adeóque Scriptura ipsa docet, Universalitatem, & Conver-

sionem

versionem Gentium, esse notas veræ Ecclesiæ.

Dices: Si ex Scripturis probentur notæ & signa veræ Ecclesiæ, tunc Scripturæ sunt notiores ipsis notis, adoóque & Ecclesiâ ipsâ: ergo. R. Ex Scripturis non possunt probari notæ & signa veræ Ecclesiæ, nisi facta hypothesi, quòd sint Scripturæ jam acceptatæ, & aliunde admissæ, ac insuper clarè loquantur. Simpliciter autem ipsæ probari debent ex auctoritate Ecclesiæ.

8. Ob. 4. Quæcunque Ecclesia habet synceram Verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem, illa est vera: sed Ecclesia Lutherana habet synceram prædicationem Verbi, & legitimam Sacramentorum administrationem: ergo est vera Ecclesia. Ita Gerardus n. 145. M. prob. Variis textibus. v. g. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Joan. 10. *Mundans eos lavacro in verbo vitæ.* Eph. 5. *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Jo. 15. *Evangelium virtus DEI est in salutem omni credenti.* Rom. 1. R. 1. C. M. sed N. ejus suppositum, quòd Ecclesia vera dignoscatur ex prædicatione Verbi, ex collatione Baptismi, & Sacramentorum, tanquam ex notis; id enim neque textus, in utiliter (ut fieri amat à Lutheranis) cumulati, probant, sed ad summum, ibi esse Ecclesiam veram in se (non quoad nos, seu cognitam ut veram) ubi purè prædicatur Verbum, & rectè administrantur Sacramenta, quod ultrò fatemur; cùm utique sit eadem quæstio, ubinam sit vera Ecclesia, &, ubinam sit pura Verbi prædicatio &c.? Sed R. 2. N. m. asolutissimè, cùm sit nugatoria principij petitio, & quam omnes Sectarij ac Hæretici pro se eodem jure formare possunt.

ARTICULUS II.

Examinantur tres aliæ notæ, quas supperaddit M. Lomer.

Summarium.

1. *Primam ex suis notis proponit M. Lomer, petitam ex gloria DEI. Simúlque inchoatur responsio nostra.*
2. *Proponit alteram, ex solatio morientium fabricatam. Simúlque iterum inchoatur nostra responsio.*
3. *Proponit tertiam, ex viæ securitate desumptam. Et rursus inchoatur nostra refutatio.*
4. *Lutherana Secta non in omnibus suis dogmatis maximè & unicè spectat gloriam DEI.*
5. *Nec tentatis & morientibus dat optimum solatium, ut fusè & evidenter demonstratur.*
6. *Nec in omnibus articulis tenet viam securissimam.*
7. *Misera M. Lomeri responsio, & infausta.*
8. *Notæ Lomerianæ omnibus vel sal-*

tem pluribus hæreticorum sectis communes sunt.

9. *Frustra conantur Adversarij suæ in particulari justitiæ & salutis certitudinem absolutam invenire in Scripiura S.*

10. *Frustra in morte & meritis Christi.*

1. SCiendum 1. M. Godefridum Lomer primam, quam duabus jam refutatis notis adjungit, in favorem Ecclesiæ Lutheranæ sic proponere: *Illa est vera Ecclesia, quæ in omnibus suis dogmatis maximè & unicè spectat gloriam DEI: sed Evangelica* (Lutherana) *in omnibus suis dogmatis maximè & unicè spectat gloriam DEI: ergo est vera Ecclesia.* Saur-Brunnen-Cur p. 385. Major videtur Lomero legitima & innegabilis. Si tamen eam formâsset Catholicus, fortassis iterum foret ipsi suspecta tanquam sophistica, identica, & petitio principij, uti per incredibilem inscitiam, non sine stupore peritorum, nuper in libello cit. disc. 11. pag. 173. *Majorem* hujus Syllogismi à R. P. Casp. Mändl in folio propositi pro identica & petitione principij habuit: *Religio, quæ credit hæreses, ab Ecclesia primorum 4. sæculorum damnatas, est falsa Religio: atqui Lutherana credit hæreses, ab Ecclesia primorum 4. sæculorum damnatas: ergo est falsa Religio.* Hunc Syllogismum ait similem esse huic: *Religio multùm falsa est falsa: Lutherana est Religio multùm falsa: ergo est falsa.* M. Lomer! estne hæc illa peritia Logicalis, & ars faciendi & tractandi Syllogismos, quam jactas p. 167. etiam apud vos reperiri, dicens: Daß wir auch mit dem Ergo umbgehen oder Syllogismos machen können? Si *Major* Mändliana est petitio principij, & propositio identica, tunc ideo, quia Religio *falsa*, & Religio *credens hæreses* realiter, ut loquimur, sunt idem; hæc enim videtur esse ratio M. Lomeri, & certè alia assignari nequit. Jam verò si identitas realis inter subjectum & prædicatum facit propositionem identicam, & petitionem principij, impossibilis est ulla vera propositio affirmativa Categorica, quæ non sit petitio principij; cùm in omni propositione affirmativa Categorica vera necessariò à parte rei & objectivè idem sint subjectum & prædicatum. σοφῶς! Dein Syllogismus, quem subjungit M. Lomer, ac similem dicit Mändliano, imprimis non est similis, quia in Mändliano termini non sunt *formaliter* ijdem, nempe *docens hæreses*, & *falsa*, licèt *realiter* dicant idem: econtra in altero Syllogismo termini saltem inadæquatè sunt *formaliter* ijdem, nempe *multùm falsa*, & *falsa*. Dein etiam iste alter Syllogismus bonus est, neque petitio principij, sed procedit *à Majore ad Minus*; evidens enim est, Religionem illam, quæ *multùm* falsa est, esse *simpliciter* falsam; sicut evidens est, eum, qui *valde* est doctus, esse *simpliciter* doctum, qui habet 15. crucigeros, etiam habere 8. 3. 1. crucigerum. Ego igitur erga M. Lomer volo esse liberalior, & concedo, Syllogismum, quem fecit, esse bonum quoad formam, non verò quoad materiam;

riam; cùm *Minor* sit falsissima, cujus falsitatem demonstrabo in assertione prima postea ponenda. *Majorem* limito, & dico, illam Ecclesiam esse veram, quæ maximè & unicè (ultimatò) spectat gloriam Dei in omnibus, & quidem eo modo, quo Deus vult: nam vera Ecclesia immediatè non tantùm gloriam Dei, sed etiam spectare debet salutem hominum (licèt hanc ultimatò referre debeat ad Dei gloriam) item spectare & promovere debet gloriam Dei omni & solo illo modo, quem Deus sibi gratum esse nobis revelavit.

2. Sciendum 2. Alteram notam à M. Lomer ita statui p. 390. *illa Religio est vera, quæ per suos articulos tentatis & morientibus optimum dat solatium ad tranquillandam conscientiam: sed Religio Evangelica* (Lutherana) *per suos articulos tentatis & morientibus optimum dat solatium: ergo est vera Religio.* In hoc argumento iterum *Minor* est falsissima, sicut in præcedenti, posséque optimo jure dici petitio principij, cùm supponat id, quod est in quæstione, sicut & *Minor* præcedentis argumenti; sed hoc dissimulato ejus falsitatem luculentè ostendam in assertione 2. sequente. Hic iterum limito *Majorem*: illa Religio est vera, quæ maximum tribuit solatium &c. verè, ex solidis fidei principijs, faciendo spem firmam & prudentem, aut certitudinem etiam moralem. T. M. quæ maximum dat solatium &c. falsò, imprudenter, ex nullis, vel saltem infirmis fundamentis, faciendo temerariam præsumptionem, & certitudinem Metaphysicam fingendo. N. M. Posterjori modo se habet Religio Lutherana, ut deinde docebo.

Sciendum 3. Tertiam notam Lomerianam reperiri p. 411. in hunc modum expositam: *Illa est vera Ecclesia, quæ in omnibus fidei articulis tenet viam securissimam: sed Ecclesia Evangelica* (Lutherana) *tenet viam securissimam in omnibus fidei articulis: ergo est vera.* In hoc argumento *Major* est valde imperfecta, versatur enim in itinere, & nescit, quò tendat: *quæ viam tenet securissimam*, ait: sed quò? An ad cœlum, vel ad infernum? Ad Deum, vel diabolum? *Minor* est rursus falsissima, ut luce meridiana clariùs patebit ex assertione 3. Interim noto, *Minorem* & ejus probationem, quæ dicit, viam securissimam esse niti *unicè* Verbo Divino in Scripturis revelato, esse iterum petitionem principij, & supponere id, de quo est maxima lis & quæstio. Deinde adverto, hanc notam, utì & præcedentes duas, ferè coincidere cum nota puræ prædicationis Verbi, jam rejecta in art. præcedente, cùm omnes nihil aliud re ipsa sint, quàm doctrina Scripturæ, quam omnes hæretici semper adhibebant ad probandam suam sectam: imò & diabolus adhibuit contra Christum, cùm eum tentaret. Unde jam suprà istæ notæ Lomerianæ rejectæ sunt implicitè & quoad rem ipsam, utpote falsis sectis applicabiles, & non notiores Ecclesiâ. Nihilominus tamen ulteriùs 3.

Dico 1. Lutherana secta non in omnibus suis dogmatis maximè & unicè spectat gloriam Dei. Probatur evidenter, asserendo aliqua ejus dogmata, 4.

præsertim circa illas materias, in quibus Lomerus suam *Minorem* probare volebat. Itaque Lutherana secta docet 1. Hominem non esse liberum, nec habere vires, ut possit credere, Deum amare, pœnitentiam agere &c. ergo si hos actus omittit, vel non peccat; vel si peccat, Deus est auctor peccati, infidelitatis, impœnitentiæ &c. 2. Deum præcipere impossibilia, & tamen transgressores punire æterna & terribili pœna. 3. Christum esse mediatorem inter Deum & hominem secundùm Naturam Divinam. 4. Sanctos in cœlo, dilectos Dei amicos, non posse coli cultu sacro seu religioso. 5. Hominem justificari sola fide. 6. Peccata non tolli per Baptismum & pœnitentiam, sed solùm tegi, & non imputari, licèt maneant in anima. 7. Substantiam panis & vini manere cum Corpore Christi, ut adeò sensus verborum Consecrationis non sit ampliùs *hoc*, sed: *hic* (adverbialiter) *est Corpus meum*, seu in hoc loco. 8. Nullum dari verum & propriè dictum Sacrificium in Nova Lege &c. &c. Atqui hæc & similia dogmata evidenter non spectant gloriam Dei: sed potiùs blasphema sunt, Deóque injuriosa, ejúsque cultum minuentia; siquidem 1. facit Deum auctorem peccati. 2. Imprudentem & tyrannum. 3. Christum quà Deum deprimit infra Patrem. 4. Deum & Christum privat cultu, quo coluntur in Sanctis suis. 5. Aperit latam portam omnibus sceleribus, & offensis Dei, studiúmque charitatis Divinæ ac aliarum virtutum extinguit. 6. Deum facit amare & salvare peccatores re ipsa & in se adhuc maculatos. 7. Verba & proprietatem verborum Christi corrumpit. 8. Præcipuum Religionis, quo Deus maximè colitur, actum tollit &c. &c. Estne hoc unicè & maximè spectare gloriam Dei? Vide p. 267. seqq. plura in hanc rem.

Dico 2. Lutherani non possunt esse certi certitudine fidei & absoluta de sua justitia, & salute æterna. Adeóque Lutherana Religio tentatis & morientibus non dat optimum solatium; quia hoc consistit in illa metaphysica certitudine, ac fiducia absoluta, seu fide speciali de sua justitia & salute, ut M. Lomer clariùs se explicat p. 502. fortge-
ſetzten Abfertigung.

Probatur 1. Illud non potest credi fide Divina, certa, speciali, & absolutè, quod à Deo non est absolute & in particulari revelatum: sed Lutheranis (& ordinariè nulli hominum) absolutè & in particulari non est revelatum à Deo, quòd sint justi, & salvi futuri: ergo. Ma. est clara, Min. probatur evidenter tum negativè; quia Lutherani nullum possunt adducere textum ex tota Scriptura S. in quo alicui in particulari & absolutè promissa sit à Deo justitia & salus æterna: tum positivè, afferendo textus, qui tantùm *in genere*, & *sub certis conditionibus* fidei, charitatis, pœnitentiæ, conversionis ad Deum ex toto corde &c. justitiam & salutem promittunt (quæ tamen conversio ex *toto* corde Lutheranis videtur impossibilis) Tales textus sunt: *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione*

ne

ne animæ tuæ. Deut. 4. v. 29. *Si conversi in corde suo egerint pœnitentiam, & reversi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, tu dimittes populo tuo* &c. 2. Paral. 6. v. 36. seqq. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso; si tamen permanetis in fide fundati & stabiles.* Coloss. 1. v. 22. 23. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Jo. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Ibidem. Ergo promissiones sunt tantùm genericæ & conditionatæ.

Confirmatur 1. Scriptura S. potiùs docet oppositum, nimirum neminem (de via ordinaria) esse certum, an sit justus, an salvandus, v. g. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Prov. 20. v. 9. *Sunt justi atque sapientes, & tamen nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit.* Eccl. 9. v. 1. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Ps. 18. v. 13. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* 1. Cor. 4. v. 4. *Cum metu & temore salutem vestram operamini.* Phil. 2. v. 12. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Rom. 11. v. 20. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* 1. Cor. 10. v. 11.

Confirmatur 2. Exemplo virorum, qui à toto Orbe Christiano semper habiti sunt pro sanctissimis, uti erat David, Job &c. item Paulus, Hilarius, Bernardus &c. qui timebant à judicijs Divinis, ac de sua justitia & salute erant admodum solliciti. *Ne cùm alijs prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Dicebat Paulus 1. Cor. 9. v. 27.

Confirmatur. 3. Textus Scripturæ, quibus Lutherani probant, se justificari per fidem & salvari, plerumque sonant præcisè fidem mysteriorum de Christo, non autem fidem fiducialem, multò minùs certissimam & absolutam spem. Quis autem dicat, hominem certò justificari per fidem mysteriorum de Christo, & salvari? Certè Judas habuit hanc fidem, imò & terrorem de peccato (in quibus consistit pœnitentia juxta Lutheranos) dum ante suspendium dixit: *Peccavi tradens sanguinem justum.* Mat. 27. & tamen nec justus nec salvus factus est.

Probatur 2. ex ratione multiplici. 1. Lutherani vel credunt absolutè, quòd sint justi, & certò salvandi, quidquid fecerint; vel conditionatè, scilicet si fecerint ea ritè, quæ requiruntur ad justitiam & salutem? Si prius; manifestè desipiunt contra claram Scripturam, quæ requirit fidem supernaturalem, charitatem Dei, dilectionem proximi, dolorem de peccato &c. si posterius; tunc eo ipso non possunt credere certissimè & fide Divina; quia ipsis revelatum in particulari non est, an ea omnia ritè fecerint. 2. Lutherani vel jam sunt justi, cùm incipiunt credere, se esse justos, vel tunc non sunt justi? Si prius? non justificantur per fidem, utpote jam antecedenter justi: si posterius; justificantur per fidem falsam, & per mendacium: credere enim se esse justum, cùm nondùm sit, est falli, vel se ipsum fallere: quomodo ergo Lutherani

rani possunt esse certi certitudine fidei de sua justitia, consequenter & de salute? Neque dicas, in eodem instanti, quo incipiunt credere, fieri justos, fidem tamen esse in priori signo naturæ ad justitiam. Sic enim daretur mutua prioritas; nam fides juxta te est prior naturâ ad justitiam; ac justitia vicissim est prior ad fidem, quia est objectum materiale fidei. 3 Hæc certitudo affectata, & præsumptuosa fiducia facit homines insolentes, petulantes, & ducit ad omnem laxitatem ac vitia, utpote jam certos de salute, remissione peccatorum &c. quomodocunque vivant, modò interim fortiter credant, sibi esse remissa peccata propter Christum, séque fore salvos: ergo non potest dari talis certitudo, utpote valde minuens gloriam Dei, quæ ex studio vitæ bonæ hominum aliàs redundaret in eum.

Probatur 3. ex principijs Lutheranorum. Fides justificans & salvifica juxta ipsósmet debet esse supernaturalis propter gratiam ex meritis Christi, sine qua nihil possumus ad salutem conducibile, item conjuncta cum vera dilectione, vera pœnitentia, & juxta plerosque cum bonis operibus; aliàs enim non est vera fides, ajunt, si non *operetur per charitatem.* Gal. 5. v. 6. Atqui Lutherani non sunt certi Metaphysicè, & certitudine fidei, quòd habeant fidem supernaturalem (cùm supernaturalitas & spiritualitas per species proprias à nemine possit clarè cognosci & discerni, utpote transcendens vim hominis cognoscitivam merè naturalem & sensibilem) aut fidem conjunctam cum vera dilectione &c. cùm hæc itidem debeat esse supernaturalis, & necessariò supponat observationem mandatorum Dei, quæ juxta ipsos est impossibilis: ergo. Confirmatur. Ponamus morientem peccatorem, qui in agone credat, se esse justum & fore salvum; quomodo talis potest esse certus de sua justitia & salute per suam fidem, quam nescit esse veram, & talem, quæ operatura esset per charitatem, superviveret. Si verò ad obtinendam justitiam præter fidem statim requiratur charitas, falsum est ipsorum principium, quòd homo per solam fidem justificetur & salvetur.

Probatur 4. Lutheranis non est certum Metaphysicè, quòd sint verè renati seu ritè ac validè baptizati; cùm id tantùm intelligant fide humana, quia scilicet asserunt parentes, cognati &c. qui non tantùm decipere, sed etiam ipsi poterunt decipi, putantes adhiberi verum Baptismum, cùm tamen fortè, quod accidere potuit, aliquid ex essentialibus defuerit. Atqui sine Baptismo nemo potest esse justus, & salvari; nemo nisi verè renatus potest placere Deo, & particeps fieri meritorum Christi; nemo nisi ritè baptizatus est in Ecclesia Christi, extra quam nulla est salus: ergo Lutherani non possunt esse Metaphysicè certi de sua justitia & salute.

Probatur 5. Et quæro ex Lutheranis, unde habeant Metaphysicam fidei certitudinem de sua justitia & salute? 1. An ex promissionibus Divinis? Sed istæ non sunt factæ ulli ipsorum in particulari, & absolutè, sed in genere omnibus sub certis conditionibus, si ritè credi-

de-

derint, verè dilexerint; dignam pœnitentiam egerint, validè baptizati sint &c. de quarum conditionum purificatione nulli ipsorum est facta particularis promissio. 2. An ex meritis Christi? Sed Christus meritus & mortuus est pro omnibus; an igitur dicent, omnes omnino homines de sua justitia & salute esse certissimos? 3. An ex fide firma in meritis Christi? Sed revelatum nulli ipsorum est, quòd habeant veram fidem supernaturalem, & vivam, quæ operetur per charitatem: imò Lutherani putant, quòd non possint tam perfectè credere, & Deum amare, quàm perfectè tamen ipsis præcipitur sub peccato gravi; peccant igitur graviter etiam credendo & amando: quomodo ergo peccando graviter possunt certificari de sua justitia & salute? 4 Unde sciunt certò, se ante obitum acturos veram pœnitentiam, & morituros sine peccato sibi imputato, nec subita morte in peccatis opprimendos? Unde illi, qui se credunt justos, certissimè sciunt, se in justitia hac perseveraturos usque ad extremum spiritum? Quamvis enim dentur promissiones Divinæ, ex se certissimæ, tamen sunt conditionatæ, ut fatetur M. Lomer p. 517. fortgesetzt. Abfert. nostramque cooperationem liberam cum gratia Dei supernaturali requirunt, quam Deus dat tentatis, ut fatetur idem p. 181. Saur-Brunnen. Cur (notetur hìc incidenter, quomodo Lomerus circa libertatem sibi contradicat; hìc enim admittit liberam cooperationem hominis in spiritualibus rebus internis, negat autem p. 217. fortgesetzten Abfertigung) Quomodo ergo fide Divinâ certi sunt certitudine absoluta (conditionatam enim, quam nos Cătholici admittimus, rident, utpote quæ semper nos facit dubitare, ut ajunt, de nostra salute) de sua cooperatione libera, de perseverantia, de salute?

Ad ejusmodi quæsita M. Lomer p. 522. seqq. & p. 512. fortgesetzt. Abfert. tam miserè respondet (imò non respondet, cùm semper petat principium) ut quilibet, nisi sponte cæcus sit, videat vanitatem responsi, ac miretur, quomodo homines cæteroquin prudentes ita dementari possint, ut firmissimè credant, ac certissimos se cogere velint de sua justitia ac salute. Qua securitate noxia sopiti negligunt media ad salutem necessaria, Sectam suam vel ex hoc capite amare incipiunt, sicut qui amant eos, qui sibi semper læta & prospera nuntiant, utut falsissima sint. Dixi *dementari* (ignoscant mihi duriusculum verbum) vix enim in alia re magìs & apertiùs desipere ac decipi Lutheranos existimo, quàm in hac spuria, affectata, præsumptuosa, pernicioſa, ac sponte ficta certitudine. Si *absolutè* sunt certi, quare suos, præsertim moribundos, adeò hortantur ad credendum, perseverandum &c.? Ergo hoc ipso nec sibi ipsis videntur absolutè certi de sua perseverantia & salute.

Dico 3. Lutherani non in omnibus 6.
articulis tenent viam securissimam. Probatur evidenter. Si in omnibus tenerent viam securissimam, tunc ideo, quia in omnibus sequuntur Verbum Divinum in SS. Scripturis revelatum; hæc enim est unica ratio, quam affert M. Lo-

mer, & unica credendorum regula apud Lutheranos & alios Sectarios ac Hæreticos. Atqui imprimis non in omnibus sequuntur Verbum Divinum in SS. litteris expressum; deinde non sufficit tantùm sequi Scripturam seu Verbum Dei scriptum, sed necessariò debet etiam admitti Verbum Dei non scriptum, per Ecclesiam nobis non minùs loquentis quàm per Scripturas: ergo. *Minor* habet duo membra, primum probare hic nimis longum foret, cùm tangat omnes materias particulares, ideo hic securè supponi potest tum ex dicitis tum ex dicendis: ut tamen in uno vel altero articulo paradigma habeas, quomodo in omnibus articulis Lutherani sequantur Scripturam S. lege iterum & expende præcedentes duas conclusiones. Alterum membrum fusè & luculentè demonstravi in thesibus præcedentis anni, quibus titulus *Lutheranismus constanter errans in primis fidei principijs*, & suprà de Scriptura; ubi evidenter ostendi necessitatem Traditionum, & simul quòd Lutherani, aut alij Apostatæ, nunquam ex ullo solido & infallibili fundamento probare possint sine Verbo Dei non scripto, seu sine auctoritate & traditione Ecclesiæ 1. dari aliquam Scripturam S. inspirante Deo conscriptam. 2. Eam his, & non alijs, libris & capitibus esse comprehensam. 3. Eam esse adhuc puram & integram. 4. Legitimè versam à Luthero in idioma Germanicum. 5. Illius sensum genuinum, & legitimam interpretationem. 6. Nihil esse credendum & faciendum, nisi SS. litteris expressum, aut indè per claram consequentiam in particulari materia deductum sit. Hæc autem omnia nisi probaverint efficacissimè argumento certo & infallibili (quod repudiata Ecclesiæ auctoritate prorsus impossibile est) nullibi securum pedem figere, nullam fidem Divinam & certam elicere possunt, similésque sunt ijs, qui uno pede ambulare, aut unâ alâ niterentur volare.

Conatus quidem est M. Lomer p. 312. seqq. Saur-Brunnen-Cur ad unum vel alterum ex his punctis respondere; sed ita, ut longè meliùs sibi consuluisset omittendo. Postquam enim crasso mendacio mihi affinxit, quasi docerem, nec Spiritum internum, nec interna vel externa ipsius Scripturæ criteria, *unà cum testimonio Ecclesiæ*, auch mit Einschliessung deß Zeugnüsses der Kirchen, simul sumpta non sufficere ad probandum, an, & quænam Scriptura sit Verbum Divinum (cùm tamen ego prorsus oppositum doceam, scilicet Ecclesiæ testimonium esse *efficacissimum*, *ex omnibus unicè convincens*, *ac infallibiliter docens*, *an & quænam Scriptura sit purum Dei verbum*, ut pag. 310. præcedente M. Lomer hæc mea verba citans apertè fatetur ipsémet.) Postquam, inquam, crasso mendacio mihi affinxit, ac simul sibi intra duas paginas apertè contradixit, me fugillat, quasi nimis obiter transiliissem allata ab ipso criteria, præsertim quartum ex internis, quod sunt *vaticinia*, in Scripturis reperta de rebus, antequam fierent, longo tempore prædictis. Quam vaticiniorum de rebus futuris adimpletionem videtur cæteris omnibus præferre, ac habere pro sufficienti 7.

cienti argumento ad probandum, an & quænam Scriptura sit Divina.

At prorsus infirmo totam fidei suæ machinã fundamento inædificat, dum vaticinia impleta pro præcipuo Scripturæ, totius credendorum regulæ, argumento statuit. 1. Quia sic ex catalogo librorum Canonicorum expungere debet integra volumina, & capita, præsertim Novi Testamenti, nimirum quatuor Evangelia, epistolas Apostolicas, acta Apostolorum &c. cùm in his, saltem plerisque, vel nulla, vel non nisi pauciſſima (in uno vel altero capite) vaticinia de rebus futuris (& jam impletis) reperiantur. 2. Quia, quòd vaticinia de rebus futuris postea impleta sint, plerumque solùm constat ex traditione Ecclesiæ; si verò Scriptura v. g. Novi Testamenti testetur, vaticinia esse impleta v.g. de Christo, de ipsa hac Scriptura, id testante, constare non potest, nisi ex auctoritate & traditione Ecclesiæ. 3. Quia vaticinia Scripturæ multa ita obscura sunt, ut sine auctoritate Ecclesiæ nesciatur, an impleta jam sint, vel deinceps primùm implenda, utrùm propheta de rebus futuris vaticinatus sit, an præsentia, vel præterita descripserit, eò quòd Prophetæ frequenter utantur Tempore præterito, vel præsenti, dum futura prædicunt. 4. Si aliqua sint clariora, v. g. de Christo; iterum sine traditione Ecclesiæ nobis constare non potest, an ejusmodi vaticinia, adeò clara de Christo, non primùm scripta sint à Christianis, postquam ea contigisse conspexerunt, uti eos arguebant Gentiles. 5. Quia donum prophetiæ est gratia gratis data, & concedi etiam potest alijs, non scribentibus libros Canonicos, uti concessa fuit Sybillis, Ethnicis virginibus. Et quæso nunquid in Ecclesia reperiuntur aliqui libri (v.g. Malachiæ prædicentis futuros Pontifices, vita S. Xaverij &c.) complura vaticinia jam impleta continentes: Imò Lutherani simpliciores putant, in libris Lutheri reperiri aliquas prophetias jam impletas; an propterea M. Lomer hos libros habebit pro Canonicis & Scriptura S. 6. Quia ipse Lomerus p. 425. fatetur, etiam falsos prophetas subinde prædixisse futura, nec propterea cæterum, in quo vixerunt, veram fuisse Ecclesiam; Deúmque ab his caveri voluisse Deut. 13. 1. seqq. Et Christus attendere nos jubet à falsis Prophetis. Mat. 7. Si igitur vaticinia non infallibiliter probant veram Ecclesiam juxta Lomerum, cur probent existentiam & veritatem Scripturæ? Hæc incidenter; non enim hìc & nunc animus est refutare tractatum Lomeri, sed solùm ostendere, quàm infeliciter ipsi cesserit jactus, quo meum libellum impetere conabatur, ac simul demonstrare, Lutheranos non in omnibus fidei articulis securissimam tenere viam, cùm de ipsius Scripturæ existentia, veritate, canone, integritate, puritate, versione, ac vel maximè de sensu & interpretatione neutiquam securi sint, & consequenter nec de ullo alio articulo; eò quòd nihil credendum putent, nisi in Scripturis expressum, aut clarè indè deductum sit.

Denique observo, has additias tres veræ Ecclesiæ notas, quas statuit M. Lomer, communes esse omnibus, vel saltem compluribus Sectarijs & Hæreticis

cis. Eodem enim jure, quo Lutherani, dicere possunt, nec minoribus argumentis probare Calvinistæ, Zwingliani, Novatiani &c. se in omnibus dogmatis maximè & unicè spectare gloriam Dei, firmissima fide credere, se esse prædestinatos, justos, & certò beandos propter merita Christi, atque securissimam tenere in omnibus articulis viam, eò quòd soli Scripturæ ritè intellectæ innitantur. Quales igitur hæ sunt notæ, quæ etiam falsis Sectis communes sunt?

9. Ob. 1. Contra 2. assertionem ex Scriptura. *Ipse Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij DEI.* Rom. 8. v. 16. *Certus sum, quia neque mors, neque vita &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI.* v. 38. 39. *Scimus, quoniam ex DEO sumus. Qui credit in filium DEI, habet testimonium DEI in se.* Jo. 5. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam.* 1. Joan. 3. Ergo veri fideles possunt esse certi ex particulari testimonio interno de sua justitia & salute. R. 1 Antequam Lutherani hæc & alia probare aggrediantur ex Scriptura, priùs infallibiliter doceant, quòd textus, quem citant, sit Verbum Dei, purum, incorruptum, & tum quòd penes ipsos sit pro libitu suo eum interpretari relicta interpretatione Ecclesiæ: aliàs nihil unquam efficient, sempérque errabunt in principijs fidei ac in supposito, quod negari semper potest à Catholicis. R. 2. N. C. & explico textus. Ad 1. dico, Spiritum S. solùm testari conditionatè, si nempe, ut oportet, *clamamus Abba, Pater*, vel *si compatimur*, ut expressè additur v. seq. Vel dico, testimonium internum Spiritûs S. de nostra justitia &c. esse quidem certum in se, ordinariè tamen non quoad nos, præsertim cùm certus ordinariè nemo sit, an instinctus sit testimonium Spiritûs S. an Angeli mali, transfigurantis se in Angelum lucis, an dictamen naturæ, vel sensualitatis. Quocirca monemur: *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex DEO sint.* 1. Jo. 4. Cæteri textus, & alij similes intelligendi sunt non de certitudine *fidei*, *& metaphysica*, sed de morali, aut conjecturali, quas habere possumus de nostra justitia, & salute. Aut intelligendi sunt de certitudine, se tenente ex parte Dei & gratiæ efficacis, aut de quibusdam, ex speciali revelatione id cognoscentibus, cujusmodi privilegia aliquibus insigniter sanctis à Deo concessa leguntur. Adde, quòd pro tò *certus sum* in textu S. Pauli legant *confido* SS. Ambr. & Hieron. Præterea tò *certus sum* potest indicare ingentem fervorem & animositatem Pauli, qua paratus fuit omnia potùs perdere, quàm à Deo separari; & ad ejusmodi dispositionem animi (licèt quoad intensionem ea major vel minor esse queat) tenentur omnes peccatores verè pœnitentes, quippe dolor verus de peccatis, ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus, ejusmodi propositum saltem in gradu remisso debet involvere.

Dices. Si Spiritus S. loqueretur nobis in corde, ita ut nos non certò cognosceremus ejus vocem, & quid nobis testaretur, censeretur nugari; quod

vel

vel cogitare blasphemum est. R. Spiritus S. potest nobis loqui, prout vult, scilicet vel clarè, ut certò cognoscamus ejus vocem, vel obscurè, ita ut tantùm conjecturaliter vel morali certitudine nobis constet, an & quid nobis loquatur. De facto solet nobis in particulari loqui ordinariè modo posteriori, ut patet ex nostris probationibus.

10. Ob. Hoc ipso, quòd Christus sit mortuus pro omnibus universaliter, quilibet in particulari potest credere, etiam pro se esse mortuum : ergo etiam hoc ipso, quòd Deus universaliter promiserit omnibus in Christum credentibus justitiam & salutem, etiam quilibet in particulari potest credere, se esse justum & fore salvum. ℟. N. C. & parit. Christum absolutè pro omnibus fuisse mortuum, patet ex Scriptura : atqui omnibus absolutè promissam esse justitiam & salutem, non patet, imò promissam esse solùm conditionatè seu sub certis conditionibus, ex Scriptura docuimus.

Dices. Conditio implenda præcipuè est fides & dilectio, eaque supernaturalis : sed de hac conditione impleta possumus habere certitudinem experimentalem, quia experimur in nobis actum fidei, charitatis Dei, odium peccati, pugnam adversus carnem, victorias contra tentationes, desiderium amplificandi gloriam Dei, aviditatem cælestis patriæ, gaudium in adversis, propter Christum toleratis &c. Quæ tanquam boni effectus & fructus certissimè indicant bonam radicem, bonam arborem, scilicet veram ac vivam fidem, charitatem formatam. R. Quamvis experimentaliter cognoscamus, nos habere aliquam fidem, charitatem &c. non tamen experimentaliter & reflexè cognoscimus supernaturalitatem horum actuum, sed infima eorum prædicata solum probabiliter vel ad summum moraliter cognoscimus. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Job. 9. vers. 21. Ex illis autem pijs motibus animi & operationibus pariter non major, quàm conjecturalis, vel ad summum moralis certitudo nascitur, tum quia etiam verè credentes non semper illos experiuntur, tum quia experiri possunt etiam scelerati & infideles, uti Turcæ ; nam ipsa anima rationalis naturaliter amat virtutem, vitia verò detestatur & improbat. Adde, quòd etiam Turcæ & alij infideles possint & soleant multos actus *moraliter* (non supernaturaliter, quod prædicatum à nobis discerni & certò deprehendi non potest) honestos elicere ; quamvis sine gratia supernaturali non possit elici opus supernaturaliter bonum, & ad salutem supernaturalem conducens.

Ob. 3. Absurdum est, quòd homo semper debeat dubitare & anxius esse de sua justitia & salute : ergo. R. Vel est sermo de homine probo, vel improbo ? Si de improbo, is utique habet causas timendi & dubitandi. Si de probo, qui per moralem diligentiam adhibet media à Christo instituta : is rectè quidem timet ; *Beatus enim homo, qui semper est pavidus.* Prov. 28. v. 24. anxius tamen propterea non est, nec propriè dubitat, scilicet tali dubitatione, qua neutri parti præbetur as-

sensus; quia habet multas rationes valde probabiles, vel etiam moralem certitudinem (pro ratione diligentiæ adhibitæ) de sua justitia, & salute. Atque sic nec sumus elati & bonorum operum negligentes, nec pusillanimes. Spem quidem habemus firmissimam in meritis Christi, sed non absolutam certitudinem.

CAPUT IV.

De Capite veræ Ecclesiæ, nimirum de Papa.

ARTICULUS I.

Romanus Pontifex est Ecclesiæ Caput, Christi Vicarium.

SUMMARIUM.

1. *Præstantia,*
2. *Et ordo præsentis doctrinæ.*
3. *Aliquod Ecclesiæ à Christo constitutum esse Caput, exigit providentia Christi,*
4. *Et Scriptura satis apertè prodit.*
5. *Adeóque regimen Ecclesiæ debet esse visibile, & Monarchicum.*
6. *Respondetur ad ea, quæ opponuntur ex Scriptura,*
7. *Et ad aliæ argutias.*
8. 9. *Regimen Ecclesiæ non est penes Principes Politicos,*
10. *Nec plures Ecclesiasticos.*
11. *Sed fuit promissum soli Petro.*
12. *Et collatum eidem à Christo.*
13. *Quem Petri Primatum & Pontificatum supremum etiam multæ prærogativæ, quibus Petrus præ alijs Apostolis emicuit, confirmant; uti & SS. Patrum sententia.*
14. *Nomine Petri non intellexit Christus omnes fideles, nec omnes Apostolos.*
15. *Paulus nec superior nec æqualis fuit Petro quoad jurisdictionem.*
16. *Qua ratione dicantur cæteri Apostoli fundamentum Ecclesiæ, solvere super terram, pascere gregem.*
17. *Quæ mens S. Augustini.*
18. 19. 20. *D. Petrus in suo Primatu & Pontificatu debuit habere aliquos Successores.*
21. *Qui non fuerunt alij, nec hodie sunt alij, quam Romani Pontifices, quia succedunt in illa Cathedra, quam Petrus ad Pontificatum evectam moriens reliquit.*
22. *Qui semper propterea exercuerunt jurisdictionem in omnes fideles, quin & Episcopos per Orbem Christianum existentes.*

23.

23. *Adstipulante perpetuo & communi sensu fidelium & SS. Patrum.*
24. *An Romanorum Pontificum Successio in Primatu Petri sit Juris Divini?*
25. *Qualis sit electio legitimi Pontificis Romani.*
26. *Impudenter negatur, Petrum aliquando fuisse Romæ.*
27. *Defenditur ejus Successio in Sede Romana.*
28. *Quam non impediunt Pontificum divitiæ, & quorundam scelera.*
29. *Non Subjacent Principibus Sæcularibus.*
30. *Ut perperam aliqui probare nituntur ex S. Gregorio M. ubi etiam de titulo Universalis Episcopi.*
31. *Fabula de Papa fœmina explodituri.*
32. *Usi & calumnia de Papa Antichristo.*
33. *Series omnium Pontificum Romanorum, ex qua ostenditur, quam pauci respective fuerint scelerati.*

1. PEr *Caput* Ecclesiæ intelligitur Princeps, Gubernator, & Rector Ecclesiæ, atque Supremus fidelium Pastor. Caput primarium, principale, absolutum, independens, ac invisibile est ipse Christus, de quo nullus Christianus dubitat: proinde hìc loci de Christo (cujus Divinitatem jam alibi demonstravimus contra Paganos, Judæos, & Arianos hæreticos, Humanitatem verò non esse ubique, evidenter ostendam infrà de Evchariſtia contra Lutheranos Ubiquistas) sermo non erit; sed de Capite secundario, Vicario Christi, subordinato, atque visibili, nimirum de Summo Pontifice, quem cane pejus & angue semper oderunt omnes Hæretici, & præcipuè moderni temporis Sectarij, Lutherani & Calvinistæ, probè gnari, actum esse de sua Secta, ubi sua Romano Pontifici stat auctoritas. Una igitur ex præcipuis fidei Controversijs est de Summo Pontifice, ex qua ferè pendet Summa rei Christianæ.

2. Ut autem ordinatè procedamus, statuemus 1. aliquod Ecclesiæ Caput Christi vicarium, & visibile ab ipso Christo esse constitutum. 2. Istud Caput fuisse D. Petrum. 3. Ejúsque in supremo Ecclesiæ regimine Successores. 4. Scilicet Romanos Pontifices. Atque hæc absolvemus Articulo I. adjiciemus enim Articulum II. de Concilijs propter materiæ connexionem; siquidem controversum est, an solus Pontifex sine vel cum Concilio Generali sit supremum Ecclesiæ Caput, & legitimus Judex in rebus fidei & morum Decretis. Itaque in hoc II. Articulo agemus 1. de Conciliorum natura, varietate &c. 2. An Papa sit supra Concilium: subnectemus III. Articulum, investigaturi, an Papa etiam extra Concilium sit legitimus Controversiarum fidei Judex, scilicet Universalis, Summus, Infallibilis. Omnia pro ratione instituti succinctè, simul tamen, quantùm fieri potest, clarè & solidè.

§. I.

Aliquod Ecclesiæ Caput, Christi vicarium, ab ipso Christo constitutum est.

3. PRobatur 1. quia id exigit providentia & sapientia Christi, qui in cælos ascendens desijt esse præsens Ecclesiæ quoad Humanitatem suam & visibilem gubernationem, quæ tamen necessaria est fidelibus. Debuit igitur Christus constituere aliquem Vicarium, qui loco sui ipsis præesset visibiliter cum suprema potestate, & aliquod Caput, proportionatum membris, quæ sunt meri homines sensibiles, sensibile & visibile regimen requirentes. Ferè sicut Rex Politicus suo Regno constituere solet Pro-Regem, quando ipse est absens. 2. quia id exigit utilitas fidelium, ut scilicet in suis necessitatibus habeant sensibile refugium, in rebus dubijs certum oraculum, in suis gravaminibus familiarem accessum. 3. Quia id exigit uniformitas fidei: debent enim omnes fideles in rebus fidei prorsus idem sentire, idem credere: quod fieri nequit in tanta diversitate judiciorum, nisi detur unus Rector & Judex summus, qui à Christo constitutus, & à Spiritu S. directus, infallibiliter doceat omnes, & cujus sententiæ acquiescant omnes.

4. Confirmatur solidè 1. ex S. Scriptura, quæ Ecclesiam comparat *Regno* Dan. 2. *Ovili* Jo. 10. *Exercitui Ordinato* Cant. 6. *Domui.* 1. Tim. 3. *Navi* 1. Petri 3. Arqui in Regno unus est Rex, in Ovili unus Pastor, in Exercitu unus Imperator seu Dux supremus, in Domo unus Patersamilias, in Navi unus Gubernator. 2. Ab exemplo Synagogæ, quæ semper regebatur ab uno summo Sacerdote visibili, adeóque ejus Regimen fuit Monarchicum; quod genus regiminis est optimum ex communi Sapientûm sensu, Orbis universi usu, & ipsius Naturæ magisterio. Sed utique Christus non minùs provideriit Ecclesiæ de optimo regimine, quàm provisum fuit Synagogæ, quæ solùm erat ancilla, aliquando repudianda, Ecclesia verò est dilecta sponsa Christi, nunquam deserenda. 3. ex facto Christi, D. Petro Primatum inter omnes Apostolos & Fideles conferentis, ut dicetur §. sequente. Interim ex dictis

5. Colliges 1. Caput Ecclesiæ semper esse debere *visibile*, seu tale, quod à membris seu fidelibus videri, audiri, consuli, & sensibiliter percipi possit. 2. Regimen Ecclesiæ esse Monarchicum, seu tale, in quo unus præest omnibus; quamquam non sit *purè* Monarchicum, sed temperatum ex Aristocratico & Democratico, quatenus præter supremum Caput, scilicet Papam, instituti sunt Episcopi (qui sunt veri Principes & Pastores animarum, non meri Vicarij Papæ) & quatenus nemo est, etiam ex infima plebe Christianorum, qui non possit fieri Episcopus aut Papa, si habeat dotes tanto muneri convenientes. Quippe Monarchia taliter

liter temperata ex Aristocratia & Democratia videtur esse optimus regendi modus, tum quia sic subordinati Principes, si non sint præcisè Vicarij, commissos sibi subditos minùs negligunt, sed diligentiùs curant tanquam rem propriam, tum quia sic summæ dignitates conferuntur optimis, cùm excludatur hæreditaria successio.

6. Ob. 1. Christi *Regnum non est de hoc mundo* Jo. 18. ergo non datur unus Rex seu Monarcha Ecclesiæ in hoc mundo. 2. Deus ipse reprehendit Israëlitas, quòd Regem postulâssent, 1. Reg. 8. ergo Deo non placet regimen Monarchicum. 3. Christus reprehendit discipulos, quòd contenderint de Primatu Luc. 22. ergo in Ecclesia nullus est cæteris superior. 4. Non expedit, Orbem universum regi ab uno principe in rebus politicis: ergo neque in spiritualibus.

R. ad 1. Non est de hoc mundo, hoc est, mundanum, politicum, & sæculare C. non est Monarchicum. N. A. & C. Ad. 2. Non reprehendit, quia absolutè postulabant Regem, sed quia postulabant talem regem, qui quasi independens à Deo more Gentilium regeret populum Israëliticum, cui antea præerant Judices. Tanquam Pro-Reges Dei; ait enim ad Samuelem Deus: *non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ad 3. Christus reprehendit, quòd *ambitiosè* contenderent de Majoritate, & rectè, quamvis enim Christus voluerit aliquem fa-
5. cere Majorem cæteris, nullus tamen potuit sine culpa hanc dignitatem ambire, multò minùs despoticè regere, ut *reges gentium* solebant; dixit enim, *vos autem non sic*, quasi diceret, quamvis unus *inter vos major sit, fiat sicut minor*, eiúsque imperium non sit superbum, despoticum, & tyrannicum, sed humilitate, suavitate, & charitate conditum, atque ministeriale. Ad 4. N. C. & parit. Nam ad conservationem Ecclesiæ necesse est, ut omnes idem sentiant circa res fidei, iisdémque Sacramentis &c. utantur; quod ad conservandum statum Politicum necesse non est. Si tamen aliquis Monarcha Mundi haberet tam fideles Principes subordinatos, ut per eos totum Mundum gubernare posset, non video, cur id non expediret.

Dices. Paulus hierarchiam Ecclesiæ commemorans Ephes. 4. nullo apice meminit alicujus Capitis, vel Regiminis Monarchici: ergo. R. imprimis ibi Paulus non describit hierarchiam Ecclesiasticam & ordinem Ministerij, sed varia dona, quæ sunt in Ecclesia. Dein transeat, quòd describat hierarchiam, negatur autem, quòd Capitis implicitè non meminerit: ait enim: *ipse dedit quosdam quidem Apostolos &c. alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum &c. in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes &c.* En! Apostoli nominantur primi, adeóque velut capita reliquorum fidelium, & simul insinuatur, hanc hierarchiam fore usque ad finem Mundi: atqui ex alijs Scripturæ locis constat, nulli Apostolorum promissam fuisse perpetuitatem in gubernanda Ecclesia, nisi uni Petro, cui dictum est: *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*

Luc. 22. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Mat. 16. ergo Paulus tacitè insinuavit regimen Apostolicum Ecclesiæ, semper futurum usque ad finem Mundi, fore penes Petrum, & ejus in gubernanda Ecclesia successores, adeóque semper fore Monarchicum. Quamvis igitur omnibus Apostolis data sit potestas illimitata in omnes fideles sine restrictione ad certum locum, tamen non fuit ordinaria, sicuti Petri (Capitis & Pastoris ordinarij) in qua succederent alij usque ad finem Mundi, sed tantùm fuit delegata, extraordinaria, & sine perpetua successione.

Cæterùm miror, heterodoxos adeò laborare, ut excludant unum Caput supremum, Christi in terris vicarium; cùm tamen interim ipsi vel universum populum Christianum præficiant toti Ecclesiæ, qui hujus regimen volunt esse Democraticum seu populare, vel saltem cujuslibet communitatis & Ecclesiæ particularis particularem Pastorem & Rectorem ceu caput sub Christo agnoscant, constituantque. Si Pastorem primum omnino è terris sublatum, & collocatum in cœlis velitis; cur manent secundi & tertij Pastores in terris? Si in terris admittatis oves visibiles, & pro his pastores medios & infimos pariter visibiles? quid prohibet etiam primum aliquem (post Christum) pariter visibilem admittere in terris?

7. Ob. 1. Christus est Caput Ecclesiæ; ergo si aliud præter ipsum statuatur, Ecclesia sit biceps & monstrosa. 2. Christus est Sponsus Ecclesiæ: atqui Sponsus non patitur alium sponsum, etiam subordinatum tantùm. 3. *Multi unum Corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. 12. ergo omnes fideles, etiam Papa, sunt membra, & nullus est Caput. 4. Si Papa potest dici *Caput Ecclesiæ*, tunc Ecclesia potest dici *Corpus Papæ*, quia Caput & Corpus sunt correlativa: sed Ecclesia non dicitur Corpus Papæ, sed Corpus Christi: ergo.

R. Ad 1. Quamquam Christus sit Caput primarium, principale, & nunc invisibile, nihilominus tamen sine absurdo & monstrositate poterit admitti aliud Caput Ecclesiæ secundarium, subordinatum, ministeriale, & visibile; sicut mulier non dicitur biceps & monstrosa, quamvis præter caput physicum & proprium habeat etiam morale & alienum, nam *Caput mulieris vir est.* Eph. 5. Et utique Regnum præter Regem absentem potest habere caput vicarium, scilicet Pro-Regem. Ad 2. Allegoria de Sponso & Sponsa rectè quidem accommodatur Christo & Ecclesiæ, non tamen in omnibus; sicut & allegoria de Capite & Corpore; nam Corpus physicum non potest habere unum Caput principale, & alterum subordinatum, quamvis id de Corpore Morali & Mystico dici possit. Pari modo in Moralibus absurdum non est, Vicarium esse Sponsum Reginæ subordinatum, licèt in Physicis desponsationibus absurdum foret. Ad 3. Papa est quidem etiam membrum Ecclesiæ, & quidem præcipuum, si Christus consideretur ut Caput, per internum & spiritualem influxum afficiens Ecclesiam, non.

non tamen si Christus consideretur ut Caput gubernans Ecclesiam ; nam ad Ecclesiam exteriùs & sensibiliter gubernandam necesse habuit aliud Caput, fidelibus proportionatum, sibi substituere, nempe Papam. Ad 4. N. sequelam. Quamvis enim Caput primarium & Corpus sint correlativa, & mutuò ad se invicem dici possint, non tamen mutuò de se dici necesse est Caput *secundarium* & Corpus ; sicut Regnum non dicitur esse Pro-Regis, sed Regis tantùm.

8. Ob. 3. Etiamsi admittatur aliqua suprema potestas in Ecclesia, tamen opus non est admittere Papam, sed dici potest, eam residere in Principe Politico : ergo. 2. dici potest, eam residere in pluribus Principibus Politicis simul, seu in Magistratu sæculari. 3. vel saltem in Principibus Ecclesiasticis, seu in Episcopis pluribus. Atque sic regimen Ecclesiæ non erit Monarchicum, sed Aristocraticum, hoc est, penes Optimates.

R. N. A. Ratio negandi est 1. quia regimen Ecclesiæ est spirituale & supernaturale, ordinatum ad animas perducendas ad felicitatem supernaturalem : tale autem regimen non competit ulli Principi sæculari. 2. quia Apostolis dictum est à Christo : *pasce oves meas* Jo. 21. *quodcunque solveris &c. quæcunque alligaveritis &c.* Mat. 16. & 18. Non autem ulli Principi sæculari : si autem hanc potestatem non acceperunt à Christo, eam utique non habent ; quia nec habent à se, nec à populo universo, cùm populo nunquam fuerit concessa. 3. quia nullus est assignabilis Princeps sæcularis, cui totus paruerit, vel pareat Orbis Christianus : atqui Capiti Ecclesiæ debent parére omnes omnino Christiani. Ad 2. In Magistratu politico, ex pluribus constante, non posse residere potestatem spiritualem & supernaturalem gubernandi Ecclesiam, patet ex rationibus negandi primùm adductis, nempe quia spiritualem Magistratus Politicus non habet à se, nec habet à Christo, nec ullus est Magistratus sæcularis, cui obediat totus Orbis Christianus. Ad 3. constabit tum ex ijs, quæ afferemus §. sequenti pro Primatu Petri, tum ex ijs, quæ disseremus de Superioritate Pontificis supra Concilium, tum ex jam dictis, tum ex eo, quòd Episcopi rarò congregentur aut congregari possint, adeóque Ecclesia ferè semper destituta foret Rectore : Episcopi enim seorsim singuli nihil ordinare aut decernere possunt pro universa Ecclesia.

Dices 1. Omnes jubentur subesse *Regi quasi præcellenti* 1. Petri 2. Et 9.
Magistratus sæcularis *Non sine causa gladium portat, Dei enim Minister est* Rom 13. ergo Princeps & Magistratus Sæculari acceperunt potestatem in omnes Christianos à Deo. R. Omnes jubentur subesse Regi in rebus politicis, non Ecclesiasticis & spiritualibus. Gladium portat ut Minister Dei ad custodiendas Leges Divinas, & ad defendendam Ecclesiam, non ut Judex, vel Interpres Legum Divinarum & Ecclesiasticarum.

Dices 2. Actorum 15. *convenerunt* 10.
Apostoli & Seniores videre de verbo hoc &c. Et Paulus act. 2. dicit Episco-

pis

pis: *attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI.* Ergo regimen Ecclesiæ est penes Optimates, Seniores, & Episcopos, non apud unum Monarcham. R. N. C. Cur enim Monarcha seu supremus Princeps non possit alios sibi subordinatos adhibere in consilium, & sic communi sensu aliquid decernere, aut exequi per alios sibi substitutos, quod propter negotiorum multitudinem, aut loci distantiam per se non potest?

§. II.

D. Petrus fuit illud Ecclesiæ Caput, à Christo constitutum, seu obtinuit Primatum tam inter Apostolos, quàm cæteros fideles.

11. PRobatur 1. Christus promisit D. Petro Primatum: ergo etiam ipsi contulit, cùm Christus necessariò sit fidelis in promittendo. Ant. prob. præcipuè ex c. 16. Matth. v. 18. & 19. Ubi Christus, quamquam præsentes fuerint etiam cæteri Apostoli, ad solum Petrum, postquam ille solus apertè confessus fuerat Divinitatem Christi, dixit: *tu es Petrus, & super HANC PETRAM ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. TIBI dabo claves Regni cœlorum. ET QUODCUNQUE ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & QUODCUNQUE solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quibus verbis clarè exprimitur Primatus & suprema in totam Ecclesiam potestas, Petro conferenda, sub duplici Metaphora, scilicet *Petræ* seu fundamenti, & *Clavium*; quod enim in ædificio est *fundamentum*, hoc in Corpore est Caput, & in Communitate Primatus. Et cui traduntur *Claves* v. g. civitatis, illi committitur simul suprema potestas in civitatem, saltem vicaria; quippe per claves significatur suprema potestas tum ex recepta inter homines consuetudine, tum in SS. litteris Apoc. 3.

Prob. 2. Christus etiam contulit Primatum & supremam potestatem D. Petro: ergo. A. prob. præcipuè ex c. 21. Joan. v. 18. ubi Christus iterum ad solum Petrum, præsentibus quamquam etiam alijs Apostolis & discipulis, dixit: *pasce oves meas*, postquam ter ipsum priùs interrogaverat: *Simon Joannis* (hoc est, *Petre*, nam Petrus, antequam Christus ipsi nomen mutaverat ad indicandum futurum officium in firmanda & gubernanda Ecclesia Mat. 16. vocabatur Simon, Jonæ seu Joannis filius) *Simon Joannis diligis me plùs his?* hoc est, plùs quàm cæteri præsentes. Ubi advertendum est 1. per tò *pasce* intelligi omnem actum pastoralem, scilicet præesse, regere, ducere, reducere, dare 12.

dare cibum, tueri, castigare &c. ut paret ex communi usu loquentium & officio Pastorum. 2. per tò *oves meas* significari universam Ecclesiam, seu omnes omnino fideles, etiam Apostolos, & Episcopos, ut colligitur partim ex adjecto pronomine *meas*, hoc est, *Christi* oves: omnes enim fideles, etiam Apostoli & Episcopi sunt oves Christi: partim ex circumstantijs; nam diligenti plùs cæteris utique Christus voluerit etiam tribuere aliquid præ cæteris, ut sic majori & universaliori potestate remuneraretur majorem & peculiarem dilectionem, sicut Mat. 16. peculiarem confessionem, qua Petrus solus publicè ad Christum dixit, *tu es filius DEI vivi*, remunerari voluit peculiari & ampliori promissione conferendi Primatûs & Clavium: partim ex communi SS. Patrum interpretatione, ex quibus solum Leonem M. audiamus. Is serm. 3. de assumptione sua ad Pontif. sic ait: *De toto Mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum Gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Et infrà: *cùm ego* (inquit Christus ad Petrum) *sim inviolabilis petra &c. tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut, quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Notentur bene hujus S. Patris singula verba, qui rexit Ecclesiam anno Christi 440. adeóque cùm Ecclesia Romana adhuc immunis esset ab omni labe Antichristi vel ipsis Sectarijs fatentibus.

Prob. 3. Debet in Ecclesia dari aliquod Caput & supremus Monarcha, qui cum summa potestate præsit omnibus fidelibus, ut probatum est §. præcedente: sed aliud Caput, alius Monarcha, non potest assignari, nisi Petrus, ut patet tum ex allatis textibus Mat. 16. & Jo. 21. tum ex varijs & magnis prærogativis ipsius Petri, cujusmodi sunt, quòd non tantùm primo loco soleat poni ab Evangelistis, quando recensentur Apostoli, verùm etiam quòd expresse vocetur *Primus*, uti Mat. 10. *duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: PRIMUS Simon, qui dicitur* Petrus *&c.* quòd Christus solius Petri Naviculam ingressus sit, & ex ea docuerit Luc. 5. quòd pro solo Petro *rogaverit, ut non deficeret fides ejus*, illique soli dixerit, *confirma fratres tuos.* Luc. 22. quòd resurgens à mortuis primò apparuerit Petro &c. Tum ex SS. PP. qui passim Primatum rotundè adstruunt D. Petro, illum vocantes *Vicarium Christi, Caput Ecclesiæ, Principem Apostolorum &c.* ex quibus illi sexcenti, in Conc. Generali Chalcedonensi congregati, eum appellârunt *Petram & Crepidinem Ecclesiæ Catholicæ & Rectæ fidei fundamentum.* Origenes in hom. 5. in c. 14. Exodi sic ait: *Vide, magno illi Ecclesiæ fundamento, & Petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: Modicæ fidei &c.* S. Hieron. l. 1. contra Jovin. c. 14. *Licèt super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea* 13.

inter duodecim unus eligitur, ut constituto Capite schismatis tollatur occasio. S. Epiphanius in Ancorato : *ipse Dominus constituit Petrum Primum Apostolorum, Petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, & portæ inferi non valebunt adversùs illam. Portæ autem inferorum sunt hæreses & Hæresiarchæ.* Et S. Aug. per modum admirantis interrogat : *Quis nescit, illum Apostolatûs (Petri) Principatum cuilibet Episcopatui præferendum* ? l. 2. c. 1. de Bapt. contra Donat.

14. Ob. 1. Nomine Petri in citatis textibus Mat. 16. & Jo. 21. intelliguntur omnes fideles, vel saltem omnes Apostoli : ergo non Petro, sed toti Ecclesiæ, vel saltem omnibus Apostolis promissæ & collatæ sunt claves. A. P. Petrus ibi gessit personam Ecclesiæ ; item nomine omnium præsentium Apostolorum edidit hanc confessionem : *tu es Christus Filius Dei vivi* : ergo. 2. Moriente Pont fice claves habet Ecclesia : ergo penes hanc, & non penes hominem singularem, est summa potestas, quam ab Ecclesia primùm accipit recèns electus Pontifex.

R. N. Ant. non enim frustra Christus solum Simonem mutato nomine vocavit *Petrum*, non gratis dixit in singulari, *tu, tibi, quodcunque solveris, pasce* &c. Et sanè si intelligeretur tota Ecclesia, sensus verborum Christi esset iste : *super Ecclesiam ædificabo Ecclesiam meam : vos oves pascite oves meas &c.* qui utique esset sensus ridiculus. Petrus quidem gessit personam Ecclesiæ, non tamen ut vicarius Ecclesiæ, & quasi ab Ecclesia deputatus ad recipiendas claves, sed ut Caput & Rector, cui Christus immediatè & principaliter promisit ac dedit claves tanquam suo Vicario ; quamquam eas dederit in utilitatem Ecclesiæ, quia Petrus debuit uti clavibus in bonum & salutem fidelium. Claves itaque sunt in Petro tanquam Christi Vicario, & Ecclesiæ Rectore, in Ecclesia autem tanquam in fine. Rursus : omnium quidem nomine Petrus confessus est Christum, non tamen ut legatus & vicarius cæterorum Apostolorum, sed ut specialiter illuminatus à Deo, atque ut Caput illorum. Et quia confessus ipse solus est Christum, cæteris assentientibus, ideo ipsi soli promissæ sunt claves, communicandæ tamen etiam cæteris.

Ad 2. N. Ant. nam moriente Pontifice claves remanent in manibus Christi, à quo illas accipit novus Pontifex, non traditione nova, sed institutione antiqua. Ferè sicut si Rex constituens Pro-Regem faceret hoc decretum, quòd mortuo Pro-Rege velit in locum prioris admittere illum, quem proceres elegerint, & illi jam nunc eandem potestatem conferat, quam priori concesserat. Ecclesia igitur solùm eligit, & quasi præsentat personam, Christus autem huic personæ confert potestatem clavium supremam ; sicut v. g. Patronus laicus, aliquem præsentans ad parochiam, non confert ipsi jurisdictionem spiritualem, sed Episcopus instituens.

Ob. 2. D. Paulus objurgavit Petrum, & in faciem ei restitit Gal. 2. 15.

ergo

ergo non fuit minor Petro. 2. Idem Paulus 2. Cor. 2. ait: *nihil minus fui ab ijs, qui supra modum sunt Apostoli.* 3. Non solus Petrus, sed Petrus & Paulus simul vocantur Principes Apostolorum, & nescitur, uter alteri præstet. R. ad 1. objurgavit non judiciali sententia, sed correptione fraterna, cum bono Zelo & debita reverentia; neque circa fidem, sed circa aliquod factum particulare restitit Petro, quòd scilicet incautè simulaverit Judaismum. Ad 2. Nihil minus fuit quoad prædicationem Evangelij, quod æquè à Christo acceperat ac alij Apostoli, & quoad labores Apostolicos; minor tamen fuit quoad jurisdictionem. Et quando Paulus per antonomasiam dicitur *Apostolus*, id fit, quia plures scripsit epistolas & plùs omnibus laboravit, non ideo, quasi auctoritate & potestate emineret super cæteros. Ad 3. Ambo vocantur *Principes Apostolorum*, scilicet quia uterque plurimùm laboravit in convertendis gentibus, quia uterque prædicavit Romæ præcipua mundi urbe, ibique Martyrium subijt pro Christo, atque sic uterque maximi apud Deum est meriti, ita ut ignoretur, uter in his præstet alteri. Optimè tamen scitur ex nostris probationibus, quòd major sit Petrus potestate & auctoritate; & quòd ipse fuerit *ordinarius* Romæ Episcopus, Paulus autem tantùm Petri Coadiutor & quasi Suffraganeus, colligitur etiam indè, quia Sedes Romana nunquam tribui consuevit S. Paulo, sed semper appellari *Cathedra Petri*, solúsque Petrus dici Pontifex Romanus, nunquam Paulus. Et utique præcipua Ecclesia non fuerit biceps, quod probrum nulli alteri Ecclesiæ, ab Apostolis fundatæ & gubernatæ, accidisse legitur.

Ob. 3. Omnes Apostoli dicuntur *fundamentum Ecclesiæ*, Eph. 2. non minùs ac Petrus. 2. Sicut Petro promissum est: *tibi dabo claves, quodcunque solveris* &c. Mat. 16. Ita reliquis Apostolis promissum est: *quæcunque solveritis super terram* &c. Mat. 18. Atque hæc potestas promissa, postmodum Jo. 20. fuit concessa, dum omnibus Apostolis dictum est: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. 3. Etiam cæteri Apostoli jubentur pascere gregem Domini. 4. Sit, quòd S. Petrus habuerit Primatum inter omnes Apostolos, non tamen indè sequitur, quòd potestate & auctoritate cæteros antecelluerit; Primatus enim talis est res, quæ necessariò tantùm convenit uni, non item potestas & auctoritas Apostolica. Ita ferè Ludov. Ellies Du Pin Gallus, qui quidem Catholicus esse cupit, tamen propter lubricum calamum, quem in præjudicium Pontificiæ potestatis temerè acuit, meritò temerarius Scriptor audit, cautiùs utique scripturus, modò per aliquot annos adhuc exspectare potuisset, dum scilicet famosæ propositiones illæ Parisienses, in præjudicium Pontificis editæ anno 1682. iterum revocarentur, uti nunc revocatæ sunt approbante Rege. 16.

R. dicuntur *fundamentum Ecclesiæ*, quatenus prædicârunt Evangelium, propagârunt fidem, fundârunt novas Ecclesias, missi à Christo tanquam legati per

per totum mundum; non verò ratione potestatis gubernativæ, supremæ & universalis, quæ soli Petro & promissa & data est: proin in quibusdam cæteri Apostoli æquales sunt Petro, non in omnibus. Ad 2. Reliquis Apostolis non fuit promissa & data tam ampla & universalis potestas, sicut Petro; nam reliquorum potestas est restricta ad *peccata* Jo. 20. Nec alia ipsis promissa est Mat. 18. quàm illa, quæ data est Jo. 20. Econtra Petro illimitatè promissum est: *QUODCUNQUE solveris* &c. sine ulla restrictione, & cura Pastoralis data est in omnes Christi oves sine ulla exceptione: *pasce oves MEAS* Jo. 21. Ad 3. Jubentur pascere tanquam Pastores subordinati Petro, & potestate quasi delegata tantùm, & non *ordinaria*, de quibus verum est illud Pauli: *legatione fungimur pro Christo* 2. Cor. 5. Ad 4. Dupinus malè Primatum Petri distinguit à suprema potestate gubernativa; non enim qualiscunque Primatus Petro concessus est à Christo, sed gubernativus, ac talis, quem denotat Metaphora *Clavium, Petræ, Capitis, Pastoris Universalis* &c. Deinde ex illa ipsa ratione, ex qua Dupinus dissert. 4. §. 3. probat, Petro competere Primatum, probatur suprema ejus potestas & auctoritas gubernandi totam Ecclesiam, quia sicut necesse est, unum duntaxat esse *primum*, ita necesse est unum duntaxat esse præditum suprema gubernandi potestate. Quoad hanc igitur cæteri Apostoli non possunt esse æquales Petro; quamquam fuerint æquales in munere docendi, prædicandi ubique, constituendi presbyteros & Episcopos, fundandi Ecclesias: omnes enim fuerunt universæ Ecclesiæ Doctores & Pastores, omnes habuerunt plenitudinem potestatis, sed non eodem modo & in eodem gradu; nam Petrus habuit tanquam Pastor *Ordinarius*, cui perpetua convenit successio, cùm Ecclesia semper indigeat summo Pastore & Capite; at cæteri tanquam legati ad dies vitæ, & ut extraordinarii, quibus in plenitudine potestatis & jurisdictionis non succeditur; siquidem *legati* munus naturaliter extinguitur cum vita legati.

Dices. S. Augustinus de agone Christiano c. 30. ait: *cùm Petro dicitur, ad omnes dicitur: pasce oves meas*; ergo Petrus non debet anteponi cæteris. R, Antequam hoc diceret S. August. præmisit hæc: *non sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus, huic enim Ecclesiæ claves Regni Cælorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt. Et cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, pasce oves meas.* Si Petrus pro omnibus sustinet personam Ecclesiæ Catholicæ, utique in hoc eminet & præfertur omnibus Apostolis: Petrum enim gessisse personam Ecclesiæ *propter Apostolatûs sui Primatum*, & ut Caput, declarat idem S. Doctor in Jo. tr. 124. Igitur cæteris non in eodem gradu dictum est, *pasce oves meas*: sed Petro in gradu sublimiori; alioquin quilibet Parochus, cùm sit etiam Pastor ovium Christi, & ipsi aliquatenus dictum sit, *pasce oves meas*, tantam haberet auctoritatem pascendi oves, quantam habuit Petrus: quod S. Aug. nunquam cogitavit; alias non 17.

inter-

inter hæreſes reputâſſet hanc Aërij propoſitionem hæreſi 53. *Preshyterum ab Epiſcopo nullâ differentiâ debere diſcerni.*

Urgebis: Omnes Apoſtoli æquè ac Petrus miſſi ſunt in mundum univerſum ad docendum; imò æquè erant pleni Spiritu S. ita ut non indigerent Moderatore & Gubernatore Petro: ergo. R. Miſſi ſunt, ſed non *æquè*, hoc eſt, cum pari poteſtate & jurisdictione: nam Petri poteſtas erat ordinaria, illorum tantùm quaſi delegata, ſine perpetua ſucceſſione. Apoſtoli reliqui quoad ſuas perſonas erant quidem pleni Spiritu S. & non indigebant Gubernatore Petro quoad docendum infallibiliter; tamen quia reliquorum Apoſtolorum Succeſſores futuri erant fallibiles, & indigentes Moderatore, ſupremo Capite ac Paſtore, ſine cujus cura in infinitas abituri eſſent Sectas; ſubordinatio ſub uno ſupremo Paſtore jam inſtituta eſt in Apoſtolis, quia poſteris illa futura erat neceſſaria; qualis enim Eccleſiam regendi forma erat futura uſque ad finem Mundi, talem decebat eſſe in ipſo ejus exordio.

§. III.

D. Petrus habere debuit aliquos Succeſſores in Primatu, & ſupremo Pontificatu.

18. PRobatur 1. Chriſtus Eccleſiam ſuam non inſtituit pro brevi aliquo tempore, quo vixit S. Petrus, ſed duraturam uſque ad finem mundi, ut vel Adverſarij fateri debent: ergo pro omni tempore futuro debuit ipſi providere de aliquo ſupremo Capite, & Rectore Univerſali: ergo D. Petrus habere debuit aliquos Succeſſores in Primatu, ſeu ſupremo Pontificatu, ac munere Paſtorali. Siquidem Eccleſia poſt tempora Chriſti & S. Petri non minùs indiguit, ſempérque indigebit ſupremo Capite, & Rectore Univerſali; cùm ſemper poſſint oriri hæreſes, & controverſiæ fidei, quæ ſine ſupremo Judice dignoſci & decidi nequeunt, & cùm oves ſemper indigeant Paſtore, ſubditi Rectore, diſcipuli Magiſtro &c.

Prob. 2. Ijs argumentis, quibus ſuprà oſtendimus, regimen Eccleſiæ eſſe Monarchicum; Eccleſia enim ſemper durare debet uſque ad finem Mundi. 19.

Confirmatur 1. In Synagoga fuit perpetua ſucceſſio ſummorum Pontificum ab Aarone uſque ad ejus finem tempore Chriſti: ergo & Eccleſia Chriſtiana habere debet, ne ſit deterioris conditionis. 2. Eccleſia debet regi poſt tempora Chriſti & Petri, quo modo regebatur ſtatim initiò; aliàs non eſſet nunc eadem Eccleſia, quæ olim; nam mutatâ formâ regiminis mutaretur & ipſa: ſed initiò regebatur ab uno Capite Chriſto, poſtea D. Petro, Chriſti *Vicario* (non *Succeſſore*, nam Chriſtus ipſe nunquam deſinit gubernare ſuam Eccleſiam per influxum gra-

tiæ internum, & assistentiam, quam præstat suo Vicario) 3. Ecclesia est ædificata super Petrum tanquam fundamentum: ergo ne subtracto fundamento ruat Ecclesia, debet fundamentum perpetuò durare in Petri Successoribus.

20. Ob. In Scriptura S. non fit ulla mentio de Successore Petri: ergo nullus fuit. R. Quamvis explicitè nulla fiat mentio, tamen per claram consequentiam indè deducitur, cùm Scriptura dicat, Portas inferi nunquam prævalituras adversùs Ecclesiam, Ecclesia autem non possit esse acephala seu sine Capite, ut monstravimus. Unde ea, quæ Petro tanquam Vicario Christi dicta leguntur, etiam intelligenda sunt de ejus Successoribus. Dices: ergo etiam hoc intelligendum est de Papa, quando Christus ad Petrum dixit: *vade post me Sathana.* R. N. illatum; quædam enim dicta sunt Petro, ut est persona privata, quædam verò ut est persona publica & Ecclesiæ Caput, uti: *confirma fratres tuos, pasce oves meas* &c. Illa non spectant ad Successores, bene tamen ista.

§. IV.

Romani Pontifices fuerunt, & adhuc sunt illi Successores D. Petri in Primatu, & supremo totius Ecclesiæ Regimine.

21. PRobatur 1. Debuit semper & adhuc debet aliquis succedere D. Petro in supremo totius Ecclesiæ Regimine, ut patet ex §. præcedente: sed hactenus non successit, nec hodie succedit alius, quàm Romani Pontifices: ergo isti fuerunt, & adhuc sunt illi successores D. Petri &c. *Minor* probatur partim negativè, partim positivè: *Negativè* quidem, quia nullus alius fuit unquam agnitus pro Successore D. Petri in supremo totius Ecclesiæ Regimine; quamvis enim Episcopi Antiocheni successerint D. Petro in *Episcopatu* Antiocheno, non tamen successerunt in *Pontificatu*; quia S. Petrus, quamvis fuerit etiam Episcopus particularis Antiochenus, tamen Pontificatum non ibi fixit, sed postquam deseruit Ecclesiam Antiochenam, & sedem fixit Romæ, secum transtulit Pontificatum, cúmque reliquit in Sede Romana, quam evexit ad dignitatem Pontificiam. Unde eadem *Minor* probatur etiam positivè: ille succedit Petro in Pontificatu seu in supremo Regimine, qui succedit in illa Cathedra, quam Petrus ad Pontificatum evexit, & quam Petrus moriens tenuit; sed in hac Cathedra succedunt, sempérque successerunt soli Romani Pontifices, quia Petrus in fine vitæ fuit Episcopus particularis Romæ, & simul universalis Pontifex totius Ecclesiæ; nam ante mortem nunquam deposuit Pontificatum, seu supremum ac Universale Regimen. Et hæc utique causa fuerit, quòd Episcopo Romano semper primas dederit Antiquitas,

tas, non Antiocheno, non Alexandrino; quæ duæ Ecclesiæ, utpote etiam à D. Petro fundatæ, semper habitæ sunt *Patriarchales* in honorem D. Petri: ad quam dignitatem primùm evecta est successu temporis Jerosolymitana, & Constantinopolitana ex quodam privilegio.

22. Probatur 2. ex auctoritate, quam Romani Pontifices semper exercuerunt non tantùm in fideles qualescunque, sed etiam in Episcopos per reliquum Orbem existentes. Nam 1. Romani Pontifices statim post obitum S. Petri pro alijs Nationibus, sicut & ipse Petrus, ordinârunt, constituerunt, vel confirmârunt saltem Episcopos, uti & hodiedum confirmant; sic Linus, & Clemens, singuli leguntur ordinâsse 15. Episcopos, utique non tot pro Urbe, & ditione Romana. 2. Deposuerunt Episcopos malè pascentes, alios verò à suis subditis iniquè dejectos restituerunt; sic teste Bellarmino deposuerunt omnino octo Patriarchas Constantinopolitanos. 3. Leges dederunt alijs Episcopis, uti S. Leo Episcopis Campaniæ, Piceni &c. & plenum est Corpus Juris Canonici legibus & ordinationibus Romanorum Pontificum pro omnibus mundi diœcesibus. 4. excommunicârunt personas Augustas, Regias, Archiepiscopos, Episcopos: sic Victor I. excommunicavit omnes Episcopos Asiaticos, eò quòd nollent acquiescere Decreto de celebratione Paschatis. 5. ad Romanos Pontifices, tanquam ad supremos Judices, fuit semper appellatum, ab ipsis nunquam fuit permissa appellatio ad alium Episcopum, ut adeò Concil. Rom. Generale VIII. sub Adriano II. ferè per totum doceat, præsertim in libello supplici ad Hadrianum Papam, & can. 13. Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicâsse, de eo verò quemquam judicare non posse. 6. damnârunt ortas hæreses, & præsederunt Concilijs: sic Cornelius Episcopus Romanus in Conc. Rom. anno 254. damnavit hæresim Novatianorũ, & ejus in Pontificatu Successor Stephanus reprobavit Concil. Chartag. & anno 258. contra S. Cyprianum aliósq; Episcopos Africanos definivit, baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos. Vid. Baron. ad annum 258. Unde

23. Prob. 3. Ex perpetuo & communi sensu fidelium, Conciliorum Generalium, SS. PP. & Imperatorum Christianorum. Concilium Nicænum, ex Generalibus primum, can. 39. p. 356. edit. Colon. jam sic declaravit: *ille, qui tenet Sedem Romæ, (aput & Princeps est omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi D. N. super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicunque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* Arrigite aures & animum ô Sectarij, Et Romanum sub Adr. II. cit. act. 3. *Retro, olimque semper, tùm hæreses & scelera pullularent, noxias illas herbas & zizania Apostolicæ Sedis (Romanæ) successores exstirpârunt.* S. Optatus Milevit. l. 2. contra

Par-

Parmenianum ait: *negare non potes, scire te, in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus &c. Petro successit Linus, Lino Clemens &c.* S. Athanas. in ep. ad Marcum Papam scribit: *optamus, ut à vestræ sanctæ Sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est Mater & Caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium percipere &c.* Ex Imperatoribus Valentinianus in ep. ad Theodos. quæ habetur inter præambulas Conc. Chalced. sic scripsit: *Debemus dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes Antiquitas contulit, locum habeat de fide & sacerdotibus judicandi.* Et ante hunc Constantinus M. *Romæ Principatum Sacerdotum, & Religionis Caput ab Imperatore Cœlesti constitutum esse.* Vid. Acta Concilij Nicæni. Græcorum epistolæ in Conc. Chalced. Leonem Episcopum Romanum jam sæculo V. appellârunt *Sanctissimum & Beatissimum Universalem Archiepiscopum.* Accedat testimonium ex ore inimici. Calvinus l. 4. Inst. c. 7. s. 5. ita fatetur: *nullum fuit tempus, quo non Romana Sedes imperium in alias Ecclesias appetierit*: ergo etiam primi, & (juxta Adversarios etiam) sancti Pontifices Romani judicârunt, sibi ex institutione Christi competere imperium; aliàs utique non appetivissent.

Jam scisciter ex te, Lutherane, Calvinista, aut quisquis Romano Pontifici Primatum & supremam ac universalem in omnes fideles potestatem negare audes: potéstne esse credibile prudenter, Episcopos, & Principes Christianos, SS. Patres, Doctores, Pastores, sanctissimos quosque, & Christi fideles omnes (exceptis iis tantùm, quos tu etiam inter hæreticos numeras) ita olim fuisse fascinatos, ut ab uno Episcopo Romano paterentur se mitti sub jugum, eum venerarentur tanquam Christi Vicarium, ejúsque sententiam circa res fidei & morum adorarent ut oraculum, idque tot sæculorum decursu, in tanta hominum varietate &c. nisi divinô magisteriô edocti ex gravissimis causis cognovissent, Romanos Pontifices esse successores D. Petri in Primatu & regimine supremo totius Ecclesiæ?

24. Quæres 1. An Romanorum Pontificum successio in Primatu Petri sit Juris Divini? R. 1. D. Petrum habere semper aliquos in Primatu successores *Jure Divino* seu ex ordinatione Christi, certum est & de fide. R. 2. pariter certum esse, quòd hactenus nullus alius successerit in suprema & Universali Ecclesiæ gubernatione seu in Primatu Petri, quàm Episcopi Romani. Clarent hæc ex dictis. An verò Pontificatus ita annexus sit Jure Divino Episcopatui *Romano*, ita ut alius Episcopus v. g. Colonienfis, Augustanus &c. eligi non possit in summum Pontificem, certum non est esse de fide; R. tamen 3. id esse probabilius; quia SS. PP. & Concilia *Romanum Pontificem* absolutè vocant Christi Vicarium ex institutione

tione Christi; nam Marcellus I. in ep. ad Antiochenos scribit, *jubente Domino* Petrum Antiochiâ Sedem transtulisse Romam. Et Concil. Lateran. sub Innoc. III. can. 5. Ecclesiam Romanam appellat *disponente Domino* fidelium omnium Matrem & Magistram. Aliud verò Lateranense sub Julio II. ait, Ecclesiam Romanam *Divina institutione* obtinere Primatum. Accedit, quòd in formula Professionis fidei facta à Pio IV. (utique etiam pro futuris sæculis) profitemur, *Romanam* Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem esse, & *Romano* Pontifici obedientiam spondemus. Et certè nisi fideles judicâssent, Sedem Pontificiam esse annexam Romæ Jure Divino, non tam constanter hunc summum honorem, quem tamen aliæ Sedes, præsertim Constantinopolitana, avidissimè ambiebant, Episcopo Romano detulissent, etiam inter gravissimas persecutiones Imperatorum Gentilium (qui Romæ per 300. ferè annos residebant) Hunnorum, Wandalorum, Longobardorum &c. Romam exscindere & Romanos Episcopos delere totis viribus conantiū.

Quæres 2. Qualis requiratur electio,
25. ut aliquis sit legitimus Episcopus Romanus, & consequenter Summus Pontifex? R. Jure Divino nihil est determinatum circa modum eligendi, sed relictum id est Ecclesiæ. Unde factum, ut Pontifices diverso modo fuerint electi. Nunc eliguntur à Cardinalibus, ita ut post Alexandrum III. in unum conspirare debeant duæ tertiæ suffragiorum. v. g. ex 60. Cardinalibus 40. conspirare debent in unum. Cæterùm primæ electioni, à Cardinalibus (vel quibuscunque) factæ succedere debet altera, scilicet acceptatio totius, vel ferè totius Ecclesiæ; quod fit, quando vel nemo contradicit electioni factæ, vel tantùm pauci, iique tam levis auctoritatis, ut prudenter dubitari non possit, quin à reliquis omnibus fidelibus approbanda sit. Quæ acceptatio est quasi confirmatio electionis primæ, aut potiùs altera & absoluta electio, quæ supplet omnem defectum Juris Humani, ita ut contra Pontificem taliter acceptatum nulla possit fieri exceptio circa impedimentum Juris Humani. Utrùm autem sit *Articulus fidei*, Pontificem taliter acceptatum, non laborare impedimento *Juris Divini*, & esse *verum* Pontificem, & non tantùm putatitium, controversia est etiam inter Catholicos Doctores. Plures probabilissimè affirmant, præsertim Doctores nostræ Societatis. Id saltem de fide est juxta omnes, quòd Pontifex taliter acceptatus sit *infallibilis*, si aliquid definiat, etiamsi contingere posset, ut tantùm putatitius esset. Spectabit igitur ad Providentiam Divinam non permittere, ut aliquis à tota Ecclesia acceptetur pro vero Pontifice, qui tamen non sit mas, aut baptizatus, aut alio impedimento Juris Divini laborans: aut si hoc permittere possit, impedire debet, ne aliquid definiat pro articulo fidei: aut si etiam hoc fortè permittere possit, debet ipsum reddere infallibilem circa ejusmodi definitionem, ne scilicet in errorem inducatur tota Ecclesia, quæ tenetur sequi doctrinam summi Pontificis, quem putat bona fide esse legitimum.

Solvuntur Objectiones.

26. Ob. 1. S. Petrus nunquam fuit Romæ, saltem Episcopus: ergo Pontificiam Sedem non fixit Romæ: ergo Romani Episcopi non sunt ejus Successores. A. prob. tum quia in SS. Litteris nihil legitur de profectione Romana Petri, tum quia Auctores non conveniunt de tempore, quo Petrus venerit Romam, tum quia Paulus longissimam scripsit epistolam ad Romanos, quod necessarium non fuisset, si Petrus fuisset Romæ; aut saltem Paulus per suam epistolam, quam scripsit ad Romanos, salutâsset Petrum: ergo.

R. N. A. D. Petrum vixisse & mortuum esse Romæ Episcopum tam communis semper fuit omnium Historicorũ, SS. Patrum & fidelium sensus, ut non minùs impudens ac stultus censeri potuerit, qui negâsset, quàm qui negaret, Julium Cæsarem exstitisse Romæ, & quidem primum Imperatorem; aut Lutherum exstitisse Wittenbergæ, & defecisse à fide Catholica. Audiatur unicus Eusebius in Chronico, Anno 44. ubi sic scribit: *Petrus natione Galilæus Christianorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochenam Ecclesiam fundâsset, Romam profiscitur, ubi Evangelium prædicans 25. annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat.* Eundem venisse Romam, & ibi crucifixum esse claris terminis dicit ad finem l. 2. & ad initium l. 3. Hist. Eccles. Non obstante autem hac universali Patrum & Doctorum, quorum ferè ducentorum verba adducit Jodocus Coccius to. 1. l. 7. a. 5. conspiratione Lutherus, Calvinus, Velenus, & hujus farinæ Novatores dubitare aut negare cæperunt; quo fundamento? audite oraculum Lutheri ex tripode: *Omnes historiæ testantur, Petrum primum fuisse Romæ Episcopum, sed meræ sunt fabulæ.* Colloq. Mens. de Antich. Ad probationem dico, argumentum negativum, ab auctoritate peritum, vanum esse, præsertim si adsint graves rationes in contrarium. Utique enim nihil valet hæc argumentatio: Matthæus non meminit Circumcisionis Christi ergo Christus non fuit circumcisus: Gentiles Scriptores nihil meminerunt de Divinitate aut Miraculis Christi; ergo hæc vera non sunt: SS. Litteræ nihil meminerunt de Luthero; ergo Lutherus non exstitit. Possunt hæc & similia utique innotescere aliunde factis. Auctores non discrepant in ipsa re, sed tantùm de circumstantia temporis, quo anno nimirum Petrus venerit Romam; quod substantiæ nihil obest. Sicut nemo propterea in dubium vocat, num Christus sit mortuus in cruce, licèt de tempore sit lis inter Auctores, utrùm nempe 16. vel 18. anno Tyberij id factum sit. Dum Paulus epistolam scripsit ad Romanos, vel Petrus tunc Romæ fuit absens physicè, constituens varias Ecclesias, quod sæpius contigit, vel ipsi Paulus speciales litteras dedit, ut aliqui volunt: fuit igitur causa scribendi ad Romanos, & causa non salutandi Petrum in hac epistola. Denique S. Petrum fuisse Romæ, & ibi suam pri-

primam epistolam scripsisse, colligitur ex hac ipsa Petri epistola, quia in ea legitur: *salutat vos Ecclesia, quæ in Babylone collecta est*; nam per Babylon intelligitur Roma figuraliter, ut testatur Papias Apostolorum discipulus apud Eusebium l. 2. Histor. c. 15, cui consonat Apocalypsis, in qua Urbs Romana, qualis erat tempore S. Joannis, nimirum Ethnicis superstitionibus turgida, præsertim c. 17. dicitur Babylon, quam idem S. Joan. ruituram prædixit, nempe quoad Imperium temporale, & Gentilismum.

27. Ob. 2. Successio Romanorum Pontificum non est adeò certa: ergo. Ant. prob. 1. quia nescitur, quis fuerit immediatus Successor D. Petri, dum alij ponunt Linum, alij Clementem. 2. quia multi Episcopi Romani fuerunt simoniacè & invalidè electi, aut violenter intrusi. 3. quia per 74. annos, quibus summus Pontifex residebat Avenione in Gallijs, scilicet à Clemente V. usque ad Gregorium XI. Romæ nullus fuit Episcopus 4. quia subinde duo aut omnino tres simul fuerunt Pontifices Romani, uti contigit in schismate illo omnium maximo, quod cæpit circa annum 1380. & duravit usque ad Concil. Constantiense ferè per 40. annos, in quo Concilio demum sublatum est.

R. N. Ant. Ad probationem 1. dico iterum, non esse incertum aut controversum apud Auctores, an aliqui, & quidem Romani Pontifices successerint D. Petro, neque lis est, an aliquis immediatè successerit Petro, in quo omnes conspirant; sed tantùm de tempore, utrùm prior Clemente fuerit Linus, ut nobis videtur; quæ lis non est de rei substantia. Ad 2. vel ejusmodi Pontifex illegitimè electus aut intrusus postea fuit acceptatus ab Universa Ecclesia, vel non? si prius, uti sæpius factum est, cùm Ecclesia judicaverit, melius sibi esse habere Caput etiam malè constitutum, quàm nullum, & tunc factus est legitimus Pontifex per hanc ultimatam electionem: si posterius contigisset, Sedes Pontificia fuisset vacua usque ad novam electionem. Ad 3. Pontifices in Gallia residentes fuerunt veri Episcopi & Pontifices *Romani*, cùm non sit de essentia Episcopalis jurisdictionis residentia personalis. Nec alius interea electus aut habitus est pro Episcopo *Romano*, quàm Ponntifex Avenione existens. Ad 4. In ejusmodi mœstis schismatum casibus fuit semper unus verus Pontifex, licèt non omnibus satis cognitus; si autem nullus re ipsa esset verus, Sedes censeretur vacare. Cæterùm non est obligatio obediendi Pontificibus *dubijs*, nec eorum acta valent, nisi confirmentur à Successore Pontifice certo. Neque illi, qui aliquem habent pro Pontifice opinione probabili, qui tamen re ipsa non est Pontifex, falluntur in aliquo fidei articulo, cùm de fide non sit, Papam *dubium* & *probabilem* esse verum Papam.

28. Ob. 3. Pontifices Romani splendent divitijs, & ingenti incedunt pompa: ergo non sunt Successores D. Petri, qui fuit pauper & humilis. 2. Aliqui Pontifices Romani fuerunt valdè scelerati: ergo non fuerunt Successores D. Petri.

3. Aliqui etiam lapsi sunt in hæreses: utique autem homo hæreticus non potest esse Pastor & Rector verè fidelium.

R. ad 1. externus apparatus, & gloria Romanorum Pontificum, est res per se indifferens, neque successionem impedit, aut officium Pastorale variat. Imò opulentia, splendor, & potentia, tantæ pèrsonæ conveniens, plurimùm prodest ad retundendos Ecclesiæ inimicos; & sicut initiò Christus pauperem Ecclesiam medijs supernaturalibus, miraculis, martyrijs &c. defendit & propagavit, ita postmodum placuit ipsi eam defendere & propagare adminiculo mediorum naturalium, faciendo illam gloriosam, opulentam, potentem: quæ potentia si abfuisset in Episcopis Germaniæ, pridem hæreticorum avaritiæ in prædam cessissent adhuc plures ditiones & Episcopatus. Quid multis? Opulentiam & gloriam Ecclesiæ Christianæ, quæ utique maximè splendere debet in Capite, prædixerunt Prophetæ, uti Isaias 49. *Et erunt Reges Nutritij tui, & Reginæ Nutrices tuæ; vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Ad 2. Christus nullibi legitur Officium Pastorale alligâsse sanctitati Personæ, sicut valorem Sacramentorum non alligavit probitati Ministri. An Rex, si peccet, desinit esse Rex? Nunquid Christus hortatur suos, ut *quæcunque* mali Superiores *super Cathedram Moysis* (Petri) sedentes *dixerint, facerent, non autem secundùm opera eorum*? Mat. 23. Itaque scelerati Pontifices non quidem sunt Successores Petri & Vicarij Christi quoad exactam vitæ sanctimoniam; sunt tamen quoad potestatem Apostolicam. Ferè sicut sceleratus Sacramentorum Minister, quamvis vitam ducat Apostolis, primis Sacramentorum Ministris, valde difformem, retinet tamen eandem potestatem conferendi Sacramenta, quam habuerunt Apostoli, & habent Ministri sancti, ut nec Adversarij negant. Item sicut Princeps sæcularis non amittit potestatem *Civilem*, licèt vitam ducat sceleratam & *civilibus* moribus non honestam. Cæterùm fuerunt valde pauci Pontifices scelerati in tanto numero Sanctissimorum & laudatissimorum Præsulum; & plurima ipsis affinguntur ex odio aut invidia ab hæreticis, & malevolis. Ac insuper hi ipsi Pontifices, quos apertè culpamus propter sua scelera, meliores tamen fuere, quàm Auctores adeóque optimi Lutheranorum, Calvinistarum &c. quia nullus ex ijs paucis Pontificibus, qui peccato luxuriæ v. g. infames erant, contra votum Religiosæ & perpetuæ Castitatis publicas nuptias celebravit, nullus suas turpitudines approbavit, & potestatem concessit violandi vota Castitatis, atque ad id alios animavit; uti tamen fecere impiissimi Lutherus & Calvinus, eorúmque asseclæ, qui inter primipilos habentur à Sectarijs. Cur hæretici semper eructant turpem pauciſſimorum Pontificum vitam, & dissimulant 34. Martyres, 42. Confessores, publico Ecclesiæ judicio *Sanctis* annumeratos, & plerosque alios saltem bonos & laudabiles? scilicet delectantur sordibus. Etiamsi sedens super Cathedram Petri malus sit, tamen officium est sanctum, & ipse

permanet

permanet esse Successor D. Petri, & rectè vocatur *Sanctissimus* ratione Officij, quod gerit. Ad 3. Vel Deus nunquam potest permittere, uti hactenus probabiliter nunquam permisit, ut Pontifex, etiam ut homo privatus, cadat in hæresim, ut cum Bellarm. docent multi, vel si permitteret Deus, ita ut esset notorie hæreticus & contumax, talis Papa desineret esse Papa, & Sedes Pontificia inciperet vacare, sicut per mortem naturalem Pontificis contingit. Si verò esset hæreticus occultus, nihil obesset Ecclesiæ; Deus enim nunquam permittere posset, ut suam hæresin proponeret Ecclesiæ tanquam articulum fidei.

29. Ob. 4. Paulus loquens de potestate Principum Sæcularium dicit: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; ergo etiam Pontifex Romanus: ergo ipse non est supremus Dominus & Gubernator omnium fidelium. 2. Leo IV. Papa petijt à Ludovico Imperatore Judices, quibus se obtemperaturum promisit. 3. Adrianus I. Carolo M. Leo VIII. Ottoni I. concessit jus eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem Apostolicam. 4. Varij Imperatores deposuerunt Pontifices, & alios substituerunt, nominatim Henricus IV. dejecit Benedictum X. & substituit Nicolaum II. Ergo non Pontifices Romani, sed potiùs Imperatores habent supremam in Ecclesia potestatem. 5. Ipse Paulus Act. 25. *appellavit ad Cæsarem.*

R. ad 1. Paulus ibi non loquitur determinatè de potestate Sæculari, sed generaliter de omnibus Superioribus, inter quos summus omnium est Papa: exemplum quidem subjungit de Principe Sæculari, quia Christiani tunc erant accusati alicujus criminis Politici, scilicet seditionis. Ad 2. Leo IV. se tantùm subjecit judicio Imperatoris *discretivo*, quod exercetur sine jurisdictione, non *coactivo*. Ad 3. Adrianus & Leo Imperatori solùm concesserunt facultatem confirmandi electionem Pontificis per *defensionis* assistentiam, non per *jurisdictionis* potestatem; quia tunc indigebat Sedes Apostolica præsidiò & auxiliò Imperatorum contra Longobardos & alios hostes. Si per potestatem jurisdictionis arrogâssent sibi Imperatores aliqui Pontificem confirmandi auctoritatem, iniquè fecissent; idque ipsis à nullo Pontifice concessum est, nec concedi potuit. Ad alterum, quod additur, dico, non nisi in *temporalibus* permissum fuisse Imperatoribus *ordinare* Ecclesiam Romanam. Ad 4. Illi Imperatores, qui attentârunt deponere Papas, omnes iniquè & impiè egerunt, præsertim Henricus IV. Cur Adversarij non etiam adducunt exemplum Neronis, D. Petro claves cum vita extorquentis, & sic generosâ consequentiâ inferunt, Reges & Pontifices subjici Parricidis? Interim tamen ex Imperatoribus Otto I. & Henricus III. aliquo modo excusantur, quorum prior Joannem XII. sceleratum & intrusum Pontificem piò quidem Zelò, sed non secundùm scientiam, deposuit, alter verò Gregorium VI. non deposuit, sed persuasit, ut sponte cederet. Ad 5. Paulus appellavit ad Cæsarem tanquam ad *Defensorem* contra vexationes Judæorum, non tanquam ad Judicem competen-

tem: appellavit ad Tribunal Cæsaris tanquam ad asylum, non tanquam ad *forum Judiciale*. Vel appellavit de facto, non de Jure; quia alium Judicem non agnoscebant ejus Accusatores.

30. Ob. 5. Gregorius M. quem etiam Calvinus & alijex Adversarijs *Sanctum* appellant lib. 2. ep. 61. Imperatorem vocat Serenissimum Dominum suum, se verò indignum ejus servum: & obedientiam ei se debere ingenuè fatetur. 2. Idem S. Pontifex titulum *Oecumenici* seu *Universalis* Episcopi acriter improbat l. 6. ep. 30. ubi sic ait: *ego fidenter dico, quia quisquis se Universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Anti-Christum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* 3. In Conc. Nicæn. can. 8. sic habetur: *constitutum est, ut Episcopus Ægypti, id est, Patriarcha Alexandrinus præsideat, & habeat potestatem totius Ægypti, quia sic convenit, & quia similiter Episcopus Romæ, id est, Successor Apostoli Petri potestatem habet omnium civitatum & locorum, quæ sunt circa eam, ac similiter Episcopus Antiochenus, id est, Patriarcha potestatem habet provinciarum illius totius*: ergo Episcopus Romanus non habet Primatum in omnes fideles, Episcopos, & Imperatores.

R. ad 1. S. Gregorius ex speciali submissione & humanitate id fecit, sicuti teste Joanne Diac. l. 4. vitæ c. 58. omnes Sacerdotes *fratres*, omnes Clericos *filios*, & omnes Laicos vocabat *domines* suos; quis autem dicat, eum in his agnovisse aliquam Superioritatem & jurisdictionem erga se. Pariter dum preces & petitiones Imperatoris ex humilitate accipiebat tanquam mandata, quibus obedire voluit, non agnovit in Imperatore aliquam potestatem imperandi propriè dictam: sic & defacto sæpe profitemur nos obedituros illis, qui tamen imperare nobis non possunt. Nam Gregorius erat *pastor*, Imperator *ovis*, nec id Gregorius ignoravit, nec tacuit; nam l. 4. ep. 31. etsi servum Imperatoris se dicat, tamen addit, Imperatorem debere reverentiam Sacerdotibus exhibere: quod certè non Superioris, sed Inferioris est. Interim Gregorius causam habuit tam humiliter loquendi & scribendi Imperatori; cùm iste ex permissione Divina suæ potestatis jura transcendens nimium sibi tribueret in Ecclesiam, & Ecclesiæ Præsules, ex altera verò parte Gregorius valde indigeret ope ac amicitia Imperatoris adversùs Longobardos Ecclesiæ acerrimos hostes. Deinde illis temporibus etiã Imperatores aliqui, ut dixi, nimiã sibi auctoritatem in Romanum Pontificem arrogabant: nam postquam Herulorum & Italiæ Reges, cumprimis Odoacer, & Theodoricus Arianus, turbare cæperunt electionem liberam Romani Pontificis, postmodum Reges Gothorum, & tandem malum exemplum pari tenore secuti sunt Imperatores Romani, cumprimis Justinianus, qui electos Pontifices tyrannicè coëgerunt confirmationis titulo certam pecuniæ summam dissolvere: quam tamen prætensionem velut iniquam rursus abrogârant alij Imperatores, nempe Constantinus

tinus Barbatus, Ludovicus Pius &c. Et cùm postea anno circiter 963. Otho Magnus ejúsque filius junior has tricas denuo suscitarent, rursus eas abrogavit S. Henricus ex Duce Bavariæ Imperator. Et hæc Imperatorum arrogantia & vicissitudo multas turbas ac bella inter Pontifices ac Imperatores suscitavit, cum Imperatores suos clientes per vim intrudebant, quos recusabat Clerus Romanus; donec tandem Cardinalium Cœtus prævaluit circa annum Christi 1143. liberè eligendo Cœlestinum II.

Ad 2. Gregorius improbat titulum *Universalis* in illo, cui non competit, & qui ex ambitione eum sibi tribui contendit, uti fecit Episcopus Constantinopolitanus Joannes, quem propterea reprehendit. Pro se autem & in se non admisit hunc titulum, quamvis competentem, partim studio humilitatis, partim quia hic titulus intelligi potest in aliquo sensu falso, nimirum in hoc, quasi ille, qui *Universalis* Episcopus dicitur, esset solus Episcopus, adempto alijs omnibus honore & nomine Episcopali: in quo sensu l. 4. ep. 38. ad Mauritium Imp. ait, nullum Romanorum Pontificum usurpâsse nomen Episcopi Universalis. In quem sensum alibi dicit: *si unus Universalis est, restat, ut vos Episcopi non sitis.* Interim quantùm Gregorius titulum Universalis ex allatis causis renuit, tantùm re ipsa in se agnovit potestatem Universalem, & se gessit pro Episcopo Universali, vel potiùs Universalis Ecclesiæ, seu pro supremo Capite omnium Episcoporum. Siquidem hanc supremam potestatem & Primatum exercuit in Episcopos Siciliæ l. 2. indict. 10. ep. 4. in Episcopos Africæ ep. 32. in Episcopos Galliæ l. 7. indict. 2. ep. 112. in Episcopos Dalmatiæ l. 5. ep. 26. in Episcopos Hispaniæ l. 11. ep. 50. in Episcopos Græciæ l. 5. ep. 7. ubi significat Episcopis Epiri, *se cuncta privilegia Andreæ Episcopi confirmâsse, quæ prædecessores* (Romani Pontifices) *ejus prædecessoribus contulerunt.* Et l. 7. ep. 63. ad Joannem Episcopum Syracusanum sic scribit: *de Constantinopolitana Ecclesia* (quæ tamen omnium maximè se subtrahere moliebatur jurisdictioni Romani Episcopi) *quis eam dubitet Apostolicæ Sedi esse subjectam? quod & Dominus pijssimus Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem civitatis Episcopus assidue profitetur.* Denique idem Gregorius non tantùm exercuit Primatum in totam Ecclesiam, sed eundem clarè asseruit: nam l. 7. indict. 2. ep. 69. ait: *Sine Apostolicæ Sedis authoritate atque consensu nullas, quæcunque acta* (in Synodo) *fuerint, vires habent &c. Si quis sententiæ nostræ aliqua in parte neglexerit, a B. Petri Apostolorum Principis pace se noverit segregatum.* Et in Psal. 4. Pœnitentialem: *Simoniacus Rex in tantum suæ temeritatem extendit vesaniæ, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in Domina Gentium terrenæ jus potestatis usurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc B. Petro Apostolo specialiter commisit, dicens: Tibi dabo Ecclesiam meam.* Vid. Serrarius à p. 372. Demum in epist. de privil. concesso Monasterio S. Me-

S. Medardi clarè pronuntiat: *hæc Sedes Romana speculationem suam toti Orbi indixit, & novas constitutiones omnibus mittit.* Nunquid hæc *Universalem* potestatem indicant? Ad 3. Ibi solùm declaratur, Episcopum Romanum non tantùm in districtu Romano suæ diœceseos particularis esse Episcopum, sed etiam esse Archiepiscopum & Patriarcham pro certo districtu, scilicet pro *Occidente*: cum quo Patriarchatu, cui similis erat Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Jerosolymitanus, stat simul potestas Universalis in totam Ecclesiam competens ipsi tanquam Capiti à Christo constituto, & tanquam Pastori omnium Christi ovium; sicut cum Episcopatu stat dignitas & potestas Archiepiscopalis & Patriarchalis in inferioribus Papæ Episcopis.

31. Ob. 6. Circa annum Christi 850. inter Leonem IV. & Benedictum III. aliqua fœmina fuit Papa, dicta Joannes VIII. Sed hoc modo fuit interrupta successio Pontificum, & tota Ecclesia erravit acceptando Pontificem, impedimenta Juris Divini laborantem.

R. hæc est decantata fabula, tum quia Historici illius temporis, & valde vicini, qui tamen ex professo scribebant seriem Pontificum, ut Anastasius Bibliothecarius, Ado Viennensis, Rhegino Abbas, Otto Frisingensis, Abbas Urspergensis &c. nullam prorsus mentionem hujus rei faciunt, asserentes, post Leonem IV. statim intra paucos dies electum esse Benedictum III. Illi autem Historici, qui ex Catholicis de Papa fœmina meminerunt, primùm post aliqua sæcula vivebant, uti Mariannus Scotus, Sigebertus, & Martinus Polonus, qui insuper non pro certo asserunt, sed *dubiè*, adhibendo hos terminos, *dicitur*, *fama est*. Præterea isti Auctores in alijs rebus Historicis sæpe convincuntur errâsse vel ex simplicitate, vel ex fraude Schismaticorũ, Cæsari contra Pontificem nimis faventium, ut erat Card. Benno, vel à malevolis corrupti. Quibus plùs credendum? Tum quia in circumstantijs hujus fabulæ, per se incredibilibus, Adversarij sibi turpiter contradicunt, v. g. de hujus fœminæ nativitate, nomine, studijs, partu &c. Neque dicas, nostrum fundamentum negandi, quòd Papa fuerit fœmina, esse negativum ab auctoritate petitum, quod diximus inefficax esse. Nam non est purè negativum, sed simul etiam affirmativum, in quantum memorati Auctores synchroni scripserunt tale quid, cum quo stare non potest Papa Joannissa. Certè si fuisset hæc Papissa, debuissent illius mentionem facere, quia spectâsset per se ad historiam, cùm ex professo scripserint successionem Pontificum. Deinde etsi revera irrepsisset fœmina, tamen propterea non fuisset interrupta successio Pontificum, sed tantùm vacâsset Sedes per unum aut alterum annum, quibus præfuisse fingitur hæc fœmina. Præterea non est definitus fidei articulus, non posse irrepere Pontificem putatitium, impedimento Juris Divini laborantem. Denique cur Sectarij nobis objicere præsumunt fœminam Papissam, cùm tamen Calvinistæ in Anglia apertè agnoscant pro Capite Ecclesiæ suæ, & Lutherani mortuis Regibus & Electoribus &c.

Regi-

Regimen Ecclesiæ transferant ad superstites eorum Uxores ?

52. Ob. 7. Papa est Antichristus : ergo non est Successor D. Petri. Ant. prob. 1. quia Papa est valde superbus, & ostendit se tanquam Deum, se extollendo super Imperatores & omnem potestatem humanam. 2. Quia facit falsa miracula Laureti, Oettingæ Veteris &c. 3. Quia Suis imprimit characterem Antichristicum, scilicet per Unctionem in Sacramento Confirmationis. 4. Quia Papa sedet in *Templo Dei*, scilicet in Ecclesia Christi. Hæc enim sunt genuina signa Antichristi.

R. Vel Adversarij nomine Antichristi intelligunt illum Magnum, quem recipient Judæi Jo. 5. & tribus annis cum dimidio persequetur Ecclesiam Dan. 7. & Apoc. 12. quem Paulus vocat hominem peccati, non venturum, antequam dissolvatur & de medio fiat Romanum Imperium 2. Thess. 2. qui primùm veniet in fine Mundi Mat. 24. Qui negabit, Jesum esse Christum 1. Jo. 2. qui se asseret verum Messiam Jo. 5. qui coli cupiet pro Deo. 2. Thess. 2.? Et iste Antichristus *Magnus*, quem communiter intelligimus prolata voce *Antichristus*, evidenter non est Papa, tum quia Papa non est persona singularis, sed sunt plures continua successione, tum quia nihil ex signis hujus Antichristi convenit Romanis Pontificibus, cùm nullus neget Christum, nec ullus se dicat Messiam, aut Deum &c. Ut adeò non putem, ullum unquam fuisse hæreticum, vel Lutheranum, Calvinistam &c. adhuc ratione utentem, qui revera crediderit aut credat, Papam esse hunc *Antichristum Magnum*, pro quo eum haberi cupiunt ab imperita plebe. Vel nomine Antichristi intelligunt omnes illos, qui adversantur Christo, falsa docendo, ut fuerunt hæretici, aut Ecclesiam Christi persequendo, de quibus S. Joannes dicit : *nunc Antichristi multi sunt.* c. 2. v. 18 ? Et tunc non Papa, sed illi, qui ab Ecclesia egressi novam doctrinam tradunt (verbô omnes Apostatæ) Antichristi sunt, & appellantur à S. Joanne, quia statim post citata verba subjunxit : *ex nobis prodierunt* (ab Ecclesia defecerunt) *sed non erant ex nobis.* Nos non ex ipsis, sed ipsi prodierunt ex nobis, seu defecerunt. Si autem nomine Antichristi intelligant quosvis perversos homines, plures longè apud se Antichristos, magni illius Antichristi præambulones, reperient, quàm apud nos.

Ad probationem 1. Non ex superbia se ipsum extollit Papa supra Imperatores & omnem potestatem humanam, sed à Christo ita extollitur, utpote constitutus super omnes oves Christi, inter quas utique etiam numerari cupiunt Principes & Imperatores Christiani. Deum autem minimè se facit Papa aut Christum, quia hunc adorat tanquam unum verum Deum, cujus se Vicarium novit. Quare Adversarij eminentiam summi Pontificis interpretantur pro superbia, quam ipsi Christus contulit, & omnia malignè corradunt, quæ speciem elationis habent, dissimulantes interim cla-

clara humilitatis indicia. v. g. dum se vocat servum servorum Dei, dum pauperum lavat pedes & osculatur in Cœna Domini, dum visitat hospitales ædes &c.? Ad 2. Non Papa, sed Deus facit illa miracula ad intercessionem B. V. ad ejus statuas, quæ miracula nec falsa, nec illa sunt, quæ fictè patrabit Antichristus. Apoc. 13. Ad 3. Character Antichristicus erit sensibilis, omnibúsque ejus asseclis necessarius, ut emere possint & vendere &c. Apoc. 13. & 14. talis autem non est Unctio Chrismatis in Confirmatione, nec alius ritus Pontificius. Ad 4. Etiam D. Petrus sedit in Ecclesia Christi: an ergo & ipse fuit Antichristus? Deinde si Pontifex Romanus sedet in Ecclesia Christi, tunc Ecclesia Romana erit Ecclesia Christi: ergo Sectarij non sunt in Ecclesia Christi. Per *templum Dei* D. Paulus non intellexit Ecclesiam Christi, sed templum Jerosolymitanum, quod ad hanc impietatem restaurabitur, ut dicunt multi Interpretes in c. 9 Danielis.

33. Objciunt 8. iterum aliquorum Pontificum scelera (non enim facilè vel trium foliorum Scriptorem ex modernis Sectarijs reperies, qui non rimetur sordes, & vitam Pontificum fugillet, utique cùm desint argumenta solida) præsertim reos agunt Magiæ & Luxuriæ. Sed nullum ex omnibus Pontificibus, ne quidem Sylvestrum II. & Gregorium VII. quos maximè accusant, fuisse fædo *Magiæ* crimine infectum, ostendit Baronius, præsertim ad annum Christi 999. Quidquid dicat Benno pseudo-Cardinalis, juratus Romanorum Pontificum hostis, utpote ab ipsis depositus, & qui ab eo decepti perperam descripserunt. Pariter primis 900. annis nullus ex Romanis Pontificibus turpi *Luxuriæ* vitio contaminatus est, primúsque fuit Sergius III. quem postea ex omnibus vix ultra quatuor secuti sunt, de turpitudine convicti, qui tamen omnes vel intrusi vel aliàs non satìs legitimè electi erant, acceptati tamen postea ab Ecclesia, quæ judicabat, melius esse habere Caput, etiam tale, quàm nullum, vel incertum. Quanta autem hæc est gloria Romanæ Ecclesiæ, quòd tam pauci ex tanto numero, in tanta impunitate, in tanta proclivitate naturæ, huic vitio succubuerint! si Sectarij, eorúmque Præcones, uxoribus juncti, tamen sæpe deprehendantur adulterijs, incestibus, & alijs turpitudinibus contaminati: quid mirum, si in summa libertate constituti paucissimi quidam Principes Ecclesiastici, quibus nullum præter virtutem & timorem Domini remedium est conscientiæ, aliquando lapsi sint? Quorum tamen lapsus plurimorum Pontificum integerrima & sanctissima vita ita operit, ut nemo, nisi sit impudens filius Cham, turpitudinem Patris revelare ausit.

Ut autem videat Lector, quàm pauci exstiterint criminosi Papæ, placet eorum seriem, qua sibi succedebant, ex Bellarmino & alijs annectere, adjectâ singulis, qui ob publica scelera infames erant, hac nota O (ab Arithmeticis *nulla* dicta) ijs verò, qui mediocris vi-

tæ

tæ ac famæ, appositò infaustæ illius notæ dimidiò C. illis autem, qui boni fuerunt & laudabiles, litterâ L. denique Sanctis litterâ S. ut uno quasi intuitu cuilibet pateat ad oculum, quinam fuerint Sede Pontificia indigni Pastores, quinam mediocris sortis, quinam laudabiles & sancti.

SERIES
PONTIFICUM ROMANORUM.

Nota.	Nomen.	Tempus.
S.	Petrus.	34.
S.	Linus.	70.
S.	Cletus.	81.
S.	Clemens.	93.
	Sæculum II.	
S.	Anacletus.	103.
S.	Evaristus.	112.
S.	Alexander I.	121.
S.	Sixtus I.	132.
S.	Telesphorus.	142.
S.	Hyginus.	154.
S.	Pius I.	158.
S.	Anicetus.	167.
S.	Soter.	175.
S.	Eleutherius.	179.
S.	Victor I.	194.
	Sæculum III.	
S.	Zephyrinus.	203.
S.	Calliſtus I.	221.
S.	Urbanus I.	227.
S.	Pontianus.	233.
S.	Anterus.	238.
S.	Fabianus.	239.
S.	Cornelius.	254.
S.	Lucius I.	255.
S.	Stephanus I.	257.
S.	Sixtus II.	260.
S.	Dionyſius.	261.
S.	Felix I.	273.
S.	Eutychianus.	275.
S.	Cajus.	284.
S.	Marcellinus.	297.
	Sæculum IV.	
S.	Marcellus I.	304.
S.	Euſebius.	309.
S.	Miltiades. *aliàs* Melchiades.	311.
S.	Sylveſter I.	314.
S.	Marcus.	336.
S.	Julius I.	337.
L.	Liberius.	352.
S.	Felix II.	358.
S.	Damaſus I.	367.
L.	Siricius.	385.
S.	Anaſtaſius.	398.
	Sæculum V.	
S.	Innocentius I.	402.
S.	Zoſimus.	417.
S.	Bonifacius I.	419.
S.	Cœleſtinus I.	424.
S.	Sixtus III.	432.
S.	Leo Magnus.	440.
S.	Hilarius.	461.
S.	Simplicius.	468.
S.	Felix III.	483.
S.	Gelaſius I.	492.

S. Ana-

Nota.	Nomen.	Tempus.
S.	Anastasius II.	497.
S.	Simmachus.	499.
	Sæculum VI.	
S.	Hormisda.	514.
S.	Joannes I.	524.
S.	Felix IV.	526.
L.	Bonifacius II.	530.
L.	Joannes II.	532.
S.	Agapetus I. *aliàs* Agapitus.	532.
S.	Sylverius.	537.
S.	Vigilius.	540.
L.	Pelagius I.	555.
L.	Joannes III.	560.
L.	Benedictus I.	573.
L.	Pelagius II.	578.
S.	Gregorius Magnus.	590.
	Sæculum VII.	
O.	Sabinianus.	605.
L.	Bonifacius III.	606.
S.	Bonifacius IV.	607.
S.	Deusdedit.	615
L.	Bonifacius V.	618.
L.	Honorius I.	626.
L.	Severinus.	639.
L.	Joannes IV.	640.
L.	Theodorus I.	641.
S.	Martinus I.	649
L.	Eugenius I.	654.
S.	Vitalianus.	655
L.	Adeodatus.	669
L.	Donus, *aliàs* Domnus.	676.
S.	Agatho.	678.
S.	Leo II.	683.
S.	Benedictus II.	684.
L.	Joannes V.	685.
L.	Conon, *aliàs* Cuno.	687.
S.	Sergius I.	688.
	Sæculum VIII.	
L.	Joannes VI.	702.
L.	Joannes VII.	705.
L.	Sisinius.	708.
L.	Constantinus I.	708.
S.	Gregorius II.	715.
S.	Gregorius III.	731.
S.	Zacharias.	742.
L.	Stephanus II.	752.
L.	Stephanus III.	752.
S.	Paulus.	757.
L.	Stephanus IV.	768.
L.	Hadrianus I.	772.
S.	Leo III.	796.
	Sæculum IX.	
L.	Stephanus V.	816.
S.	Paschalis I.	817.
L.	Eugenius II.	824.
L.	Valentinus.	827.
L.	Gregorius IV.	828.
L.	Sergius II.	844.
S.	Leo IV.	847.
L.	Benedictus III.	855.
L.	Nicol. Magnus I.	858.
L.	Hadrianus II.	868.
C.	Joannes VIII.	873.
L.	Marinus I.	883

Nota.	Nomen.	Tempus.
L.	Hadrianus III.	884.
L.	Stephanus VI.	885.
L.	Formosus.	891.
O.	Bonifacius VI.	895.
O.	Stephanus VII.	897.
L.	Romanus.	900.
	Sæculum X.	
L.	Theodorus II.	901.
L.	Joannes IX.	901.
L.	Benedictus IV.	905.
L.	Leo V.	907.
O.	Christophorus.	908.
O.	Sergius III.	908.
L.	Anastasius III.	910.
C.	Lando.	912.
O.	Joannes X.	912.
L.	Leo VI.	928.
L.	Stephanus VIII.	929.
O.	Joannes XI.	931.
	Multi hic ponunt Leonem VII. *quem tamen Baronius vocat Pseudo-Pontificē.*	936.
L.	Stephanus IX.	940.
L.	Martinus II.	943.
L.	Agapetus II.	946.
O.	Joannes XII.	956.
L.	Benedictus V.	965.
L.	Leo VIII.	965.
L.	Joannes XIII.	966.
L.	Donus II.	972.
L.	Benedictus VI.	973.
	Hic ponunt aliqui Bonifacium VII. *quem Baronius appellat tyrannum.*	

Nota.	Nomen.	Tempus.
L.	Benedictus VII.	975.
L.	Joannes XIV.	984.
L.	Joannes XV.	985.
L.	Joannes XVI.	995.
L.	Gregorius V.	996.
L.	Sylvester II.	999.
	Sæculum XI.	
L.	Joannes XVII.	1003.
C.	Joannes XVIII.	1003.
L.	Sergius IV.	1009.
L.	Benedictus VIII.	1012.
L.	Joannes XIX.	1024.
O.	Benedictus IX.	1034.
L.	Gregorius VI.	1044.
L.	Clemens II.	1047.
L.	Damasus II.	1048.
S.	Leo IX.	1049.
L.	Victor II.	1055.
L.	Stephanus X.	1057.
L.	Nicolaus II.	1058.
L.	Alexander II.	1061.
S.	Gregorius VII.	1073.
L.	Victor III.	1086.
L.	Urbanus II.	1087.
L.	Paschalis II.	1099.
	Sæculum XII.	
L.	Gelasius II.	1118.
L.	Callistus II.	1119.
L.	Honorius II.	1125.
L.	Innocentius II.	1130.
L.	Cœlestinus II.	1143.
L.	Lucius II.	1144.
L.	Eugenius III.	1145.

L. Ana-

Nota.	Nomen.	Tempus.
L.	Anastasius IV.	1153.
L.	Hadrianus IV.	1154.
L.	Alexander III.	1160.
L.	Lucius III.	1181.
L.	Urbanus III.	1186.
L.	Gregorius VIII.	1187.
L.	Clemens III.	1188.
L.	Cœlestinus III.	1191.
L.	Innocentius III.	1198.
	Sæculum XIII.	
L.	Honorius III.	1216.
L.	Gregorius IX.	1227.
L.	Cœlestinus IV.	1241.
L.	Innocentius IV.	1243.
L.	Alexander IV.	1254.
L.	Urbanus IV.	1261.
L.	Clemens IV.	1265.
L.	Gregorius X.	1271.
L.	Innocentius V.	1276.
L.	Hadrianus V.	1276.
L.	Joannes XX.	1276.
L.	Nicolaus III.	1277.
L.	Martinus II. *aliàs* IV.	1281.
L.	Honorius IV.	1285.
L.	Nicolaus IV.	1288.
S	Cœlestinus V.	1294.
L.	Bonifacius VIII.	1294.
	Sæculum XIV.	
L.	Benedictus X. *Aliàs etiam* XI.	1303.
C.	Clemens V.	1305.
C.	Joannes XXI. *communiter* XXII.	1316.
L.	Benedictus XI.	1334.
C.	Clemens VI.	1342.
L.	Innocentius VI.	1352.
L.	Urbanus V.	1362.
L.	Gregorius XI.	1371.
L.	Urbanus VI.	1378.
L.	Bonifacius IX.	1389.
	Sæculum XV.	
L.	Innocentius VII.	1404.
L.	Gregorius XII.	1406.
L.	Alexander V.	1409.
O.	Joannes XXII. *communiter* XXIII.	1410.
L.	Martinus III. *communiter* V.	1417.
L.	Eugenius IV.	1431.
L.	Nicolaus V.	1447.
L.	Calliſtus III.	1455.
L.	Pius II.	1458.
L.	Paulus II.	1464.
L.	Sixtus IV.	1471.
L.	Innocentius VIII.	1484.
O.	Alexander VI.	1492.
	Sæculum XVI.	
L.	Pius III.	1503.
C.	Julius II.	1503.
L.	Leo X.	1513.
L.	Hadrianus VI.	1522.
L.	Clemens VII.	1523.
L.	Paulus III.	1534.
L.	Julius III.	1550.
L.	Marcellus II.	1555.
L.	Paulus IV.	1555.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nota.	Nomen.	Tempus.
L.	Pius IV.	1560.
S.	Pius V.	1566.
L.	Gregorius XIII.	1572.
L.	Sixtus V.	1585.
L.	Urbanus VII.	1590.
L.	Gregorius XIV.	1590.
L.	Innocentius IX.	1591.
L.	Clemens VIII.	1592.
	Sæculum XVII.	
L.	Leo XI.	1605
L	Paulus V.	1605.
L.	Gregorius XV.	1621.
L.	Urbanus VIII.	1623.
L.	Innocentius X.	1644.
L.	Alexander VII.	1655.
L.	Clemens IX.	1667.
L.	Clemens X.	1669.
L.	Innocentius XI.	1676.
L.	Alexander VIII.	1689.
L.	Innocentius XII.	1691
L	Clemens XI.	1700.
	Summa 247.	

Ex his 247. Pontificibus fuerunt *sancti Martyres* 34. scilicet omnino omnes trium primorum sæculorum, numero triginta, deinde Marcellus I. Sæculo IV. Vigilius & Pelagius I. Sæculo VI. Martinus I. Sæculo VII. *Sancti Ecclesiæ Doctores* 2. scilicet Leo M. & Gregorius M. alij *Sancti Confessores* 41. Adeóque ex 247. exstiterunt Sanctis annumerati 77. ferè tertia pars Pontificum. Quanta gloria Ecclesiæ Romanæ! Quæ unquam Communitas, quæ Respublica vel profana vel sacra, tot sanctos Principes habuit? Neque primitiva tantùm Ecclesia sanctorum Pontificum ferax erat; quia post Gregorium M. qui clausit Sæculum VI. adhuc numerantur 18. inter Sanctos relati. Protestor autem, si fortè (quod humanum est) in uno vel altero, à me *Sanctis* annumerato, vel omisso deceptus fuissem, me bona fide processisse, salvâ per omnia Sedis Apostolicæ auctoritate, cujus est declarare *Sanctos*.

Cæteri fuerunt saltem boni & laudabiles (exceptis 11. qui cum scandalo præfuerunt, & alijs 7. qui partim cum laude, partim cum infamia Pontificatum gesserunt) fuerunt boni, inquam, & laudabiles, hoc est, vel nunquam graviter & scandalosè lapsi sunt, vel admissum errorem. v. g. aliquam socordiam, affectum nimium ergo consanguineos, nimiam parsimoniam, vel nimiam liberalitatem &c. aut pœnitentiâ, aut factis contrarijs, aut alijs egregijs virtutibus emendârunt. Vel etiam egregijs facinoribus insignem virtutem aut scientiam suam comprobârunt, nomenque æternâ memoriâ dignissimum posteris reliquerunt.

Ubi hoc etiam adverto, nullum ex Germanis Pontificibus non bonum fuisse. Ex Germania enim ad Solium Papale evocati sunt 7. Nimirum *Stephanus XI.* promovente Ottone Imperatore, cujus patria & familia later. *Gregorius V.* Imperatoriæ Ottonum stirpis, Sueviæ Dux. *Clemens II.* Saxo, priùs

priùs Episcopus Bambergæ. *Damasus II.* Bavarus, priùs Episcopus Brixinæ in Tyroli. *S. Leo IX.* Alsaticus Comes de Taxsperg, priùs Episcopus Tullensis in Lotharingia. *Victor II.* Suevus, Comes de Calb, priùs Episcopus Eystettensis. *Hadrianus VI.* Belga, priùs per Hispaniam Prorex. Sunt & alij 5. Pontifices ex Romano Imperio Germanorum assumpti, nimirum *Stephanus* X. Lotharingiæ Dux. *Callistus II.* Burgundiæ Dux. *Innocentius V.* Lotharingus. *Bonifacius II. & Pelagius II.* Gotthi. Cæteros dedit plerosque Italia & Roma. Ex Judæa tamen ortum duxerunt 3. ex Syria 6. ex Africa 3. ex Hispania & Portugallia 4. Ex Francia 10. Ex Dalmatia & Thracia 3. ex Græcia 12. ex Anglia 1. ex Candia sive Creta 1. ex Sicilia 3. ex Sardinia 2. toto Romano Germanorum Imperio 12. quos paulò antè honoris gratia nominavi.

ARTICULUS II.

Romanus Pontifex est etiam Caput Conciliorum.

Summarium.

1. *Quid & quotuplex sit Concilium.*
2. *Ut aliquod Concilium sit generale & legitimum, debet esse convocatum authoritate summi Pontificis.*
3. *Dirigi ab eodem vel per se vel per suos legatos præsidente.*
4. *Potest tamen tam convocationis quàm præsidentiæ Pontificiæ defectus suppleri per subsequentem approbationem.*
5. *Debent vocari omnes Episcopi Diœcesim habentes.*
6. *Formula celebrandi Concilium habetur Act. 15.*
7. *Quænam hucusque celebrata sint Concilia generalia, tam legitima, quàm illegitima, & mixta.*
8. *Concilium generale legitimum in suis decretis fidei & morum est infallibile.*
9. *Et habet potestatem ferendi Leges totum Orbem Christianum obligantes.*
10. *Non est incertum, an de facto aliqua Concilia fuerint legitima. Etiam Adversarij aliqua agnoscunt & recipiunt. Quas hodie Sectarij ineptas conditiones requirant ad legitimum Concilium.*
11. *Quid, si Papa solus toti Concilio contradiceret?*
12. *An & quomodo Concilia faciant novos fidei articulos?*
13. *Nulla Concilia generalia legitima errârunt unquam.*
14. *Exponitur status illius famosæ quæstionis, an Papa sit supra Concilium.*
15. *Asseritur, & probatur ex Scriptura, Papam esse supra Concilum.*

16. *Idem probatur ex Concilijs.*
17. *Et ex ratione.*
18. *Diluuntur, quæ opponuntur ex Scriptura.*
19. *Quæ ex Concilijs, Pisano, Constantiensi, & Basileensi.*
20. *Ac ex historia Ecclesiastica.*
21. 22. *Et demum, quæ ex ratione.*

§. I.

De natura, varietate, & auctoritate Conciliorum.

1. SCiendum 1. Nomine *Concilij* in Ecclesia ferè idem significari, quod in Regnis Politicis significatur per *Comitia.* Quod autem Latinè vocatur *Concilium*, Græcè appellatur *Synodus* vel *Synedrion.* Porro Concilium sic definiri potest: *est legitimus conventus Præsulum Ecclesiasticorum ad majora fidei & Religionis finienda negotia,* v. g. ad damnandas hæreses, tollenda schismata, sanciendum bellum contra Paganos & Ecclesiæ hostes, reformandos mores fidelium, ferendas Leges &c. 2. præcipuam Concilij divisionem esse in Generale & Particulare: *Generale*, quod etiam dici solet *Universale*, & *Oecumenicum*, est, quod celebratur nomine totius Ecclesiæ, ad quod omnes totius Orbis Episcopi vocantur, qui commodè vocari & exspectari possunt, etiamsi non teneantur omnes comparére, qui scilicet legitimè sunt impediti: modò tamen se sistat insignis aliqua multitudo, vel ex singulis Nationibus, vel saltem ex duabus præcipuis Mundi partibus, Oriente & Occidente, uti docet antiqua Ecclesiæ praxis. *Particulare* subdividitur in Nationale, Provinciale, & Diœcesanum. Nationale est, in quo Archiepiscopi & Episcopi alicujus integræ Nationis v. g. Germanicæ, Gallicæ &c. sub uno Patriarcha vel Primate congregantur. *Provinciale*, in quo plures Episcopi cum & sub suo Archiepiscopo conveniunt. *Diœcesanum*, quod frequentiùs dicitur Synodus, in quo conveniunt Parochi cum & sub Episcopo suo. Nobis sermo erit de Concilijs Generalibus; Particularium enim sicut ingens reperitur copia, ita parva pro Universali Ecclesia est auctoritas, nisi quatenus à summo Pontifice approbata fuerint.

Dico 1. Ad hoc, ut aliquod Concilium Generale sit legitimum, requiritur 1. ut sit convocatum à summo Pontifice. 2. ut dirigatur ab eodem, vel per se per suos Legatos præsidente. 3. Potest tamen utrumque suppleri per subsequentem approbationem summi Pontificis, sine qua approbatione vel tacita vel expressa Concilium nullius est auctoritatis. 4. ut omnes Episcopi Diœcesim habentes, quantùm fieri potest, convocentur, ita ut nullus excludatur positivè, nisi sit excommunicatus. Assertio quadrimembris

Probatur quoad primum. Ut Concilium sit legitimum, debet esse legitimæ auctoritate congregatum: ergo 2.

de-

debet convocari ab habente potestatem. Sed potestatem in Episcopos & universos fideles nemo habet, nisi summus Pontifex, ut suprà satis ostensum: ergo. Confirmatur: congregare oves spectat ad Pastorem: atqui solus Romanus Pontifex est Pastor universalis, cæteri fideles omnes, etiam Episcopi & Imperatores, sunt oves: ergo. Audi declarationem Concilij Chalcedon. actione 1. pag. 4. edit. Colon. 1606. *Papa Urbis Romæ*, inquit, *qua est caput omnium Ecclesiarum, præcipit, ut Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio &c. quia, cùm personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine authoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* His tamen non obstantibus potest summus Pontifex ex justa causa potestatem convocandi Concilium delegare alijs, etiam Sæcularibus. Utì factum jam sæpius est, dum initio Ecclesiæ totum Dominium temporale erat penes Imperatores, quos pronde rogarunt Pontifices, ut suis sumptibus, qui prorsus ingentes requirebantur, convocarent Episcopos ex remotis terris, & simul aliquam urbem concederent. Item convocare Concilium possunt Cardinales & Episcopi casu, quo plures se gerunt pro Pontifice Romano, & tunc Concilium taliter congregatum poterit declarare, quisnam sit verus Pontifex, vel depositis litigantibus novum eligere: quo electo poterit procedi etiam ad alias fidei controversias definiendas, si opus sit. Idem dicendum est de casu, quo Pontifex legitimus incideret in apertam hæresim, & in ea contumaciter persisteret; tunc enim Concilium à Cardinalibus vel Episcopis convocatum posset ferre sententiam declaratoriam criminis in Pontificem, ob quod censeretur Pontificatu esse privatus ab ipso Christo. Ita enim exigit necessitas Ecclesiæ, & providentia Christi, ut nempe Ecclesia semper habeat medium sibi providendi & constituendi legitimum Caput.

Prob. quoad 2. membrum: quia decet, ut Pastor ovibus, & pater præsideat filijs, atque ut isti nihil decernere & definire possint sine ipsius directione, aut saltem consensu & approbatione: sed Papa est Pastor & Pater Universalis, cæteri omnes respectu ipsius sunt oves & filij, etiam Imperatores, Reges, & Episcopi, seu seorsim seu collectim spectati. Confirmatur 1. ex perpetua praxi Ecclesiæ, & exemplo ipsius etiam Apostoli S. Petri, qui fuit Præses Concilij Apostolici Act. 15. ubi primus sententiam dixit, & causam decidit. Circa II. & V. Synodum Generalem posset esse dubium; quod tamen ita solvitur. In II. præsedit Papa Romæ; licèt enim vocetur Concilium Constantinopolitanum, tamen partim Constantinopoli conjunctis animis & sententijs Episcoporum tam Orientalium quàm Occidentalium celebratum est. Synodum V. seu Constantinopolitanam II. cui quidem Pontifex nec per se nec per Legatos aderat, tamen postea approbavit, & sic defectum præsidentiæ supplevit: id quod etiam de II. seu de Synodo Constanti- 5.

nopolitana I. dici potest. Confirm. 2. Concilium Generale debet repræsentare totam Ecclesiam: sed sine Capite præsente & dirigente non repræsentat totam Ecclesiam: ergo.

4. Prob. quoad 3. Ideo requiritur convocatio & præsidentia Papalis, quia sine consensu Papæ tanquam Pastoris nihil possunt legitimè decernere oves & filij: sed iste consensus Papæ accedit per approbationem & ratificationem Papæ: ergo; quod enim quis ratum habet, & approbat, censetur ipse fecisse. Unde si approbatio & ratificatio Pontificis fiat Concilio adhuc sedente, *legitimatur* ipsum Concilium, & suppletur defectus convocationis & præsidentiæ Papalis: si verò fiat Concilio jam dissoluto, tunc decreta Concilij acquirunt vim suam, & definitiones suam infallibilitatem quoad nos, vel omnia, vel aliqua, prout scilicet ratificaverit & confirmaverit Pontifex vel in totum vel in partem.

5. Prob. quoad 4. Concilium Generale tangit omnes Christiani Orbis partes: ergo æquum est, ut ex omnibus Christianis Orbis partibus advocentur animarum Pastores omnes, & nullus excludatur. Si autem aliqui venire non possint, aut cum ijs dispensetur ex justa causa, vel etiam culpabiliter non compareant, Concilium non redditur illegitimum propterea, sicut nec Comitia Imperij per quorundam absentiam: non enim numerus Episcoporum facit Concilium Generale, sed jus comparendi omnibus factum. Sed notandum est, solos Episcopos de jure esse vocandos (ex consuetudine & privilegio etiam Cardinales non Episcopi, quidam Abbates, & Generales Ordinum vocantur) tanquam *Judices*, qui jus habeant suffragij ferendi. Ratio est, quia ferre suffragium de doctrina, quam credere, & leges, quas alij teneantur sequi, officium proprium Pastorum est, requirens jurisdictionem spiritualem & externam, vi cujus inobedientes possint compelli: soli autem Episcopi de Jure sunt tales Pastores. Confirmatur id ipsum ex praxi perpetua Ecclesiæ, *Theologi*, qui vocantur ad Concilium, non sunt Judices, nec ferunt suffragium, sed tantùm adhibentur tanquam Consiliarij ad consultandum & disputandum. Multò minùs *Laici*, partim propter imperitiam, partim & præcipuè propter defectum Jurisdictionis spiritualis. Hinc *Principes Seculares*, & eorum *Legati* non habent jus suffragij; sed tantùm assistunt Concilijs tanquam Defensores & Executores. Unde soli Episcopi, & qui jus suffragij obtinuerunt, hoc modo subscribunt: *definiens subscripsi*, cæteri vel non subscribunt, vel sic: *consentiens subscripsi*.

Si cupis in SS. Litteris videre modum & formulam celebrandi Concilium, lege c. 15. in Actis Apostolorum. Ibi initiò proponitur quæstio, de qua lis fuit orta & controversia inter Apostolos & Fideles, an videlicet *ex Gentilismo conversos oporteat circumcidi, & præcipere eis servare Legem Moysi? Convenerúntque Apostoli, & Seniores* (Presbyteri) *videre de verbo hoc.* En! Apostoli & Presbyteri, non verò Laici, convenerun ad decidendam hanc quæstionem. *Cum autem magna conquisi-*

tio

tio fieret. En! accuratè discutitur & examinatur causa tam ab Apostolis quàm à Senioribus seu Presbyteris. *Surgens Petrus dixit ad eos.* En! Petrus tanquam Præses Concilij sententiam dixit primus, Christianis nimirum non esse imponendum jugum Legis Mosaicæ. *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebat Barnabam & Paulum narrantes &c. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus &c.* conformans se sententiæ Petri. En! populus omnino tacuit, & soli Apostoli locuti sunt, cùm esset perventum ad sententiam definitivam; licèt Presbyteros (non verò populum) priùs admiserint ad consultandum, ad discussionem & inquisitionem veritatis. *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros &c.* En! sententiæ Apostolorum acquiescunt Seniores & tota Ecclesia, & juvant ad executionem illius, nempe ad promulgandum & intimandum alijs quoque Concilij decretum, quod erat hujusmodi: *Visum est Spiritui Sancto & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris &c.*

7. Porro Concilia Generalia *legitima*, seu à Romano Pontifice approbata, & ab Universali Ecclesia recepta, post tempora Apostolorum numerantur 18. scilicet 1. Nicænum I. 2. Constantinopolitanum I. 3. Ephesinum. 4. Chalcedonense. 5. Constantinopolitanum II. 6. Constantinopolitanum III. 7. Nicænum II. 8. Constantinopolitanum IV. 9. Lateranense I. 10. Lateranense II. 11. Lateranense III. 12. Lateranense IV. 13. Lugdunense I. 14. Lugdunense II. 15. Viennense in Gallijs. 16. Florentinum. 17. Lateranense V. 18. Tridentinum. Prima octo ex istis Concilijs approbata à Pontificibus, & ab omnibus Catholicis recepta esse, constat ex *can. sancta octo dist. 16.* De decem sequentibus patet ex eo, quia illis præfuit Pontifex vel per se, vel per suos Legatos. Tridentinum specialiter insuper confirmavit Pius IV.

Illegitima, seu nec unita cum Capite, nec ab eo postmodum approbata, vel omnino reprobata, nec ab Universali Ecclesia recepta, adeóque nullius auctoritatis sunt septem. 1. Antiochenum. 2. Mediolanense. 3. Ariminense. 4. Ephesinum II. 5. Constantinopolitanum sub Leone Isaurico Imperatore. 6. Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo Imp. 7. Pisanum sub Imperatore Maximiliano I. anno 1510.

Partim Legitima, partim Illegitima, seu ex parte solùm approbata & recepta, sunt sex, & unum dubium. 1. Sardicense. 2. Sirmiense. 3. Quinisextum, alio nomine Trullanum. 4. Francofordiense. 5. Constantiense. 6. Basileense. Denique *dubium* censetur esse Pisanum anno 1409. tempore schismatis, Gregorio XII. & Benedicto XIII. simul pro vero Papa se gerentibus. Hæc sunt Concilia, quæ fuere, vel saltem dicta sunt *Oecumenica*, seu Generalia. Ex *Particularibus* approbata & recepta ex parte sunt Cæsariense, Laodicenum, Gangrense, Chartaginense III. & IV. Milevitanum I. & II. Arausicanum I. & II. Wormatiense I. & II. ut videre est apud Carranzam, &

Cabassutium. Concilia generalia quo loco & tempore habita sint, quantô Patrum numerô celebrata, & quid principaliter in ijs actum sit, sequens tabula exhibet.

Concilia Generalia Legitima.

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
I. NICÆNUM, *sive habitum in Urbe Nicæa: cujus appendix fuit* SARDICENSE *post aliquot annos habitum.*	*Anno Christi* 327. *Papâ Sylvestrô, & Imperatore Constantino Magno.*	*Num.* 318. *Præsidentibus Hosio, Vito, & Vincentio Legatis Papæ, quorum primus fuit Episcopus, cæteri duo Presbyteri tantùm.*	*Damnata est hæresis Arij, qui Christo negabat Divinitatem, & compositum est Symbolum Nicænum.*
II. CONSTANTINOPOLITANUM, *Partim Constantinopoli in Oriente, partim Romæ in Occidente celebratum.*	*An.* 381. *circiter, Papâ Damaso, Imperatore Theodosio Seniore.*	*Catholici* 150. *Macedoniani, seu Semi-Ariani* 36. *Nec Papa per se, nec per Legatos præsidebat, confirmavit tamen quoad res fidei.*	*Damnata est hæresis Macedonij, qui negabat Divinitatem Spiritui Sancto, & confirmata Synodus Nicæna.*
III. EPHESINUM, *seu Ephesi, Asiæ Minoris Metropoli, habitum.*	*Anno* 430. *circiter, Papâ Cœlestino, Imperatore Theodosio Juniore, & Valentiniano III.*	200. *Præsidente Cyrillo Alexandrino Archiepiscopo, & aliis Papæ Legatis.*	*Damnata est hæresis Nestorij, qui duas in Christo personas admittebat, & ideo B. Virginem non* Deiparam, *sed* Christiparam *solùm dici volebat, eo quòd solum humanam Christi personam genuisset. Contra quem errorem in Salutatione Angelica addita sunt hæc verba:* Mater Dei ora &c.

IV. CHAL-

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
IV. CHALCEDONENSE, *dictum ab Urbe Chalcedone in Bithynia, ubi celebratum est.*	*An.* 451. *circiter, Papâ Leone Magno, imperatore Martiano.*	630. *Præsidentibus Legatis Papæ Leonis, qui illud etiam confirmavit, sed solùm circa res fidei.*	*Damnata est hæresis Eutychetis & Dioscori, qui unam tantùm Naturam in Christo admittebant.*
V. CONSTANTINOPOLITANUM II.	*An.* 553. *circiter, Papâ Vigilio, Imperatore Justiniano.*	165. *juxta alios verò* 255. *Papa nec præsedit per se, nec per Legatos, approbavit tamen per Epistolam.*	*Damnata est hæresis Origenis, & tria Capitula Theodori, Theodoreti, & Ibæ Episcoporum, non illorum personæ.*
VI. CONSTANTINOPOLITANUM III. *cujus appendix dicitur Synodus* Trullana, *vel etiam* Quini-Sexta.	*An.* 680. *circiter, Papâ Agathone, Imperatore Constantino IV.*	289. *circiter, præsidentibus Petro & Georgio Presbyteris, & Joanne Diacono, Papæ Legatis.*	*Damnata est hæresis Monothelitarum, qui unam tantùm in Christo voluntatem esse dicebant.*
VII. NICÆNUM II.	*An.* 781. *circiter, Papâ Adriano, Imperatore Constantino & Irene ejus matre.*	350. *præsidentibus Petro Archipresbytero & Petro Abbate, Legatis Papæ.*	*Damnata est hæresis Iconoclastarum, Leonis Isaurici & Constantini Copronymi Imperatorum, qui sacras Christi & Sanctorum imagines omni honore spoliabant.*
VIII. CONSTANTINOPOLITANUM IV.	*An* 869 *circiter. Papâ Adrianô II. imperatore Basilio.*	102. *Præsidentibus Legatis Pontificis.*	*Photius Patriarcha Constantinopolitanus, per vim intrusus, rejectus est, & restituitur Ignatius. Iconomarchi denuo damnati.*

IX.

Locus.	Tempus.	Patres	Acta.
IX. LATERANENSE I. *sic dictum à Palatio Lateranensi Romæ.*	*An* 1122. *circiter.* Papâ Calistô II. Imperatore Henrico V.	300. *& amplius præsidente ipso Papâ per se.*	*Pro Pace inter Ecclesiam, & Imperium. Item de bello contra Saracenos ad recuperandam Terram sanctam.*
X. LATERANENSE II.	*An* 1139. *Papâ Innocentiô II. Imperatore Lothario II. vel sub Rege Romano Conrado.*	*Circiter* 1000. *Præsidente ipso Papâ per se.*	*Contra Antipapas Anacletum, & Victorem. Pro Jure Cleri, & reformatione Morum.*
XI. LATERANENSE III.	*An.* 1179. *circiter, Papâ Alexandro* III. *Imperatore Friderico.* I.	*Circiter* 300. *Præsidente Papa per se.*	*Damnati sunt Cathari, quos aliqui vocant Waldenses, & Albigenses, hæretici. Multa quoque statuta sunt pro electione Papæ, & reformatione Morum.*
XII. LATERANENSE IV.	*An.* 1215. *Papâ Innocentio* III. *Imperatore Friderico.* II.	*Episcopi plusquam* 400. *Prælati minores circiter* 800. *præsidente Papâ per se.*	*Contra hæreses Albigensium, & errores Joachimi Abbatis. Item de pace inter Christianos, & pro recuperatione Terræ sanctæ.*
XIII. LUGDUNENSE I. *dicitur ab urbe Lugduno in Gallia.*	*An* 1245. *Papâ Innocentiô IV. Imperatore Friderico* II.	140. *Præsidente ipso Pontifice per se ipsum.*	*Excommunicatus & depositus est Imperator Fridericus* II. *seu Barbarossa, Papæ rebellis & decreta Expeditio in Palæstinam.*

XIV.

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
XIV. LUGDUNENSE II.	*An* 1274. *Papâ Gregoriô. X. Imperatore Rudolpho.*	*Ferè* 1000. *ex quibus Episcopi* 500. *præsidente iterum ipso Papa.*	*Damnata hæresis Græcorum, qui dicunt Spiritum S. non procedere à Filio, sed à solo Patre. Facta quoque unio cum Græcis, quorum Imper. Michaël Palæologus ipsémet erat præsens. Simul actum de recuperanda Palæstina.*
XV. VIENNENSE *dictum ab urbe Vienna in Gallijs.*	*An* 1311. *Papâ Clemente V. Imperatore Henrico VII. Ab hoc Papa sunt illæ Constitutiones, quæ vocantur in Jure Canonico* Clementinæ.	*Circiter* 300. *Episcopi præsidente iterum Papa.*	*Damnatæ hæreses Beguardorum, Beguinorum, & Fratricellorum. Extinctus ordo Templariorum (sic dictorum, quia Hierosolymis habitabant juxta templum) ob varia scelera. Actum rursus est de Expeditione in Terram sanctam.*
XVI. FLORINTINUM, *Florentiæ in Italia habitum, Ferrariæ inchoatum.*	*An* 1438. *inchoatum Ferrariæ Papâ Eugeniô IV. Imperatore Alberto.*	*Subscripserũt* 141. *alij multi priùs discesserant. præsedit ipse Pontifex.*	*Contra errores Græcorum, quorum Imperator Joannes Paleologus præsens erat. Facta unio Græcorum & Armenorum cum Latinis, sed illi post reditum in Græciam ad pristinos errores redierunt.*

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
XVII. LATERANENSE V.	*Inchoatum 1512. sub Julio II. Absolutum anno 1517. sub Leone X. Imper. Maximiliano I.*	*114. præsidente ipso Papa.*	*Ad tollendum schisma, propagatum per Concilium Pisanum. Decretam in eo Expeditionem contra Turcas impedivit seditio Lutheri.*
XVIII. TRIDENTINUM, *Tridenti in Germania cœptum, Bononiæ continuatum, & Tridenti absolutum.*	*Inchoatum 1545. Papâ Paulo III. continuatum sub Julio III. Marcello II. & Paulo IV. finitum 1563. sub Pio IV. Imperatore Carolo V. & Ferdinando I.*	*Subscripserunt 255. Multi non poterant exspectare finem Concilij, quod duravit per 18. annos, præsidentibus Legatis Papæ, non tamen semper ijsdem.*	*Damnati Lutherani & Sacramentarij, aliique Sectarij. Reformati mores, præsertim in Clero, qui erant valde corrupti. In nullo alio Concilio tam multi fidei articuli adeò clarè elucidati, & morum disciplina tam sedulò instaurata est, quàm in Tridentino.*

Concilia Generalia Illegitima.

I. ANTIOCHENUM.	*An. 345 Papâ Julio I. Imper. Constantio Ariano.*	*Circiter 90.*	*Damnatus est iniquè Athanasius, & via adeversionẽ Concilij Nicæni I. attentatâ patefacta.*
II. MEDIOLANENSE.	*An. 354. Papâ Liberio. Imper. eodem Constantio.*	*Circiter 300.*	*Obliquè damnata est fides Catholica.*
III. ARIMINENSE. *non illud quod sub Liberio Papa anno 359. habitum est.*	*An. 363. juxta alios 373. Papâ Damasò. Imp. eodem Constantiò.*	*Circiter 600.*	*Sublatum est de Symbolo Nomen* Homousios, *hoc est,* Consubstantialis, *partim ex errore Linguæ, partim per fraudem Arianorum.*

IV.

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
IV. EPHESINUM II. *quod meritò vocatum est* Latrocinium, *quia omnia acta sunt vi.*	*An.* 449. *Papâ Leone. Imper. Theodosio Juniore.*	*circiter* 128.	*Absolutus est Euthyches, & eius hæresis confirmata. Leonis Legati fugati, & S. Flavianus Episc. Constantinop. occisus.*
V. CONSTANTINOPOLITANUM *sub Leone Isaurico.*	*An.* 730. *Papâ Constantinô. Imper. dicto Leone Isaurico.*	*Plerique fuere Laici.*	*Actum est contra Christi, Sanctorúmque Imagines.*
VI. CONSTANTINOPOLITANUM *sub Constantino Copronymo.*	*An.* 754. *circiter. Papâ Stephano* II. *vel* III.	*Circiter* 338.	*Definitum est, Christi, Sanctorúmque Imagines omnino abolendas esse.*
VII. PISANUM, *non illud, quod infrà dubium esse pronuntiabimus.*	*An.* 1510 *circiter. Papâ Juliô* II. *Imp. Maximiliano* I.	*Patrum numerum non reperi.*	*Congregatum est ab Imperatore, & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus contra Julium* II. *sed mox reprobatum in Concilio Latera enſi V. sub eodem Julio* II. *& Leone X.*

Concilia Generalia, partim Legitima, partim Illegitima.

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
I. SARDICENSE, *appendix Conc. Nicani I.*	*An. 351. Papâ Juliô I. Imper. Constantio Ariano.*	*300. Occidentales. 76. Orientales.*	*Occidentales confirmârunt fidem Catholicam, Orientales stabant pro Ariana hæresi. Horum acta rejecta sunt.*
II. SIRMIENSE.	*An. 356. Papâ Liberio. Imper. Constantio eodem.*	*Non reperi numerum Patrum.*	*Editæ sunt duæ formulæ fidei inter se dissentientes, una Catholica, altera blasphema. Damnata est hæresis Photini, quæ damnatio ab Ecclesia recepta est.*
III. QUINISEXTUM, *Constantinopoli in Palatio Trullo habitum, unde ejus Canones dicuntur Trullani.*	*An. 692. circiter. Papâ Sergiô. Imper. Justiniano II. seu Juniore.*	*211. Papa nec per se, nec per suos Legatos præsedit, illúdque statim reprobavit.*	*Canones 102. adjecti sunt Synodo V. & VI. Generalibus; & ideo appellatur Quini-Sextum (nam sexta Synodus omnino nullos edidit Canones) ex quibus aliqui tantùm postea recepti sunt.*

IV. FRAN-

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
IV. FRANCOFORDIENSE. *vix meretur appellari Generale, cùm nulli Episcopi Orientales interfuerint.*	*An.* 794. *Papâ Adrianô* I. *Carolo M. Rege Francorum, tum non dum Imperatore.*	300. *Legatis Papæ præsidentibus.*	*Approbatum, & confirmatum quoad eam partem, in qua definitur, Christum esse Filium Dei Naturalem, & non tantùm Adoptivum: reprobatum, quatenus ex errore damnat Synodum VII.*
V. CONSTANTIENSE, *Constantiæ ad Lacum Bodamicum habitum.*	*Inchoatum anno* 1414. *Papâ Joanne XXIII. Imper. Sigismundo, finitum* 1418 *sub Martino V.*	*Episcopi ferè* 300. *Minores Prælati ferè* 700.	*Sublatum est schisma & depositis tribus Antipapis electus est Martinus V. Damnatus Wicleff, & Huss, posterior etiam vivus combustus. Approbatum à Martino V. exceptâ Sess. IV. & V. quæ Papam subjiciunt Concilio.*
VI. BASILEENSE, *inchoatum Basileæ ad Rhenum, & absolutum Lausannæ ad Lacum Genevensem.*	*Inchoatum* 1431 *Papâ Eugen. IV. Finitum* 1449. *sub Nicolao V.*	*Numerum Patrum non reperi. præsidebat, sed ad tempus tantùm, Legat. Pont.*	*Elegit Pseudo-Pontificem Amadeum Ducem Sabaudiæ, qui dictus est Felix V. Nihil in eo approbatum, nisi quædam circa Beneficia Ecclesiastica.*
VII. PISANUM, *Pisis in Italia habitum: de quo dubium est, an sit legitimum, vel non.*	*An* 1409. *Gregorio XII. & Benedicto XIII. pro Papa veroſe gerentibus.*	*Episcopi* 180. *Minores Prælati* 900.	*Deposuit Gregorium XII. & Benedictum XIII. & elegit Alexandrum V. schisma tamen non sustulit, sed auxit.*

8. Dico 2. Concilium Generale legitimum est infallibile in definiendis fidei articulis, & faciendis morum decretis. Pro recta intelligentia assertionis adverte 1. non asseri à nobis, tale Concilium esse infallibile quoad omnia illius verba & facta, aut omnia esse fide Divina credibilia, sed ea tantùm, in quibus est sententia Concilij definitiva. Unde infallibile non est quoad rationes & argumenta, quibus Concilium probat suas definitiones, quia Definitiones non nituntur illis argumentis humanis, sed inspiratione Divina, quæ quidem postulat humanos discursus, sed solùm ut dispositionem præviam. Item infallibile non est quoad decisiones personam particularem spectantes, aut circa quæstiones *facti*, saltem particularis, non habentis necessariam connexionem cum quæstione *juris*, aut aliquo fidei articulo aliunde satis revelato; quia error circa personam aut factum particulare, v. g. hunc hominem esse excommunicatum, aut docuisse hæresim &c. non affert grave incommodum Ecclesiæ, nec totius Ecclesiæ interest; quare nec Ecclesia hujusmodi veritatem definire intendit. Adverte 2. tantùm eatenus asseri infallibilitatem Concilij in *Decretis Morum*, quatenus ea, quæ præcipit, certò honesta, & ea, quæ prohibet, certò inhonesta & mala esse necesse est. Seu infallibile tantùm est quoad *substantiam*, ita ut consulere vel præcipere malum, & dissuadere vel prohibere bonum nequeat. Siquidem quoad *modum & circumstantias* errorem contingere non repugnat, v. g. per nimiam multitudinem aut arduitatem Legum, vel casu, quo propter certas circumstantias in aliquo loco vel tempore &c. leges non sunt utiles Communitati. Et hinc etiam leges optimæ possunt iterum abrogari mutatis circumstantijs; sicut abrogata est lex de suffocatis & sanguine non comedendis lata in Concilio Apostolorum Act. 15.

Probatur nunc assertio 1. Tota Ecclesia Christi errare non potest: sed erraret, si Concilium Universale in fidei & morum decretis posset errare; quia Concilium Universale repræsentat totam Ecclesiam; & utique, si Doctores & Pastores in Concilio congregati errare contingeret, fideles & oves omnes errare necesse foret, cùm oves teneantur sequi suos Pastores, & fideles suos Præpositos. M. prob. Si posset errare tota Ecclesia, tunc nulla posset elici fides Divina, & certa, imò nec de ipsa Scripturæ S. existentia, integritate, & sensu, adeóque de nullo prorsus articulo fidei haberemus infallibilem certitudinem; unde enim? Atque sic tolleretur ex Mundo omnis fides. Deinde vana & & nulla esset promissio Christi, dum dixit: *portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam.* Mat. 16. Et Paulus falsò Ecclesiam appellâsset *columnam & firmamentum Veritatis* 1. Tim. 2. Confirmatur. Non est major auctoritas in Ecclesia, quàm Concilium Generale cum suo Capite unitum: ergo si datur in Ecclesia auctoritas aliqua infallibilis, illa est penes Concilium Generale, quod repræsentativè est tota Ecclesia, si cum Capite sit unitum.

Prob. 2. Concilium Apostolorum Act. 15. propter assistentiam Spiritûs S. erat

erat infallibile ; quia dixerunt : *visum est Spiritui S. & nobis* : ergo & alia Concilia Generalia erunt infallibilia propter eandem assistentiam Spiritûs S. quippe assistentia Spiritûs S. non minùs est necessaria cæteris Concilijs, ne his errantibus tota Ecclesia in errorem prolabatur : nec minùs est promissa Apostolorum Successoribus Jo. 16. v. 13. *cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

9. Dico 3. Penes Concilium Generale est etiam suprema potestas ferendi Leges, totum Orbem Christianum obligantes. Probatur. penes Ecclesiam est potestas *solvendi & ligandi* Mat. 16. & 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* rursus Mat. 18. Et Paulus jubet Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris.* &c. Ergo penes fideles est obligatio obediendi, & audiendi Ecclesiam : ergo hoc ipso penes Ecclesiam est potestas obligandi omnes fideles. Atqui Concilium Generale saltem repræsentativè est tota Ecclesia : ergo. Confirmatur. Exigit bonum publicum, ut detur aliqua suprema auctoritas in quacunque republica, habens potestatem ferendi Leges, & obligandi omnes : atqui major auctoritas in Ecclesia non datur, quàm Concilij Generalis : ergo.

Solvuntur Objectiones.

10. Ob. 1. Incertum est, utrùm hactenus ullum Concilium fuerit legitimum : ergo. A. prob. 1. Incertum est, an illi, qui convenerunt, Episcopi fuerint veri Episcopi, scilicet verè baptizati, legitimè ordinati &c. atqui nisi veri Episcopi conveniant, Concilium non est legitimum : ergo. Idem argumentum pugnat contra Papam, Concilio præsidentem. 2. Incertum est, utrùm congregati Episcopi quæstiones decidendas ritè examinaverint, sententiam liberè & sine vi dixerint &c. 3. Aliunde non constat, aliqua Concilia hactenus fuisse legitima, quàm ex Historijs Humanis, & communi fama : sed ab istis possumus falli : ergo.

R. N. A. Ad probationem 1. & 2. dico, saltem sub disjunctione certum esse, Deum non posse permittere, ut Episcopi in Concilio congregati omnes, vel potiores, non sint baptizati, legitimè ordinati &c. ut sententiam suam temerè, vel coactè dicant circa res fidei, ut Pontifex, qui Concilio præsidet, vel illud approbat, non sit verus Pontifex, sed putatitius tantùm : vel, si hæc permittere fortassis posset Deus, eum tamen teneri ejusmodi Pontificem & Episcopos, putatitios solùm, aut temerè, vel coactè sententiam ferentes, ita dirigere, ut circa fidei & morum decreta errare non possent : vel saltem teneri efficere, ut Ecclesiæ constaret, Papam aut Episcopos esse tantùm putatitios, aut eos dixisse sententiam temerè, vel coactè. Ratio est, quia aliàs in errorem incideret tota Ecclesia, quod fieri certò re-

repugnat. Ad 3. Illis, qui vivunt, quando celebratur Concilium, potest ejus legitimitas constare evidenter, saltem evidentia morali: posteris verò constat ex traditione, historijs, & fama communi, quæ pariunt evidentem credibilitatem, & fundare possunt fidem certissimam (saltem quoad dogmata fidei & morum decreta in Concilio facta) nam historiæ, & fama, ac similia credibilitatis motiva, licèt appareant esse præcisè humana, tamen assumuntur à Deo, & fiunt ipsa locutio Divina passiva partialis, vel saltem applicant certissimè Veracitatem Divinam. Si post habitum Concilium definiatur, hoc vel illud Concilium fuisse legitimè celebratum, tum accedit specialis certitudo Metaphysica quoad nos.

Dein adverto, à Calvinistis & Lutheranis non posse in dubium vocari omnia Concilia, si velint insistere Majorum suorum vestigijs; siquidem hi prima & antiqua Concilia, nominatim Nicænum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum I. & Chalcedonense, ac eorum decreta admittunt & amplectuntur, ut passim in ipsorum libris videre est, imò & Symbolis: Confessio Calvinistarum Gallica facta à Beza, in Latinum fideliter versa à Francisco Feu-Ardentio Ord. Minor. Reg. Observ. art. 6. sic dicit: *admittimus, quod determinatum fuit per Antiqua Concilia, & detestamur omnes sectas & hæreses, quæ rejectæ fuerunt per sanctos Doctores, ut per sanctum Hilarium, sanctum Athanasium, sanctum Ambrosium, sanctum Cyrillum.* Calvinus & Beza nominatim admittere scribuntur Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense. Confessio Augustana Lutheranorum citat ipsum Concilium Nicænum, & varias hæreses damnatas rejicit, ab antiquis Concilijs, præsertim citatis quatuor, damnatas & rejectas, quas ex nullo alio capite potuit cognoscere certò ac infallibiliter, nisi ex auctoritate antiquorum Conciliorum: consequenter debet his Concilijs infallibilem auctoritatem adstruere, cùm eorum amplectatur doctrinam tanquam doctrinam fidei. *Concilijs primis subscribimus manu & corde*, ait Hottingerus in Bibliſcher Prob deß Zurcherischen Catechismi p. 1. c. 3. mihi fol. 137. Conspirant plerique omnes, cùm ferè omnes fateantur, saltem per aliquot Sæcula puritatem orthodoxæ doctrinæ in rebus fidei perstitisse in Ecclesia Romana: quamquam minimè conveniant de tempore, quo illa puritas doctrinæ defierit. Nam Bullingerus adversus Brenz. c. 7. p. 1. desijsse putat primùm post 6. vel pluta sæcula, Beutingerus Opusc. de Sect. p. 27. Ital. vers. post quatuor sæcula, Hottingerus in ep. dedic. Operis der Weegweiſer dicti post tria &c. &c.

Opponunt Lutherani contra recentiora Concilia, præsertim contra Tridentinum, & has conditiones ad legitimum Concilium requirunt. 1. Si ex sola Scriptura, & non ex Traditionibus feratur sententia. 2. Si decisio fiat non secundùm pluralitatem suffragiorum, sed secundùm Regulam Verbi Divini. 3. Si Papa priùs absolverit omnes Prælatos juramento fidelitatis. 4. Si Papa neque judicet, neque præsit in Conci-

Concilio, quia est altera pars. R. has conditiones esse prorsus ineptas, iniquas, nec in Scriptura Sacra nec in sana ratione fundatas. Repugnant præterea antiquæ praxi Ecclesiæ, & Concilijs, quæ ab ipsis Adversarijs habentur pro legitimis. Concilia enim prima non ex sola Scriptura tulere sententiam v. g. baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos, baptizandos esse parvulos, Deum esse trinum in Personis, in Christo duas Naturas, non verò duas reperiri Personas &c. quæ in Scripturis vel non sunt comprehensa, vel saltem clarè non definita. Dein in Concilijs non decîduntur ea, quæ in Scripturis jam clarè sunt comprehensa, sed quæ in ijs sunt dubia, vel omnino non comprehensa; quomodo ergo ex solis Scripturis ferenda erit sententia? Adde, quòd de ipsa Scriptura non satis constet, nisi ex Traditionibus, & quòd Traditiones recipiendas esse definiverit Concilium Nicænum II. Prima igitur conditio prorsus inepta est, imò & altera; nam ex pluralitate suffragiorum desumi debet, quid Verbo Divino (scripto vel non scripto) conforme sit, quid difforme: & id in antiquis Concilijs semper observatum est, & pronuntiatum secundùm pluralitatem suffragiorum. Tertia manifestè est iniqua; cùm Papa sit legitimus Superior, cui Jure Divino, Naturali, & Humano inferiores tam diu debent obedientiam, quàm diu legitimè non deponitur. Quare pariter est contra Jus Papæ, qui est Pater Patrum, & Jure Divino supremus Judex; item est contra praxim antiquorum Conciliorum omnium. Neque Rex in Politicis ullo modo arceri potest à judicando & præsidendo Comitijs, quamdiu est Rex, licèt tantùm Jure Humano habeat Regiam potestatem. Multò minùs arceri poterit summus Pontifex, qui supremam potestatem habet Jure Divino, & immediatè à Christo.

Ob. 2. Si Concilia Generalia non sunt legitima, nisi accedat consensus Papæ, vel præsidentis, vel saltem postea approbantis, tunc solus Papa potest refragari judicijs omnium aliorum Episcoporum, & ipse contra omnes aliquid definire: sed hoc dici non potest, quia arroganter suum judicium anteponeret tot sapientissimorum virorum communi sensui, & ipse temerè definiret: temerè autem definiens utique non habet assistentiam Divinam: ergo non requiritur consensus Papæ vel præsidentis vel saltem approbantis Concilium, ejúsque Decreta. II.

R. iterum cum disjunctione, vel Divinam Providentiam nunquam posse permittere, ut Pontifex adversetur omnibus in Concilio congregatis, & contra omnes intendat aliquid definire: vel si hoc permitteret, debere Pontificem ita dirigere, ut saltem privatim consuleret multos viros sapientes, implorato etiam Divini spiritûs afflatu (si enim hæc præstaret privatim, non procederet temerè) vel, si etiâ permitteret sine ejusmodi consultatione privata eum aliquid definire contra omnes, tunc quæro: vel certò constaret Ecclesiæ, Papam ita temerè procedere, vel non constaret; si certò constaret, Papæ sententia esset nullius roboris, cùm te-

temerè (& quidem notoriè) definienti nec Deus assistat, nec Ecclesia ei parére teneatur: si verò non constaret, tunc teneretur Deus in ejusmodi circumstantijs (quæ quidem nunquam factæ sunt, nec fient, imò probabiliter repugnant) suâ assistentiâ reddere infallibilem in nostra sententia, qui defendimus, Papam esse supra Concilium. In contraria autem sententia Deus teneretur infallibiles reddere cæteros Patres in Concilio congregatos. Notetur bene hæc responsio, qua dicimus, Deum vel non posse permittere, ut Pontifex temerè, contra omnes Concilij Patres, & sine prævia saltem privata deliberatione aliquid definiat: vel, si possit hoc permittere, debere ei ita assistere etiam temerè definienti, ut non erret: vel saltem debere manifestare, quòd Pontifex temerè procedat; siquidem hæc responsio viam occludit excipiendi contra Pontificum & Conciliorum definitiones eo prætextu, quòd non certò constet, an factæ sint modo debito, an verò temerè & inconsultò. Atque sub hac disjunctione propositio est certissima.

12. Ob. 3. Si Concilia Generalia, cum Capite unita, sunt infallibilia, tunc possunt facere novos fidei articulos: sed hoc est nimium; quia possent multiplicare articulos fidei ad libitum: ergo. R. T. A. N. Mi. Quia Spiritus S. non minùs est infallibilis assistendo Concilijs & Papæ, quàm assistendo ijs, qui scripserunt sacra Biblia, scilicet Prophetis & Apostolis. Nec propterea in eorum potestate est temerè & pro libitu cudere novos articulos, sed solùm quando oritur dubium & controversia, gravisque causa exigit. Cæterùm dixi: *transeat Ma.* Aliqui enim non improbabiliter dicunt, per Concilia & Papam non tam revelari novos articulos fidei, quàm proponi & declarari jam revelatos generaliùs, & in Scripturis atque Traditionibus antea latentes. Id verum est, Ecclesiam nunc non ampliùs regi novis revelationibus quoad substantiam præcipuorum fidei articulorum.

13. Ob. 4. Ab actu ad potentiam est bona argumentatio: sed actu jam erârunt multa Concilia, etiam cum Pontifice conjuncta: ergo. Mi. prob. ab inductione. R. N. m. & quia nullum exemplum adducitur, etiam tantùm generaliter respondeo, & novem puncta bene notanda adduco, ex quibus semper unum vel alterum quadrabit ad objectiones, quibus erâsse Concilia contenditur, facilè dissolvendas. Igitur 1. vel Concilia, quæ allegantur & dicuntur erâsse, non sunt Generalia. 2. vel si Generalia, non fuerunt legitima, aut approbata. 3. vel approbata quidem, sed solùm ex parte, & non secundùm ea, in quibus est error. 4. vel quod adducitur, non est sententia Concilij, sed tantùm alicujus Patris, quæ refertur in Concilio. 5. vel sunt argumenta tantùm & probationes præviæ. 6. vel tantùm est quæstio Facti, non Juris, & quidem facti particularis nullam habentis connexionem cum articulis fidei & quæstione Juris. 7. vel tantùm est error in decretis morum quoad *circumstantias* loci, temporis, personarum &c. Atque in his posse con-

contingere errorem, non negamus, quia contingit sine præjudicio Infallibilitatis Ecclesiæ circa *res fidei & morum*. An verò hactenus in uno vel altero ex dictis contigerit error, præscindimus, cùm examinare non permittat præstituta nobis brevitas. 8. vel verba Concilij à perversis malevolè trahuntur in alienum sensum. 9. vel denique omnino depravantur, aut perperam citantur, ut sit ab hæreticis, qui sine fraude & mendacijs rem suam tueri nequeunt. Atque ex his novem responsionum fontibus semper unus aut alter quadrabit ad solvendas objectiones. Adde, quòd contra hæreticos, aliunde quàm ex Scriptura contra nos argumenta petentes, excipere possimus: nihil enim juxta ipsos firmum est, nisi SS. Litteris expressum, aut indè clarè deductum.

§. II.

An Papa sit supra Concilium?

144. SCiendum 1. Statum quæstionis versari in hoc: utrùm Papa *solus* (sine Concilio sumptus) sit majoris auctoritatis, potestatis, & infallibilitatis, quàm sit Concilium *solum* (sine Papa præsidente, vel consentiente, spectatum) ita ut penes Papam sit dirigere, corrigere, approbare, vel reprobare Concilium & ejus acta; an vicissim penes Concilium (cum Capite non unitum) sit judicare, corrigere, &, si videatur, etiam punire & deponere Papam. Nam Concilium, cum Papa conjunctum, esse majus quid extensivè, nemo negat. 2. Sermonem esse de Papa certo, & non notoriè hæretico; si enim Papa esset dubius, aut notoriè & contumaciter hæreticus, eum à Concilio judicari, & etiam ministerialiter deponi posse, nemo inficias ibit, cùm Ecclesiæ vel maximè intersit, sibi posse providere de Capite certo, indubitato, & legitimo. 3. Quamvis hæc quæstio non solùm cum hæreticis, sed etiam cum quibusdam Catholicis (paucis tamen, & ferè solis Gallis, quorum etiam plerique mali citantur, tum quia solùm loquuntur de Pontifice dubio, tempore schismatis, tum quia variè videntur sentire, tum quia Propositiones Parisienses, in præjudicium Romani Pontificis factæ anno 1682. sub Innoc. XI. iterum revocatæ sunt (approbante Rege, laudatissimo Catholicæ Religionis Zelatore) à Clero & Episcopis Galliæ post aliquot annos sub Innocentio XII. Ut adeò præter Maymburgum & Dupinum, aliósque intempestivos Scriptores, qui post editas Propositiones Parisienses ante earum revocationem scripserunt, moderno tempore vix alios reperias ingens tamen inter utrosque adversarios discrimen esse: nam Catholici Adversarij fatentur, Papam esse Christi Vicarium, Petri Successorem in Primatu (scilicet honoris & præeminentiæ) Jure Divino, & esse Caput Ecclesiæ, & omnium Episcoporum, sed seorsim, non

non collectim sumptorum; quæ omnia ab hæreticis negantur. Vanè igitur triumphant, quasi secum sentirent Catholici. Neque dicant, Catholicos non esse unanimes in rebus fidei: quia Papam esse supra Concilium nondum est *clarè & expressis verbis* ab Ecclesia definitum pro articulo fidei. Quamquam *mihi* videatur *probabilius* esse, imò moraliter certum, quòd hæc veritas sit satis revelata, & definita. Unde

15. Dico. Papa est supra Concilium, juxta sensum antea explicatum. Prob. 1. ex Scriptura. Petrus (consequenter & Papæ, ejus Successor) fuit à Christo constitutus Pastor omnium fidelium, adeò ut, quisquis vult esse ovis Christi, Petro & ejus Successori Papæ subjectus sit velut Pastori Supremo: atqui omnes fideles, etiam Episcopi, sunt oves Christi, & quidem etiam tunc, quando sunt congregati in Concilio: ergo etiam Episcopi in Concilio congregati sunt subjecti Papæ: ergo Papa est supra Concilium. M. constat ex Jo. c. 21. ubi ad solum Petrum, præsentibus licèt alijs Apostolis, dixit Christus: *pasce oves meas*, sine ulla exceptione & restrictione. Simile quid dixit idem Christus ad solum Petrum Luc. 22. *confirma fratres tuos.* Item Mat. 16. *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Hæc ad solum Petrum (non ad Apostolos, etiam in Concilio congregatos, præsertim excluso Petro) dicta de solo Petro intelligi debent.

16. Prob. 2. ex ipsis Concilijs. Conc. Nicænum I. Can. 39. ait: *Qui tenet Sedem Romæ, Caput est, & princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi super cunctos populos, & cunctum Ecclesiam Christianam, & quicunque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* Chalcedonense to. 2. Concc. p. 139. edit. Colon. ad Leonem Papam sic scripsit: *quibus* (Concilij Patribus) *tu quidem ut Caput paeras.* Florentinum Sess. ult. in litteris Unionis sic dicit: *Item diffinimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in Universum Orbem tenere Primatum, esse Successorem B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput -- & ipsi B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi Universalem Ecclesiam à Domino nostro JESU Christo plenam potestatem traditam esse.* Lateranense, cui ipse Rex Christianissimus se inhæsurum sanctè promisit, sub Leone X. sess. 11. docet, Papæ auctoritatem Concilio præcellere, *& authoritatem super omnia Concilia habere*; idque exemplis Antiquorum Conciliorum probat. Ita Concc. Oecumenica. Audiatur etiam unum vel alterum Particulare. Romanum sub Sylvestro, uti & Romanum sub Leone III. & aliud Romanum sub Symmacho, item Sinuessanum dicunt, *Papam nullius judicio esse subjectum extra casum hæresis, judicare omnes, ipsum verò à nemine, ne quidem à toto Clero judicari posse.* Agmen claudat Constantinopolitanum IV. quod

quod fuit Oecumenicum. Istud can. 13. apertè asserit, *ne quidem à Concilio Generali posse in Romanũ Episcopum sententiam dici.* Quid ad hæc Adversarij Catholici? si hæresim effugerint, saltem temeritatem non effugient. Notentur verba, quibus Papa dicitur *Vicarius Christi*, *Successor Petri cum plenitudine potestatis*, *Caput super omnes Patriarchas & Principes & populos Christianos*, *& Universalem Ecclesiam* &c. Ubi hæc & similia dicuntur de Concilio, Papæ non unito? Aut si Concilium sine Papa velint Adversarij facere Christi Vicarium, Caput Ecclesiæ &c. duo erunt æqualis potestatis Vicarij Christi, duo Capita Ecclesiæ, & sic Ecclesia biceps.

17. Prob. 3. ex ratione. Ecclesia Universalis etiam in Concilio congregata est unum Corpus visibile: ergo debet habere Caput visibile: sed aliud visibile Caput Ecclesiæ, etiam in Concilio congregatæ, non potest assignari, nisi Papa: ergo. Confirmatur. Papa non accipit suam potestatem ab Ecclesia, vel à Concilio, sed à Christo: ergo Papa non dependet à Concilio, neque subjacet Decretis Concilij Generalis, saltem quoad *vim coactivam*, imò & quoad *vim directivam*, quamvis valde deceat, ut salubriter decreta observet etiam Prima Sedes. Unde paritas non est cum Rege, & Generali Præposito alicujus Ordinis Religiosi, qui subjacent Comitijs Generalibus; quia Rex à Regno, talis Superior ab Ordine Religioso habent suam potestatem, non immediatè à Christo, sicut Papa.

Solvuntur Objectiones.

18. Ob. 1. ex Scriptura. Mat. 18. universaliter dicitur: qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus: ergo omnes, etiam Papa, subjacet judicio Ecclesiæ. 2. In illis textibus, quos adduximus pro nostra sententia, nomine *Petri* intelligitur tota Ecclesia, & illa verba dicebantur Petro ut repræsentanti Ecclesiam: ergo. R. ad 1. Concilium sine Papa non est Ecclesia, nec repræsentativè: ergo Ecclesia, quæ audiri debet, sunt Præsules cum Papa, seu Concilium Papæ unitum. Dein ibi nomine Ecclesiæ non intelligitur Generale Concilium, ut patet ex contextu, sed pastores particularium Ecclesiarum. Ad 2. N. A. si enim id verum esset, sensus verborum Christi esset apertè nugatorius, scilicet iste: *Tu Ecclesia pasce Ecclesiam meam: fundabo Ecclesiam super Ecclesiam* &c. quid enim est Petrus, ut Ecclesiam repræsentans, aliud quàm Ecclesia repræsentata in Petro?

19. Ob. 2. ex Concilijs. Conc. Pisanum anno 1409. deposuit duos Pontifices Benedictum XIII. & Gregorium XII. de Papatu contendentes: ergo exercuit jurisdictionem in Pontifices. 2. Conc. Constantiense Sess. 4. & 5. dixit, *Concilium Generale immediatè à Christo habere suam potestatem, cui quilibet etiam Dignitatis Papalis, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem*

extirpationem dicti schismatis (de tribus Pontificibus pro Papatu contendentibus) *& ad reformationem Ecclesiæ in Capite & membris*: ergo penes Concilium Generale est potestas reformandi non tantùm membra, sed etiam Caput Ecclesiæ. 3. Concilium Basileense omnino definivit Sess. 2. *Pontificem subjacere Concilio*, & postea auctoritativè Eugenium IV. Pontificem citavit, suspendit, deposuit: ergo.

R. ad 1. de Concilio Pisano apud plerosque Auctores Catholicos esse dubium, an fuerit legitimum, & depositionem Pontificum, ab ipso attentatam, non multùm fuisse curatam, patet indè, quia memorati duo Pontifices postea adhuc permanserunt probabiles Pontifices, & ut tales non modò multi fideles, sed & Concilium Constantiense agnovit. Deinde non negamus, in Pontifices solùm *probabiles & dubios* posse sententiam ferri à Concilio. Ad 2. Conc. Constantiensi pariter res erat tantùm de Pontificibus *dubijs*, vel *schismaticis*, vel *hæreseos accusatis*, cujusmodi erant illius temporis tres Pontifices pro Papatu litigantes; cùm sua decreta de Superioritate Concilij supra Papam expresse restringat ad casum præsentis tum *schismatis*. Adde, quòd Sessiones 4. & 5. ubi tam ampla potestas tribuitur Concilio, non sint approbatæ; nam Martinus V. qui approbavit Concilium Constantiense sess. ultima, tantummodo approbavit, *quæ in materia fidei statuta erant: & conciliariter*. Atqui Concilium esse supra Papam nec est materia fidei; alioquin totus ferè Orbis Catholicus, exceptis paucis Gallis, esset hæreticus: neque id *conciliariter* est decisum, ut luculentè ostendit P. Leytam disc. pt. 5. s. 2. & alij: nec universaliter, sed tumultuatiè, & solùm à quibusdam schismaticis, repugnante majori & saniori Patrum parte, & nondum constituto Capite. Quàm verò nobis potiùs, quàm Adversarijs faveat Concilium Constantiense, cui ferè omnia tribuunt, colligere licet ex Martini V. Bulla Approbationis, in sess. 45. & ult. ubi pronuntiat apertè, Papam canonicè electum supremam in Ecclesia Dei habere potestatem. Ad 3. Concilium Basileense, quamvis legitimè inchoatum sit, tamen brevi desijt in *Conciliabulum* schismaticum, sathanicum, furiosum, vesanum &c. ut illud appellant sancti Antoninus, Bernardinus, & alij, qui eo tempore vixerunt. Et quando habita est Sessio 2. Pontifici tam injuriosa, jam fuerat solutum, & translatum Ferrariam, ac indè Florentiam, ub ipsémet Pontifex Eugenius præsidebat. Quæ post hanc Sessionem 2. acta sunt, vel sunt acta post discessum Legatorum Papæ, vel ab his ex proprio sensu sine instructione & ratificatione Papæ, adeóque invalidè, præsertim dū constituerunt Antipapam Felicem V. Nicolaus V. quidem ad cavenda nova dissidia postmodum confirmavit, & ratas habuit Beneficiorum collationes, provisiones, & privilegia, à Conciliabulo Basileensi & Felice V. Pseudo-Papa priùs invalidè concessa, sed quoad cætera neutiquam approbavit Concilij acta. Vide tom. 4. Concc. edit. Colon. p. 97. Item revocavit censuras & pœnas, ab Eugenio inflictas Basi-

Basileensibus ; quia & isti posuerunt contumaciam, suis decretis contra Auctoritatem Pontificiam abrogatis.

20. Dices. Ex Historia Ecclesiastica patet, jam sæpiùs fuisse appellatum à Papa ad futurum Concilium. Sic à Bonifacio VIII. appellavit Philippus Pulcher Rex Galliæ, ab Innocentio IV. Legatus Friderici II. Imperatoris &c. Ergo agnitum est, Concilium esse supra Papam ; quia appellatio fit à Judice inferiore ad superiorem. R. Fuit quidem aliquoties appellatum, sed male, injuste, & de facto, non de jure ; omnesque appellationes hujusmodi sub pœna Excommunicationis prohibuere Calixtus III. Pius II. Sixtus IV. & rectè quidem. Vel enim appellatio fieret à Papa ad Concilium Papæ unitum, vel non unitum? si posterius ; tunc appellatio fieret ad Concilium illegitimum, & ad Judicem nullibi & nunquam futurum. Si prius ; tunc fieret appellatio à Papa ad Papam, & ad talem Judicem, qui nunc non est, & probabilissimè nunquam erit, quamdiu vivunt Partes litigantes ; cùm Concilium Generale rarissimè & non nisi cum summis difficultatibus cogi possit. Quod nihil est aliud, quàm perditæ cautæ moram & asylum quærere, eludere sententias, & lites reddere immortales. Adde, quòd ejusmodi Appellantibus facile postmodum foret etiam contra Concilium excipere, dicendo, illud non esse legitimum, liberum, à Spiritu S. directum. Ita Lutherus primò appellavit à Caietano Cardinali ad Papam, dein à Papa malè informato ad Papam meliùs informatum, tum à Papa ad Concilium, & ubi vidit coactum Concilium, à Concilio ad Scripturam S. ab hac ad instinctum internum & sensum proprium, adeóque ad se ipsum. Sic nempe se ipsos denique constituunt Judices ejusmodi appellantes, sed tam ineptè, quàm iniquè. Responderi fortè posset 2. appellationes Catholicorum à Papa ad futurum Concilium olim factas esse, non tanquam ad majus Tribunal, quia factæ erant ad Concilium Papæ unitum, & ejus auctoritate fultum, sed ad meliùs pleniùsque informandum Papam per Concilium Universale, quod insinuari videtur in ipsa forma appellandi, quæ apud Philippum Pulchrum fuit hujusmodi : *à Sanctissimo Domino nostro N. minùs debitè consulto ad se ipsum meliùs consulendum &c. appellamus.*

Ob. 3. ex ratione. Papa est pars 21.
Ecclesiæ : ergo est minor quàm tota Ecclesia in Concilio congregata. 2. Papa est filius Ecclesiæ, & Ecclesia est Mater : Filius autem est minor Matre. 3. Episcopi in Concilio ferunt sententiam auctoritate Divina : ergo sine Papa sunt infallibiles. 4. Potentia agendi principaliùs est in toto, quàm in parte : Sed Ecclesia est aliquod totum, & Papa est pars : ergo. 5. Ecclesia eligit Papam, & Christus dirigit Ecclesiam, etiam mortuo Papa & Sede vacante : ergo Papa accipit suam potestatem ab Ecclesia, & penes Ecclesiam est summa auctoritas, etiam Papæ non unitam.

R. ad 1. Transf. A. N. C. vel D. est minor *extensivè*, hoc est, in Concilio

sunt plures homines, nempe præter Caput etiam membra. C. Conf. intensivè, hoc est, minor auctoritate, potestate, & infallibilitate, præsertim respectu Concilij sine Papa sumpti. N. C. nam in Papa residet tota potestas Christi Vicaria. Ad 2. D. M. Papa, ut est persona privata, est filius Ecclesiæ. C. M. prout Pontifex. N. quà Pontifex est *Papa* seu Pater Ecclesiæ. Ad 3. Dist. Ant. dicunt sententiam auctoritate Divina absolutè N. A. conditionatè, si nempe conspirent cum Christi Vicario. Transeat. dubium enim adhuc est, utrùm potestate immediatè accepta à Christo, an verò potestate à summo Pontifice immediatè sibi communicata, adeóque solùm mediatè accepta à Christo. Deinde sit, quòd auctoritate Divina dicant sententiam, quando sunt uniti Papæ; id tamen verũ non est, quando Concilium est sine Capite. Ad 4. hoc verum est de toto Naturali & Physico, in quo virtus agendi procedit ab intrinseco, hoc est, ab essentia; at in toto Morali & Supernaturali, in quo virtus agendi procedit ab extrinseco, id verum non est. Ecclesia est totum Morale & Supernaturale, habens suam potestatem à Christo, & quidem soli Capiti immediatè & principaliter communicatam. Ad 5. Quamvis Ecclesia habeat potestatem eligendi Papam, tamen ipsa non tribuit ipsi jurisdictionem Christi vicariam, sicut Canonici eligentes Episcopum non tribuunt ipsi potestatem & Ordinem Episcopalem, utpote quibus ipsimet carent. Mortuo Papa in Ecclesia non datur potestas Christi vicaria formaliter, sed tantùm radicaliter, hoc est, eatenus, quatenus Ecclesia potest eligere novum Pontificem, cui deinde à Christo confertur summa potestas, ut vel solus vel cum Concilio controversias possit decidere.

Dices. Si tota potestas Christi vicaria est penes solum Pontificem, tunc frustra convocata sunt hactenus tot Concilia tantis expensis, tantóque molimine: sed hoc dici non potest: ergo. 2. Est juris Naturalis, ut subditi possint se liberare à malo Principe: ergo & membra Ecclesiæ habebunt potestatem deponendi & coercendi Papam facinorosum, Ecclesiæ noxium &c. ferè sicut possunt deponere Papam hæreticũ. R. ad 1. N. M. quamvis non fuerit absolutè necessarium congregare Concilia, tamen fuit ad melius esse; quia Concilia prosunt ad hoc 1. ut magis convincantur protervi, & nullus omnino locus excipiendi ipsis relinquatur, præsertim quamdiu toleratur sententia, docens, Concilium esse supra Papam. Dico, *tolèratur*; nam ista sententia præcisè toleratur ut non hæretica; nullam verò habet probabilitatem, utpote fundamentis contrarijs enervatam. Quo casu nec Auctores, licet plures essent, ipsi aliquam probabilitatem conciliant; nam præsumptio cedit veritati. 2. Ut dogmata in Concilijs definita magis innotescant per totum Orbem, & facilior suaviórque sit executio earum rerum, quæ decernuntur præsentibus & consentientibus totius Mundi Prælatis, qui commodè vocari & adesse possunt. 3. ut decretis fidei & morum hoc modo accedat major auctoritas *Humana*, cò 22.

quòd

quòd humanitus non facilè contingat, ut tot viri sapientissimi & probatissimi fallantur, & iniqua præcipiant. Ad 2. Dist. Ant. ut subditi, qui suo Principi contulerunt jurisdictionem in se, possint se ab illo liberare, si malus sit. C. Ant. qui ipsi non contulerunt jurisdictionem. N. Ant. Ecclesia non confert Papæ jurisdictionem suam. Quid ergo superest Ecclesiæ, si criminosum nanciscatur Pontificem? R. debet confugere ad preces & opera sancta, ut DEUS pro sua Providentia & Clementia succurrat. Dein potest à Concilio, vel alijs, modestè admoneri, rogari, fraternè corripi, & si Ecclesiæ damnosus sit, etiam coërceri jure defensionis: imò si vi, aut injustis legibus, aut alio modo niteretur nocere Ecclesiæ, posset etiam tanquam injustus invasor armis repelli, & ipsi resisti jure naturali justæ defensionis, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, quia tali casu non potestati Papali, sed injustæ invasioni resisteretur.

ARTICULUS III.

An Papa, etiam extra Concilium Generale, sit legitimus Controversiarum fidei Judex?

Summarium.

1. *Certum est, dari debere in Ecclesia Judicem Controversiarum fidei.*
2. *Qui sit infallibilis, & summa potestate præditus.*
3. *Papa considerari potest & debet ut homo privatus, & ut Rector Ecclesiæ, seu ex Cathedra loquens. quid hoc sit.*
4. *Papa ex Cathedra loquens (etiam extra Concilium) ferre potest leges totam Ecclesiam obligantes.*
5. *Et infallibiles decisiones facere circa res fidei.*
6. *Quod ostenditur ex Scriptura.*
7. *Ex Traditione.*
8. *Et ratione.*
9. *Nec opus habet consensu Ecclesiæ.*
10. *An Papa sit infallibilis speciatim in approbandis Religiosis Ordinibus, canonizandis Sanctis, censurandis propositionibus.*
11. *Et quam certa hæc sint.*
12. *Papa etiam extra Concilium est legitimus Judex Controversiarum in rebus fidei & morum.*
13. 14. 15. *Quid opponatur Pontificis potestati ad ferendas leges universales & in conscientia obligantes.*
16. *Quid opponatur ejus infallibilitati in definiendis articulis fidei, ex ratione.*
17. *Quid ex paritate cum alijs vitijs, in quæ cadere potest Papa.*
18. *Quid ex Scriptura.*
19. *Quid ex rebus gestis Pontificum.*

20. *Quid ex Jure Canonico.*
21. *Quid ex contradictionibus apparentibus Pontificum.*
22. *Quid ex actis circa Formesum Papam.*

1. SCiendum 1. Extra dubium apud omnes rectè sentientes esse 1. Quòd in Ecclesia debeat dari aliquis fidei controversiarum Judex, & quidem universalis, summa potestate instructus, infallibilis, & clarè ac ita ferens sententiam, ut à Partibus litigantibus percipi, & sciri possit, penes quam stet victoria. Si enim defuerit talis Judex, controversiæ fidei erunt immortales, in Ecclesia nihil erit certum & indubitatum, sed mera confusio, mera incertitudo, atque nulla fidesDivina. 2. Quòd ejusmodi Judex non sit S. Scriptura, utpote de cujus existentia, integritate, puritate, ac præcipuè sensu præcipua lis est. Multò minus spiritus internus, utpote incertus, in diversis hominibus diversus, & monopolium omnium errorum; ut de Scriptura tractantes ostendimus. 3. Quòd Papa unà cum Concilio Generali saltem sit iste Judex legitimus, memoratis dotibus instructus, patet ex dictis, cùm major auctoritas in Ecclesia excogitari non possit, quàm Papa cum Concilio. Quæstio nunc est, ex priore orta, utrùm Papa solus, & extra Concilium Generale, sit legitimus controversiarum fidei Judex.

2. Sciendum 2. Præcipuè has duas dotes requiri in legitimo controversiarum Judice, *potestatem supremam, & infallibilitatem.* Nisi enim *summa potestate* præditus sit, facilè ejus auctoritas spernitur, nec leges ferre, earúmque observantiam urgere efficaciter potest: nisi *infallibilitate* instructus sit, tutò & indubitatò ei credi non potest: in rebus autem fidei vel maximè requiritur summa certitudo, & summa firmitas in credente. Loquimur autem potissimùm de Potestate Jurisdictionis, & quidem Ecclesiasticæ externæ. Circa quam, uti & vel maximè circa infallibilitatem Pontificis

Sciendum 3. Papam dupliciter con- 3.
siderari. 1. ut est persona & Doctor privatus. 2. ut est persona & Doctor publicus, & Rector Ecclesiæ, sive ut aliquid ab omnibus credendum vel faciendum authoritativè proponens, definiens, seu ex *Cathedra loquens*, ut vocamus. Porro ad hoc, ut Pontifex censeatur *loqui ex Cathedra*, ex communi sensu Doctorum requiruntur hæc tria. 1. ut intendat aliquid definire vel præcipere pro tota Ecclesia. 2. ut nihil intendat definire contra aliquem fidei articulum jam antecedenter definitum & satis revelatum. 3. ut non procedat temerè, sed rem prius diligenter discutiat, consultis etiam hominibus doctis, & implorato auxilio ac directione Divina. Notandum tamen hìc est, quòd semper, quotiescunque Papa aliquid definire formaliter intendit ut Caput pro tota Ecclesia, præsumi debeat, illum adhibuisse debitam diligentiam, & nihil hæreticum definire; nisi certò & evidenter constaret contrarium. Aliàs enim impijs & pertinacibus semper

super

supereſſet effugium, & via eludendi definitiones Pontificias. Neque ad ſubditos ſpectat examinare actiones Superioris, multò minùs Vicarij Chriſti.

4. Dico 1. Papa, etiam extra Concilium Generale, habet ſupremam poteſtatem obligandi totam Eccleſiam per Leges à ſe latas. Probatur 1. Chriſtus promittens Petro claves Regni Cœlorum ad eum ſolum dixit in ſingulari: *quodcunque ligaveris ſuper terram* &c. Mat. 16. Atqui *ligare* juxta Scripturam ſignificat etiam leges ferre, & obligare: uti Mat. 23. Ergo Petrus accepit indefinitam poteſtatem ferendi leges & obligandi totam Eccleſiam, & quidem ſolus ſine Concilio. Quod autem datum eſt Petro, datum intelligitur etiam Succeſſoribus ejus, qui ſunt Romani Pontifices. Prob. 2. In Antiqua Lege ſolus Sacerdos ſeu Pontifex Maximus habebat poteſtatem obligandi omnes Iſraëlitas: ſed Caput Eccleſiæ non debet eſſe minoris auctoritatis, quàm Caput Synagogæ: ergo. M. conſtat ex Deuteron. c. 17. ubi ſic dicitur: *qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino DEO tuo, & decreto Judicis, moriatur homo ille.* Prob. 3. Ille poteſt ferre leges pro tota Eccleſia, qui eſt legitimus Superior, & Rector totius Eccleſiæ: ſed Papa, etiam extra Concilium, eſt legitimus Superior & Rector totius Eccleſiæ; quia eſt Chriſti Vicarius, omnes omnino oves ſine ulla exceptione ſibi habens commiſſas ab ipſo Chriſto: ergo. Prob. 4. bonum Eccleſiæ exigit, ut ſemper poſſint ſalutares leges condi totam Eccleſiam obligantes: ſed Concilium Generale non ſemper potuit, nec deinceps ſemper poterit convocari: ergo penes alium debet eſſe iſta poteſtas; utiq; penes Papam. Confirmatur ex SS. PP. ex quibus S. Ign. ep. ad Trall. ait: *qui igitur iis* (Romanis Pontificibus) *non obedit, Atheus prorſus, & impius eſt, & Chriſtum contemnit, & conſtitutionem ejus imminuit.*

Petes, an leges à Papa latæ, etiam obligent in conſcientia? R. haud dubiè. Qui enim reſiſtit Papæ, reſiſtit DEO, cujus Papa eſt vicarius. *Qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi DAMNATIONEM acquirunt. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam PROPTER CONSCIENTIAM.* Rom. 13. Si juxta Paulum omni Poteſtati (*non enim eſt poteſtas niſi a DEO* ibid.) parendum eſt propter *conſcientiam*, & ne incurratur *damnatio*; vel maximè ſic parendum erit Poteſtati Eccleſiaſticæ. 5.

Dico 2. Papa, etiam extra Concilium Generale, ex Cathedra loquens, eſt infallibilis. Intellige cum illa limitatione, quam de infallibilitate Conciliorum ſuprà p. 374. ſtatuimus. Scilicet infallibilem duntaxat dicimus in ijs, in quibus conſiſtit ipſa definitio vel decretum, non in alijs, cujusmodi ſunt argumenta, & probationes, quæ incidenter proponuntur, quæſtiones *facti* particularis, circumſtantiæ perſonarum, locorum &c. in decretis morum. Papa enim infallibilis eſt propter Eccleſiam, hoc eſt, ne tota Eccleſia incidat in errorem circa res fidei, & bonos mores. Neque dicas, ſi hoc ſit verum, à nobis com-

committi circulum vitiosum; nam Papa est infallibilis propter Ecclesiam, ut hic dicimus; & Ecclesia est infallibilis propter Papam, ut nuper diximus, asserendo, totam Ecclesiam, in Concilio Generali congregatam, sine Papa nullius esse auctoritatis. Nam R. tò *propter* accipi in diverso genere causandi: quando dicimus, Papam esse infallibilem *propter Ecclesiam*, accipitur in genere causæ finalis, ut sensus sit: Ecclesiæ utilitas, & immunitas ab errore, est finis, cur Papæ concessa sit infallibilitas. Contrà cùm dicimus, immunem ab errore Ecclesiam esse *propter Papam*, accipitur in genere causæ, efficientis, ut sensus sit, Papa est talis Rector Ecclesiæ, qui eam facit & præstat infallibilem per suam infallibilitatem, intuitu Ecclesiæ finaliter à Christo acceptam.

6. Probatur nunc assertio 1. ex Scriptura. Luc. 22. dicit Christus ad Petrum: *Simon Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Specialiter hîc notandum est, Christum cæpisse loqui in plurali, *expetivit vos*, postea verò mutatâ loquendi formâ usũ esse singulari, *rogavi pro te, fides tua, conversus confirma &c.* Ut scilicet indicaret, infallibilitatem Capiti, non membris, se petijsse & impetrâsse, ita ut Petrus etiam sine membris, adeóque sine Concilio, esset infallibilis & *indeficiens in fide*; non enim dixit, *rogavi pro vobis*, sed *pro te*; *Vos confirmate*, sed *tu confirma* fratres. Quod autem impetravit Petro, impetravit & ejus successoribus; quia propter utilitatem Ecclesiæ impetravit; Ecclesia autem semper indiget aliquo, qui eam infallibiliter *confirmet in fide*. Præterea quòd Christus pro solo Petro ibi rogaverit, non pro tota Ecclesia, non solùm pater ex ipso nomine Petrum designante *Simon Simon, pro te, tu &c.* Verùm etiam quia dixit *conversus*; quod utique Ecclesiæ convenire non potest, utpote quæ nunquam tota perverti, adeóque nec *converti* potest.

Confirmatur ex eo, quia Petrus à Christo constitutus est fundamentum Ecclesiæ, & Pastor Universalis omnium fidelium. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Mat. 16. *Pasce oves meas.* Jo. 21. Vel ergo Ecclesia tenetur Petrum, & ejus successores sequi etiam extra Concilium docentes, vel non tenetur? Si tenetur; hoc ipso debent esse infallibiles; aliàs tota erraret Ecclesia: si non tenetur, tunc non amplius sunt Superiores, & Pastores Ecclesiæ, sed umbra, & nil nisi inane nomen habentes.

7. Prob. 2. ex Traditione Apostolica, quam nobis testantur SS. Patres, & insuper Ecclesiæ perpetua praxis, cùm constet, per singula propè sæcula, dum Synodus Generalis vel absolutè vel commodè convocari non poterat, à solis Pontificibus fuisse damnatas hæreses, & consequenter oppositas doctrinas pro fidei articulis definitas. Quippe post declarationem solius Papæ à reliqua Ecclesia vel pro hæresi vel pro fidei dogmate habita est doctrina, prout eam declaravit Papa. Sic primis tribus sæculis, in quibus non fuit ullum Concil-

cilium Generale, damnatæ à Pontificibus, & post postea à fidelibus ut tales habitæ sunt variæ hæreses, v. g. Nicolaitarum, Marcianistarum, Montanistarum, Novatianorum &c. item Tertulliani & Origenis. In quarto sæculo Damnata est hæresis Joviniani à Siricio Papa in ep. 2. adversus Jov. In quinto hæresis Pelagiana, quæ, ut loquitur S. August. toties victa toties pugnæ restituta tum demum profligata est, ubi Romanus Pontifex se prælio miscuit. Atque sic de reliquis sæculis loquendo. Sed quòd docet praxis Ecclesiæ, docent & testimonia Patrum. S. Anacletus, qui rexit Ecclesiam anno 101. ep. 1. sic loquitur. *Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro Primatum obtinuit --- Quòd si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, aut Majorum judicia, aut majores causæ fuerint, ad Sedem Apostolicam referantur: quoniam Apostoli hoc statuerunt jussione Salvatoris* &c. S. Julius anno 336. in epist. gemina adversùs Episc. Orientales in hunc modum scribit: *Conciliorum convocandorum jura & majores causas ad Sedem Apostolicam Evangelicis, Apostolicis institutis referri oportet. Id à Sanctis Apostolis, & Successoribus eorum, id à Nicæna Synodo definitum est.* Vid. plura ibi. Inter causas verò & quæstiones majores utique primæ sunt causæ fidei. S. August. l. 4. contra duas epp. Pelag. c. 12. ait: *Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione, damnata sit: cùm potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit.* Ergo de Traditione Apostolica apertè testantur tum PP. tum Ecclesiæ praxis.

8. Prob. 3. Si Papa non est infallibilis extra Concilium, tunc non omni tempore datur infallibilis auctoritas in Ecclesia, imò sæpe dari moraliter impossibile est, cùm non nisi rarissimè & difficillimè atque immensis propè sumptibus cogi Concilia Generalia possint: atqui sic non esset satis provisum Ecclesiæ, cùm omni tempore oriri hæreses, & dubia circa res fidei nasci possint. Adde, quòd, etsi convocarentur Concilia cum ingenti molimine, tamen non omnis excipiendi via obstrueretur perversis & refractarijs Christianis, & ferè æquale metuendum esset periculum, ne fortè dicerent: Concilium non esse Universale, liberum, legitimum, non omnia decreta esse *conciliariter* facta, scilicet præmisso diligenti examine, plurium non *interessatorum*, ut loquuntur, suffragijs &c. Ergo ne tam facilè eludatur omnis Ecclesiæ definitio, asserenda est Pontifici, etiam extra Concilium definienti, infallibilitas.

Quæ argumenta, ex Verbo Dei tam scripto quàm non scripto atque ex ratione petita, tam sunt efficacia, ut nullus Catholicorum videatur posse refragari nostræ assertioni, uti etiam nullus, quod scio, refragatur. Nam neque Catholicissima Gallia, quæ utique non plùs adversatur Pontificis auctoritati, quàm Propositiones Parisienses (nunc iterum revocatæ ab ipsis Gallis) à communi sententia videntur recedere per

quàrtam suam propositionem, qua dicunt, *Pontifices* extra Concilium definientis *judicium non esse irreformabile, nisi Ecclesiæ consensus accesserit*: quia non requirunt consensum Ecclesiæ per Concilium Generale, sed modò accedat consensus & acceptatio Ecclesiæ, sive intra sive extra Concilium. Verùm quia tamen & hoc præjudicat Pontificiæ auctoritati, ideo

9. Dico 3. Papa ex Cathedra loquens est infallibilis independenter à consensu Ecclesiæ, vel intra vel extra Concilium dando. Adeóque decreta fidei & morum, à Pontifice extra Concilium facta, habent vim suam ante acceptationem & assensum Ecclesiæ, ita ut omnes teneantur credere definita, & parére ejus legibus justis. Probatur 1. fere ijsdem argumentis, quibus assertiones duæ præcedentes. Et utique officium Pastoris est ovibus designare pascua, & eas huc vel illuc ducere indepedenter ab earum judicio & beneplacito. Et Petro dictum est, ut *confirmet fratres*, non ut confirmetur ab ipsis: ergo Papæ sententia non est roboranda judicio fidelium. Prob. 2. specialiter sic. Si sententia Papæ primùm redditur infallibilis & irrefragabilis accedente consensu Ecclesiæ, tunc Papa nihil habet speciale ab alijs Episcopis, imò à privatis Doctoribus; cùm etiam horum sententia evadat infallibilis conspirante in eam totâ Ecclesiâ: Atqui Papa debet habere ab his aliquid speciale; cùm pro ipso rogaverit Christus, ut non deficiat fides ejus, penes ipsum sit confirmare fratres, super ipsum ædificata Ecclesia &c. Et cùm ex communi Ecclesiæ sensu, & praxi perpetua, sententia Pontificis præ alijs omnibus fuerit attenta.

Hoc tamen fateor, quòd consensus Ecclesiæ subsequens serviat ad hoc, ut quòad nos magis constet, Papam ex Cathedra esse locutum.

Petes, an Papa sit speciatim infallibilis. 1. quando approbat aliquem Ordinem Religiosum. 2. quando Sanctis, vel Beatis adscribit aliquem hominem. 3. censurâ afficit aliquam sententiam? R. ad 1. cum communi Theologorum affirmativè. Ratio est, quia Pontifex approbans Ordinem Religiosum proponit toti Ecclesiæ aliquod vitæ genus tanquam honestum, pium, & sanctum: ergo tale vitæ genus necessariò est honestum, pium, & sanctum; aliàs enim deciperet Ecclesiam in re magni momenti, ad salutem animarum & ad mores pertinente: quod fieri nequit. Ad 2. iterum annuo. Ratio est, quia Pontifex aliquem declarando pro Sancto aut Beato proponit illum toti Ecclesiæ colendum, quia vult, aut saltem permittit, ut in illius honorem offeratur Sacrificium Missæ (quod offertur nomine totius Ecclesiæ) ut publicè invocetur tanquam Dei amicus in cœlo existens & noster Patronus, ut erigatur ipsi statua, altare &c. Ergo necessariò est Dei amicus, qui à nobis rectè colatur, & invocetur tanquam Patronus, in cœlo existens. Aliàs tota Ecclesia turpissimè erraret, & quidem non minùs, ac si per errorem judicaret, diabolum rectè coli & invocari tanquam Amicum Dei in cœlo existentem (quid enim interest inter diabolum & hominem 10.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nem damnatum?) quod absurdissimum foret, & utique impossibile. Ad 3. Responsio rursus est affirmativa. Aliquod tamen discrimen faciendum est inter propositiones, quas censurâ afficit Pontifex. Aliquas enim damnat ut *hæreticas*, & tales utique hæreticæ sunt, quia virtualiter definit, earum contradictorias esse de fide: sed juxta dicta Pontifex, etiam extra Concilium, circa res fidei est infallibilis. Alias autem proscribit tanquam *hæresi proximas, sapientes hæresim, erroneas; errori proximas, male sonantes, piarum aurium offensivas, temerarias, scandalosas, blasphemas, impias &c.* Et istæ pariter dignæ sunt tali censurâ; si enim in his censuris erraret Papa. Tanquam Doctor publicus & Universalis cum ipso erraret tota Ecclesia, utpote obligata ad amplectendam ejus doctrinam, & quidem in rebus circa honestatem & inhonestatem actionum humanarum, circa usum Sacramentorum &c. nam circa hujusmodi versari solent propositiones, quæ censurantur, qui error non leviter repugnaret puritati & sanctitati Ecclesiæ: ergo contingere non potest.

11. Sed quæres ulteriùs, quam certum sit, Papam extra Concilium definientem & docentem, in suis decretis infallibilem esse? R. 1. Secundùm ea, quæ hactenus disputavimus, probabilissimum esse, quòd fide Divina certum, & credibile sit, cum *in declarandis & proponendis rebus fidei* infallibilem esse etiam extra Concilium; quia allatis argumentis probabilissimum, imò moraliter certum redditur, id esse revolatum. Cùm verò nulla exstet aperta & clara Ecclesiæ definitio, certum absolutè non est, id esse de fide. Ex Bellarm. & alijs deducitur, id esse *forè de fide, & contrarium sentientes à temeritate excusari non posse.* Alij sententiam oppositam esse ajunt inter illas, quæ non sunt probabiles, sed *præcise tolerantur* ad cavendum majus malum. Alij gravioribus censuris afficiunt. R. 2. in alijs rebus v. g. *in approbandis Religiosis Ordinibus, in canonizandis & beatificandis Sanctis, in ferendis censuris propositionum* (quando eas damnat ut *hæreticas*) loquendum est juxta jam datam responsionem, Pontificem, extra Concilium pronuntiantem, pariter esse infallibilem, tanquam certum de fide putant aliqui, alij tamen fidei proximum, alij piè credendum, alij tam certum, ut oppositum judicent esse erroneum &c. De certitudine igitur, an scilicet fide Divina, an tantùm moraliter certum sit, aut quomodo, de infallibilitate Pontificis extra Concilium pronuntiantis, non convenit inter Auctores Catholicos. In hoc tamen satis conspirant, quòd oppositum non sit probabile; cùm, etiamsi quidam oppositum docuerint, eorum tamen opinio à cæteris per solidissima argumenta ita enervetur, ut non sit probabilis. Quando verò accedit consensus Ecclesiæ vel in vel extra Concilium, tùm fide Divina certum est apud omnes Catholicos, Papam non errare posse in iebus fidei.

12. Dico 4. Papa, etiam extra Concilium Generale loquens ex Cathedra, est legitimus Judex controversiarum in

rebus

rebus fidei & morum. Sequitur hæc assertio clarissimè ex dictis, & probatur 1. Judex legitimus controversiarum fidei est ille, qui habet dotes requisitas, inter quas præcipuæ sunt summa potestas jurisdictionis Ecclesiasticæ, & infallibilitatis: sed has habet Papa, etiam extra Concilium Generale, ut ostensum est: etgo. Prob. 2. Ad Petrum (consequenter ad omnes ejus in Pontificatu Successores, cùm Christus Ecclesiæ suæ consulere debuerit & voluerit non per 25. annos tantùm, sed in perpetuum) dictum est: *quodcunque ligaveris, &c. quodcunque solveris* &c. ergo sine exceptione potest omnes nodos solvere rerum dubiarum, peccatorum, pœnarum &c. Item: *pasce oves meas.* scilicet *scientiâ & doctrinâ* Jerem. 3. hoc enim modo pascuntur oves rationales. Prob. 3. ex continua Ecclesiæ praxi, *cui repugnare insolentissimæ insaniæ est*, teste S. August. ep. 118. Nam in omnibus sæculis exorta dubia leguntur esse terminata judicio Romani Pontificis sæpissime extra Concilium Generale.

Solvuntur Objectiones.

13. Objiciunt 1. Lutherani, pro domo sua, hoc est, libertate, ut ajunt, Evangelica decertantes. Christiani non possunt adstringi mandatis hominum, & Legibus humanis; *ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas.* 2. Cor. 3. *Non sumus Ancillæ filij, sed Liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Gal. 4. *Nolite iterum jugo servitutis contineri.* Gal 5. *Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi.* Colos. 2. Ergo Papa, utpote homo, non habet potestatem ferendi Leges v. g. de discrimine ciborum, observatione festorum &c.

R. Libertas Christiana & Evangelica minimè consistit in liberatione ab omnibus præceptis Præpositorum nostrorum; imò Christus per Paulum præcipit expresè obedientiam ipsis præstandam: *obedite Præpositis vestris.* Hebr. 13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* Rom. 13. Sed consistit in liberatione à peccato, & à servitute Legum ceremonialium & judicialium (quæ erant propriæ Veteri Testamento partim tanquam Umbra & Figuræ Novi, partim tanquam propriæ regimini & statui populi Israëlitici) à quibus nos Christus liberavit, & mutato statu voluit mutari etiam præcepta. Unde non est obligatio apud Catholicos abstinendi à cibis certis diebus, celebrandi certa festa &c. quia hæc vel similia erant præscripta in Veteri Lege, sed quia visum est Ecclesiæ iterum quædam præcipere in Lege Gratiæ, sicut jam ipsi Apostoli Act. 15. præceperunt de novo; ne Christiani comederent de suffocato, & sanguine. Neque abstinemus à certis cibis, quasi illi per se sint immundi, sed quia à legitima potestate certo die ex justis causis prohibiti.

Urgent: Leges Papistarum sunt plurimæ & dificillimæ: ergo si istis obligantur Christiani, nihil profuit ipsis liberari

à jugo importabili Veteris Testamenti. 2. Solus Deus, qui intuetur corda hominum, potest obligare homines in conscientia, tum quia solus cognoscit transgressiones occultas, tum quia solus potest infligere proportionatam pœnam, & æternùm damnare. Ergo Papa neminem potest obligare in conscientia. R. ad 1. N. A. sunt enim pauciſſimæ, & facillimæ illæ Leges, quibus Christiani adstringuntur, & ferè istæ quatuor duntaxat, *servare certa festa, certa jejunia, confiteri semel in anno, & in Paschate S. Communionem sumere.* Cætera, quæ in Jure Canonico habentur, aut in tomis Conciliorum, vel sunt admonitiones & instructiones piæ, non obligantes sub peccato, vel obligantes solummodo certos homines, & sub conditione, qui v. g. volunt admitti ad Sacros Ordines, vel sunt Regulæ Ecclesiasticis Judicibus præscriptæ, vel sunt Censuræ, vel explicationes dogmatum &c. Dein etiam paucæ illæ leges, quæ in conscientia obligant omnes Christianos, sunt longè mitiores, quàm præcepta Veteris Testamenti; quia Ecclesia tanquam pia Mater ex rationabili causa facilè dispensat. Accedit, quòd non sint tam nova præcepta, quàm determinationes Legis Divinæ; nam Lege Divina tenemur temporibus quibusdam vacare cultui Divino, castigare corpus, confiteri peccata, & sumere Corpus Domini. Ecclesia verò modum duntaxat & tempus determinavit, quibus ista fieri debeant. Quare si aliquod in his 4. Legibus Ecclesiæ reperiretur onus grave, illud potiùs tribuendum esset Legi Divinæ. Ubi igitur tyrannis Papæ, quam toties ogganiunt hæretici? Ad 2. Solus quidem Deus *ex se & natura sua* habet potestatem in conscientiam hominis; homo tamen, Dei Vicarius & Minister, habet potestatem *participatam* eatenus, quatenus à Deo accepit potestatem ferendi leges. Unde etiamsi homo non videat corda hominum, nec per se infligere possit pœnam æternæ damnationis, Deus tamen hæc scit & potest, qui vindicat transgressiones legum per suos Vicarios latarum, & quos ligat Petri potestas *in terris, ligatum esse voluit coram se in cœlis.* Mat. 16. *Qui vos spernit, me spernit* &c. Luc. 10.

Instant. Decisiones Papæ sunt Leges humanæ: sed Leges humanæ non obligant, nisi acceptentur à subditis: ergo ut decisiones Papæ obligent tanquam infallibiles, debent priùs acceptari: ergo sine consensu Ecclesiæ non sunt firmæ. Confirmatur: Decreta etiam Concilij Tridentini non omnia sunt ubique acceptata, uti in Gallia, atque ideo in his locis non obligant: ergo à fortiori idem dicendum est de Decretis Papæ extra Concilium. R. 1 D. M. Decisiones Papæ in rebus ad fidem pertinentibus sunt Leges humanæ. N. M. in rebus ad mores pertinentibus C. M. Decreta fidei à Pontifice facta non sunt propriè dictæ Leges & præcepta, sed potiùs declaratio quædam Divinæ locutionis, per quam nobis infallibiliter innotescit, Deum hoc vel illud revelâsse: quâ notitiâ semel habitâ non amplius est in nostro arbitrio, ut illud credamus vel non credamus, sed Jure Naturali ac Divino mox obli- 154

gantur omnes ad assensum firmissimum veritati, taliter à Deo revelatæ, præstandum. Unde etiamsi decreta & decisiones fidei vocarentur Leges, non tamen possent vocari Leges *Humanæ*, nec in arbitrio Ecclesiæ est, assentiri vel non assentiri, quia Jure Naturali ac Divino obligantur omnes credere veritates à Deo revelatas, postquam sufficienter constat de earum revelatione.

R. 2. Transmissâ M. Si loquatur de decisionibus & decretis morum. D. m. Leges humanæ, Civiles, & Politicæ, non obligant ante acceptationem subditorum T. m. Ecclesiasticæ seu Canonicæ. N. m. de his enim longè probabilius est, ut ostendit Suarez l. 4. de Legibus a. 16. quòd obligent, antequam acceptentur à subditis, & quòd subditi illas teneantur acceptare, supposito, quòd sint justæ. R. 3. Eandem difficultatem habent Adversarij in decretis morum ab integro Concilio factis; eodem enim jure possum dicere, ea vim obligandi non habere, donec acceptentur à reliquis fidelibus, qui Concilio non interfuerunt; quod difficile est admittere. Ad confirmationem dico, decreta Concilij Tridentini ad Fidem pertinentia statim ubique gentium fuisse acceptata, & debuisse necessariò acceptari ab omnibus fidelibus propter rationem superiùs allatam, etiam in Gallia, licet non omnia decreta ad Mores pertinentia fuerint ibidem statim acceptata, & completè obligaverint: quod indè factum est, quia vel ipsum Concilium noluit uti absoluta potestate obligandi omnes omnino fideles ad hæc Morum decreta recipienda, sed ex gravibus causis aliquam libertatem quibusdam permisit, vel quia initiò quædam culpabiliter non fuerunt acceptata, nec in usum deducta, successu tamen temporis per consuetudinem à Pontifice toleratam fuerunt omnino exclusa, & sic nunquam obtinuerunt vim obligandi completam, & in actu 2. Quo modo etiam Leges, semel receptæ, iterum abrogari possunt.

Ob. 2. Qui agit liberè, potest errare, 16.
quia est indifferens ad bonum & malum: sed Pontifex definiens agit liberè: ergo. 2. omnis homo est mendax, seu potens mentiri & fallere. 3. Si Papa ex Cathedra loquens non posset errare, fieret perpetuum miraculum: sed hoc admitti non potest: ergo.

R. Ad 1. Pontifex, ex Cathedra loquens, est quidem liber quoad exercitium, non tamen quoad specificationem actûs, hoc est, eam habet libertatem, ut possit aliquid definire vel non definire, non autem, ut hoc vel illud, verum vel falsum definiat; sed supposito, quòd definire aliquid velit, definire falsum non potest propter assistentiam Spiritûs S. Ad 2. Papa definiens, seu ex Cathedra loquens, manet quidem homo, sed tamen à Spiritu S. ita dirigitur, ut errare, & errando totam Ecclesiam decipere non possit. Ad 3. Quæro, quid intelligas nomine Miraculi? Si nihil aliud intelligas, quàm rem Naturæ totius vires superantem, verum dicis, sed nihil novi, quia hoc miraculum quotidianum est in pluribus rebus v. g. in justificatione peccatoris, administratione Sacramentorum, sacrificio Missæ &c. Nempe Ecclesia

con-

conservatur & regitur supernaturaliter, sicut fundata est supernaturaliter. Si verò nomine Miraculi intelligas rem non tantùm Naturæ viribus superiorem, verùm etiam majorem, quàm Ecclesia, taliter à DEO constituta, & elevata, exigat, falsum dicis; quia fit connaturaliter, hoc est, juxta exigentiam Ecclesiæ taliter à DEO constitutæ, & tantis promissionibus munitæ. Si placet distinguere *Majorem*, dic fieri perpetuum miraculum in *ordine Naturæ*, hoc est, ultra exigentiam Naturæ C. Ma. in *ordine gratiæ*, hoc est, ultra exigentiam Ecclesiæ taliter constitutæ N. Ma. sicut miraculum in ordine gratiæ non censetur, si peccator agat pœnitentiam, licèt eam agere ex Naturæ viribus nequeat, & sine gratia supernaturali, quæ gratia, utpote promissa, quia datur ordinariè omnibus, DEO cooperantibus, non censetur esse miraculum in ordine gratiæ. 16.

17. Ob. 3. Potest Papa cadere in alia peccata simoniæ, superbiæ, avaritiæ, luxuriæ &c. ergo etiam in hæresim. 2. Petrus gravissimè erravit in fide, dum Christum negavit: ergo & Papa, ejus successor, errare potest in fide: ergo infallibilis non est in rebus fidei. R. ad 1. Aliud est Papam cadere in hæresim, aliud ex Cathedra docere hæresim. Illud transmitto, licèt multi negent cum Bellarm. istud nego fieri posse. Cæterùm Christus non rogavit pro humilitate, justitia, castitate &c. sed pro fide Petri, ne in hac deficeret. Oportet ergo publicam Doctrinam esse incorruptam, licèt fides privata Pontificis, & mores possint esse mali. Ad 2. Petrus negando Christum non erravit in fide, quia internam semper retinuit, sed solùm defecit in Christiana fortitudine, qua tenebatur fidem internam etiam exteriùs profiteri. Multò minùs hunc privatum errorem docuit ex Cathedra. Imò tunc nondum erat Pontifex, quia Pontificatum consecutus est primùm post Resurrectionem Christi Jo. 21. licèt tunc jam fuerit ipsi promissus Mat. 16.

Ob. 4. In illo textu, *pasce oves meas* Jo. 21. non intelligitur solus Petrus, sed etiam cæteri Apostoli, horúmque successores Episcopi quicunque: ergo vel omnes Episcopi sunt infallibiles, quod falsum est, vel neque Episcopus Romanus, Successor D. Petri. R. N. Ant. aliàs Christus debuisset dicere *pascite*, non *pasce*, quia cæteri Apostoli erant etiam præsentes: & quæso cur Christus per trinam interrogationem exploravit, & petijt majorem dilectionem sui in Petro, *Simon Joannis diligis me plùs his*, nisi speciale quid, & plùs quàm cæteris, conferre voluisset. Deinde quanta foret confusio, si æqualis potestas omnibus Apostolis in omnes Christi oves ibi concessa fuisset? Certè nunquam æqualem cum Episcopo Romano potestatem sibi tribuere ausi sunt cæteri Episcopi. 18.

Ob. 5. Pontifices Romani extra Concilium Generale sæpius errârunt: ergo non sunt infallibiles. Ant. Prob. adducendo complures eorum errores. 2. Sæpius sibi contradixerunt: ergo aliquos errâsse necesse est. 3. Ipsim & fassi 19.

sunt, se non omnia posse, quæ fieri possunt per Concilium Generale. Sic Innocentius III. Philippo petenti, ut sibi liceret cum uxore divortium facere, ita respondit: *Si super hoc absque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter Divinam offensam, & mundanam infamiam, forsan Ordinis, & Officii nobis periculum immineret.*

R. Ad 1. N. Ant. vel Dist. errârunt in moribus C. Ant. in rebus fidei, subdist. ut homines privati, transeat (incertum enim & hoc est) ut Doctores Ecclesiæ, definientes vel ex Cathedra loquentes N. Ant. Siquando videantur errâsse ex Cathedra loquentes, error est imperitorum, aut malitia malevolorum, qui aut non intelligunt decreta Pontificum, aut perversè interpretantur. Ad 2. N. iterum Ant. quamvis enim in Jure Canonico aliqua primo aspectu videantur pugnare inter se; si tamen matura consideratione, & sepositâ affectione malevola in Sedem Apostolicam ritè penetrentur, optimè concordare deprehenduntur, & nullum errâsse Pontificem ex Cathedra pronuntiantem, ut nôrunt egregij Canonistæ, qui Jura conciliârunt Juribus. Ad 3. Innocentius III. per illud dictum non agnovit majorem auctoritatem (nisi humanam tantùm) in Concilio Generali, sed præcisè voluit indicare gravitatem negotij: sicut, si Rex aliquis dicat, se non posse rem hanc facere sine suorum Senatorum consultatione, propterea in Senatoribus suis non agnoscit majorem auctoritatem quàm in se. Cæterùm Pontifex Romanus non potest immutare facta in Concilio legitimo decreta fidei, neque decreta morum ad Jus Naturale vel Divinum pertinentia; licèt absolutè possit immutare ea, quæ sunt Juris humani Ecclesiastici.

Ob. 6. ex Jure Canonico, in quo plures reperiuntur errores Pontificum, extra Concilia aliquid statuentium. Nam Nicolaus I. docuit, in nomine Christi collatum Baptismum valere sine expressione trium personarum *c. à quodam de Consecrat. d. 4.* Gregorius III. ob infirmit item uxoris permisit marito aliam ducere *c. proposuisti causa 32. q. 7.* Alexander III. statuit, ad valorem Testamenti sufficere duos testes, & consuetudinem, qua plures quàm tres requiruntur testes, damnat velut à Divina Lege alienam. *c. cùm esses 10. de Testam.* Innocentius III. existimavit, Christianos adhuc obligari Lege Mosaica. *c. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Cœlestinus III. sensit, Matrimonium dissolvi per hæresim alterius Conjugis. *c. quanto de divortijs.* Alexander III. jam suprà memoratus dicit, suos Antecessores asseruisse, Matrimonium Ratum posse dirimi Matrimonio Consummato. *c. licèt de sponsa duorum.* Ad hæc objecta ex SS. Canonibus desumpta respondet unica responsione Aug. Lomb. in Regali Sacerdotio l. 3. §. 9. n. 14. dicens, hos Pontifices fuisse locutos ut Doctores privatos, & non docentes ex Cathedra, adeóque fuisse errores Personales, non Cathedrales. Verùm hoc modo infringi multùm videtur efficacia nostrorũ argumentorũ, quæ ex SS. Canonibus deprompimus contra Adversarios; possunt enim id ipsum nobis reponere. Potest quidem hæc

10.

responsio sæpius dari, & quidem optimè, non tamen semper, quando textus è Concilijs vel Jure Canonico afferuntur; quia in his Pontifices sæpe loquuntur ex Cathedra, nisi ex circumstantijs possit colligi oppositum. Itaque meliùs ad singula

R. *Nicolaus* I. non definivit, quòd Baptismus, in nomine solius Christi collatus, sit validus; cùm de hoc non fuerit interrogatus; interrogatus enim tantùm est, an Baptismus, à Pagano vel Judæo collatus, sit validus, & verum Sacramentum. Ad hoc quæsitum cùm responderet affirmativè, obiter addidit: *sive in nomine totius Trinitatis sive in nomine solius Christi* conferatur. Adeóque Nicolaus ibi nihil definivit de Forma Baptismi, sed solùm de Ministro: non autem negamus, Pontificem errare posse in alijs rebus, quas non definit, sed tantùm incidenter dicit. Accedit, quòd sententia admittens valorem Baptismi in *nomine solius Christi* expresè, & in *nomine Trinitatis* solùm implicitè collati, fuerit etiam S. Ambrosij, Bedæ, & D. Bernardi; &, quòd quidem falsa & nunc practicè sit improbabilis, non tamen hæretica; quia nullibi ut talis est damnata. *Gregorius III.* loquitur de impotentia perpetua, orta ex infirmitate mulieris, & quidem antecedente Matrimonium: quæ impotentia utiq; dirmit Matrimonium. *Alexandri* III. constitutio de duobus tantùm vel tribus testibus ad valorem Testamenti sufficientibus locum duntaxat habet in territorio temporali Papæ, respectu totius Orbis verò solùm in Testamentis ad pias causas factis; nam à Lege Divina alienum est, motientium libertatem ita coarctare, ut absque illâ solennitate septem testium, quos requirit ad Testamenta Jus Civile, nequeant testari vel legare ad pias causas. In prosanis rebus non habet Pontifex potestatem condendi Leges Civiles, totum Orbem obligantes. Si verò Testamentum fiat ad causas pias, potiùs observandum est Jus Canonicum, quàm Civile; quia ejusmodi Testamenta extrahuntur quasi à foro Civili, cùm spectent salutem animæ & finem supernaturalem. Dum autem Pontifex addidit, quòd sit *alienum à Lege Divina*, addidit tanquam rationem suæ constitutionis: atqui in his, uti diximus suprà, potest Pontifex errare in assignandis rationibus & motivis suarum definitionum, quæ suam infallibilitatem non ab illis, sed à Spiritûs S. assistentia nanciscuntur. Deinde si tò *alienum* sumatur in sensu mitiori, uti facilè potest, ita ut non significet Legi Divinæ *contrarium*, sed *extraneum*. h.e. non contra Legẽ Divinam, sed *præter* illã ab hominibus introductum, nihil erroris continet. *Innocentius III.* allegavit quidem Leges Veteris Testamenti, non tamen ut præceptivas, & adhuc obligatorias, sed tantùm ut exemplares, seu tanquam ideas, ad quarum similitudinem sapienter etiam in novo Testamento instituta quædam sunt, & observanda: quæ proinde obligant, non quia sunt Leges Mosaicæ, sed quia Leges Christianæ. Adde, quòd memorati Pontifices Veteris Testamenti leges solùm adducant tanquam rationem suarum decisionum. *Cælestinus III.* non

definivit, sed privata opinione tantùm judicavit, Matrimonium dissolvi per alterutrius conjugis lapsum in hæresim, uti colligitur *ex cit. c. quanto*, ubi Innoc. III. referens hanc Cœlestini sententiam dicit, Prædecessorem suum aliter *sensisse*, se tamen *non credere*, quòd Matrimonium tali casu dissolvatur. Ex quibus verbis colligitur, neutrum ex his Pontificibus hac de re aliquid definivisse, sed solùm suam opinionem proposuisse. Circa Pontifices, admittentes Matrimonium Ratum dissolvi per aliud Consummatum, est ferè eadem responsio: nimirum *ita senserunt*, & Alexander III. illos referens *aliter sensit*, nullus tamen definivit.

21. Ob. 7. Pontifices sibi sæpe contradixerunt: ergo aliquos errâsse necesse est. A. prob. 1. Innocentius IV. docuit, formas Sacramentorum fuisse inventas & ordinatas ab Ecclesia. Contrarium definivit Eugenius IV. 2. Stephanus II. definivit valere Baptismum in vino collatum in casu necessitatis. Contrarium rursus definivit Eugenius IV. in Responsis ad consulta Bulgarorum. 3. Innocentius III. *in c. quanto de divortijs* statuit, quòd uno conjugum ad hæresim transeunte possit alter, in fide remanens, transire ad secunda vota, seu ad alteras nuptias. Contrarium statuit Cœlestinus III. *c. laudabilem de conversione infidelium*. 4. Pelagius fecit constitutionem, ut omnes Subdiaconi Siciliæ abstinerent à suis uxoribus, quas in Minoribus duxerant, aut ab officio cessarent. Hanc constitutionem, *quia erat iniqua & contra Evangelium*, retractavit Gregorius I. ejus Successor.

R. N. Ant. vel, si sibi contradixerunt, id non factum est in rebus fidei, nec à Pontificibus ex Cathedra docentibus. In probationibus, quas affert Dupinus Gallus, ubique hallucinatur vel decipit. Ad 1. Innoc. IV. in *c. Presbyter de Sacramentis non iterandis*, quod citat Dupinus, expressè dicit, quòd Presbyter & Diaconus ordinentur per manûs impositionem, tactu corporali factam, *juxta ritum ab Apostolis introductum*. Minimè autem dicit, quòd Formæ Sacramentorum sint ab Ecclesia introductæ. Hoc tamen verum est, quòd, ubi Christus non determinavit materiam & formam Sacramentorum in specie, sed solùm in genere, adeóque in arbitrio Ecclesiæ reliquit determinationem in specie, Ecclesia possit certam materiam vel formam præscribere. v. g. Christus pro materia Sacramenti Ordinis instituit signum sensibile, significativum potestatis consecrandi Corpus Christi, & pro forma instituit verba illi materiæ accommodata, nulla autem certa determinando in specie. Tali casu potest & debet Ecclesia determinare certum signum, certa verba, ritum & modum administrandi hoc vel illud Sacramentum. At hoc non est materias & formas Sacramentorum invenire, aut à Christo institutas mutare, sed illas, à Christo in genere præscriptas, determinare in specie. Hoc docet communis sententia Catholicorum, hoc docuit Innocentius, & sic minimè contradixit Eugenio, vel Eugenius illi.

Ad

Ad 2. Falsò affingitur Stephano II. quòd definiverit, valere Baptismum in vino collatum; sed cùm interrogaretur de Sacerdote, qui in casu necessitatis baptizaverat vino, in ordine ad illum puniendum, respondit: si in eo casu necessitatis aqua non fuit præsens, excusari imperitum illum Sacerdotem posse per ignorantiam, quia per errorem putabat, Baptismum talem infanti prodesse; si autem aqua fuit præsens, hunc Presbyterum esse excommunicandum, quia *contra Canonum sententiam agere præsumpsit.* Quæ verba expresè habentur in epistola Stephani incorrupta, ut extat apud Philippum Labæi ad annum 754. Per verba illa epistolæ: *infantes permaneant in Baptismo*, non voluit, ut talis infans permaneat in Baptismo ejusmodi irrito, sed in valido, quem supponit interea fuisse adhibitum.

Ad 3. Innocentius III. non dicit, quòd, si Matrimonium semel fuerit contractum *inter fideles*, & alter labatur vel in hæresim, vel omnino ad gentilitatem transeat, innocens possit convolare ad secundas nuptias, sed contrarium; eò quòd tale Matrimonium, inter fideles contractum, sit Sacramentum & indissolubile propter significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia. Sed hoc statuit, quòd, si Matrimonium inter *infideles*, hoc est, *non baptizatos*, contractum fuerit, & unus convertatur ad fidem Catholicam, alter autem in gentilitate permaneat, nulloque modo cohabitare velit cum conjuge converso, vel non nisi cum injuria Creatoris, pertrahere conando conjugem conversum ad peccatum mortale, possit conversus ad secunda vota transire juxta illud Pauli: *si infidelis discedit, discedat &c.* Sed in hac constitutione non est contrarius Cœlestino III. qui ibi longè aliud statuit, nempe impedimentum criminis in eos, qui machinantur in mortem infidelis, ut cum Parte conversa possint inire Matrimonium, etiamsi intuitu hujus Matrimonij ad fidem Catholicam accedant.

Ad 4. Fateor, constitutionem Pelagij circa Clericos Siciliæ fuisse revocatam à Gregorio; sed quid tum? nunquid etiam Leges Ceremoniales Antiquæ Legis sunt revocatæ & extinctæ à Christo per novam Legem Gratiæ? an propterea Deus sibi contradixit, aut Leges Ceremoniales non fuerunt justæ? haud sanè. Sic potest unus Pontifex aliquid laudabiliter statuere ex justa causa, alius laudabiliter iterum tollere tale statutum etiam ex justa causa, scilicet propter circumstantias, vel priùs non perfectè cognitas, vel postea mutatas &c. Sic Pelagius justè prohibuit Subdiaconis Siciliæ usum uxorum propter munditiam, quam requirit Ministerium Divinum, & decentia suadet. At quia hæc Lex Gregorio videbatur *dura* consideratis circumstantijs & fragilitate illorum Clericorum Siciliæ, eam revocavit, non tamen *iniquam* dixit, ut illam turpi errore vocat Glossa & Dupinus cum Almoino, multò minùs *Evangelio contrariam.*

Ob. 8. Stephanus VII. (juxta alios VI.) irrita declaravit acta Formosi, tanquam non legitimi Papæ, & ab eo ordinatos 22.

natos jussit iterum ordinari. Postea verò Joannes IX. contra Stephanum declaravit, Formosum fuisse legitimum Papam. Deinde Sergius III. contra Joannem iterum declaravit, Formosum non fuisse legitimum Papam : ergo vel Joannes approbando, vel Stephanus & Sergius improbando acta, Formosi tanquam non veri Pontificis errârunt.

R. Cum Bellarm. Formosum, licèt ante suum Pontificatum fuerit degradatus per Joannem VIII. fuisse verum priùs Episcopum, Cardinalem, & postea legitimum Pontificem, & ideo ejus acta, collatósque Sacros Ordines valuisse. Proinde errârunt Stephanus & Sergius, non quidem errore juris, sed facti, malô exemplô, non falsâ doctrinâ ; cùm non definierint, acta & Ordines SS. collatos ab Episcopo degradato, esse nullos (quod fuisset error juris & doctrinæ) sed tantùm jusserint denuo ordinari ex privatis odijs erga Formosum (quod fuit error facti & malum exemplum) gravissimè enim peccârunt non sine scandalo his suis perversis passionibus indulgendo, præsertim Stephanus, qui barbara crudelitate etiam exhumari jussit corpus sepultum Formosi, & contumelijs affectum in Tyberim projici. Indè tamen cùm esset extractum, atque delarum in Ecclesiam S. Petri, Sanctorum effigies dicuntur sua capita inclinâsse huic suo novo Inquilino in signum reverentiæ.

COROLLARIUM.

De Analysi, seu ultima resolutione Fidei.

SCiendum, fidem Divinam (seu actum fidei veræ supernaturalis, Divinæ, & salvificæ) debere esse firmissimam tam objectivè quàm subjectivè, hoc est, debere niti objecto formali seu motivo infallibili infallibiliter cognito, ita ut credens prudenter sibi imperet assensum firmissimum rebus obscuris à DEO revelatis præstandum, paratus pati potiùs aut negare omnia, quàm talem veritatem fidei inficiari, cui tam firmiter assentitur ex imperio voluntatis, ut excludat omnem voluntariam formidinem de oppositò, & quidem prudenter, nempe ex merito motivi infallibilis infallibiliter applicati & cogniti. Atque hæc certa sunt apud omnes rerum peritos, Sectarios æquè ac Orthodoxos ; cùm utique actus fidei Divinæ, qua creditur Deo revelanti, debeat esse *firmissimus* simul & *prudens*. Quæstio igitur solùm est, an Catholici potiùs, quàm Protestantes & Sectarij, habeant & nitantur ultimatò hujusmodi motivo infallibiliter cognito, seu revelatione, & Verbo Divino, articulos suæ fidei revelante, ut tam de revelatione infallibiliter certi sint, quàm de suis articulis revelatis, adeò ut omnem dubitationem ac formidinem prudenter excludere possint, imò debeant.

Dico,

Dico. Sola Fides Catholicorum ultimatò nititur auctoritate Dei revelantis, & motivo infallibili infallibiliter cognito: Fides verò Sectariorum omnium resolvitur in aliquid merè humanum, ac nititur motivo prorsus infirmo, labili, incerto. Utraque pars assertionis optimè probatur adducendo analysim, & ultimam resolutionem fidei singulorum, seu motivum ultimum, in quod tandem singulorum fides resolvitur. Itaque.

Quære ex Catholicis, quare credant v. g. Baptismum esse necessarium ad salutem, Christum, DEUM & hominem, contineri sub speciebus panis & vini? Respondebunt, quia Prima Veritas, falli & fallere nescia, in SS. Litteris revelavit. Item quære, cur credant Mysterium SS. Trinitatis, septem Sacramenta &c. reponent iterum, quia eadem Veritas Prima id docet per Traditiones seu verbum suum non scriptum. Quære jam ulteriùs, unde certò ac infallibiliter cognoscant, has Litteras, has Traditiones, esse verbum DEI & vocem Primæ Veritatis? Respondebunt, quia Ecclesia vera à Spiritu S. edocta, quam DEUS in errorem prolabi permittere nequit, ità proponit. Insta & denuo quære, unde sciant, quòd DEUS per os Ecclesiæ prædicta mysteria verè loquatur, & revelet? Hic jam transibunt ab intellectu ad voluntatem, dicéntque, se ita credere, quòd in re obscura per imperium voluntatis seu per *piam affectionem* captivent Intellectum in obsequium fidei. Sed urge, & ulteriùs explora, unde Voluntas habeat sufficiens motivum, ut *prudenter* possit intellectui imperare *firmissimum* assensum, quòd Ecclesia hæc sua sit organum DEI, regula viva ac infallibilis credendorum, proindéque vera omnino sint per os Ecclesiæ revelata? Tum demum afferent motiva credibilitatis, notas, & signa, quibus ornata est Ecclesia Catholica, & tanta sunt (uti paulò antè vidimus, præcipuè in cap. 2. controv. fundam. 3.) ut non modò nulla alia Secta similibus instructa sit, verùm etiam ut evidens fiat, DEUM non posse ea permittere in contestationem falsæ Ecclesiæ, aut dogmatis falsi: tam manifestè enim faciunt credibile, hanc Ecclesiam Romano-Catholicam esse veram Christi Sponsam, & instrumentum DEI loquentis, ut, si error esset, quod credimus, à DEO essemus decepti: quod evidenter ejus Veracitati & Providentiæ repugnat. Signis externis jungitur etiam lumen fidei internum, ad omnem actum fidei supernaturalis eliciendum omnino necessarium, seu ut conditio seu ut complementum motivi: & hac illustratione supernaturali mediante omne errandi periculum in assensu fidei magis excluditur, quàm in quolibet actu naturali, etiam Metaphysicè evidenti, adeóque & omnis dubitatio.

Aliter longè res se habet apud Sectarios; quære enim ex ipsis, quare credant, solam fidem justificare, DEUM absoluto decreto aliquos prædestinâsse ad cœlum alios ad infernum, solos justos (aut electos) esse vera membra Ecclesiæ, concupiscentiam esse formale peccatum &c. Respondebunt quidem promptè, se ista credere, quia Prima

Veritas DEUS revelavit in Scripturis, in quibus hæc proponuntur clarè. Sed quære ulteriùs, unde *infallibiliter certi* sint, Scripturas istas esse verbum DEI, & quidem purum, incorruptum, & à se ritè intellectas, cùm earum sensum longè diversum esse alij contendant? Hic jam hæret aqua, & rejecta auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, cui Christus infallibilitatem dedit, confugere coguntur ad auctoritatem merè humanam, cui nulla à DEO, & Christo promissa aut collata est infallibilitas; adeóque incerti manent, an Scripturæ, propter quas credunt, sint Divinæ, an incorruptæ, an in genuino sensu à se intellectæ; consequenter fides eorum non potest *prudenter* esse *firmissima* propter defectum motivi infallibilis *infallibiliter* cogniti, adeóque nec Divina & salvifica, sed merè humana, ad salutem inutilis. Vel enim (ut probent Scripturas, quas habent pro Divinis, esse Divinas, purum DEI Verbum, & in vero sensu acceptas à se) confugere debent ad Lutetum, Calvinum, & suæ Sectæ Doctores: at isti fuere & sunt homines, errandi periculo obnoxij. Vel ad se ipsos tanquam Judices: sed unde ipsis infallibilitas, & ab erroris periculo immunitas? homines sunt, & valde homines. Vel ad internum lumen, & internum Spiritûs S. magisterium: at errare possunt in discretione Spiritûs; cùm vix aliud æquè probari indigeat, quàm Spiritus, utrùm ex DEO sint, & non potiùs dictamina carnis, aut perversus concupiscentiæ sensus, aut genii pervicacia. Rursus igitur Scripturas adibunt, & Spiritum dubium ad Scripturas dubias expendent: at hoc est ambulare in circuitu cum impiis, & in negotio salutis perniciosa vertigine circumvolvi. Redit siquidem quæstio de Scripturis, unde infallibiliter constet, eas esse Divinas, legitimè versas, non corruptas, ritè intellectas &c. Relege, quæ dicta sunt in controv. fundam. 2. de Scriptura S.

O. A. M. D. G.



PARS

PARS POSTERIOR

Exhibens quæstiones particulares cum Protestantibus & modernis Sectarijs controversas.

VOco *Particulares*, quia versantur circa materias varias in particulari, nec generaliter influunt ad ritè decidendas alias, uti illæ de Scriptura, de Ecclesia, de Papa, quas Pars Prior explicavit. Has Controversias Particulares reduco ad tres classes, scilicet 1. ad Justificationem peccatoris. 2. ad Justos & Sanctos alterius vitæ. 3. ad Sacramenta. Quæ sunt materiæ pro altero anno Cursûs Polemici præscriptæ. In quibus equidem peculiari industria lustratis Sectariorum libris plurimùm studui, ut ubique status quæstionis ritè formetur, probè gnarus, absque hoc laborari in cassum, & cum umbris pugnari. Cæterùm bene notandum, quòd rectè in hac lucubratione De Materiis Particularibus contra hæreticos petantur argumenta ex Traditione & Praxi Ecclesiæ, utpote sine cujus testimonio & auctoritate, sicut de ipsius S. Scripturæ existentia, integritate & puritate, ita & de legitimo sensu constare infallibiliter nullatenus potest, ac proinde de nullo prorsus Fidei articulo; cùm de nulla revelatione Divina infallibiliter certi esse valeamus sine Ecclesiæ veræ (quam solam esse Romano-Catholicam clarè ostendi in P. 1. Controv. fundamentali tertia) declaratione & testimonio. Ad quæ principia generalia, quicunque cum hæreticis circa aliquam materiam in particulari disceptaverit, litem meo consilio optimè devolvet; quod non tantùm perfacile, sed & sæpe necessarium erit ordinatè & ex fundamento disputantibus; eò quòd illuc devenire oporteat, quid à Deo revelatum sit, hoc vel illud &c. adeóque quomodo Scriptura S. intelligenda, an necessariò in Scripturis omnia particulatim expressa sint, aut clarè ex ea deducantur, quæ Deus revelavit, & nobis credenda faciendáque sunt &c. Cujusmodi infallibiliter cognosci nequeunt sine Ecclesiæ, tanquam Judicis infallibilis auctoritate, per Prælatos suos, præcipuè Supremum, nobis loquentis. Itaque in hac posteriore parte ad firmandas assertiones nostras adhibebo 1. Oracula Scripturæ S. ritè intellectæ. 2. Ecclesiæ, præsertim antiquæ primorum sæculo-

rum (quam ab errore adhuc puram fuisse ex modernis Sectarijs plerique fatentur) tum Traditionem tum Praxim. quam utramque certiùs cognoscere non possumus, quàm ex horum Sæculorum Patribus, tanquam incorruptis Testibus, atque ex Conciliorum Decretis. 3. Rationes Theologicas, quibus nemo, nisi absque ratione fit, refragari facilè poterit. Cæterùm Patres, quos citabo, & pro majori securitate ipsus diligenter inspexi, erunt selectissimi ex antiquissimis, qui nempe omnes floruerunt primis 4. Sæculis, vel ad initium quinti.

CONTROVERSIA PARTICULARIS I.

De Justificatione Peccatoris.

Summarium.

1. *Plures materias sibi connexas habet Justificatio peccatoris, præcipuus Protestantium articulus.*
2. *Quid sit libertas à coactione, & libertas à necessitate.*
2. *De libertate Protestantes loquuntur variè, obscure &c.*
4. *Quomodo Gerardus circa eam dissentiat, Lutheranorum Doctorum ferè princeps.*
5. *Status quæstionis circa libertatem hominis.*
6. *Etiam post peccatum habet homo libertatem à necessitate.*
7. *Etiam in rebus spiritualiter bonis.*
8. *Non obstant textus Scripturæ in speciem adversantes libertati.*
9. *Nec prævisio Divina nostrorum actuum.*
10. *Quid sit gratia gratis data, & gratum faciens: quid habitualis seu sanctificans, & actualis: quid præveniens & excitans, quid adjuvans & concomitans seu cooperans.*
11. *Quid gratia Sufficiens & Efficax.*
12. *Præter Efficacem necessario admittenda est etiam Sufficiens.*
13. 14. *Hanc omnes omni tempore habent ad vitanda peccata.*
15. *Et lapsi in peccatum ad resurgendum, non tamen omni momento.*
16. *Infideles etiam, si faciant, quod est in se, ad veram fidem & salutem consequendam.*
17. *Quomodo eam habeant parvuli sine Baptismo decedentes.*
18. *Sine auxilio gratiæ supernaturalis nullum opus supernaturale, semper se conducens ad salutem, exerceri potest.*
9. *Quamvis possit actus moraliter tantùm bonus.*
20. *Quid sentiendum de lite inter Dominicanos & Jesuitas circa gratiam efficacem & sufficientem.*
21. *Tota doctrina de gratia & libero arbitrio proponitur in exemplo.*

Pri-

1. PRimas apud Sectarios tenet iste articulus de Justificatione peccatoris, præsertim illius, qui post Baptismum in peccatum personale lapsus est. Cum qua plures materias scio connecti, nimirum 1. de Libertate. 2. De Gratia. 3. De Observatione Legis. 4. De Peccatis. 5. De Bonis operibus. Quas per distinctos articulos pertractare placet, & 6. demum subjungere punctum principale, quod est de Justificatione.

ARTICULUS I.

De Libertate.

2. SCiendum 1. ad propositum duplicem distingui libertatem, à coactione unam, à necessitate alteram. *Libertas à coactione* datur tunc, quando potentia non patitur vim & necessitatem à principio extrinseco, seu, quando libera est à coactione externa: sic Deus liberè amat se ipsum, & Beati in cœlo Deum. *Libertas à necessitate* (quæ passim vocatur *Libertas Indifferentiæ*) datur tunc, quando potentia non patitur ullam necessitatem, unde unde provenientem, seu ab intrinseco seu ab extrinseco, & quando est indifferens ad utrumque ex oppositis, scilicet ad eligendum hoc vel illud, ad aliquid faciendum vel omittendum, & quando ad alterutrum pro libitu ipsa se determinare potest: v. g. ad sedendum vel ambulandum &c. Hæc libertas in scholis communiter sic definitur: *Est potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere.* Gerardus Lutheranorum Theologorum facilè princeps in Locis Theologicis de Libero Arbitrio ad præsens negotium illam vocat *facultatem rationis ac voluntatis, qua potest homo peccare & non peccare,* hoc est, *Deum rite agnoscere, & spontaneo voluntatis motu integram ipsi obedientiam præstare, vicissim etiam à DEO se avertere.*

3. Sciendum 2. admodum difficile esse statum controversiæ præsentis formare, eò quòd arduum sit tandem penetrare, quid moderni Sectarij sentiant de libero hominis arbitrio post lapsum Adami, cùm prorsus variè, obscurè, & sæpe (saltem in speciem) contradictoriè loquantur. Horrent enim & ipsi crudam nimis & indigestam Magistrorum suorum Lutheri & Calvini de Libertate sententiam, quorum prior libertatem in statu naturæ lapsæ dixit esse *rem de solo titulo, figmentum in rebus, & hominem, dum facit, quod in se est, peccare mortaliter*, ac *omnia necessariò fieri*, vid. in assert. art. 36. Posterior autem liberi arbitrij non rem, sed *simulacrum* esse docuit. Uterque tamen agnovit in homine post peccatum remansisse libertatem à coactione, atque hanc sufficere. Id quod etiam docent Jansenistæ, tuentes propositiones Michaëlis Baij.

4. Cæterùm Gerardus loc. cit. docet

sequentia. 1. Libertatem à necessitate (ipse ordinariè vocat libertatem Rectitudinis) post lapsum Adami perijsse, mansisse tamen libertatem à coactione. 2. Unde hominem necessariò velle malum & peccatum, quamvis sponte & non coactè velit. 3. Posse adhuc nolle bonum seu Spiritui Sancto resistere in conversione. 4. Non tamen posse velle bonum seu Spiritui S. cooperari in conversione. 5. Hominem non renatum necessariò peccare, quamvis eatenus peccet liberè, quatenus voluntas depravata fertur in malum absque coactione, sed spontè. 6. Hominem in sua conversione non cooperari gratiæ ex suis viribus, sed Spiritum S. quod homo non potest ex se, facere, ut possit ipsius gratiâ & donô: sicut quando Christus suscitavit Lazarum, nihil cooperari potuit Lazarus ad sui resuscitationem. 7. Hominem tamen novis viribus donatum à Deo, & translatum à statu corruptionis ad statum gratiæ, consequi aliam arbitrij libertatem, ut ita voluntas in hoc statu non sit otiosa, sicut fuit initio conversionis, sed per novas vires postea cooperetur Spiritui S. adeóque concurrat ut instrumentum liberum: in quo statu renovationis voluntati humanæ lubentissimè concedi à se ait συνεργίαν quandam, seu cooperationem ad bonum. 8. Confitendum esse, nos habere liberum arbitrium & ad malum & ad bonum, quamvis in hac vita etiam hæc nostra libertas in statu renovationis sit captiva sub Lege, quia caro præfractè renititur facientibus bonum. 9. Lutherum, quando docuit, libetum arbitrium in opere bono se habere merè passivè, non docuisse, conversionem fieri sine cogitatione mentis & assensu voluntatis, sed negâsse, voluntatem suis viribus activè concurrere ad illos actus, ita ut Spiritui S. cooperetur, sed id opus esse Dei, non voluntatis humanæ effectum: nemo enim convertitur, & post conversionem nulla fiunt opera bona, quin aliquos actus eliciat intellectus & voluntas, nec voluntas in bonis operibus ita agitur à Deo, ut ipsa non agat, & agere possit viribus novis à Deo donatis, quamvis nihil possit viribus naturalibus. 10. Denique à se non negari, hominem etiam non-renatum, non-renovatum habere libertatem à necessitate in rebus naturalibus, politicis, moraliter bonis, & spiritualibus externis, (uti est bene vel malè agere) sed præcisè negari in ordine ad opera *spiritualiter bona interna*, uti sunt rectè credere, Deum diligere &c. Ita Gerardus, & cum ipso M. Lomer p. 216. seqq. item p. 327. & 328. seines Ausgangs &c. quæ verba omnia combinare, ut sibi non contradicant, præsertim M. Lomer locis citt. atque satis intelligere, operosum est: qui potest capere, capiat. Mihi videntur velle rem deducere ad quæstionem de nomine, quando urgentur Adversarij.

5. Sciendum 3. ex recitata doctrina posse contra modernos Sectarios statum quæstionis ferè sic formari. *An homo per peccatum corruptus, nondum renatus, vel renovatus* (hoc est: baptizatus, vel conversus) *ante & in conversione sua habeat vires proprias & naturales liberi arbitrij, seu libertatem indifferentiæ*

tia, vi cujus possit ex se cooperari Spiritui S. ad conversionem interiorem excitanti, atque per cooperationem suam acceptare oblatam gratiam, & sic unà cum gratia Divina opus aliquod spiritualiter bonum internum efficere, hoc est, actum supernaturalem proximè conducentem ad obtinendam justitiam & salutem? Quippe Gerardus cum Catholicis concedere videtur 1. Ante lapsum Adami constitisse homini libertatem à necessitate tam ad bonum quàm ad malum. 2. Eandem adhuc dari in justis & jam conversis. 3. Licèt ea vulnerata sit & imperfecta, eò quòd propter carnis rebellionem homo magis propendeat ad malum; ubi enim non est æquilibrium seu æqualis propensio ad bonum æquè ac malum, non est perfecta libertas. 4. Et hanc imperfectam libertatem in justis adjuvari per vires novas Spiritûs S. scilicet per gratiam excitantem vel adjuvantem, sine qua Catholici asserunt, nullum prorsus actum spiritualiter bonum & supernaturalem elici posse; quamvis enim homo per peccatum originale *vulneratus sit in naturalibus*, inter quæ etiam est libertas, & *spoliatus in gratuitis*, ut habet Theologorum axioma: Gratia tamen sanat hæc nostræ voluntatis vulnera. 5. Libertatem prædictam dari circa omnia, exceptis spiritualibus internis; quæ tamen Catholici non excipiunt. M. Lomer p. 328. cit. insuper concedit, posse hominem non renatum resistere auxilio Divino ad pœnitentiam excitanti, vel illud acceptare, vocatque auxilium Dei *concursum*, adeóq; etiam in spiritualibus internis admittit, hominem (etiam non renatum) aliquid posse cum gratia DEI, quod tamen alibi negat rursus. Solùm igitur supereſt quæstio, an homo *infidelis* & *peccator* non habeant vires naturales suæ voluntatis, vi quarum possint pro libitu cooperari DEO ad fidem & pœnitentiam eos excitanti, vel utrùm vires novæ tantùm, seu sola gratia operari debeat fidem & pœnitentiam seu conversionem, ut adeò Turca, Judæus, vel alius Paganus, item Peccator nihil omnino possit ex se in spiritualibus internis, nisi peccare?

Dicendum. Homo etiam post pec- 6.
catum tam personale quàm originale habet libertatem à necessitate, etiam in spiritualibus internis. Probatur primum membrum 1. ex Scriptura, quæ, quando lòquitur de libertate, semper eam describit ut indifferentem ad duas res oppositas, & potentem propria determinatione eligere alterutrum, nempe peccare vel bene agere. Sic Eccli. 31. dicitur: *Beatus, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Et c. 15. *ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* (*Ecce*, inquit S. Aug. de grat. & lib. arbit. c. 3. *apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.*) *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Gen. 4. *In arbitrio viri erit, ut faciat sive non faciat.* Num. 30. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad eum.* Apoc. 3. v. 20. Ergo ex viribus nostri arbitrij possumus pulsare Christo, seu ad pœnitentiam excitanti per internam gratiam, aperi-

aperire ostium cordis, vel non aperire. Huc pertinent omnes textus Scripturæ, qui nobis aliquid præcipiunt, suadent, prohibent, invitant, reprehendunt &c. qui sunt sine numero: nemo enim prudenter alteri aliquid præcipit, suadet, prohibet &c. nisi in altero sit potestas & indifferentia faciendi vel omittendi; hinc amentibus, infantibus, & dormientibus nihil præcipitur, suadetur &c. quamvis alias sint prædita voluntate humana, utpotè potentia naturali & essentiali, habeantque libertatem à coactione.

Prob. 2. ex sensu communi non solùm SS. PP. quos Calvinus l. 2. Instit. c. 2. §. 4. fatetur stare pro libertate indifferentiæ, sed etiam omnium fidelium & infidelium, peccatorum & justorum, qui omnes sentiunt & experiuntur in se, quòd possint audito verbo DEI, & internis inspirationibus obedire vel non obedire, tentationi resistere vel cedere, pœnitentiam agere vel omittere &c. licèt alij alijs majores experiantur difficultates. Et hinc sunt illæ deliberationes præviæ, & consultationes, atque conscientiæ stimuli, remorsus, vercundia &c. si contra Spiritûs S. internas & externas admonitiones & præcepta agatur. Hinc alij censentur laudabiles, alij reprehensibiles, timent pœnas, vel sperant præmia. Similia autem non judicantur de infantibus, & amentibus, quantumvis & isti habeant libertatem à coactione: ergo sensus communis est, etiam non renatis, non justis, inesse libertatem à necessitate: ergo in conversione hominis non omnia agit solus DEUS per novas vires supernaturales, sive per gratiam, sed etiam homo per suum arbitrium potest aliquid conferre, & sic cooperando gratiæ bene, vel illi resistendo malè agere. Clarissimè & brevissimè rem totam expressit S. Paulus, dum dixit: *Non ego, sed gratia DEI mecum.* 1. Cor. 15. v. 10. Ergo non solus DEUS per suam gratiam operatur in nobis, sed nos illi cooperari possumus, & sæpe cooperamur.

Prob. 3. ex essentia liberi arbitrij, quòd ex natura sua est potestas *electiva*: sed potestas electiva non esset, nisi inter oppositа posset eligere, & sic determinare se ipsum ad unum: atqui si posset eligere inter oppositа, eo ipso deberet esse liberum ab omni *necessitate*, & non tantùm à *coactione*.

Probatur nunc alterum membrum 7. assertionis, quòd nempe detur adhuc libertas indifferentiæ in rebus *spiritualiter bonis internis*, 1. Ex Scriptura, Christus & Apostoli in novo (Prophetæ autem in antiquo Testamento) præceperunt & suaserunt multa opera spiritualiter bona & interna: atqui non potuissent prudenter præcipere & suadere, nisi in hominis libero arbitrio daretur potestas faciendi vel omittendi, adeóque libertas à necessitate: ergo. Ma. prob. præceperunt & suaserunt fidem, charitatem, timorem Domini, pœnitentiam &c. *qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. ult. *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Joan. 3. *DEUM timete.* 1. Pet. 2. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* Luc. 13. Sed ista opera sunt spiritualiter bona, supernaturalia, & interna. Imò nul-

nullum opus ſpiritualiter, & ſupernaturaliter bonum dari poteſt ſine actu interno hominis; quin per actum internum acquirunt opera ſuum valorem: ergo, cùm DEUS & Chriſtus præcipiunt & ſuadent opera ſpiritualiter bona, poriſſimùm præcipiunt & ſuadent opera interna: ergo, ne DEUS & Chriſtus imprudentiæ argui debeant, dicendum eſt, ea eſſe in libera hominis poteſtate, ſicut ipſa opera externa.

Prob. 2. Fides utique eſt actus internus & ſpiritualiter bonus: ſed fides debet homini eſſe libera, ita ut in hominis arbitrio ſit poteſtas eam eliciendi vel non; aliàs injuſtè damnantur à DEO infideles, eò quòd non crediderint, atque hi juſtè ſe excuſarent dicendo ad DEUM: ſe non potuiſſe credere, totam culpam eſſe penes DEUM, quòd in ipſis non operatus fuerit fidem, ad quam eliciendam ſe non potuiſſe quidquam conferre. Confirmatur. Pœnitentia vera, ſeu dolor de peccato, utique eſt actus internus & ſpiritualiter bonus: atqui pœnitentia debet eſſe homini libera; aliàs peccator neceſſariò maneret obſtinatus in malo, atque impœnitens, nec ſine tyrannide damnari poſſet.

Probatur 3. Si non datur libertas in ſpiritualibus internis, tunc nullum dabitur peccatum; quia peccatum ex eſſentia ſua eſt *libera* transgreſſio Legis. Neque ullus hominum erit laudabilis vel vituperabilis, quòd DEUM dilexerit, vel odio habuerit &c. Hæc ſunt contra communem omnium ſenſum, contra manifeſtam rationem. Si dicas, dari & ſufficere libertatem à coactione; tunc pariter peccabunt infantes & amentes per ſuos pravos motus. Imò laudabilis erit beſtia, vel vituperabilis, ſi occidat v. g. vel conſervet hominem, ſi iſta faciat ſecundùm inclinationem ſuam, & ſine vi externa. Quis prudens talia credat? Confirmatur deniq; argumentis pro primo mẽbro adductis.

Ob. 1. ex Scriptura. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.* 2. Cor. 3. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei* 1. Cor. 2. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* &c. Rom. 7. *DEUS operatur in nobis velle & perficere.* Phil. 2. *Cùm ſervi eſſetis peccati.* Rom. 6. Ergo homo non eſt liber ad bonum, cùm nullus ſervus ſit liber, & cùm penitus corrupta ſit voluntas & intellectus noſter per peccatum, ut bonũ nec cognoſcere nec facere poſſint. R. 1. retorquendo argumentum in naturalibus, moralibus, vel ſaltem ſpiritualibus externis, in quibus admittunt Adverſarij libertatem. R. 2. per ejusmodi textus nihil aliud probari, quàm quòd per peccatum, & ortam indè rebellionem concupiſcentiæ, difficilior nobis redditus ſit uſus libertatis, & quòd ſoli ſine DEI gratia præveniente nihil poſſimus in rebus ſpiritualibus, ad ſalutem proximè conducentibus. Nunquid Adverſarij fatentur, nos in naturalibus nihil poſſe facere ſine generali & naturali DEI concurſu? quo tamen non obſtante dicunt, hominem liberè ex proprijs viribus cooperari Deo in naturalibus, &c. Sic pariter, licèt

sine concursu DEI supernaturali seu sine gratia nihil possimus in spiritualibus internis, tamen cum illa possumus liberè ex proprijs viribus cooperari. Non sumus igitur servi peccati propriè, sed tantùm proclives magis in malum, quàm in bonum post peccatum, salvâ adhuc substantiâ libertatis.

Dices. Peccatores in Scriptura dicuntur *mortui, sepulti* &c. sed mortui nullas, etiam modiculas tantùm, vires habent ad cooperandum, & ad vitam sibi reddendam. R. Non est omnimoda paritas peccatorum cum mortuis; quia Physicè mortui prorsus nullam ampliùs habent vim agendi: econtra spiritualiter mortui per peccatum, quamvis careant vitâ & viribus supernaturalibus, habent tamen adhuc vitam & vires naturales, congenitámque sibi libertatem, quæ quidem ex se sola facere opera supernaturalia non potest, potest tamen adjuta per gratiam DEI, & vires supernaturales, à DEO peccatoribus dari solitas ad resurgendum. Nec DEUS debet omnia solus, nec homo potest omnia solus agere: *Gratia DEI mecum.*

9. Ob. 2. DEUS ab æterno prævidit omnia nostra bona & mala opera: sed quæ DEUS prævidit, necessariò ita eveniunt, nec sunt in nostra libertate: ergo. Ita ferè & principaliter Calviniste. R. 1. iterum retorquendo in naturalibus, moralibus &c. Item in actionibus Adami ante lapsum. R. 2. N. Mi. Quæ DEUS fore prævidit, certissimè quidem & *infallibiliter* existent, non tamen *necessariò*, nisi solùm necessitate consequente. Præscientia DEI non ponit, sed supponit opus creaturæ, hinc si opus à creatura ponetur liberè, à Præscientia videtur ut *liberè* ponendum, & sic tale opus *infallibiter* quidem fiet, non tamen *necessariò*, propter Præscientiam DEI; creatura enim libera non ideo sic vel sic operabitur, quia DEUS prævidit; sed ex opposito ideo Deus prævidit, quia sic vel sic operabitur creatura libera: ac proinde Præscientia DEI non est causa boni vel mali operis, sed potiùs opus bonum vel malum est causa objectiva Præscientiæ. Dixi, *nisi necessitate consequente*: est autem necessitas consequens, quæ non antecedit liberum creaturæ exercitium, sed ad illud consequitur v. g. supposito, quòd homo liberè se determinet ad sedendum, necessariò sedet, & non potest non sedere, licèt antecedenter ad suam liberam determinationem potuisset non sedere. Quæ necessitas consequens nullo modo obest libertati; imò est ipsum exercitium libertatis.

AR

ARTICULUS II.

De Gratia.

10. SCiendum 1. gratiam hoc loco accipi pro dono Divino, quod Naturæ ordinem aliquo modo transcendit, & ad supernaturalem beatitudinem consequendam conducit vel intrinsecè, vel saltem per extrinsecam DEI ordinationem. Alia vocatur *gratia gratis data*, quæ primariò non in illius, cui datur, sed in aliorum utilitatem conceditur, utì gratia linguarum, sanitatum, prophetiæ, miraculorum &c. de quibus hic non agitur. Alia verò dicitur gratia *gratum faciens*, quæ scilicet ordinatur ad salutem illius, cui conceditur, eúmque DEO reddit gratum vel formaliter ac permanenter, ut facit gratia habitualis, vel dispositivè ac transeunter, ut facit gratia actualis. *Gratia habitualis*, quæ etiam vocatur *Sanctificans*, est qualitas supernaturalis, inhærens animæ stabiliter per modum habitûs, qua homo formaliter fit justus ac filius DEI adoptivus, & hæres cœlestis gloriæ; de qua inæstimabili gemma, quæ solo peccato mortali amittitur, aliquid dicemus infrà de Justificatione. *Gratia actualis*, de qua hìc sermo, interna est speciale DEI auxilium transiens ad bene operandum, ut oportet, ad salutem; sive dein sit lumen & illustratio aliqua intellectûs, aut pius voluntatis motus, inclinans ad bonum & retrahens à malo, utì sunt gratiæ, quas vocamus *prævenientes*, *excitantes*, *adjuvantes*, sive sit ipse actualis DEI influxus specialis in actus salutares &c. pro varia Auctorum opinone de gratia *adiuvante & concomitante*, seu *cooperante*. Per gratiam *excitantem* prævenit nos DEUS, & solus facit, *ut velimus*, per *adjuvantem* operatur nobiscum in nobis *velle ipsum*. Utramque insinuat Scriptura, illam Psal. 58. *Misericordia ejus præveniet me*: hanc 1. Cor. 15. *Non ego, sed gratia DEI mecum*. Præter gratiam actualem internam, nunc explicatam, datur etiam externa, cujusmodi sunt exhortationes piæ, bona exempla &c.

11. Sc. 2. gratiam actualem subdividi in Sufficientem & Efficacem. *Gratia Sufficiens* est, cum qua potest quidem homo operari bene, non tamen operatur. *Gratia Efficax* verò, cum qua infallibiliter operatur bene, & cui, quamvis resistere possit, non tamen resistit. De qua legitur Ezech. 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*. Et Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit*. Gratiam merè sufficientem non solùm olim negârunt Pelagiani & Semipelagiani, asserentes, vires naturales liberi arbitrij sufficere ad obtinendam justitiam & salutem, nihil vel nimis parùm tribuentes gratiæ; sed etiam nunc eandem negant Sectarij nostri temporis, asserentes, omnem DEI

gratiam & motionem esse efficacem: adeóque omnes, qui moventur à Deo, necessariò bene agere; qui non moventur, non posse bene agere; proinde nimis multùm tribuunt gratiæ. Inter utrosque media incedit Ecclesia Catholica, sicut Christus medius inter duos pependit latrones, atque docet, nec solam gratiam sufficere, & facere omnia, nec solum liberum arbitrium, sed hominis arbitrium à gratia adjutum sufficere, & operari opera supernaturaliter bona. Itaque hic plura sunt disputanda. 1. Num detur gratia merè sufficiens. 2. An ea omnibus à DEO concedatur. 3. An necessariò.

21. Dicendum 1. Necessariò præter gratiam Efficacem admittenda est gratia Sufficiens. Prob. 1. ex Scriptura. Deus Isa. 65. dicit: *Vocavi, & non respondistis.* Et Christus Mat. 13. *Quoties volui congregare filios tuos &c. & noluisti.* Item S. Stephanus ad Judæos Act. 7. *Vos semper Spiritui S. resistitis.* Sed vocatio Divina, cui non respondetur, gratia, quæ non acceptatur, & cui resistitur à libero arbitrio, est gratia merè sufficiens: ergo. 2. Deus nulli denegat auxilium necessarium ad salutem; cùm velit omnes homines fieri salvos: atqui hoc auxilium non in omnibus est efficax; cùm non omnes salventur: ergo in aliquibus est tantùm sufficiens. 3. Agens liberum debet cum gratia Divina posse agere & non agere: sed homo est liber, ut vidimus: ergo cum gratia Divina debet posse agere & non agere. Atqui si agit, gratia est efficax, si non agit, est sufficiens tantùm: ergo.

13. Dicendum 2. Omnes omnino homines adulti quovis tempore habent auxilium sufficiens, quo vitare peccata saltem physicè possint. Ratio est clara, quia nemo peccat in eo, quod vitare nullo modo potest. Item DEUS sine discrimine temporis, & personarum, per minas absterret à peccatis: ergo omni tempore debent omnes posse vitare peccata: atqui non possunt sine auxilio sufficienti. Sive dein hoc auxilium sufficiens sit gratia intrinsecè supernaturalis, cujusmodi saltem in gravioribus tentationibus moraliter necessaria est ad servandam totam Legem, sive naturalis.

14. Dicendum 3. Omnes homines semel justificati habent auxilium moraliter sufficiens ad vitanda peccata gravia. Ratio est; quia semel justificati sunt amici DEI; exigit autem vera amicitia, ne amicus constituatur in morali necessitate amittendi amicitiam: atqui daretur hæc moralis necessitas, nisi haberent auxilium moraliter sufficiens ad vitanda mortalia: ergo.

15. Dic. 4. Semel lapsi in peccatum mortale pro tempore & loco opportuno habent auxilium gratiæ sufficiens ad resurgendum, si aliquamdiu supervivant cum usu rationis post peccatum. Ratio est; quia nulli desperandum est de salute, quamvis sit maximus peccator: ergo nulli deest auxilium sufficiens resurgendi. Et Scriptura testatur Ezech. 28. & 33. Mat. 11. 1. Tim. 2. &c. ex parte DEI nihil deesse, quò minùs peccatores convertantur & vivant, si velint: *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœni-*

tem-

tentiam reverti. 2. Petr. 3. Ejusmodi tamen auxilia gratiæ non adsunt quovis momento temporis, quia peccator non semper actu movetur & excitatur à DEO, ut resipiscat, v. g. quando dormit, vel alijs occupationibus nimiùm distrahitur.

16. Dic. 5. Omnes infideles adulti habent auxilium sufficiens ad veram fidem & salutem consequendam, *si faciant, quod est in se*, hoc est, si per actus moraliter honestos, quos eliciunt juxta lumen & dictamen rationis, reddunt se minùs indignos gratuito favore gratiæ supernaturalis, vi cujus vel interiùs illustrentur & doceantur necessaria ad salutem, Deúmque, ut oportet, diligant, vel incidant in Prædicatorem, à quo necessaria addiscant. Ratio est, quia DEUS jubet omnes adultos se disponere ac præparare pro viribus ad participandam Christi redemptionem, *hominis est præparare animam.* Prov. 16. *Convertimini ad me.* Zach 1. sine qua participatione nulla est salus; ergo cùm velit omnes salvari, & Christus *illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum* Jo. 1. & si infideles faciant, quod est in se (licèt mereri ea non possint) oportet DEUM concedere auxilia gratiæ, quibus se possint disponere: penes ipsos deinde erit cooperari his auxilijs; quod in eorum arbitrio est positum.

17. Sed quid de parvulis sine Baptismo decedentibus? An & isti habent auxilium sufficiens ad salutem? R. habent quidem auxilium *remotè & physicè* sufficiens, quia DEUS ordinavit etiam his media per se apta ad salutem, modò per causas secundas applicentur v. g. à parentibus, quos interiùs stimulari credo, ut faciant ea, à quibus salus infantis dependet. Quia verò DEUS non tenetur impedire cursum Naturæ, malitiam parentum &c. ideo sæpe contingit, ut infantes non habeant auxilium *proximè & moraliter* sufficiens ad salutem, sed in peccato originali decedant. Quæ est abyssus judiciorum Divinorum. DEUS itaque, quantum est ex se, voluntate antecedente vult omnes, etiam infantes, salvari, ac pro ijs generalia salutis remedia instituit, atque applicari voluit: licèt ex justis & occultis causis ea sæpe non applicari *permittat.*

Dices: ergo id ipsum etiam dici poterit de adultis, quòd scilicet DEUS ipsis quidem providerit media salutis generalia, v. g. Prædicatores & Ministros Sacramentorum constitueudo, licèt interim per accidens hæc media in actu 2. ipsis non applicentur. R. N. illatum & paritatem, nam adulti se ipsos possunt præparare ad participandam Christi redemptionem, idque ab ipsis exigitur: ergo debent ipsis dari auxilia, quibus id possint: quæ auxilia, cùm infundantur à DEO immediatè, non possunt à causis secundis impediri.

18. Dic. 6. Sine auxilio gratiæ supernaturalis non potest homo exercere ullum opus, per se ad salutem pertinens & conducens, seu supernaturale. Prob. 1. ex Scriptura. *Sine me nihil potestis facere.* Jo. 15. *Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* 2. Cor. 3. Quos textus intelligunt Patres & Concilia de bono supernaturali. 2. Ex ratione

Theologica: omne opus per se ad salutem pertinens vel est dispositio ad justitiam, vel est meritum cœlestis gloriæ: ergo omne tale opus est medium ad aliquid supernaturale: atqui media debent esse proportionata fini: ergo si finis est supernaturalis, debent esse & media, item si forma, etiam dispositiones: atqui sine gratia supernaturali non est in homine nisi virtus merè naturalis, adeóque improportionata. Ad quemvis actum verò *moraliter* tantùm (non *supernaturaliter*) honestum non opus est gratia supernaturali. *Gentes enim naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt*, Rom. 2.

19. Ob. 1. Sine gratia supernaturali nec actus tantùm moraliter bonus, ut ut facilis, elici potest, quia S. Paulus dicit, omnia munda esse mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil esse mundum. R. N. assertum. Dictum Pauli sic intellige: infidelibus & coinquinatis quà talibus sunt immunda, hoc est, influente in opus ipsa infidelitate & peccato.

20. Ob. 2. Dominicani & Jesuitæ non conveniunt circa gratiam sufficientem & efficacem: ergo nec apud Catholicos certum est, gratiam ritè dividi in sufficientem & efficacem. R. D. A. non conveniunt in modo explicandi naturam gratiæ efficacis & sufficientis C. A. in divisione gratiæ in sufficientem & efficacem N. A. & C. Concordant Dominicani & Jesuitæ ac omnes Catholici, quòd detur gratia sufficiens, & efficax item quòd efficax gratia non tollat libertatem; quamvis in explicandi modo, quo gratia efficax concilianda sit cum libero arbitrio, non conveniant, & in explicanda essentia gratiæ efficacis, dum illi eam dicunt esse intrinsecè efficacem, & vocant Prædeterminationem physicam: isti verò propugnant extrinsecè efficacem, juxta quos gratia efficax non differt entitativè à gratia sufficiente, ac illi secundùm se spectatæ potest voluntas resistere sicut gratiæ sufficienti (quapropter non tollit libertatem) differt tamen per hoc, quòd DEUS præviderit per Scientiam Mediam, quòd homo huic auxilio gratiæ, si dederit, sit cooperaturus (& hæc cooperatio conditionatè prævisa gratiam reddit *efficacem*, ita ut infallibiliter sequatur opus bonum) Quòd autem DEUS det potiùs tale auxilium, cui prævidet hominem cooperaturum, quàm aliud, cui prævidet hominem non cooperaturum, est specialis Benevolentia DEI, cui propterea rectè adscribitur opus bonum, initium nostræ salutis, justitia & ipsa salus, ac infinitæ aguntur gratiæ. Sed quare DEUS non omnibus dat talia auxilia, quæ prævidet fore congrua, seu gratias efficaces? Quare istis & non alijs? R. quia ipsi sic placet, quare autem sic placeat, noli quærere; hoc enim est mysterium inscrutabile Providentiæ Divinæ. Hoc tibi sufficiat, quòd tum ex fide tum ex lumine naturali scias, DEUM esse infinitè sapientem, bonum, & justum. Tuum est in timore & spe operari salutem tuam, & ardentibus precibus flagitare gratias efficaces; quamvis enim in nostra potestate sit cooperari gratiæ vel non cooperari, non tamen est in nostra potestate eligere illam gratiam, cum

cum qua DEUS prævidet nos liberè cooperaturos.

21. Doctrinam de gratia & libero arbitrio hactenus explanatam tibi nunc in exemplo clarissimè propono. Sit aliquis amicus, qui tibi suadeat iter Romam, atque in hunc finem tibi procuret equum, & alia necessaria. His omnibus positis tu potes iter Romanum arripere vel omittere: si arripias, certè prima causa tam movens quàm adjuvans est tuus amicus. Ille tamen nequaquam solus te defert Romam, sed tu debes sequi consilium, conscendere equum, & alia plura facere, quæ tamen non feciſſes, imò nec facere potuisses (ut suppono) nisi amicus suasisset, & equum subministrâsset. Sic DEUS excitat & suadet per gratiam prævenientem, ac adjuvat per cooperantem, ad opus bonum ad salutem conducens, sine qua non potuisses illud peragere; neutiquam tamen ille solus agit omnia (licèt rectè ipsi tribuatur opus bonum) sed & tu liberè cooperaris.

ARTICULUS. III.

De Observatione Legis.

Summarium.

22. *Triplicis generis leges à Deo latæ sunt. Ceremoniales & Judiciales Antiqui Testamenti nunc abrogatæ sunt, non verò Lex Moralis.*
23. *Quam observari, vel saltem implerì, impossibile est juxta Protestantes.*
24. *In quo consistat status quæstionis de observatione mandatorum Dei.*
25. *DEUS non præcipit sua mandata observari cum tanta perfectione, quanta homini possibilis non est.*
26. *Unde omnia & singula, ad salutem necessaria, perfectè observari ac impleri possunt.*
27. *Quid respondendum ad textus Scripturæ, in speciem contrarios.*
28. *Quomodo possibile sit implere mandatum dilectionis DEI & Proximi.*
29. *Quomodo præceptum*, non concupisces.
30. 31. *Quàm diabolica, pestilens, & absurda sit doctrina de impossibilitate servandi mandata DEI.*
32. *Præcepta Ecclesiæ omnino spernunt Heterodoxi tanquam mandata hominum.*
33. *Quamvis certum sit, Ecclesiam posse in conscientia & sub peccato præcipere rem cæteroquin honestam.*
34. *Defacto justè præcipit jejunia, certis diebus observanda:*
35. *Esum verò carnis prohibet.*
36. *Rectè quoque instituit dies aliquos festos.*
37. *Quæ ex Scripturis opponuntur, facilem habent solutionem.*

§. I.

§. I.

De Observatione Legis Divinæ.

22. SCiendum 1. Triplicis generis Leges à DEO esse latas. 1. Ceremoniales. 2. Judiciales. 3. Moralem. *Ceremaniales* in antiquo Testamento spectabant ad ceremonias & circumstantias externas cultûs Divini; præsertim Sacrificiorum. *Judiciales* verò seu Forenses concernebant Politicam Judaicam præsertim circa externas circumstantias justitiæ erga populum DEI exercendæ. Utræque fuerunt plurimæ, & quidem Judiciales numerantur ultra sexcentas. Omnes sunt abrogatæ in novo Testamento, ut fatentur nobiscum Adversarij, quia tantùm ad certum tempus fuerunt constitutæ tanquam figurantes Messiam venturum, & ad regendum populum Judaicum ordinatæ. Ita tamen sunt abrogatæ, ut Christiano Magistratui liberum sit aliquas earum, si Ecclesiæ videantur congruere, fidelibus observandas proponere. Lex denique *Moralis*, cujus summa continetur in Decalogo, per Christi adventum neutiquam est abrogata. Obligant itaque etiamnum præcepta Decalogi, fatentibus etiam hæreticis, quamvis ea juxta Lutheranos & Calvinistas nemo (etiam renatus, ut vocant, hoc est, justificatus) observare & implere possit post lapsum Adami. Adeóque nec viribus naturæ, nec gratiæ Christi. Hinc.

23. Sc. 2. Quamvis Lutherus, Calvinus, & Melanchthon absolutè negaverint, possibilem esse homini, etiam renato, observationem Mandatorum DEI, hanc tamen crudam nimis & apertè blasphemam doctrinam suorum Magistrorum ab alijs Sectarijs nonnihil mitigatam esse, licèt non sine nova blasphemia, ut probabunt nostra argumenta. Gerardus de Lege DEI §. 181. & seqq. sic limitat. Homines *non renati* possunt quidem mandatis Divinis præstare obedientiam externam v. g. vitando furta, mendacia &c. internam tamen cordis nec inchoatam & imperfectam sine Spiritu S. v. g. credendo, diligendo DEUM &c. Homines *renati* verò possunt quidem inchoatè & imperfectè etiam interiorem obedientiam præstare mandatis DEI v. g. mortificando concupiscentias & desideria carnis, perfectè tamen implere, quantùm DEUS secundùm rigorem Legis requirit, nullum omnino præceptum possunt, quamvis possint secundùm imputationem, & gratiam Evangelij, nempe quatenus DEUS propter Christi merita vult esse contentus imperfectâ obedientiâ, propter fidem in Christum non imputando transgressiones. Similia habet M. Lomer Præco August. p. 276. seqq. p. 288. seqq. & p. 338. seiner fortgesetzten Abfertigung. Econtra Catholici docent, omnem hominem (præsertim justificatum) cum Divina gratia posse observare mandata DEI: eaque implere tam perfectè, quàm

quàm perfectè nos obligant sub amissione æternæ salutis. Nec DEUS in suis Mandatis observandis exigere potest majorem perfectionem, quàm quæ homini attenta illius fragilitate ac auxiliorum & gratiæ DEI virtute possibilis est. Ex quibus

24. Sc. 3. Statum quæstionis in hoc consistere: an homo (seu justus seu non justus, fidelis vel infidelis) partim naturæ, partim gratiæ viribus (quam DEUS nunquam negat in ordine ad vitandum peccatum, ut art. præced. vidimus) possit observare & implere mandata DEI omnia & singula tam perfectè, ut Legislatori satisfiat, ita ut is ad amplius & perfectius quid hic & nunc non obliget, saltem sub peccato mortali, seu sub pœna amittendæ salutis æternæ. Quamvis enim aliquis nunquam tam perfectè possit observare Mandata DEI, quàm perfectè observant Beati in cœlo, vel impletione perfectissima (quæ utique impossibilis est, cùm repugnet creatura, adeóque etiam impletio perfectissima) tamen potest ille jam dici perfectè observâsse & adimplesse Mandata DEI, qui facit, quantum hic & nunc requirit Legislator. Sicut Musicus v. g. jam dicitur perfectus, & perfectè didicisse artem, etiamsi ipsi adhuc multi gradus desint respectu peritissimorum, vel etiam Angelorum. Dixi saltem *sub peccato mortali*, ut abstraherem ab illa quæstione inter Catholicos controversa: utrùm homo cum ordinarijs auxilijs gratiæ possit diu vitare omnia peccata venialia. De qua quæstione sic sentimus nos: quamvis possit vitare singula seorsim, & etiam omnia simul per aliquod tempus breve, per longum tamen tempus omnia vitare sine extraordinaria DEI gratia moraliter non potest, quamvis physicè possit, utpote manente adhuc physica libertate. Cæterùm Lutheranos nil juvat hæc Catholicorum controversia, quia apud ipsos nullum datur peccatum naturâ suâ veniale, & ipsi non tantùm *omnia*, sed etiam *singula* præcepta graviter obligantia perfectè observatu impossibilia, & quidem *physicè*, esse dicunt.

25. Dicendum 1. DEUS non præcipit observari & impleri sua mandata cum perfectione tanta; quanta homini est impossibilis. Prob. 1. ex Scriptura. *Fidelis DEUS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* 1. Cor. 10. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Deut. 30. id est, supra vires tuas. Prob. 2. Si DEUS præciperet tantam perfectionem in observatione suorum mandatorum, quanta homini est impossibilis, & quidem sub pœna æterni supplicij, tunc esset imprudens, & simul tyrannus; an enim non imprudens censeretur pater, qui præciperet filio pedibus destituto, ut curreret, etiamsi filius ex propria culpa perdidisset pedes? An non tyrannus censeretur Dominus, qui servo pœna mortis præciperet, ut volaret per aëra? 3. Ad *impossibile nemo tenetur*, ut habet communis paræmia: ergo nec DEUS obligare potest ad aliquid impossibile. 4. Et hinc si obligaret, vel transgressio talis mandati non esset peccatum (quod implicat) cùm nemo censeatur peccare in eo, quod vitare non

post: vel, si esset peccatum, DEUS ipse esset auctor peccati, eò quòd homini non daret vires implendi id, quòd præcipit. 5. Quia prorsus gratis & sine ullo fundamento fingitur, à DEO nos obligari ad ejus mandata tam perfectè observanda, quàm perfectè tamen observare nobis impossibile est.

26. Dicendum 2. Potest homo, Divinâ gratiâ adjutus, perfectè observare & implere omnia & singula DEI mandata, ad salutem necessaria. Sequitur hæc assertio ex præcedente, & ulteriùs Probatur 1. ex Scriptura. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis.* Ezech. 36. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Jo. 15. *Qui diligit proximum, legem implevit* Rom. 13. v. 8. *Mandata eius gravia non sunt.* 1. Jo. 5 *Omnia possum in eo, qui me confortat* Phil. 4. Christus docuit nos orare: *fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*: ergo potest fieri voluntas Dei à nobis: atqui voluntas DEI vel maximè consistit in ejus mandatis. Taceo innumeros alios textus, ex quibus vel totam Legem, vel aliquod saltem particulare præceptum observari & perfectè impleri posse, clarè habetur vel colligitur. Imò multi leguntur perfectè implêsse, uti David, qui fuit *vir secundùm cor DEI, faciens omnes voluntates ejus.* Act. 13. v. 22 *Qui custodivit mandata Domini, & eum secutus est in toto corde suo.* 3. Reg. 14. Josue, qui *universa complevit, non præteriit de universis mandatis, nec unum quidem verbum.* Jos. 11. Zacharias & Elisabeth, qui *ambo erant iusti ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Luc. 1. v. 6. Ubi advertе, quòd isti dicantur observâsse totam Legem perfectè & sine querela, scilicet eatenus (quatenus non violârunt graviter; nam venialiter peccâsse, *cùm non sit homo, qui non peccet.* 3. Reg. 9. credibile est: quæ levis transgressio, seu peccatum veniale, nec amicitiam cum DEO destruit, nec salutem aufert, licèt minuat vel differat.

Prob. 2. Ex communi omnium piorum sensu, imò & impiorum, qui post commissum peccatum sentiunt remorsum sibi exprobantem; quod evidens signum est, quòd potuissent non peccare, & præceptum Domini custodire. Nec facilè leges, ullum fuisse ante Lutherum tam impudenter blasphemum, qui diceret, mandata DEI esse observatu impossibilia. Audi SS. Patres: S. Basilius in orat. attende tibi, ait: *impium est dicere, impossibilia esse Spiritûs præcepta.* S. Chrysost. hom. 8. de Pœnit. *Nequaquam Dominum accuses; haud mandata impossibilia.* S. Aug. serm. 191. de tempore (*Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à DEO esse præceptum.* Et l. de fide & oper. c. 15. *Si mandatis non obsèrvatis ad vitam veniri potest per solam fidem -- illud deinde quomodo verum erit, quòd eis, quos ad sinistram positurus est, dicet: ite in ignem æternum* &c. S. Hieron. l. 2. Dial. Adv. Pelag. docet, Mandata DEI esse quidem impossibilia naturæ, sed possibilia gratiæ.

Prob.

Prob. 3. ex ratione. Nemo peccat per hoc, quod evitare non potest: ergo, qui transgreditur mandata DEI, non peccat, cùm ea observare non possit: ergo nullum datur peccatum. Vel, si datur, DEUS solus erit auctor peccati, quia ille solus potuisset evitare, non homo. Item DEUS erit tyrannus, quia obligat ad aliquid impossibile. Dices, hominem ideò peccare, quia per peccatum originale, adeóque ex sua culpa, sibi fecit impossibilem observationem mandatorum DEI; sicut ille, qui ex sua culpa se fecit impotentem ad solvendos centum aureos, quos alteri debet, adhuc tenetur, & Dominus adhuc jure & sine tyrannide exigit solutionem, quamvis debitori impossibilem: ergo nec DEUS erit tyrannus, licèt obliget hominem ad aliquid impossibile. R. ad hoc miserum, & solemne effugium Adversariorum. Facta hypothesi, quòd homo sit imporens servare mandata (unde unde proverierit hæc impotentia, etiamsi ex culpa propria personali, & non originali tantùm, provenisset) homo nec prudenter & sine tyrannide obligari potest, nec peccare. Perit itaque tali casu DEO jus *proximum* obligandi, sicut & illi creditori exigendi solutionem à debitore, quamdiu is est imporens, unde unde demum. **Wo nichts ist / hat der Kayser das Recht verlohren.** Quæso possétne vitio verti illi, qui (quamvis ex propria culpa) in puteum lapsus, nec potens proprijs viribus emergere, non emergit? potéstne ad emergendum obligari, &, si non faciat, puniri?

Prob. 4. ex absurda sequela. Si non possunt observari mandata DEI, nemo potest salvari: hoc admitti non potest: ergo. M. prob. DEUS alligavit salutem observationi mandatorum: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Mat. 19. ergo, qui hanc conditionem non implet, non potest salvari: atqui juxta Adversarios nullus implere potest: ergo nullus salvari potest. Dices. Christus præstitit pro nobis, quod nos non possumus, & illius obedientiam DEUS ita acceptat, ac si nos Legem adimpleremus: verbo, non imputat nobis transgressiones mandatorum, si per fidem apprehendamus justitiam Christi & gratiam R. quamquam Christus nobis impetravit remissionem peccatorum, si habeamus fidem & cætera, quæ requirit: non tamen impetravit nobis, ut nos simus liberi ab observatione mandatorum Dei, cùm ipsémet dicat: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Impetravit nobis quidem gratiam, ut possimus observare mandata DEI, non tamen privilegium non observandi, vel ijs non observatis perveniendi ad salutem; nec petijt, ut à Patre ita acceptetur sua obedientia, ut etiam prosit inobedientibus. *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Jo. 11. etiamsi fidem habeat. Adde, quòd Lutherani nec possint elicere fidem, per quam apprehenditur justitia Christi, cùm nullum præceptum observare possint, adeóque nec fidei: lapsi enim in peccatum æquiparantur non-renatis. De hoc plura de Justificatione per fidem.

Prob. 5. ad hominem. Juxta Adversarios

versatios nullus non-renatus potest vel imperfectè præstare obedientiam internam mandatis DEI: ergo omnes non-renati (uti sunt Turcæ, Judæi, Gentiles, item qui per peccatum violârunt fœdus baptismatis, hi enim juxta ipsos æquiparantur non-renatis, cujusmodi apud Lutheranos sunt plerique; quis enim est ex ipsis, qui non sæpe & quotidie cum advertentia peccet, & sic fœdus baptismale violet?) ergo, inquam, hi omnes sunt in animo ac interiùs blasphemi, perfidi, proditores, fures, mœchi, homines lascivi, hæretici (saltem qui baptizati sunt) adulteri &c. Porro cùm renati tantùm inchoatè & imperfectè possint juxta ipsos internam obedientiam præstare, isti solùm habent fidem (nam & fides est præceptum Domini) fidem, inquam, inchoatam & imperfectam: sed talis fides inchoata tantùm non est fides firma, viva, & justificans: ergo Lutherani nunquam possunt habere vivam & justificantem fidem: ergo nunquam sunt justi, & renovati. Consequenter æquè, ac infideles, in animo saltem & interiùs, sunt blasphemi, perfidi, adulteri &c. Præclara Ecclesia, quæ talibus constat membris!

27. Ob. 1. ex Scriptura. S. Petrus Legem vocat *jugum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* Act. 15. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Rom. 7. *Quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, DEUS Filium suum misit.* Rom. 8. *Qui sub operibus Legis sunt, sub maledicto sunt: maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea* Gal. 3. R. ad 1. S. Petrus ibi loquitur de Lege Moysis Ceremoniali, vel etiam Judiciali, quæ dicebatur jugum importabile, non quòd simpliciter portari non potuerit, cùm plures eam totam observaverint, uti Josue, Zacharias, Elisabeth &c. sed quòd difficile admodum fuerit tot & tam graves leges observare, quas diximus nunc esse sublatas. Ad 2. Paulus ibi non loquitur de Lege; sed de motibus concupiscentiæ, quibus carere volebat, sed non poterat; quia verò carere ijs non poterat, peccata non erant, cùm consensum non dederit adjutus Divinâ gratiâ, ita volente & animante Christo, dum dixit ad eum: *Sufficit tibi gratia mea*, relicto carnis stimulo, quem Paulus cupiebat auferri 2. Cor. 12. Ad 3. & 4. His & similibus textibus plùs non probatur, quàm quòd sine gratia Christi, & ex solis naturæ viribus impossibile sit totam Legem Moralem observare. Et qui non credit in Christum, adhærendo adhuc Legi Mosaicæ, utique sub maledicto est, quia non observat totam Legem, quæ jubet etiam credere in Christum.

Dices 1. Scripturâ teste non potest vitari omne peccatum, v. g. Jo. 1. *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Prov. 24. *Septies cadit justus.* Jac. 3. *In multis offendimus omnes.* Ergo tota Lex observari non potest perfectè. R. D. A. Non potest vitare omne peccatum veniale, & quidem collectivè sumptum per longum tempus, & potentiâ tantùm morali, ac sine auxilio DEI extraordinario

ordinario C. A. secus N. A. & suppositum, quòd de peccato veniali taliter considerato sit quæstio. Textus tantùm loquuntur de peccatis justorum, adeóque venialibus tantùm.

Dices 2. DEUS post lapsum Adami repetivit quidem iterum mandata, uti & Christus in novo Testamento, sed non eo fine, quasi perfectè observari possint, sed ut indè esset *cognitio peccati*. Rom. 3. v. 20. ut esset *pædagogus noster ad Christum*. Gal. 3. v 29. Nec DEUS solùm mortificat per *Legem*, sed etiam vivificat per *Evangelium*, quo annuntiatur nobis remissio peccatorum per Christum. R. Hoc Adversarij non tantùm gratis dicunt, sed etiam contra Scripturam & rationem, ut patet ex nostris probationibus. *Ex Lege est cognitio peccati*. hoc est, cognoscimus nos malè agere, si agimus contra legem cognitam, quam observare tenebamur. Certè *servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis*. Luc. 12. *Nec auditores legis justi sunt apud DEUM, sed factores legis justificabuntur*. Rom 2. v. 13. Adeóque Lex non tantùm est pædagogus docens, quid faciendum, sed etiam obligat ad faciendum. Esétne Magister Lomer, qui hæc objicit, contentus, si quis diceret, ipsius mandata, Domesticis data, tantùm ideo esse data, ut Domestici cognoscant, quid esset faciendum, reipsa autem non facerent? Ad alterum. DEUS non mortificat per Legem, sed homo, qui adjutus gratiâ Christi, quam Evangelium ipsi annuntiat, non observat Legem, mortificat seipsum. Evangelium non tollit Legem; *Christus enim non venit solvere Legem*, Mat. 5. Nec ijs, qui non observant, patrocinatur, nec facit, quasi observâssent.

Ob. 2. Omnia mandata fundantur in mandato dilectionis Dei, & proximi: sed mandatum dilectionis nemo potest perfectè observare: ergo. M. P. Deum jubemur diligere ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus. Proximum jubemur diligere sicut nos ipsos, imò & diligere inimicos, qui oderunt nos. Sed utrumque est impossibile; quis enim tanta intensione & omni tempore diligit Deum? Quis nunquam adversus proximum saltem in animo sentit aliquam aversionem, indignationem &c.? Hoc si fiat, jam est *ἀνομία*, seu contra legem, & peccatum. R. N. Min. cum S. Aug. de Spiritu & littera c. 36. Licèt enim non possimus diligere Deum tanta intensione, tam perfectè, & indefinenter, ut diligitur à Beatis in cœlo, & Deus amari dignus est; possumus tamen diligere tanta perfectione, quantam à nobis in hac infirmitate nostra exigit & præcipit Deus sub pœna amittendæ salutis. Non præcipit nobis Deus summam sui dilectionem intensivè, sed summam appretiativè, hoc est, vult à nobis amari tali æstimatione practica, qua ipsum appretiamus & præferimus rebus omnibus creatis, ita ut nullius creaturæ timore & amore finamus nos ab ipso separari, sed parati simus potiùs alia omnia amittere quàm Deum. Et hoc jam est amare Deum super omnia, & ex toto corde. S. Paulus sic amavit, dum dixit: *Nulla creatura poterit nos* 28.

separare à charitate Christi. Rom. 8. Sic amavit David, dum dixit: *In toto corde meo exquisivi te.* Psal. 118. Id quod Deus ipse testatur: *Secutus est me in toto corde suo.* 3. Reg. 14. Quid sit proximum diligere sicut seipsum, explicatur satis per hoc, si nempe quis faciat alijs, quod sibi fieri desiderat, & quod sibi non vult fieri ab alijs, ipse non faciat illis. Aversio vel indignatio, in animo orta præter vel contra voluntatem, & sine consensu, non est peccatum. Cæterùm contra dilectionis præceptum potèst peccari venialiter vel ob parvitatem materiæ vel ob imperfectionem consensûs. Sed de præceptis sub veniali obligantibus non est quæstio. Adde, quòd præceptum dilectionis ex toto corde, utpote affirmativum, non obliget pro semper, sed tantùm quando exigit necessitas procurandæ gloriæ Dei.

29. Ob. 3. Præceptum *non concupisces* nemo potest observare in hac vita: ergo saltem aliquod præceptum est observatu impossibile. Imò cùm hoc præceptum involvatur in cæteris omnibus, eò quòd prohibeat omnes concupiscentiæ motus, pravas cogitationes & desideria interna, sitque mensura obedientiæ in præceptis negativis, sicut præceptum dilectionis est mensura obedientiæ in affirmativis; nullum præceptum quoad interna possumus observare perfectè. A. P. quia sensum concupiscentiæ, & pravas cogitationes, aç desideria nemo cohibere potest; quis enim non titillatur aliquando pravis concupiscentijs? &c. ℞. N. Ant. Ad probationem N. suppositum, quòd sensus concupiscentiæ, cogitationes pravæ &c. sint peccata, quando non accedit consensus voluntatis, quem semper possumus cohibere. Voluntati dictum est, *non concupisces*, non sensui, qui legis est incapax. *nec nocet sensus, ubi non est consensus*, commune axioma est inter doctos. Id quod ipsa Scriptura innuit Eccli. 18. dicens: *post concupiscentias non eas*, hoc est, stimulis & motibus carnalibus non consentias. Si absque consensu sensus & motus concupiscentiæ essent peccata, tunc Joseph, Susanna, & alij à castitate laudatissimi saltem in animo fuissent incasti, adulteri &c. quis enim non aliquando titillatur pravis concupiscentijs? dicit objectio.

Pro coronide adverto 1. quàm pestilens & diabolica sit hæc doctrina de impossibilitate servandi mandata DEI; indè enim ingentem oriri laxitatem conscientiarum necesse est, & contemptum, ac facilem transgressionem mandatorum; quis enim studebit observare, quod sibi impossibile credit? quis reprimere laborabit motus concupiscentiæ, si internam obedientiam præstare DEO se non posse existimet, & motus, etiam involuntarij, concupiscentiæ jam sint transgressiones mandatorum DEI? Ecce quàm noxiam animarum pestem propinent Præcones Lutherani: sed ne quis absterreatur, mox venenum hoc diluunt Sanguine Christi, &, prô scelus! ex saluberrima medicina dulce toxicum faciunt, & miseris pro solatio affundunt, dicentes, à Christo jam esse præstitum, quod ipsi præ-

stare

stare nequeunt, ac propter ejus merita credentibus non imputari transgressiones mandatorum, conformiter infami dicto Lutheri: *Fortiter pecca, sed fortiùs fide in Christo, ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies uno die fornicemur aut occidamus.*

31. Adverto 2. Quàm absurda sit hæc doctrina, & qàm exiguum afferat solatium; cùm indè sequatur, homines semper in omni opere, etiam quando vel maximè observare nituntur præcepta DEI, mereri infernum. Nam juxta Lutheranos nemo potest ullum unquam præceptum DEI, præsertim dilectionis DEI ex toto corde, perfectè observare: atqui iste defectus est contra legem & ἀνομία, proinde peccatum: atqui juxta ipsos omne peccatum de se est mortale, & meretur æternas inferni pœnas: ergo in omni opere, etiam quando vel maximè nituntur observare mandata DEI, merentur infernum. Præclara doctrina! Mitiùs adhuc Lutherus pronuntiavit, dum dixit: *Opus bonum optimè factum est veniale peccatum.* art 3. in assert.

§. II.

De Præceptis Ecclesiæ, nempe Jejunijs, & Festis &c.

32. SCiendum 1. Lutheranos & Calvinistas, qui mandata DEI tanquam sibi impossibilia non observant, præcepta Ecclesiæ omnino spernere, neminem ijs obligari dictitantes tanquam mandatis hominum, ut hac ratione omni jugo excusso liberiùs indulgere genio possint. Nos mandatis DEI subjungimus mandata Ecclesiæ, cùm locus proprius nullibi sit assignatus. Sed breviter tantùm aliqua libabimus de Jejunijs & Festis ab Ecclesia præceptis; nam de Missa, Confessione auriculari, & S. Communione, quæ etiam præcipiuntur ab Ecclesia, de Sacramentis erit differendi locus.

Sc. 2. Quamvis Lutherani & Calvinistæ non vituperent jejunia secundùm se, utpote multùm laudata in Scripturis, & usitata ab hominibus sanctis, negant tamen ea sub obligatione in conscientia posse præcipi, asserentes, ea relinquenda esse cujusvis arbitrio. Idem ferè dicunt de Festis. Taxant præterea discrimen ciborum, quod Ecclesia statuit, prohibens esum carnium certis diebus, nimirum illis 40. ante Pascha, quatuor temporibus anni, in vigilijs, ac insuper tantùm unam refectionem præscribens: quod ultimum tamen non præcipit in ferijs sextis & diebus Sabbathinis per annum, sed præcisè abstinentiam à carnibus.

Dicendum 1. Potest Ecclesia rem cæteroquin honestam præcipere in conscientia & sub peccato. Probatur 1. ex Scriptura, quæ jubet fideles audire & obedire legitimæ potestati, qualem utique 33.

que habet etiam Magistratus Ecclesiasticus, & quidem jubet obedire sub peccato : dicit enim : *qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Rom. 13. v. 2. *Necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* v. 5. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus & Publicanus.* Mat. 18. Prob. 2. ex praxi perpetua Ecclesiæ, abundat enim Corpus Juris Canonici variis Legibus, etiam sub pœna excommunicationis latis. Prob. 3. ex sensu communi fidelium, peccato sibi ducentium, si v. g. die Festo vel Dominico non audiant Sacrum.

34. Dic. 2. Rectè præcipit Ecclesia jejunia, certis diebus observanda sub peccato. Prob. 1. Quia Ecclesia habet potestatem rem honestam præcipiendi in conscientia & sub peccato, ut vidimus: sed jejunia sunt res honestæ, ut fatentur Adversarij, imò & ipsi hoc tempore subinde instituunt : ergo. Prob. 2. ex praxi tum Veteris tum Primitivæ Ecclesiæ Christi, & ex Traditione, ex qua nobis constat, Quadragesimale Jejunium jam fuisse in usu tempore Apostolorum, ac propterea habetur pro Traditione Apostolica, quia semper scitur in Ecclesia esse observatum, in nullo autem Concilio legitur institutum. Et S. Ign. Martyr, qui vixit primo sæculo, ad Philipp. scribit : *Quadragesimale jejunium ne spernatis ; continet enim exemplum conversationis Dominicæ.*

35. Dic. 3. Rectè prohibetur ab Ecclesia certis diebus esus carnium, seu rectè fit discrimen ciborum. Prob. 1. ex Scriptura & exemplo Apostolorum, qui in Actis sic statuerunt : *Visum est Spiritui S. & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato.* Act. 15. v. 18. Hoc fuit verum præceptum, quod Paulus etiam confirmavit, *præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* v. 41. Prob. 2. ex praxi antiquæ Ecclesiæ, & novæ, ac perpetua Traditione. Prob. 3. ex ratione ; quia Ecclesia intendit aliquam corporis macerationem ; ad quem finem valde conducit abstinentia à carnibus, quæ ex natura sua & per se magis nutriunt & delectant, quàm pisces & alij cibi leviores.

Dic. 4. Rectè instituta sunt aliqua festa ab Ecclesia. Prob. 1. quia celebrare aliquos dies festos est honestum, ut patet ex Jure Divino, scilicet ex præcepto 3. Decalogi : ergo possunt ab Ecclesia institui ; imò debent aliqui dies determinari, quia Jus Divinum non omnes determinavit. Et sanè nisi potestas determinandi dies festivè celebrandos penes Ecclesiam esset, & quidem sub obligatione, neque teneremur observare diem Dominicum, & dies Paschatis, quos determinavit Ecclesia sola. Prob. 2. ex praxi veteris Ecclesiæ, & novæ, statim primis temporibus certos dies festivè celebrandos præcipientis: Sic S. Clemens Romanus, statim post tempora Apostolorum, Const. Apost. l. 8. c. 39. præcipit : *In diebus Apostolorum vacent &c. In die Stephani Protomartyris vacent.* S. Ign. Martyr ad Phil. monet : *Dies festos na-* 36.

lite

lite inhonorare. Cæterùm in magno errore sunt Lutherani & Calviniſtæ, dum putant, juxta nos Catholicos dies fieri festos & sacros per aliquid physicum & intrinsecum, cùm tantùm fiant sacri per hoc, quòd extrinsecè deputentur ad cultum Divinum; ferè sicut loca & vasa, Divino cultui destinata, in SS. Litteris vocantur *consecrata* per quandam sanctitatem extrinsecam & analogicam.

Ob. 1. Luc. 10. Christus discipulos
37. suos sic allocutus est: *Manducate, quæ apponuntur vobis.* Et 1. Cor. 10. v. 25. *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* R. ad 1. Christus ibi voluit suos discipulos esse contentos appositis cibis, etsi viliores sint, sectari frugalitatem, non lautitias in cibis. Ad 2. Paulus voluit fideles liberare ab illa sollicitudine, qua putabant se teneri ad inquirendum, an non carnes, quæ in macellis vendebantur, jam fuissent appositæ Idolis.

Ob. 2. *Non, quod intrat in os, coinquinat hominem*, ait Christus Mat. 15. Et Paulus tanquam præcepta & doctrinas hominum rejicit, quibus præcipitur: *Ne tetigeritis, ne gustaveritis* &c. Coloss. 2. v. 20. ergo venum est abstinere à certis cibis. R. ad 1. Christus loquitur de cibis secundùm se spectatis, non ut prohibitis à legitima potestate. Utique cibi secundùm se & ex natura sua sunt boni, & non coinquinant corpus; si tamen prohibeantur, & tamen sumantur, coinquinant animam, hoc est, peccatricem faciunt, sicut esus pomi in Paradiso; quod pomum, nisi fuisset prohibitum à Deo, nec Adamo nec nobis nocuisset: nunc autem plurimùm nocuit. Ad 2. Paulus ibi corrigit illos Christianos, qui adhuc judaizabant, putantes, quosdam cibos pro omni tempore esse vetitos tanquam immundos, aliàsque Leges Cæremoniales Moysis adhuc observabant, dicentes: *ne tetigeritis*, nempe cadaver hominis defuncti &c. *ne gustaveritis*, nempe carnem suillam, leporinam &c. in veteri Testamento prohibitam. Quas leges rectè Paulus vocavit *præcepta & doctrinas hominum*, quamvis enim aliquando fuerint Divinæ, tunc tamen jam erant abrogatæ, & non nisi proprio particularium hominum judicio servatæ.

Ob. 3. *nemo vos judicet in cibo & potu, aut in parte diei festi*: ait idem Apostolus in eadem ep. Coloss. c. 2. v. 16. Item: *alius judicat diem inter diem, alius autem judicat omnem diem.* Rom. 14. v. 5. ergo discrimen nec in cibus nec in diebus est faciendum. R. ad 1. Paulus ibi loquitur de observatione Legali, qua Judæi abstinebant à certis cibis vetitis, certàque festa celebrabant; quæ utique nunc sunt sublata, quia erant *umbra futurorum*, ut Paulus mox addit. Ad 2. Sensus est: aliqui jejunant certis diebus, ut feria 4. 6. Sabbatho, alij jejunant omni die. Utrique bene, quia Paulus ipsos non reprehendit. Ita interpretantur Orig. Ambrosis & alij.

ARTICULUS IV.

De Peccatis.

SUMMARIUM.

38. *Peccatum in genere quid? Habituale quid?*
39. *Quid actuale Personale?*
40. *Quid Lutherani doceant de Concupiscentia & primis ejus motibus.*
41. *Quo sensu juxta ipsos detur peccatum mortale & veniale.*
42. *Concupiscentia & primi ejus motus non sunt peccatum.*
43. *Quidquid obganniant Adversarij.*
44. *Dantur quoque aliqua peccata, ex genere & natura sua venialia, seu ex se non dissolventia Amicitiam cum Deo.*
45. *Neque veniale peccatum differt à mortali per extrinsecam conditionem personæ peccantis.*
46. *Quo sensu S. Paulus Concupiscentiam vocet peccatum.*
47. *Quo sensu primi Concupiscentiæ motus sint difformes Legi.*
48. *Per hoc, quod omne peccatum debeat esse voluntarium & liberum, non tollitur peccatum ignorantiæ, infirmitatis, aut peccatum Originale.*
49. *Quomodo occurrendum textibus Scripturæ, quibus probare nituntur, omne peccatum ex natura sua esse mortale.*
50. *Quomodo argumentis, ex ratione petitis.*
51. *Quid sit peccatum Originale.*
52. *Quid de illo sentiant Lutherani.*
53. *Status quæstionis geminæ.*
54. *Peccatum Originale nec partialiter consistit in Concupiscentia.*
55. *Illúdque verè & omnino tollitur per Baptismum.*
56. *Ubi & peccata Personalia quoad culpam, quando homo per Pœnitentiam iustificatur.*
57. *Nec peccata solummodo teguntur meritis Christi.*
58. *S. Paulus & S. Augustinus Concupiscentiam vocant peccatum impropriè tantùm & Tropicè.*
59. *Quomodo intelligenda Scriptura, cum ait, peccata tegi, non imputari.*

38. PEr peccatum propriè dictum & in genere intelligitur *voluntarius defectus circa actionem moralem, vel omissionem illius, naturam intellectualem faciens DEO displicentem, & reatum alicuius pœnæ inducens.* Unde in quolibet peccato reperiuntur duo, nempe reatus culpæ & reatus pœnæ. Hæc notio peccati præscindit à peccato Personali, & Originali, de quo utroque

que hìc agendum, eò quòd Justificatio sit *transitus de statu peccati* (vel Personalis, vel Originalis) *ad statum gratiæ*. Personale duplex est, Actuale & Habituale, quod posterius nihil est aliud quàm actuale physicè præteritum, moraliter autem adhuc perseverans, quia nempe nec deletum nec remissum est. Non de hoc Controversistæ, sed solùm de peccato Personali Actuali tractant, quia est præcipuum, & vel genus vel origo cæterorum. Unde sit

§. I.

De Peccato Personali.

59. SCiendum 1. Peccatum personale actuale ex S. Augustino sic definiri: *est dictum, factum, vel concupitum contra Legem æternam.* Quæ definitio complectitur peccatum tam commissionis quàm omissionis; quod enim dicitur de actu contra Legem Dei posito, intelligitur etiam de actu contra Legem Dei omisso. Recipitur etiam à Lutheranis; quamvis peccatum juxta rigorem meliùs definiatur esse *libera violatio Legis Divinæ*: quod enim voluntarium & liberum non est, peccatum non est; cùm nobis imputari non possit, quod nostrum, seu in potestate nostra non est. De hoc peccato præcipuè duplex nobis cum nostris Sectarijs controversia est. 1. An Concupiscentia, quæ ex peccato originali relicta hominem ad peccandum inclinat, item primi illius motus, sint verè & propriè dictum peccatum, quamvis renatis non imputetur. 2. An detur aliquod peccatum veniale ex natura & genere suo, an verò omnia peccata sint mortalia per se & ex natura sua, quamvis in renatis (ut volunt Lutherani) vel Prædestinatis (ut volunt Calvinistæ) ex Misericordia Divina propter Christum non imputentur. Posset moveri etiam tertia quæstio, an Deus sit causa per se seu auctor peccati; quia id ex principijs Adversariorum, & quidem Calvinistarum satis apertè sequitur. Verùm quia ex modernis non facilè, quod scio, invenies tam scelestum, ut contra omnem rationem & propriam conscientiam reclamantem non exhorrescat blasphema voce Deum peccati auctorem dicere; ideò illâ supersedeo.

Sc. 1. Circa Concupiscentiam & primos ejus motus Lutherani, nominatim Gerardus in LL. Theol. de peccatis actualibus, & cum eo M. Lomer p. 191. &c. seiner fortgesetzten Abfertigung docent sequentia. 1. & principaliter, tam concupiscentiam post Baptismum reliquam (per quam intelligitur passio vehemens partis sensitivæ inclinans in amorem boni delectabilis) utì & primos ejus motus, rationem etiam prævenientes, involuntarios, & indeliberatos verè peccatum esse, quamvis renatis non imputetur, vel potiùs umbraculò meritorum Christi tegatur, 2. ita

ita ut non constituat eos actu reos coram Deo & morti æternæ obnoxios. 2. In non-renatis verò peccatum imputari, eósque per ejusmodi concupiscentiæ motus, etiam inscienter, in somno, in pueritia, in amentia contingentes peccare coram Deo, & mereri pœnam æternam. 3. Hos motus, etiamsi liberè non habeantur, tamen esse aliquo modo voluntarios, & cum aliquo consensu contingere, tum quia oriuntur ex voluntate per peccatum corrupta, tum quia sunt in voluntate tanquam in subjecto, tum quia fiunt cum aliqua delectatione.

41. Sc. 3. Quamvis Lutherani discrimen faciant inter peccatum mortale & veniale, longè tamen alio modo illud accipiunt, quàm nos. Nam ipsi, uti Gerardus & Lomer explicant, peccatum veniale, scilicet vel ex parvitate materiæ (ut juxta nos est furtum unius crucigeri v. g. verbum otiosum, parva indignatio &c.) vel ex imperfectione operis ob defectum plenæ advertentiæ, vel ex objecto &c. nullum admittunt, sed dicunt, omnia peccata ex sua natura & genere suo esse peccata mortalia, hoc est, digna æternô supplicio; aliqua tamen ratione personæ delinquentis fieri venialia, hoc est, veniâ digna ex Divina Misericordia, propter Christum Mediatorem ea non imputante certis peccatoribus. Sed in his requiritur duplex conditio. 1. Debent esse renati, seu baptizati, vel conversi. 2. Lapsus debet contingere ex infirmitate, ignorantia, prævalente prava concupiscentia, sine perfecta advertentia & consensu &c. si peccator de illo doleat, & merito Mediatoris Christi tegi putet & credat &c. crucifigens carnem cum concupiscentijs &c. Unde dicunt, omnia peccata infidelium, seu non renatorum, esse peccata mortalia, & imputari: item omnia peccata renatorum, quæ fiunt scienter, meditatò, cum complacentia, advertentia, & consensu, & de quibus, etiamsi cognoscantur, nullus concipitur dolor &c. sunt juxta ipsos peccata mortalia, id est, imputantur à Deo, excutiunt fidem & Spiritum S. privant gratiâ & vitâ æternâ, verbô, renatos faciunt similes non renatis & infidelibus. Ita Lutherani. Contrà

Dicendum 1. Concupiscentia, & 42
primi ejus motus, rationem prævenientes, non sunt peccatum. De Concupiscentia, ut actu inclinat ad peccatum, debet esse sermo; nam prout quasi quiescit, juxta Lutheranos est peccatum originale, de quo postea. Nunc quoad utrumque membrum simul

Probatur assertio omissis alijs unicô, sed invictô argumentô. Nemo potest peccare per id, quod non est in libera ejus potestate, ut illud faciat vel omittat: sed concupiscentia & primi illius motus non sunt in libera hominis potestate, sive is renatus, sive non-renatus sit: ergo per concupiscentiam & primos illius motus peccare non potest. Min. est in hypothesi, & in confesso apud Adversarios. M. quamvis sit evidens lumine naturali, probatur tamen, vel potiùs declaratur 1. Ex communi hominum sensu, qui omnes judicant, se esse inculpabiles, adeóque non peccare in eo, quod in ipsorum potestate non

non est : sic nemo agnoscit culpam , si blasphemet in somno , si cadens subitò per scalas alterum dejiciat & occidat &c. 2. Si peccari posset per id, quod in alicujus potestate non est, peccare poterit etiam brutum , v. g. equus, quia habet concupiscentiam , & concupiscentiæ motus, quia furit , calcitrat , appetit & rapit pabulum alienum, imò occidit subinde. 3. Peccare poterit puer, amens, dormiens &c. quod etiamsi Adversarij admittant, dicendo , motus concupiscentiæ etiam in his esse peccatum per se mortale , prorsus tamen incredibile & evidenter falsum videtur ex lumine naturali & congenita omnibus persuasione.

43. Dices , adesse aliquem consensum 1 quia hi motus fiunt cum aliqua delectatione ; adeóque voluntarij sunt , & liberi saltem à coactione. 2. Quia sunt in voluntate tanquam in subjecto : motus autem in equo non sunt in voluntate, quâ carent bruta : ergo non est paritas cum brutis. 3. Quia procedunt ex perversa & corrupta voluntate , & quidem corrupta ex hominis culpa per peccatum originale. R. N. assertum. Ad 1. prob. ergo etiam motus in equo sunt voluntarij & liberi , adeóque peccaminosi , quia oriuntur sine coactione, & cum aliqua delectatione. Voluntarium (multò minùs liberum , quod voluntario superaddit indifferentiam voluntatis ad utrumlibet ex oppositis) non datur sine cognitione intellectuali prævia, quia *nihil volitum nisi præcognitum* juxta receptum axioma. Motus autem primi concupiscentiæ prævertunt cognitionem : ergo tollunt voluntarium , & à fortiori liberam electionem. *Non nocet sensus , ubi non est consensus*, ait communis paræmia inter doctos. Ad 2. N. 1. membrum; nam concupiscentia non est in voluntate, sed est in inferiore homine, scilicet in homine sensitivo , qui subinde sumitur pro ipso Appetitu sensitivo , in quo sunt ejusmodi motus. Appetitus autem sensitivus, sicut non est præditus libertate, ita nec est capax peccati aut virtutis , aut ullius legis præcipientis vel prohibentis, quia non cognoscit rationem *honesti* vel *inhonesti*. Neque Appetitui sensitivo dictum est : *non concupisces*; sed Appetui rationali , seu voluntati formaliter liberæ. Deinde etiamsi concupiscentia, & ejus motus primi essent in voluntate tanquam subjecto, per hoc tamen non fierent peccaminosi , nisi in eos consentiat liberè voluntas , & quidem libertate indifferentiæ ; nam libertatem à coactione non sufficere, alibi demonstratum est. Ad 3. N. assertum, sed oriuntur ab ipsa natura naturaliter; nam concupiscentia est homini naturalis , atque in eodem fuisset etiam in statu puræ naturæ, quamvis non ita rebellis , sicut nunc est post peccatum , propter quod fatemur hominem fuisse *spoliatum gratuitis , & vulneratum in naturalibus*, ita ut nunc intellectus sit infirmior , voluntas ad malum proclivior, & concupiscentia petulantior ; libertas indifferentiæ tamen ipsi adempta non est , sine quâ repugnat peccare.

Confirmatur ex SS. PP. Aug. l. 2. de Gen. c. 14. ait : *Si ratio commodam cupiditatem refrænat , non labimur in peccatum , sed coronamur. Si autem ra-*

ratio consentiat, peccatum imputatur. Legatur etiam ejusdem liber 1. c. 13. contra duas epp. Pelag. ubi inter alia sic ait: *Concupiscentia vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur: sicut scriptura manus cujusque dicitur, quòd manus eam fecerit.* S. Chrysost. hom. 13. in c. 7. Rom. dicit: *Neque caro peccatum est*, hoc est, carnis vitiositas seu concupiscentia.

44. Dicendum 2. Quædam peccata sunt venialia ex natura sua & genere suo. Hoc est, non omnia peccata ex se sunt talis naturæ, ut dissolvant amicitiam cum DEO, & æternæ mortis ac gehennæ supplicium mereantur; sed aliqua stare possunt cum justitia seu amicitia Divina, & temporalem tantùm pœnam merentur.

Probatur 1. ex Scriptura S. *septies cadit justus.* Prov. 24. ergo dantur peccata, cum quibus stat justitia. *In multis offendimus omnes.* Jac. 3. ergo dantur DEI offensæ, quæ etiam committuntur à justis & DEI amicis. Et Christus Mat. 5. affert triplex peccatum iracundiæ, & tertium duntaxat dignum gehennâ pronuntiat: ergo dantur aliqua peccata ex natura sua talia, quæ non merentur pœnam æternam. Nam prorsus nulla sit differentia, an à fidelibus & prædestinatis committantur; vel ab infidelibus & non prædestinatis. Adde verba S. Joan. 1. ep. c. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.*

Prob. 2. ex ratione. Non quælibet offensa inter homines est talis ex natura sua, ut dissolvat amicitiam; & omnis syncera amicitia videtur exigere, ut non dissolvatur per quascunq; leves offensiunculas moraliter inevitabiles: ergo nec amicitia inter DEUM & hominem debet dissolvi per quascunque leves offensiunculas, præsertim cùm Deus sit optimus amicus, & sciat, amicitiam exigere, ut non dissolvatur per quamlibet offensionem levem moraliter inevitabilem: sed Deus scit, omnem offensionem levem ab homine moraliter esse inevitabilem: ergo ad ipsum tanquam amicum spectat, non omne peccatum, in re levi vel sine perfecto consensu commissum, prohibere sub amissione amicitiæ & reatu pœnæ æternæ: ergo sunt aliqua præcepta DEI, tantùm sub peccato levi obligantia. Nam leve & veniale peccatum sumimus pro eodem. Sed ne locus sit ulli exceptioni,

Dicendum 3. Differentia peccati ve- 45.
nialis à mortali non est ab extrinseca conditione personæ peccantis. Prob. 1. negativè, quia nulla dicit Scriptura, nulla probat ratio, quòd homo renatus, vel prædestinatus, minùs peccet per opera de se æqualia, quàm non-renatus, non-conversus, non prædestinatus: imò tam Scriptura quàm ratio suadet oppositum: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu verò homo unanimis, & notus meus* &c. Psal. 54. v. 13. *Qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis.* Luc. 12. Utique autem infidelis minùs cognoscit, quàm fidelis. Et quis est, qui non graviùs sentiat injuriam (ex objecto quidem æqualem) à noto, quàm ab extraneo sibi irrogatam?

Pro-

Probatur 2. ex absurdis sequelis. Nam sequitur 1. Judæos, Turcas, & reliquos infideles (imò & Lutheranos, postquam peccârunt etiam in re levissima cum consensu & perfecta advertentia) committere mera peccata mortalia, eaque imputari, adeóque per quodlibet verbum otiosum, vanam gloriolam, levem impatientiam, officiosum mendaciolum, modicam in orando distractionem, & quidem juxta superiùs dicta, etiamsi hæc non committant scienter & liberè &c. mereri mortem & pœnam æternam in gehenna. Quod, quamvis Sectarij admittant, quàm tamen absurdum sit, nemo est, qui non videat, qui excæcatus non est. 2. Contra libidines, adulteria &c. ex infirmitate & vehementiâ concupiscentiæ ab homine renato, justo, vel prædestinato commissa, esse tantùm venialia peccata, à Deo non imputari, nec inferni pœnam promereri. 3. Deum posse imputare aliquod peccatum uni & non alteri, licèt par sit utriusque culpa, aut etiam major in illo, cui non imputat; ibi enim est major culpa, ubi est major cognitio boni offensi: atqui fidelis majorem ordinariè habet cognitionem Dei, qui offenditur. Rectiùs itaque dicitur, Deum aliquod peccatum non imputare ad mortem, quia in se mortale non est, sed veniale tantùm, quàm peccatum esse veniale, quia Deus non imputat. Deus enim ut justus Judex debet imputare peccatum taliter, qualiter exigit ipsum peccatum. Id quod ipse Gerardus agnoscere videtur alibi, nempe dum tit. de lib. arb. §. 68. dicit: *non imputari ad reatum damnationis non tollit ipsum formale peccati, quasi desinat esse in se, & ex se peccatum, quia non imputetur.*

Ob. 1. S. Paulus ad Rom. c. 6. & 7. 46.
Concupiscentiam vocat *peccatum*. Idem facit S. Aug. Item ab eodem Paulo Concupiscentia dicitur *malum*, odio habendum, crucifigendum &c. *Lex bellum gerens adversus legem Dei* &c. ergo. R. Concupiscentia dicitur *peccatum*, *bellum* &c. causaliter, hoc est, quia inclinat ad malum, & causat peccatum accedente consensu voluntatis; non verò formaliter. Ferè sicut speciosa fœmina, quantumvis casta, per formam suã alliciens ad peccatũ, formaliter peccatum non est. Vel sicut vitulus aureus Deut. 9. v. 21. dicitur *peccatũ*, sed impropriè tantùm & per Metonymiam, quia fuit aliquo modo causa idololatriæ: ita Concupiscentia impropriè & Metonymiè potest dici peccatum, partim quia allicit ad peccatum, partim quia orta est ex peccato originali. Formale peccati primùm habetur per consensum voluntatis. *Lex repugnans* Legi Dei vocatur eatenus, quatenus materialiter & objectivè adversatur Legi Dei, sicut diabolus tentans, non verò eatenus, quasi ipsa formaliter & moraliter adversetur. Unde etiam motus concupiscentiæ non formaliter & moraliter, sed solùm materialiter mali dici possunt secluso consensu. Quin ipse Paulus legem, *non concupisces*, ad voluntatem refert, non ad appetitum, dum Rom. 7. v. 16. dicit: *Si autem, quod nolo, facio, consentio Legi.* Id est, licèt sensus concupiscat & mihi adversetur, si tamen ego nolo, & consensum non præsto,

ad-

adhuc legem observo. Quid sentiat S. Aug. videbimus §. sequente Object. 1. & 2.

Dices 1: Scriptura debet accipi in sensu proprio, nisi evidenter probetur contrarium. R. hìc non posse accipi in sensu proprio, evidenter probatur ex eo, quia peccatum formale implicat sine libero voluntatis consensu. Dein Scriptura dicit, peccata propriè dicta *tolli* in justificatione: cur igitur Adversarij dicunt ea tantùm *tegi*? Vel igitur Concupiscentia debet omnino tolli per Baptismum & Pœnitentiam, vel propriè peccatum non est: quod utrumque est contra Adversarios, imò utrumque admitti debet.

47. Dices 2. Peccatum propriè dictum à S. Joanne ep. 1. c. 3. definitur esse ἀνομία, seu aberratio à Lege, difformitas, & pugna cum Lege DEI: atqui concupiscentia & primi ejus motus sunt ἀνομία & aberratio: quia pugnant cum Lege DEI: ergo. R. D. m. sunt aberratio à tali Lege, cujus prævaricatio propriè peccatum non est, nisi fortè peccatum naturæ, non moris. C. m. cujus prævaricatio est propriè peccatum. N. m. Lex, contra quam pugnat concupiscentia rebellis & difficultas voluntatis, est ipsa institutio naturæ in statu originalis justitiæ, quæ non est in potestate hominis; cùm in potestate hominis nunc non sit habere naturam cum vel sine rebellione concupiscentiæ & sequentibus inde motibus; qui proinde peccatum non sunt, nisi naturæ, quia non sunt contra Legem obligantem; non enim DEUS habere nos jussit nunc talem naturam, quæ sit sine concupiscentia, sed solùm jussit non consentire. Vel dic breviùs: est aberratio à Lege materialis, transeat. Formalis, seu libera. N. M.

Dices 3. Si nihil est peccatum formale & mortale, quod non est voluntarium & liberum, tunc nullum dabitur peccatum ignorantiæ, & infirmitatis. 2. Neque dabitur peccatum originale respectu nostri: quod est Pelagianismum introducere. R. N. utramque sequelam. Peccata ignorantiæ dantur tunc, quando ipsa ignorantia est voluntaria & libera, seu quando vincibilis est, ut loquimur. Peccata infirmitatis sunt, quando passio & tentatio est valde vehemens, cui ceditur. Cæterùm si passio prævertat rationem omnino, tollit libertatem consensûs, atque adeò formale peccati: siquis imperfectè tantùm advertit, & semiplenè tantùm consentit, fit veniale peccatum ex imperfectione actûs. Ad 2. Peccatum originale fuit nobis voluntarium & liberum non quidem physicè, bene tamen moraliter propter alligationem nostrarum voluntatum ad voluntatem Adami, adeóque quilibet etiam proprium habet peccatum originale propter proprium consensum moralem. 48.

Ob. 2. contra 2. assertionem. *Stipendia peccati mors.* Rom. 6. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* ibid. *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus.* Jac. 2. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus* (id est, nullus) *vocabitur in Regno cœlorum.* Mat. 5. v. 19. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus,* 49.

bus, quæ scriptæ sunt in libro Legis, ut faciat ea. Gal. 3. Ergo nullum peccatū ex se est veniale tantùm, sed omnia merentur mortem ac pœnam æternam. R. 1. retorq. argum. & infero contra Adversarios: ergo etiam omnia peccata in renatis, & prædestinatis, sunt peccata mortalia, & imputantur à Deo, quia textus isti nullam prorsus distinctionem faciunt inter delinquentes. R. 2. In his textibus nomine peccati intelligitur peccatum ex natura sua mortale: quod semper fit, nisi ex circumstantijs aliud possit colligi, aut ex ipsis verbis, quando absolutè in Scripturis fit mentio peccati, quia peccatū veniale est minùs propriè, & respectu mortiferi tantùm imperfectè peccatum.

Circa ultimos duos textus specialiter noto; in priori non dici, *qui violaverit*, sed *qui solverit*, id est, falsa interpretatione corruperit mandatum aliquod, ut Pharisæi solebant: quod utique peccatum mortale est. In posteriore refert & allegat Paulus verba Deut. 27. v. 26. ubi expressè additur Legis *hujus*; ibi autem referuntur præcepta tum moralia, tum ceremonialia pro Judæis, graviter obligantia, item gravissima scelera, quorum patratores utique sub maledicto sunt.

Dices 1. cum Lomero & Gerardo, qui iterum obtrudunt suam ἀνομίαν. Omne peccatum, dicunt, est ἀνομία, seu Legis violatio: ergo est dignum pœnâ æternâ; quia Lex rigidissimè obligat. Confirmatur: esus pomi fuit utique res levis, & insuper à nobis non physicè commissus, sed voluntate aliena, tantùm moraliter nostrâ; & tamen tam in nobis quàm in Adamo gravissimè fuit punitum, & in multis, qui sine Baptismo decedunt, punitur æternùm: ergo ex rigore Legis desumenda est gravitas peccati, & ex magnitudine Justitiæ Divinæ. R. 1. iterum retorqu. argum. ergo etiam omnia peccata fidelium & renatorum sunt digna pœnâ æternâ non minùs quàm aliorum; quia peccatum dicitur ἀνομία sine ullo respectu personarum delinquentium. R. 2. D. Ant. Omne peccatum est Legis violatio vel gravis vel levis C. semper gravis. N. Ant. Ad confirmationem. Esus pomi fuit quidem absolutè & in se res levis, non tamen sub peccato levi fuit prohibitus. Potest Deus ex justa causa rem levem prohibere sub peccato mortali, si velit. Quòd autem defacto non prohibuerit omnem Legis violationem sub gravi peccato, patet ex nostris rationibus.

Dices 2. Lex est æterna & immutabilis: ergo omnis ejus violatio meretur pœnam quoque æternam & immutabilem. 2. Quodlibet peccatum est aversio ab ultimo fine, quia in quolibet peccato intenditur aliquid creatum, & non Deus: ergo quodlibet pecatum ex se est mortale. 3. Quodlibet malum culpæ, quod est in quolibet peccato, est majus quolibet malo pœnæ: ergo pro quolibet peccato, etiam minimo, justè infligitur gravissima, & æterna pœna. R. 1. iterum retorq. quia hæc æqualiter pugnant contra omnia peccata, à quibuscunque commissa, renatis vel non-renatis &c. R. 2. ad 1. N. Cons. vel D.

ergo omnis violatio gravis meretur pœnam æternam. C. levis. N. vel: violatio Legis graviter obligantis. C. leviter obligantis. N. C. Sicut per hoc, quòd Majestas obligans sit infinita, non obligamur infinitè, neq; peccatum propterea redditur infinitum; ita nec pœna erit immutabilis & æterna, etiamsi transmittatur, quòd Lex sit immutabilis & æterna. Ad 2. In quolibet quidem peccato intenditur alius finis, quàm DEUS, negativè & secundùm quid; illa tamen actio, quæ tantùm est leviter peccaminosa, non intendit aliquid creatum positivè, & tanquam finem suum simpliciter ultimum; quia venialiter peccans ita est affectus actu vel habitu, ut se & alias actiones suas referat ad DEUM, quem tanquam finem simpliciter ultimum non vult amittere per actionem leviter peccaminosum, utpote quam scit non prohiberi sub amissione ultimi finis. Ad 3. Quamvis culpa sit malum superioris ordinis quàm pœna, tamen in suo ordine datur etiam culpa levis respectu culpæ mortalis. Culpa autem levis exigit puniri pœnâ levi tantùm. Si verò contenderes, debere infligi pœnam in genere mali æqualem culpæ, peccatum non posset puniri nisi alio peccato; quod absurdissimum est.

Dices 3. DEUS potest pro libitu disponere de sua creatura: ergo etiam pro peccato levi potest infligere pœnam gravem. 2. Quodlibet opus bonum ab homine justo factum meretur præmium æternum, & hoc DEUS justè tribuit: ergo etiam quodlibet opus malum justè punire potest pœnâ æternâ. R. Ad 1. D. C. potest infligere pœnam æternam pro levi peccato ut absolutus Dominus C. ut justus Judex N. C. ut justus Judex debet attendere proportionem inter culpam & pœnam: ferè sicut judex humanus non potest furtum unius crucigeri plectere suspendiô. Ad 2. N. paritatem; quia non dedecet Misericordiam DEI promittere operi minimo maximum præmium, illúdque, si fiat opus, tribuere: dedeceret autem DEUM peccato levissimo decernere pœnam maximam; cùm hoc injustum & crudele esse videatur.

§. II.

De Peccato Originali.

51. SCiendum 1. per peccatum originale intelligi illud, quod homines, ex Adami stirpe per seminalem generationem descendentes, in ipsa conceptione contrahunt. Catholici de eo docent sequentia. 1. Omnium Adæ posterorum voluntates (exceptô Christô, & juxta piam & veram sententiam etiam B. V. MARIA) fuisse à DEO alligatas voluntati Adami eo pacto, ut si Adam, humani generis caput, perseveraret in justitia originali, in qua creatus est, omnes posteri in ea nascerentur &c. si verò ipse peccando (per esum pomi

pomi prohibiti) omnes pariter posteri peccarent in & cum Adamo, atque amitterent donum justitiæ originalis, aliâque dona gratuita, ac alijs insuper pœnis involverentur. Fuitque hæc alligatio voluntatum omnibus antecedenter optabilis, quia præbebat longè majorem spem perstendi in obedientia & justitia, quàm si quilibet per se permissus fuisset personaliter operari, & cœlum mereri, eò quòd nullus tanta naturæ & gratiæ dona, quantis instructus fuerat Adam, sperare potuisset. Próin 2. essentiam physicam peccati originalis consistere in ipso Adami peccato, moraliter in posteris perseverante, quæ moralis perseverantia consistit in negatione condignæ satisfactionis & condonationis. 3. Et hinc applicata per Baptismum condigna Christi satisfactione peccatum originale verè tolli. 4. Ante quem Baptismum cuilibet suum proprium originis peccatum inesse, nec præcisè imputari extrinsecè peccatum Adæ. 5. Effectus & pœnas peccati originalis esse 1. & principaliter privationem gratiæ sanctificantis & virtutum infusarum, in quibus consistebat justitia originalis: unde omnes nascimur filij iræ Divinæ. 2. Vulnus seu infirmitatem ipsius naturæ, quæ consistit in obscuratione intellectus, in proclivitate voluntatis ad malum (quamvis permanserit ejus libertas) in rebellione Concupiscentiæ, quæ dicitur sensualitas aut fomes peccati; nam ante lapsum ex dono gratuito Concupiscentia perfectè subserat rationi. Nihil igitur immutatum esse in ipsa natura & essentia hominis, aut aliquam qualitatem ei superadditam, sed dona gratuita esse subtracta, & varias ejus ægritudines, ac hujus vitæ miserias indè ortas. 52.

Sc. 2. Lutheranos, nominatim Gerardum & Lomerum, de peccato Originali ita sentire. 1. Dari quidem peccatum originale, sed illud physicè consistere partim in privatione originalis justitiæ, ac illius rectitudinis, quam habebat homo ante lapsum in anima & corpore, quam rectitudinem dicunt fuisse illam *imaginem DEI*, ad quam homo fuit creatus; partim in intima corruptione totius naturæ, quam dicunt esse qualitatem positivam cunctis hominis partibus arctissimè & intimè inhærentem per totam vitam, vi cujus ad omne bonum ineptus, ad omne malum pronus, & iræ Divinæ obnoxius redditur, ita ut nihil sani, sive in anima sive in corpore, post lapsum in eo sit à summo vertice ad imum usque calcem, quam corruptionem seu morbidam qualitatem communiter vocant *concupiscentiam*; partim denique in reatu pœnæ, seu in obligatione ad pœnas tam æternas quàm temporales. Nam docent 2. pœnas peccati originalis aliquas esse æternas, scilicet apud illos, qui non ex aqua & Spiritu S. ad vitam æternam renascuntur, alias esse temporales, utì sunt calamitates hujus vitæ, varios morbos, ac ipsam mortem corporis, alias verò simul esse pœnas & peccata, cujusmodi sunt pravi concupiscentiæ motus, cogitationes pravæ, & quævis actualia peccata. 3. Per Baptismum remitti & tolli quidem peccatum originale, quatenus est damnabile quid, & reum faciens hominem coram DEO, non tamen

quatenus est quædam vitiositas, inordinatio, qualitas morbida, pugnans cum Lege DEI, verbô, quatenus est Concupiscentia & corruptio naturæ, quæ post Baptismum manet, licèt per hunc ita mortificetur, ut non regnet; atque peccatum esse perseverat, licèt renatis non imputetur. 4. Etiam Embryoni nondum animato jam inesse peccatum originale propter immundum semen parentum. Quod ego quidem capere non possum, quomodo peccatum Adami etiam insit creaturæ irrationali, quæ propter defectum animæ rationalis homo non est. Scilicet fundatur hic error crassissimus in alio, quo putant, Concupiscentiam carnis esse peccatum originale. Ex dictis

33. Sc. 3. Duplicem præcipuè nobis cum Lutheranis controversiam esse circa peccatum originale. 1. An illa morbida qualitas, qua inclinamur ad malum &c. seu Concupiscentia habitualiter in nobis existens per totam vitam (reipsa non est morbida qualitas, sed vehemens passio appetitûs sensitivi, vel ipse appetitus sensitivus ut rationali contrarius) sit ipsum peccatum originale, saltem partialiter; nam quòd hæc Concupiscentia, ut actualiter allicit ad peccatum, peccatum actuale non sit, jam vidimus suprà. 2. An per Baptismum verè ac penitus tollatur peccatum originale, an verò solummodo tegatur, hoc est, non ampliùs imputetur renatis, licèt in se perseveret in quovis homine, & adhuc peccatum sit.

34. Dicendum 1. Peccatum originale non consistit in Concupiscentia, ne partialiter quidem. Prob. 1. Concupiscentia est effectus peccati originalis: ergo non est ipsum peccatum originale; nam causa & effectus necessariò distinguuntur realiter, aliàs idem posset causare seipsum. A. prob. quia Concupiscentia orta est ex peccato, & hæc morbida qualitas, qualem eam sibi fingunt Lutherani, est indita homini in pœnam peccati originalis. 2. Nihil, quod est physicum quid & materiale, potest habere rationem peccati, utpote quod essentialiter est aliquid morale & spirituale, scilicet actus voluntatis: sed morbida illa qualitas est materialis & physica juxta ipsos: ergo. 3. Concupiscentia etiam est in bestijs: sed in his utique peccatum non est: ergo. 4. DEUS est auctor & causa Concupiscentiæ, quia est auctor naturæ, naturæ autem humanæ debita est Concupiscentia: atqui DEUS non potest esse auctor peccati: ergo Concupiscentia non potest esse peccatum. 5. Christus redemit nos ab omni peccato 1. Jo. 1. v. 7. sed à Concupiscentia nos non redemit, ut patet ab experientia: ergo Concupiscentia peccatum non est, scilicet formale & propriè dictum. 6. Per Baptismum deletur peccatum originale totum: sed non tollitur Concupiscentia: siquidem

35. Dicendum 2. Peccatum originale verè & omnino tollitur per Baptismum, ita ut nihil peccati, & culpæ remaneat, licèt maneat adhuc reatus pœnæ temporalis, vel pœnalitatum. Probatur 1. ex Scriptura, in qua Christus dicitur *Agnus DEI, qui TOLLIT PECCATUM Mundi.* Jo. 1. *Ego sum*, ait Dominus, *qui DELEO INIQUITATES*

TES TUAS. Isa. 43. *SICUT per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Rom. 5. sed per peccatum verè & omnino fuit ablata justitia, nec solùm fuit tecta: ergo & per Baptismum debet injustitia seu peccatum omnino tolli, non tantùm tegi. *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo JESU.* Rom. 8. v. 1. Baptismus vocatur *lavacrum regenerationis.* Tit. 6. v. 5. in quo lavamur, mundamur, sanctificamur: *abluti estis, sanctificati estis.* 1. Cor. 6. atqui esse mundatum, sanctificatum, dicit sordes esse sublatas, non tectas: sanctitatem veram esse collatam, non præcisè imputatam, sordibus peccatorum adhuc relictis. Jam sumo. Verba Scripturæ juxta Gerardum sunt accipienda in sensu proprio, nisi evidenter probetur contrarium. Jam probet Gerardus, vel alius Lutheranus, evidenter contrarium, & quidem ex sola Scriptura; nam aliud apud ipsos nullius est roboris.

Prob. 2. ex ratione pariter & ex Scriptura. Deus non potest non odisse hominem, in quo est peccatum; homo enim, in quo peccatum est, verè adhuc peccator est, sicut corpus, in quo est anima rationalis, verè est homo: atqui peccatorem Deus necessariò odit; *odio enim est Deo impius & impietas ejus.* Sap. 14. nec potest peccatum, ubi adest, non imputare. Quæso quomodo possum non imputare illi lepram, in quo est lepra, quamvis pallio tecta? quomodo possum talem reputare pro mundo? Sic Deus quomodo potest non imputare peccatum, si adsit, & talem hominem reputare pro justo? nunquid ejusmodi judicium esset falsum? Vel igitur Deus omnino tollit peccatum, vel illud imputat.

Notandum, hæc argumenta etiam probare, quòd peccata personalia, quando homo per Pœnitentiam justificatur, verè & omnino tollantur quoad culpam, & non præcisè tegantur, seu non imputentur. Quod specialiter adhuc confirmatur. Si peccata non verè tollantur in justificatione, tunc nunquam tolluntur; consequenter immundi & peccatis coinquinati intrabunt in Regnum cœlorum contra claram Scripturam Apoc. 12. atque DEUS inter amicos & Beatos in cœlo habebit sordibus peccatorum maculatos, lepra infectos, diaboli charactere insignitos; quis hoc credat? 56.

Neque dicas, has sordes tegi umbraculò meritorum Christi, & non imputari: nam leprosus manet leprosus, & in se turpis, etiamsi pulchro ejus sordes tegantur pallio. Longè aliter Paulus sensit, dum scripsit ad Eph. 5. v. 26. *Ut Christus sanctificaret Ecclesiam, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam, NON HABENTEM maculam aut rugam* &c. Sequela autem probatur. Vel enim tolluntur peccata in hac vita, vel in altera? non in altera; quando enim & quo medio id fieret? sensus præterea fidelium semper fuit, extra statum viæ non remitti peccatum grave, & illo infectos damnari æternùm. Non in hac vita, quia non aliud medium in hac vita nobis datum est pro remissione pec- 57.

catorum, quàm Baptismus & Pœnitentia (juxta ipsos fides) at per hæc non verè tolluntur peccata juxta Adversarios, sed solùm teguntur: ergo.

58. Ob. 1. Concupiscentia vocatur peccatum à S. Paulo sæpius, & à S. Augustino: ergo est peccatum. R. vocatur peccatum impropriè tantùm & eatenus, quatenus orta est ex peccato rebelliò concupiscentiæ, & quatenus inclinat ad peccatum, & illius causa fit accedente consensu voluntatis: sicut vitulus aureus propter similem rationem à Scriptura vocatur *peccatum* Deut. 9. v. 21. S. Augustinus non modò concupiscentiam non vocat peccatum, sed etiam negat, esse peccatum; dicit enim 1. contra duas epp. Pelag. c. 13. concupiscentia *etiamsi vocetur peccatum, non utique quia peccatum est: sed quia peccatò facta est, sic vocatur.* Et sæpe clarissimè est pro nobis, imò in illo ipso loco, quē Gerardus citat contra nos, apertè distinguit inter peccatum, & concupiscentiam seu infirmitatem nostræ naturæ ex peccato ortam, scilicet tract. 41. in Joan. ubi sic ait: *Nunquid quia deleta est iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato viveremus*, scilicet remoto fomite & stimulo peccati.

59. Ob. 2. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* dicit David Psal. 31. *Omnia peccata impij NON IMPUTABUNTUR ei.* Ezech. 33. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, NON REPUTANS illis delicta ipsorum.* 2. Cor. 5. ergo peccata non verè tolluntur, sed solummodo teguntur, non imputantur renatis & justificatis. R. N. C. Hujusmodi textus intelligendi sunt de vera absolutione & deletione peccatorum, quia Deo nihil potest esse tectum & occultatum, quod existit; & quod Deo dicitur tegi, tolli omnino, & non ampliùs existere censendum est. Idem dicendum de non-imputatione; ideo enim Deus non imputat peccata, quia non ampliùs existunt in justificatis, necessariò imputaturus, si existerent, quia aliàs non judicaret, prout res est, & exigit. Audi S. Augustinum, quem suum esse volunt in hac re Adversarij. Is enarratione 2. in cit. Psal. 31. ait: *Cooperta sunt peccata, tecta sunt, ABOLITA sunt.* Item: *Quorum tecta sunt peccata: nec sic intelligatis: peccata cooperta sunt, quasi ibi sint & vivant.* Dices. S. Aug. l. 1. de nupt. & concupis. c. 25. ait, *peccatum in Baptismo dimitti, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur*: ergo. R. textum esse corruptum à Luthero & Melanchthone, quia pro voce *concupiscentiam* posuerunt vocem *peccatum*. S. Doctor nihil vult aliud, quàm concupiscentiam remanere post Baptismum, eam tamen in peccatum non imputari, quia peccatum in se non est, sed tantùm effectus peccati.

ARTI-

ARTICULUS V.

De bonis operibus.

60. Sermo hic est de operibus non moraliter & naturaliter tantùm, sed spiritualiter & supernaturaliter bonis.
61. Quæ sit Lutheranorum doctrina de bonis operibus.
62. Non omnia opera hominis sunt peccata, aut peccatis contaminata, adeóque dantur aliqua opera bona.
63. 64. Nec ex Scriptura, nec ex ratione probatur contrarium.
65. Quid sint opera supererogationis, seu consilij.
66. Cujusmodi non admittunt Sectarij.
67. Bene tamen Catholici.
68. Qui rectè & laudabiliter etiam emittunt vota.
69. Etiam Religiosa, & de rebus non præceptis.
70. Item laudabiliter suscipiunt sponte opera mortificationum, & corporis austeritates.
71. Atque piè instituunt peregrinationes ad Ecclesias, ad Sanctorum reliquias, & imagines.
72. Opera supererogatoria stant cum præcepto diligendi Dei ex toto corde &c.
73. Castitas perpetua nequaquam temerariò vovetur à multis.
74. Status Religiosus à Catholicis nec nimiùm extollitur, nec nimiùm arctatur.
75. Nec illum, aut alia opera pia sponte suscepta, arguit S. Paulus.
76. Discordia Lutheranorum de necessitate bonorum operum ad salutem.
77. Quomodo loquendum putet Gerardus.
78. Status quæstionis de necessitate bonorum operum, & refutatio Gerardi.
79. Bona opera sine dubio sunt necessaria ad salutem.
80. Exceptiones Lutheranorum sunt frivolæ.
81. Quid sit meritum supernaturale, tam de condigno quàm de congruo.
82. Doctrina Catholicorum de merito bonorum operum.
83. Lutherani negant ea esse meritoria vitæ æternæ, præsertim de condigno.
84. Status quæstionis.
85. Homo peccator nihil meretur de condigno per opera in se bona, bene tamen de congruo.
86. Homo justus autem de condigno meretur vitam æternam, & augmentum gratiæ habitualis.
87. Vita æterna stante merito rectè adhuc dicitur gratia, & tribuitur Misericordiæ Divinæ ex triplici capite.
88. Item potest esse hæreditas simul & merces.

89. Et

89. *Et quidem merces debita ex justitia propter promissionem factam sub conditione onerosa operis præstandi.*

90. *Nec obstat, quòd nostra opera ex aliis titulis sint debita DEO; quia aliquo modo sunt nostra &c.*

91. *Quomodo opera nostra sint proportionata mercedi supernaturali & utilia DEO.*

92. *Per meritum bonorum operum neutiquam deprimuntur merita Christi, nec nobis indè occasio datur vanæ gloriationis.*

93. *S. Augustinus, & S. Bernardus non adversantur Catholicis, uti nec alij Patres.*

94. 95. *An & quomodo in nostris meritis collocari possit fiducia, & intuitu mercedis bona opera fieri.*

60. PEr opera bona hìc non intelliguntur opera *præcisè moraliter & naturaliter* bona, seu illa, quæ sine gratia supernaturali fiunt juxta dictamen rectæ rationis, etiam à peccatoribus, hæreticis, Turcis &c. & quoad substantiam actûs bona sunt, uti compescere passiones iræ, cupiditates &c. dare eleëmosynam, preces fundere ad Deum &c. sed intelliguntur opera *spiritualiter & supernaturaliter* bona, seu quæ fiunt in & cum gratia DEI, & ad justificationem atque salutem supernaturalem conducunt. De his quadruplex est controversia cum Lutheranis & Calvinistis. 1. An dentur aliqua opera bona perfectè, hoc est, peccatis non inquinata. 2. An aliqua opera bona supererogatoria. 3. An opera bona sint necessaria ad obtinendam justitiam & salutem. 4. An etiam sint meritoria, & quidem tam justitiæ quàm salutis.

§. I.

An dentur aliqua opera bona perfectè.

61. SCiendum, Lutheranos saltem aliquos docere, non tantùm in non-renatis & non-justis nulla reperiri opera bona, sed mera peccata, verùm etiam opera justorum esse mera peccata aut peccatis vitiata, adeóque nullum dari opus perfectè bonum. Aperta sunt Lutheri pronuntiata, dum in assert. art. 31. sic scribit: *In omni opere bono justus peccat.* art. 32. *opus bonum, optimè factum, est mortale peccatum secundùm judicium Dei.* art. 36. *Justus in bono opere peccat mortaliter.* Quam horribilem & insanam Magistri sui doctrinam ipsimet Lutherani ferre nequeunt: unde Wolf. Jäger Cancell. Univers. Tubing. in quæstione vexata, *an renati possint adimplere legem*, ante biennum edita p. 26. cum suis Theologis (ut ait) pronuntiat, *opera renatorum ex fide fluentia habere bonitatem aliquam, atque placere Deo, licèt non habeant omnem perfectionem.* Gerardus in Locis Theol. tit. de bonis operibus §. 39. mitigat, dicen-

dicendo, bona opera renatorum secundùm quid & certo quodam respectu esse peccata, quatenus scilicet sunt imperfecta, & à reliquiis peccati in carne adhuc hærentibus contaminata, unde non possent rigorem Legis & Justitiæ Divinæ sustinere, si districtò DEI judiciò examinarentur. Sed quia hæc imperfectio & immundities bonorum operum tegitur meritò Christi, ideo tamen Deo probantur, quamvis sint imperfecta & peccata, hoc est, peccatis contaminata; nam bona opera, §. 81. dicit, non esse peccata in se, per se, ac formaliter. Judicet Lector, an hanc Gerardi explicationem patiantur Lutheri assertiones. Ego insuper duo adverto. 1. Hanc explicationem niti falsis suppositis, quòd justi non possint perfectè implere legem Dei, quòd concupiscentia sit peccatum, quòd peccata non verè remittantur tollendo, sed solùm tegantur, quorum falsitatem suprà demonstravimus. 2. Inconsequenter docere, imò sibi contradicere Gerardum; alibi enim dixit, & cum eo Lomerus, quòd omnis imperfecta obedientia, & defectus in adimplenda Lege (quam implere nunquam possumus) sit ἀνομία, seu verè & propriè dictum peccatum, scilicet quòd omnis Concupiscentiæ etiam involuntarius motus, omnis languor, verbô quodlibet opus, ut ut bonum esse appareat, ex se peccatum sit, & quidem mortale. Incidit proinde in horribilem Lutheri doctrinam, & dicendo, nullum dari opus perfectè bonum, negat omne opus bonum, & dicit, quodlibet non solùm peccatis contaminatum, sed etiam ex se peccatum esse mortale, cùm omnis imperfectio in adimplenda Lege juxta ipsum sit peccatum ex se mortale.

Dicendũ. Dantur opera perfectè bo- 62.
na, seu ita perfecta, ut peccata non sint, vel peccatis contaminata. Probatur 1. ex Scriptura. *In his omnibus non peccavit Job labijs suis.* Job. 1. *In multis* (non in omnibus) *offendimus omnes.* Jac. 3. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* 2. Petri 1. ergo non omnia opera hominis mala & peccaminosa sunt, sed aliqua in se sunt bona, ac DEO placentia. Idipsum clarè insinuatur, dum Scriptura hortatur ad non peccandum, & ad benefaciendum: *Vigilate justi, & nolite peccare.* 1. Cor. 14. *Quiescite agere perversè, discite benefacere* &c. Isa. 1. *Irascimini & nolite peccare.* Psal. 4. Eph. 4.

Prob. 2. evidenter ex absurdis sequelis. Si enim omnia opera sunt peccaminosa, imò ex se peccata mortalia propter imperfectionem, quam semper habent admixtam, sequitur 1. Neminem debere credere &c. quia credere est peccatum; cùm fides nunquam sit tam robusta, ut non debeat esse robustior, ut expressè docet Gerardus §. 81. cit. Sequitur 2. Hominem justificari per peccatum, & opus peccato contaminatum. 3. Nullum opus bonum esse faciendum, quia nullum peccatum est faciendum. 4. DEUM suasisse & præcepisse peccata, quia suasit & præcepit bona opera. 5. Opera aliqua simul esse bona & non bona, utpote x

se peccata. Dices, esse quidem in se peccata & peccatis contaminata, sed propter fidem in Christum tamen placere DEO. R. imprimis falsum est, quòd DEO placere possit opus in se peccaminosum, si fiat à renato, displiciturum, si idem opus fieret ab infideli. Deinde ipsa fides, propter quam placere deberet, est peccaminosa. Demum quis credat, Sanctos omnes per sua opera nihil nisi æterna Inferni supplicia meritos esse, & ea tantùm ex clementia Divina non fuisse irrogata? Faciunt igitur justi opera verè & supernaturaliter bona, quæ peccata, & peccatis coinquinata non sunt.

63. Ob. 1. ex Scriptura. *Facti sumus ut immundi omnes, & quasi pannus menstruata universa justitiæ nostræ.* Isaiæ 64. *Non est justus, qui faciat bonum, & non peccet.* Eccl. 7. ergo omnia justorum opera, etiamsi videantur esse justitiæ, coram DEO sunt immunda & peccaminosa. R. Textus prior nec de justis, sed maximis peccatoribus Judæis, nec de his omnibus, sed tantùm magna parte (more Scripturæ usitato *omnes* pro multis ponentis) nec de omni tempore, sed tantùm pro illo, quo Judæi propter ingentia scelera abstrahendi erant in captivitatem Babylonicam, denique nec de omnibus omnino operibus, etiam impiorum, intelligi debet; poterant enim & isti facere opera saltem moraliter bona, quæ nec meritoria erant, nec peccata. Alter textus nihil aliud vult, quàm nullum esse justum, qui non, *subinde* saltem, *leviter* peccet.

Ob. 2. ex ratione. Opera nostra 64
propter negligentias, mentis evagationes, vanitates &c. ita sunt imperfecta, ut ex se placere DEO nequeant. At quamvis non placere possint ex intrinseca dignitate, placent tamen propter fidem in Christum, qui has imperfectiones meritò suò tegit. R. Quamvis opera nostra sint semper imperfecta negativè, hoc est, non sint ita perfecta, ut absolutè non possent esse perfectiora, tamen non semper sunt imperfecta positivè, hoc est, contra Legem DEI obligantem, peccaminosa &c. quia distractiones &c. nihil habent culpæ & peccati, quando non voluntariè ac liberè admittuntur. Dein peccata certè nec in Christo, & propter fidem in Christum, placere DEO possunt.

§. II.

An dentur opera bona supererogatoria? Ubi de Votis Religiosis, Mortificatione corporis, piis Peregrinationibus.

65. SCiendum 1. Opera supererogationis, & opera consilij, sumi pro eodem, & nihil esse aliud, quàm opera, quæ nullibi præcipiuntur, sed præcisè suadentur, vel sponte suscipiuntur, quia creduntur placere DEO. Opera hujusmodi sunt voluntaria castitas, paupertas, & obedientia erga hominem,

rem, præsertim voto promissa, quæ vocari consueverunt. Consilia Evangelica, utpote in Evangelio à Christo data, in quibus consistit essentia statûs Religiosi, qui propterea etiam inter supererogatoria numeratur, quia nullibi præceptus, sed tantùm suasus à Christo ijs, qui desiderant majorem perfectionem vitæ Christianæ assequi. Huc referuntur varia mortificationum opera sponte suscepta, uti jejunia, cilicia, flagellationes, humicubationes, & piæ peregrinationes ad loca sancta &c. Quæ apud Catholicos semper magnam habuere laudem & venerationem: ab hæreticis quibusdam verò risum tulere & contemptum, uti & à modernis Sectariis; nam

64.

66. Sc. 2. Apud hos nullum dari opus bonum, quod non sit mandatum & præceptum à Deo, adeóque nullum dari opus bonum supererogatorium. Quippe forma bonorum operum, ut loquitur Gerardus loc. cit. §. 16. est conformitas *cum Lege DEI*; adeóque quidquid boni operis ab hominibus ad Deum colendum excogitatur, Deo non placere, imò displicere dicunt. Cæterùm plerique sunt in erronea persuasione, quam eis ipsa Augustana Confessio impressit per iteratas calumnias, quasi Catholici per ejusmodi supererogationis opera velint meteri remissionem peccatorum immediatè, & justificationem, ac salutem; item satisfacere pro peccatis tum suis tum alienis: quæ omnia falsò ipsis impinguntur; nam Catholici non docent, hominem justificari, & obtinere remissionem peccatorum per hæc opera (id enim Contritioni & Sacramento Pœnitentiæ tribuunt) multò minùs de condigno satisfacere posse pro ipso peccato quoad culpam: sed hoc præcisè dicunt, quòd homo gratis (sine merito de condigno proprio) & per merita Christi (applicata per Contritionem, vel Absolutionem Sacramentalem) justificatus possit satisfacere pro pœnis temporalibus, post dimissam culpam residuis, & mereri augmentum sicut gratiæ ita gloriæ, seu vitæ æternæ, de quibus suo loco.

Dicendum 1. Dantur opera bona supererogatoria, quæ Deo placent, ac homini prosunt. Prob. 1. ex Scriptura, & quidem specialiter de castitate, paupertate, & obedientia, quæ vocantur Consilia Evangelica. *De castitate* virginali & viduali ex 1. Cor. 7. ubi Paulus expressè ait: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do: bonum est homini non tangere mulierem. Dico autem innuptis & viduis, bonum est, si sic permanserint, sicut & ego.* Postquam verò multùm differuit de virginitate & conjugio, consideratis omnibus absolutè dicit: *qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* Et Christus ipse propter arduitatem noluit obligare ad vitam cælibem, sed eam reliquit liberam, dum dixit de illa: *Qui potest capere, capiat.* Mat. 19. Idé habetur *de paupertate & obedientia* voluntaria. Mat. 19. cit. Ubi Christus clarè facit discrimen inter ea, quæ mandati, & ea, quæ consilij sunt; postquam enim adolescenti dixit, quid facto opus sit ad obtinendam salutem, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, eid m

67.

pariter insinuavit, quid factu opus sit ad obtinendum præstantiorem gradum in vita æterna, & majorem perfectionem in vita Christiana, ad quam tamen non obligat, dicendo: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & da pauperibus & sequere me.* En paupertas post res omnes in eleëmosynam distributas, & specialis obedientia, quam indicant verba, *sequere me*, non præcipiuntur adolescenti, sed suadentur ad obtinendam majorem perfectionem, *si vis perfectus esse.* Est enim duplex Christi sequela, una communis & omnibus necessaria, qui volunt salvari, & consistit in observatione mandatorum: altera est propria ijs, qui volunt esse perfecti, & consistit in observatione consiliorum, præsertim dum homini loco DEI specialis & stabilis obedientia præstatur. Confirmat assertionem nostram communis fidelium & SS. Patrum sensus. S. Hieron. 1. in Jovinianum ait: *Plùs amat Virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum: majorisque gratiæ est offerre, quod non debeas, quam reddere, quod exigaris.* Et utinam hunc librum S. Hieron. opus præstantissimum, legerent Sectarij nostri, Virginitatis & Continentiæ osores! & in Vigilantio se ipsos non modò graphicè descriptos, sed etiam solidissimè ac eloquentissimè refutatos clarè deprehenderent. Similia habet S. Greg. 15. Moral. 5. & alij passim.

Prob. 2. ex ratione. Non conveniret Bonitati & suavi Providentiæ Divinæ fragilitatem humanam ad omnia adstringere sub præcepto, sed præstat aliqua, præsertim magis ardua, consulere tantùm, ne homines morali necessitate in innumera peccata præcipitentur: ergo. Confirmatur à pari: in qualibet re naturali duplex solet esse perfectio, una, quæ est necessaria ad *esse*, altera, quæ facit rem *bene esse*: sic homo habet omnia ad esse necessaria, si habeat animam corpori unitam: si verò habeat insuper doctrinam, probitatem &c. habet bene esse, seu perfectionem perfectioni essentiali superadditam. Sic pariter qui habet & observat mandata, habet ea, quæ sunt ad salutem necessaria; ut autem acquirat specialem perfectionem, ornatum animæ, & salutis augmentum, opus est habere & observare etiam consilia.

Dicendum 2. Rectè & laudabiliter 61.
à Christianis fiunt vota. Prob. 1. quia DEUS ipse suasit: *Vovete, & reddite Domino DEO vestro.* Psal. 75. 2. Quia votum est aliquid promittere DEO, & se obligare ad aliquid melius faciendum, estque actus Religionis. 3. Quia quod fit ex voto, majori charitate & liberalitate fit erga DEUM, & certiùs datur executioni, cùm homo liberè sibi adimat libertatem omittendi rem, quam cognoscit DEO magis placere, cùm votum ex essentia sua sit *promissio DEO facta de meliore bono.* Qui igitur vovet, tenetur observare; si enim homini aliquid promittimus, tenemur observare: ergo multò magis, si DEO: quamquam antecedenter liberum fuerit promittere vel non promittere. Et hæc non improbantur à Lutheranis. Sed

Dicen-

69. Dicendum 3. Etiam rectè fiunt vota de rebus *non præceptis*, consequenter laudabiliter emittuntur Vota Religiosa. Prob. 1. ex Scriptura, quia vota de Sacrificijs non præceptis placuere DEO, ut legere est Levit. 22. v. 18. & Num. 15. v. 3. Item viduæ emiserunt votum continentiæ, quæ non erat sub præcepto, & ideo, quia contra hoc votum fecerunt nubendo teste Paulo. 1. Tim 5. *habebant damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*; nisi enim votô se obligâssent, non habuissent *damnationem*. 2. Ex communi Patrum & fidelium sensu, atque perpetua Ecclesiæ praxi ab ipsis Apostolorum temporibus; jàm enim Philo Judæus l. de vita contempl. Supplicum, seu Monachorum describit, quàm sanctè fuerint à D. Marco circa Alexandriam instituta monasteria sacrarum virginum & virorum, qui continentiam, paupertatem, jejunia, ac Psalmodiam profiterentur, haud dubiè eum in morem, quo postea observârunt & instituerunt S. Basilius, S. Augustinus, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Franciscus, S. Dominicus, S. Ignatius, & alij Ordinum Religiosorum fundatores. 3. ex ratione & essentia voti, quod abstrahit, utrùm res, voto promissa, aliunde sit præcepta vel non, modò sit de meliore bono; de quo utique sunt vota Religiosa, quia tollunt præcipua perfectionis Christianæ impedimenta, tollendo radices omnium vitiorum; nam voluptas carnalis præscinditur per votum castitatis, cupiditas habendi per votum paupertatis, & superbia per votum obedientiæ; & hoc demum (scilicet factô votô) est perfectè (quia *stabiliter*) abnegare seipsum, tollere crucem, & sequi Christum. Math. 16. Luc. 9.

70. Dicendum 4. Mortificationum opera, seu corporis austeritates moderatæ, laudabiliter suscipiuntur sponte, Deóque placent. Prob. 1. ex Scriptura, quæ hortatur ad ejusmodi opera: *Convertimini ad me ex toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu.* Joël. 2. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Coloss. 3. v. 5. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* 1. Cor. 9. Et quia Achab Rex *operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco &c. factus est sermo Domini ad Eliam: quia humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus.* Prob. 2. ex perpetua praxi sanctorum Virorum utriusque Testamenti, & pœnitentium: sic David jejunabat 2. Reg. 12. Job egit pœnitentiam in favilla & cinere, Job. ult. Paulus castigabat corpus, Antonius, Paulus, Stylites, Eremitæ, ac utriusque sexûs homines Religiosi & sanctissimi semper austerè tractabant corpus varijs mortificationum operibus, & propterea etiam laudabantur, inter Sanctos reputati. Prob. 3. ex ratione, quia austeritates corporales plurimùm conducunt ad reprimendas cupiditates carnis, ac refrænandam & mortificandam concupiscentiam &c. ad quod omnes renati tenentur per totam vitam incumbere, ne regnet in ipsis peccatum, ut ipse Gerardus & alij Sectarij contendunt.

71. Dicendum 5. Peregrinationes, quæ devotionis causâ instituuntur ad Ecclesias, ad imagines miraculis & beneficijs

claras &c. sunt laudabiles & Deo gratæ. Prob. 1. quia Deus ipse Deut. 16. v. 16. voluit, *ut tribus vicibus per annum appareret omne masculinum in conspectu Domini Dei in loco, quem elegerit.* Quod diligenter observavit Elcana & Anna uxor ejus. 1. Reg. 1. & ipse Christus cum Maria Matre sua & Joseph venit adorare in Jerusalem Luc. 2. Ergo ejusmodi peregrinationes sunt in se res piæ & laudabiles; quam suam naturam non perdunt, si sponte & sine mandato suscipiantur. Prob. 2. ex praxi perpetua fidelium, & virorum sanctissimorum, v.g. in Palæstinam, vel Romam proficiscentium ad veneranda loca nostræ Redemptionis, limina Apostolorum &c. Prob. 3. ex prodigijs, quæ patrantur in sacris peregrinationū locis, & ex maximis beneficijs, quæ ibi recipiunt devotè peregrinantes; tum ad animæ tum ad corporis salutem. Quæ quidem innumera sunt, ac tam authenticis testimonijs comprobata passim exstant, ut non nisi pertinaciter & impudenter ab hæreticis negari possint.

72. Ob. 1. Deus jubet se diligi *ex toto corde, ex totis viribus* &c. ergo tota ratio Christianæ perfectionis est sub præcepto, nec datur locus consilijs, & operibus supererogatorijs. R. N. C. Præceptum dilectionis ex toto corde imprimis nihil jubet aliud, quàm ut Deum summè amemus *appretiativè*, hoc est, ut nemo se sinat ab ulla re creata separari à Deo; scilicet per transgressionem liberam alicujus mandati Divini. *Intensivè* summus amor, sicut nobis impossibilis est, ita præcipi non potest. Igitur major dilectio, quam quæ consistit in observatione mandatorum Dei, sub consilio est. Adde, quòd hoc præceptum sit *affirmativum*, cujusmodi non obligant pro semper: qui igitur sæpius elicit actum amoris Dei super omnia, quàm præceptum sit, facit opus supererogatorium.

Ob. 2. Castitas perpetua est donum 73.
Dei, quod non omnibus datur. Item etiamsi alicui detur castè vivere, nescit tamen, utrùm hoc donum non sit præcisè ad tempus, non verò in perpetuum: cùm possint oriri tam graves tentationes carnis cum tempore, quas ipse non prævidit, ut superare nequeat: ergo votum castitatis non potest emitti nisi temerariò: votum verò temerarium utique non valet, cùm non sit de meliore bono, & facilè fieri possit vinculum iniquitatis. Hic est ille prætextus, quo suam lasciviam & turpitudinem honestare nituntur perfidi apostatæ Religiosi & Sacerdotes. Sed R. Quamvis hoc donum antecedenter ad votum non omnibus detur, & ideo nec omnibus suadendum, ut hoc votum perpetuæ castitatis emittatur, nisi re priùs diligenter expensâ; nihilominus. tamen hoc donum datur omnibus, qui votum castitatis aliquando emiserunt; quia spectat ad Divinam Providentiam, ut omnibus conferat auxilia cujuslibet statui convenientia. Ad eum autem, qui liberè, & præscriptam 16. annorū ætatem habens, aliquando professus est Religiosam castitatē, spectat orare Deum pro hoc dono, adhibere media, & sic oblatæ gratiæ cooperari. Sic quilibet, modò velit, semper potest vivere continenter, ità per Dei gratiam multa millia Religiosorum

utri-

utriusque sexûs perpetuam & illibatam castitatem observant, & quidem magna facilitate ac animi lætitiâ. Cæterùm an audiendus esset ille, qui in Matrimonio existens diceret, se nunc experiri valde gravem tentationem erga personam aliquam, quam antè non prævideràt, adeóque se non obligari ad fidem conjugalem, cùm eam initiò temerè dederit? An audiendus, qui diceret, se non habere donum castitatis conjugalis, ut unâ possit esse contentus, & ideo sibi licere polygamiam? Par est ratio de vovente castitatem.

74. Ob. 3. Papistæ nimiùm extollunt statum Religiosum in præjudicium Sacramentorum; quia illum æquiparant Baptismo. 2. Tempore S. Augustini Monasteria erant libera, ut posset pro libitu egredi, qui volebat: nunc autem sunt clausuræ & carceres, quibus inviti detinentur. R. ad 1. Inter Baptismum & Professionem Religiosam facimus quidem aliquam similitudinem, quatenus homo in utroque renuntiat explicitè diabolo, & novæ fit inchoatio vitæ spiritualis, non tamen omnino æquamus, sed piè tantùm putamus, per Professionem Religiosam etiam omnem pœnam peccatis debitam aboleri, quod fieri per Baptismum fide Divina & certò credimus. Ad 2. Id falsum esse de semel professis, ipse docet S. Augustinus, dum in Ps. 75. postquam plurimùm laudavit votum voluntariæ castitatis, & paupertatis &c. dicit: *Nemo positus in monasterio frater dicat, recedo de monasterio* &c. *quia vovit* &c. quod tamen facere ausi sunt Lutherus, & ejus exemplo plures. Monasterium est carcer, sed suavis & voluntarius; qui illum sibi gravem reddit per suas indomitas passiones, sibi imputet: sicut qui ex statu matrimoniali sibi cudunt infernum per continuas rixas &c.

Ob. 4. S. Paulus Coloss. 2. repro- 75.
bat omnes ἐθελοθρησκίας, seu cultus DEI arbitratios, ab hominibus inventos, nec à DEO præceptos & institutos: sed tales sunt vota Religiosa, mortificationes corporis, & peregrinationes: ergo. R. S. Paulus tantùm reprobat cultus inanes & vanos, uti superstitiones Philosophorum, abstinentias Judæorum à certis cibis, quasi hi essent immundi ex natura sua, & observationes Legis Mosaicæ, tum jam abrogatæ, & à quibusdam adhuc retentæ; minimè autem reprobat cultus ex natura sua Divinos, & utiles, quos tamen DEUS non præcipit, suadet tamen, vel sibi gratos esse declarat. Hos pro arbitratu & devotione sua quilibet potest assumere ad obtinendam majorem perfectionem.

§. III.

De necessitate bonorum operum.

76. SCiendum 2. Ingens inter Sectarios ipsos de necessitate bonorum operum bellum jam pridem exortum esse, dum alij dicebant, bona opera ad salu-

salutem necessaria non esse, sed esse arbitraria, uti Wigandus cum Socijs; alij plùs ausi ea non tantùm necessaria non esse, sed etiam noxia ad salutem & pernicioſa contendebant, uti Theologi Ducales Saxoniæ in Altenburgensi Colloquio cum Ambsdorffio; & Illyrico Centuriatorum præcipuo; alij verò illa ad salutem omnino necessaria asserebant, uti Theologi Electorales, Lipsienses nempe & alij. Quid Lutherus senserit &c. non facilè divinaveris, quia variè, ut solebat, locutus est. *Rigidi* Lutherani, seu qui pressiùs sequuntur Lutheri placita, putant, Lutherum negâsse necessitatem bonum operum; quod satis verisimile est ex his & similibus textibus. *Caveamus à peccatis, sed multò magis à legibus & operibus bonis, tantùm attendamus DEI promissionem & fidem.* in serm. de Missa. *Qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ij non poterunt penetrare per angustam cœli viam.* in serm. sic DEUS dilexit mundum. *Bona opera non faciunt bonum virum, nec malum mala* l. de libert. Christ. *Vides, quàm dives sit Christianus homo, vel baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere; nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas.* l. de Captiv. Babyl. cap. de Baptismo. Vid. Tann. Anatom. p. 2. demonst. 8. An non hoc est conspirare cum Eunominianis, antiquis hæreticis, pridem ab Ecclesia damnatis? de quorum auctore Eunomio S. Augustinus l. de hæres. ad Quod vult DEUM c. 54. ita scribit: *Fertur etiam bonis operibus usque adeò inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* Simile refertur etiam de Simonianis, quorum auctor fuit Simon Magus.

Sc. 2. Aliquos ex Lutheranis teste 77
Gerardo in Locis Theol. de bonis operibus §. 46. dicere, bona opera esse quidem necessaria ad *salutem*, non verò ad *justificationem*: alios autem, ea esse necessaria ad salutem etiam *ut causam* sine qua non, vel *ut instrumentum*. Ipse tamen §. 47. putat, non esse dicendum, quòd necessaria sint *ad salutem*, quia Apostolus Rom. 3. 4. Gal. 2. Eph. 2. dicit, nos *justificari & salvari gratis, fide, sine operibus, gratiâ persi dem, & hoc non ex nobis, non ex operibus, ne quis glorietur*: ubi salutem & justitiam conjungit. Nihilominus & ipse Gerardus tit. cit. docet, bona opera esse necessaria, licèt non ad obtinendam justitiam & salutem, tamen ratione mandati & voluntatis Divinæ, ratione debiti, atque ordinis divinitus instituti: ita ut nemo possit justificari & salvari sine bonis operibus, quamquam bona opera non concurrant ad obtinendam justitiam & salutem per modum meriti, vel medij, vel causæ, aut dispositionis, sed sint præcisè fructus & signum veræ fidei, ac eatenus solùm necessaria, quatenus DEUS vult & jubet, fieri bona opera, adeò ut, ubi non sunt bona opera, ibi neque sit, neque esse possit, fides vera, per quam solam debet apprehendi justitia & obtineri salus. Gerardum sequuntur passim Lutherani, & idem

idem videtur dicere Augustana Confessio art 6. Adeóque dicunt, bona opera esse necessaria ut signa fidei, ut effectum gratiæ; ratione præcepti, non medij aut meriti; ratione præsentiæ, non efficientiæ &c.

78. Sc. 3. Nobis hic litem esse pro necessitate bonorum operum *ad salutem*; nam quòd sint necessaria ad obtinendam *justitiam*, seu in ipso actu justificationis impij, infrà docebimus de Justificatione. Sufficit autem hoc loco demonstrare, quòd bona opera sint absolutè necessaria adultis ad salutem, sive dein per modum meriti (de quo videbimus §. sequente) sive per modum signi veræ fidei, ratione præsentiæ tantùm, & præcepti ac ordinis Divini &c. quod parùm interest, & magis ad modum loquendi, quàm ad doctrinæ substantiam pertinere videtur.

Tria adhuc noto 1. me non capere, quomodo opera bona possint dici necessaria, ut vult Gerardus, non tamen *ad salutem*, nec *ad justificationem*. Ad quid ergo sunt necessaria? necessitas necessariò refertur ad aliquid, & quidquid necessarium est, *ad aliquid* necessarium esse necesse est: sicut quod utile est, *ad aliquid* utile esse necesse est, seu ad finem aliquem. 2. Illud non posse esse necessarium, etiam ratione ordinis Divini & præcepti tantùm, quod est impossibile: sed opera bona, utpote præcepta à Deo, quæ observari nunquam possunt perfectè juxta Lutheranos, sunt impossibilia: ergo; quomodo enim sit opus bonum, quod ratione imperfectionis suæ semper admixtæ coram Deo est peccatum mortale? Si igitur consequenter vellent loqui Lutherani ad sua principia, omnes negare deberent, bona opera esse necessaria. Quod tamen plerique hoc tempore & loco non faciunt. 3. Lutheranos asserere, quòd *Lex* differat ab *Evangelio* per hoc, quòd promissiones Legis sint conditionatæ, & salutem proponant sub conditione legis implendæ: Evangelij verò sint gratuitæ, & sine conditione, nisi solius fidei, ut ab operibus contradistinctæ, salutem offerant, quia Christus pro nobis implevit legem: ergo iterum negare deberent necessitatem operum ad salutem omnes, si consequenter docerent. Contra quos proinde

79. Dicendum. Bona opera sunt necessaria ad salutem. Prob. 1. Illud est necessarium ad salutem, sine quo salus obtineri non potest (abstrahendo à modo, quo necessarium est) sed sine bonis operibus non potest obtineri salus: ergo. Ma. est evidens ex notione terminorum. Min. habetur clarè in Scripturis, & SS. Patribus. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei* &c. Mat. 7. facere enim voluntatem DEI, est bene operari seu opera bona facere. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Mat. 25. Quare? *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum* &c. ergo peccant, qui non faciunt opera pia. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Luc. 13. ergo pœnitentia, scilicet dolor de peccatis, consequenter aliquod opus bonum est ne-

ceſſarium ad ſalutem. *Pœnitentia vobis neceſſaria eſt*; en aliquod opus neceſſarium! *ut facientes voluntatem DEI reportetis repromiſſionem*, Hebr. 10. v. 36. ecce neceſſitas ad ſalutem! *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Philipp. 2. v. 12. ergo operando bene obtinenda eſt ſalus. *Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Rom. 8. v. 13. Sed mortificare carnem eſt opus bonum. Paucis: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Mat. 19. ſed obſervare mandata Dei eſt operari bene. Et *quid proderit, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſalvare eum?* Jac. 2. v. 14. Ex quibus patet bona opera non minùs eſſe neceſſaria ad ſalutem, quàm ſit fides; & quidem non tantùm ratione præſentiæ, ſed etiam efficientiæ, ut conſideranti palàm fiet, præſertim dum jubemur *operari* ſalutem. Ex Patribus duos ſolùm audiamus, S. Ambroſ. & S. Auguſt. quorum ille in 4. ad Hebr. ait: *Magna quidem res eſt fides: ſed ſola fides non ſufficit, operari per dilectionem fidem neceſſarium eſt, & converſari dignè Deo. Non ſufficit fides, ſed debet addi & vita fidei condigna, opus eſt quippe omni, volenti cœlum poſſidere, fidem bonis operibus ornare.* Iſte l. de fide & operibus c. 14. *Jam illud videamus, quod excutiendum eſt à cordibus Religioſis, ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putaverint.*

Prob. 2. Si bona opera non ſunt neceſſaria ad ſalutem, tunc perinde eſt bona vel mala opera facere: ſed non eſt perinde; quoniam *qui talia agunt, Regnum DEI non conſequentur.* Gal. 5. v. 21. Qui verò non facit opera bona, opera mala ſeu peccata facere neceſſe eſt: vel enim obſervat mandata DEI, vel non? ſi obſervat, facit opera bona hoc ipſo, diligendo DEUM & proximum, mortificando carnem &c. ſi non obſervat, peccat. Dein nemo ex Adverſarijs negat, intuitu malorum operum hominem damnari: cur ergo negent, hominem intuitu bonorum operum ſalvari?

Excipiunt 1. Bona opera eſſe quidem 80.
neceſſaria, ſed non per modum meriti, medij, cauſæ &c. ſed tantùm ratione ordinis & voluntatis Divinæ, & neceſſitate præcepti, nec ita, ut in eis poſſit poni aliqua fiducia, R. Modò ſint neceſſaria ad ſalutem, ut ſine ijs obtineri ſalus ab adultis non poſſit, quomodocunque dein vocetur hæc neceſſitas, medij vel præcepti, meriti vel conditionis ſine qua non, præſentiæ vel cauſæ ſeu efficientiæ, de quo hìc non litigo, præſertim cùm articulus fidei non ſit, ſalutis primum gradum, ſeu vitam æternam *primam* cadere ſub meritum propriè dictum ſeu *de condigno*, fateamúrque nos hominem *gratis*, ſicut juſtificari, ita in aliquo ſenſu & ſalvari, licèt augmentum gratiæ & gloriæ eum mereri propriè & de condigno aſſeramus, ſcilicet poſtquam juſtitia & jus primum ad vitam æternam ſine merito noſtro in Baptiſmo, vel in Pœnitentia nobis datum eſt, quamquam non ſine contritione in adultis & ſine operibus bonis, Pœnitentiæ co-

mitti-

mitibus. Cæterùm si bona opera sùt necessaria necessitate præcepti & voluntatis Divinæ (ut dicunt Lutherani, licèt malè, cùm potiùs deberent dicere impossibilia, eò quòd præcepta observari nequeant) hoc ipso erunt necessaria necessitate medij; quia necessitate medij tenemur observare mandata Dei. Mat. 19. facere voluntatem æterni Patris. Mat. 7. Deum & proximum diligere &c. Denique necessarium non est fiduciam ponere in bonis operibus; quando autem & quomodo possimus, dicemus §. sequente.

Excipiunt 2. Promissiones Evangelij sunt gratuitæ: ergo non sunt conditionatæ: ergo bona opera ne quidem *ut conditio sine qua non* necessaria sunt ad salutem. R. N. C. nam esse gratuitum & esse conditionatum sibi non opponuntur. Ipsa conditio, scilicet fidei, pœnitentiæ, & aliorum operum, sine quibus obtineri salus non potest, Deo ita ordinante, est gratuita, hoc est, gratis à Deo posita; & ideo, quamvis promissiones Evangelij sint conditionatæ, tamen rectè vocantur etiam gratuitæ.

§. IV.

De Merito bonorum operum.

81. SCiendum 1. Meritum supernaturale, de quo hìc sermo, sic posse diffiniri: *est obsequium Deo factum, ex se potens movere ad retributionem præmii supernaturalis.* Est duplex, aliud vocatur *de condigno*, vel meritum simpliciter, aut meritum ex justitiâ, meritum propriè dictum. Aliud *de congruo*, vel meritum secundùm quid, nixum liberalitate, aut impropriè dictum. Itaque *meritum de condigno* est opus, quod ex intrinseco suo valore & dignitate potest æquare æstimationem præmij, illúdque exigit ex debito justitiæ. *Meritum de congruo* est opus, quod suo valore non adæquat æstimationem præmij, habet tamen congruitatem, ut deceat ei conferri præmium, quamvis non sine liberalitate præmiantis. Præter hæc merita potest considerari tertium *de rigore justitiæ*, quod scilicet exigit præmium independenter ab omni gratia & liberali acceptatione præmiantis, cujusmodi tamen gratiâ & liberali promissione aut acceptatione nititur meritum de condigno.

Sc. 2. Ad meritum de condigno requiri varias conditiones. 1. Ex parte operis, ut sit actus liber, moraliter honestus, ita ut ex nullo capite vitietur, & supernaturalis. 2. Ex parte personæ merentis, ut sit in statu gratiæ, & nondum extra statum viæ. 3. Ex parte Dei, ut intervenerit aliqua promissio Divina, pactum, vel revelatio de conferendo præmio; licèt enim opera hominis justi, seu in gratia constituti, ex intrinseco valore habeant proportionem & æqualitatem cum præmio, illúdque connaturaliter exigant independenter ab omni promissione Divina,

na, si tamen ista promissio, pactum, vel revelatio non adsit, non determinatè & necessariò connectuntur cum præmio, eò quòd Deus tanquam supremus Dominus opera hominum exigere possit mille titulis alijs. Ut ergo nascatur debitum ex parte Dei, & opera nostra determinatè connectantur cum præmio, requiritur gratuita Dei promissio & acceptatio. Et hinc redditur ratio, cur animæ in Purgatorio per suos actus bonos nihil mereantur, & cur Christus sit Redemptor hominum, non dæmonum; cùm ejus opera de se essent condigna etiam ad redimendos Angelos.

§2. Sc. 3. Catholicos docere 1. opera bona hominis justificati (seu in gratia sanctificante constituti) esse verè merita, eúmque bonis operibus verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, & gloriæ augmentum. Et hoc definitum est in Concilio Tridentino. 2. Eundem hæc mereri de condigno, quamvis in voce dissenserint olim pauci quidam, adeóque ejus merita esse merita justitiæ: quale autem hoc sit genus justitiæ, an distributivæ, vel commutativæ, an providentialis tantùm, parùm refert. 3. Neminem posse mereri gratiam actualem, nec de condigno, quia ad omne meritum prærequiritur auxilium gratiæ, consequenter aliqua gratia prima debet esse, quæ antecedat omne meritum. 4. Gratiam habitualem seu justificantem posse hominem mereri de congruo per sua opera bona, præsertim per contritionem, per hanc enim proximè disponuntur peccatores ad obtinendam justitiam, per alia verò opera tantùm remotè; nec plùs ad meritum de congruo requiritur, quàm ut retributio sit prudens & DEUM decens: Si autem præcessit actus supernaturaliter bonus, retributio est decens, & defacto etiam promissa contritioni &c. 5. Eandem gratiam habitualem primò justificantem non cadere sub meritum de condigno. 6. Justum non posse mereri de condigno auxilium perseverantiæ in bono, posse tamen de congruo, cùm totus valor meritorum de condigno adæquetur per augmentum gratiæ habitualis & gloriæ. 7. Utrùm peccator per contritionem, per quam de congruo meretur primum gradum gratiæ sanctificantis, eúmque in eodem instanti acquirit, mereatur de condigno vel tantùm de congruo primum gradum gloriæ, seu vitam æternam simpliciter, certum apud ipsos non est, licèt probabilius sit, quòd tantùm de congruo.

§3. Sc. 4. Sectarijs nostris merita bonorum operum prorsus exosa esse; & ideo bonis operibus absolutè negant omnem merendi vim, etiam de congruo, præsertim circa negotium justificationis & salutis obtinendæ, ubi Gerardus tit. de Justif. §. 159. etiam fidei, per quam tamen solam justificari & salvari dicit peccatorem, negat omne meritum, clarè contra S. Augustinum, qui ep. 105. ait: *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat: neque enim nullum est meritum fidei.* Concedunt tamen 1. bona opera esse quidem meritoria, at non vitæ æternæ, aut justificationis, sed tantùm

tùm præmiorum temporalium aut ſpiritualium, & accidentalium in cœlo; nam in præmio ſubſtantiali omnes Sanctos dicunt eſſe æquales in cœlo. 2. Non eſſe meritoria ex propria dignitate & intrinſeco valore, ſed *ſolùm* ex miſericordia, gratia, & indulgentia DEI, ac ratione fidei noſtræ. Unde meritum de condigno penitus abominantur etiam in juſtis, & mercedem *debiti*, ſolùm admittentes mercedem *gratiæ*.

84. Sc. 5. Duplicem nobis eſſe cum modernis Lutheranis litem. 1. An bona opera ſint aliquo modo meritoria ipſius vitæ æternæ? 2. An ſint meritoria de condigno, ita ut DEUS teneatur ex juſtitiæ debito pro bonis operibus dare præmium vitæ æternæ? Intellige non ex juſtitiæ rigore, ubi nulla intervenit gratia & gratuita promiſſio; nam Catholici fatentur, quòd vitam æternam nullo modo mereri poſſit homo ſine gratia DEI tum habituali; tum actuali prævenìente & cooperante, item ſine prævia facta promiſſione DEI gratuita. Quibus tamen non obſtantibus docent, DEUM obligari ex aliquo juſtitiæ debito dare præmium vitæ æternæ ijs operibus, quibus id promiſit, & quidem propter eorum dignitatem intrinſecam, quia ſunt opera filiorum.

85. Dicendum 1. Homo peccator (ſcilicet in peccato mortali conſtitutus) per ſua opera bona nihil meretur de condigno, adeóque ejus opera non ſunt meritoria vitæ æternæ, nec remiſſionis peccatorum & gratiæ ſanctificantis de condigno, licèt de congruo meritoria eſſe rectè dicantur vel immediatè, ut contritio, vel mediate, ut alia opera pia, ſcilicet preces, eleëmoſynæ &c. Prima pars, quòd non ſint meritoria de condigno, probatur facilè; quia ex terminis abſurdum eſt, eum, qui propter peccatum eſt inimicus DEI & dignus æterno ſupplicio, de condigno mereri vitam æternam &c. Et utique *odio ſunt DEO impius & impietas ejus.* Sap. 14. Altera pars, quòd rectè dicantur meritoria de congruo, patet indè, quia ad meritum de congruo plus non requiritur, quàm ut ſit prudens & DEUM decens retributio: ſed ſi actus eſt laudabilis in ſe & ſupernaturalis, cujusmodi etiam in peccatoribus dantur, per quos ſe debent diſponere ad juſtificationem, eſt prudens & DEUM decens retributio: ergo. Adde, quòd Scriptura S. dicat, bonis operibus placari Deum, uti Hebr. 3. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtijs promeretur DEUS.* Unde S. Auguſt ep. 105. *Nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat.* Et in Pſ. 50. *Ninivitæ pœnitentiam egerunt, & certam miſericordiam meruerunt.*

86. Dicendum 2. Homo juſtus (ſcilicet in gratia conſtitutus) per ſua opera bona meretur de condigno vitam æternam & augmentum gratiæ juſtificantis. Sed quia de primo potiſſima controverſia eſt, an ſcilicet bona opera hominis juſti ſint meritoria *vitæ æternæ* (abſtrahendo, utrùm primus gradus vitæ æternæ, vel tantùm ſubſequentes cadant ſub meritum de condigno, de quo Catholici adhuc litigant) ideo de hoc

Probatur aſſertio 1. ex Scriptura, ex qua textus innumeri adduci poſſent,

sent, ego tamen eos ad duplicem classem restringo. Ad primam classem revoco eos, qui vitam æternam appellant & promittunt tanquam *mercedem, debitum, coronam justitiæ, denarium ex conventione & pacto* &c. scilicet Mat. 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.* 1. Cor. 3. *Unusquisque mercedem recipit secundùm suum laborem.* Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* 2. Tim. 4. *Proposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* Mat. 20. *Conventione autem facta cum operarijs ex denario diurno.* Si igitur Scriptura accipiatur in sensu proprio, ut debet, manifestè infertur, meritum hominis justi esse quoddam meritum *justitiæ*, consequenter de condigno. Ad secundam classem textuum pertinent illi, qui bonis operibus tribuunt intrinsecam dignitatem, & causalitatem ad vitam æternam obtinendam. Utì Coloss. 1. *Ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes.* 2. Thessal. 1. *Ut digni habeamini in Regno DEI, pro quo etiam patimini.* Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Mat 25. *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum &c. esurivi enim, & dedistis mihi manducare* &c. Et v. 21. *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Jac. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit DEUS diligentibus se.* Ergo opera hominis justi sunt digna præmio vitæ æternæ, & illius causa, quod indicant etiam particulæ causales *enim, quia, cum* &c. sed utique non causa physica & efficiens: ergo moralis & meritoria. Adde, quòd ipsa Scriptura meritũ expresè tribuat operibus: *Misericordia faciet locum unicuique secundùm meritum suorum operum.* Eccli. 16.

Confirmatur ex SS. PP. S. Cyprianus de Unit. Eccles. ait: *Justitiæ opus est, ut promereri quis possit DEUM Judicem, præceptis ejus & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* S. Chrysost. to. 5. l. 1. de Provid. *Nunquam profectò, cùm justus sit DEUS, tot sperneret, sive malos impunitos ex vita migrare, sive bonos hìc innumeris incommodis & cruciatibus affici, si non utrisque variam in futuro sæculo mercedem pro meritis parâsset.* S. August. l. de Nat. & grat. c. 2. *Non est injustus DEUS, qui justos fraudet mercede justitiæ.* Et ep. 105. cit. *Nullane sunt merita justorum? sunt planè. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt.* Rursus tr. 67. in Joan. *Quia etsi alius est alio justior, alius alio sanctior: in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito.* Item serm. 226. de Tempore. *Videte (charissimi, quantum sit eleemosynæ meritum: Angelum meruit habere Operarium.* Loquitur de B. Tobia. Atque l. 50. homil. 14. hom. in 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi, opus est, cursum consummavi, opus est. fidem servavi, opus est, superest mihi corona justitiæ. merces est* &c.

In

In Psal. 100. *Non dicit, donat, sed reddet. Quando donabat, misericors erat, quando reddet, Judex erit* &c. In Psal. 83. *Quid tibi reddat, nisi quod debet? Unde tibi debet? debitorem ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo.* Serm. 16. de Verbis Apostoli: *Debitorem se fecit DEUS nobis, ut illi dicere possimus: redde, quod promisisti, quia fecimus, quod iussisti.* S. Bernardus l. de grat. & lib. arbit. *DEI promissum appellat Apostolus suum DEPOSITUM, promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex iustitia persolvendum.* Omissis aliis Patres Concilii Arausi. II. Can. 18. clarè asserunt: *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia DEI, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Unde rectè iterum S. Augustinus dixit: *DEUS, cùm coronat nostra merita, quid aliud coronat, quàm sua dona?* Quia scilicet nostra merita fundantur in gratuita promissione DEI, tanquam in radice, & sine ipsius gratiæ auxilio fieri non possunt.

Prob. 2. ex ratione. Ille inter homines censetur verè aliquid mereri & de condigno, qui facit aliquod opus, cui alter promisit præmium sub conditione, si fiat tale opus (nec obstat, quod alter gratuitò promiserit, & vires ad faciendum illud opus gratuitò concesserit) ergo etiam homo justus verè & de condigno aliquid meretur apud Deum, scilicet vitam æternam, si præstet illa opera, quibus Deus promisit vitam æternam sub ea conditione, si fiant; etiamsi ex gratia promiserit, & ipse suppeditet vires ad ea opera præstanda. Ant. declaratur exemplo. Sit aliquod mancipium Regis, quibus Rex ex mera gratia donat agrum, & omnia necessaria ad colendum agrum, ac insuper liberale pactum ineat promittens mancipio ingens præmium, & omnem agri fructum, si strenuè laboraverit in colendo agro. Quo casu Rex præmium & fructum promissum tenetur solvere suo mancipio non tantùm ex fidelitate, sed etiam ex justitia propter opus & laborem de se præmio dignum; quamvis secluso gratuito dono & promissione liberali Rex ad nihil fuisset obligatus, & mancipium nihil sibi, sed omnia regi lucrari debuisset. Sic se habet res inter hominem & DEUM, qui ex liberalitate promisit homini vitam æternam, si certa opera fecerit, & vires gratuitò ei concedit ad ea facienda. *Si vis ad vitam ingredi, serva, man mandata.* Mat. 19. *Omnis, qui reliquerit domum &c. vitam æternam possidebit.* ibid. Huc etiam pertinet parabola de quinque talentis Mat. 25. Itaque vita æterna gignitur *ex gratia* tanquam patre, & ex *merito* tanquam matre.

Confirmatur 1. promissio, præsertim sub conditione alicujus operis faciendi, parit obligationem justitiæ: sed Deus vitam æternam promisit 1. ad Titum, & quidem *diligentibus se.* Jac. 1. Confirmatur 2. Deus est remunerator justus: ergo debet rectè factis mercedem tribuere & perperam factis pœnam: ergo sicut peccata propter demeritum suum punit pœna & morte æterna, ita bonis operibus propter meritum suum comperit vita æterna.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

87. Ob. 1. In SS. Litteris vita æterna adscribitur Misericordiæ Divinæ : & vocatur *gratia*, *Χάρισμα* eine Gnaden-Gabe, Rom. 6. v. 23. ergo non debetur ex justitia, & merito bonorum operum. Item : *Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras : sed in miserationibus tuis magnis.* Dan. 9. ergo nulla sunt nostra merita apud Deum, in quibus possemus confidere. *Non enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Psal. 142.

R. Vita æterna, quamvis illam meteri possimus, tamen rectè tribuitur Misericordiæ Divinæ ex triplici capite. 1. Quia Deus ex mera misericordia promisit vitam æternam certis operibus. 2. Quia primam gratiam tam actualem, quàm habitualem dat nobis gratis, & sine merito nostro saltem de condigno. 3. Quia per suæ gratiæ auxilium gratuitò dat nobis vires, ad bene & meritoriè operandum necessarias. Unde vita æterna ex his capitibus rectè vocatur *gratia*, quia Deus ex gratia se constituit nostrum debitorem liberaliter promittendo, &, ut ex justitiæ debito nobis solveret præmium, vires ad merendum præbendo. Textus ex Dan. citatus non dicit, quòd in homine nulla sint merita, sed fortè ad summum excsculpi potest, ea non esse allegandà coram Deo, præsertim à peccatoribus (in quorum persona loquitur Daniel) quando Deo supplicamus : quod rectè sit, præsertim cùm etiam justi ordinariè certi non sint, an habeant vera merita apud DEUM. Deinde non est ad rem, quia ibi non orabatur pro vita æterna, sed pro liberatione ab afflictione temporali. Fatemur enim : nos de condigno mereri non posse bona temporalia, opes, honores, sanitatem, vitam longævam, & alias ejusdem commoditates ; quia hujusmodi non sunt promissa bonis operibus justorum, bene autem vita æterna. Alter textus sic intelligi potest, vel quòd viribus naturæ non justificemur, vel quòd non perfectè simus mundi propter leves defectus & peccata venialia, vel quòd facta comparatione ad perfectionem Divinam videatur esse immundum, quidquid in sua ratione mundum est.

Dices 1. Vita æterna in Scripturis vocatur *hæreditas*. Eph. 1. & 5. Colos. 3. Atqui hæreditas non debetur filijs ex merito, sed ex solo jure filiationis, vel adoptionis : ergo. R. Vita æterna est omnino hæreditas, quia nemini datur nisi filijs DEI, & quidem respectu parvulorum post Baptismum decedentium est pura hæreditas : at respectu adultorum est quidem hæreditas, at non pura, sed simul est merces : hæreditas est, quia adulti, in gratia decedentes, sunt filij DEI adoptivi ; merces est, quia fecerunt opera, quibus illa à DEO promissa & alligata est. DEUS enim hac conditione nos adoptavit in filios, ut observando ejus mandata (non aliter) obtineremus hæreditatem, adeóque titulo meriti. Sic ipse Christus noluit

sui nominis exaltationem solo hæreditatis titulo habere, utpote Filius DEI naturalis, sed eam etiam meritis suis obtinuit. Phil. 2. Hinc pariter & nobis utroque & hæreditatis & meriti titulo obvenire vitam æternam insinuavit Paulus Coloss. 3. dicens: *Scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.*

89. Dices 2. Datur quidem nobis à DEO aliqua retributio, sed non propter nostra opera, sed ex mera gratia. Unde dum vita æterna in Scripturis vocatur merces, non intelligenda est merces debiti, sed merces gratiæ. Siquidem Christus jubet: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus.* Luc. 17. R. Retributio, quæ fit ex promissione facta sub conditione onerosa certi operis præstandi, si fiat illud opus, fit ex justitia, non ex mera gratia, ut notum est inter Juristas & Theologos. Unde est merces debiti, & propriè dicta, respondens merito propriè dicto. Dein qua fronte dicunt Lutherani, mercedem in Scripturis non accipi propriè? quo fundamento? merces autem propriè dicta est *stipendium ex promissione onerosa redditum pro labore condigno.* Quod ad textum attinet: tales non Christus vocat servos (utpote qui alibi dicit ad justos, *non jam dicam vos servos, sed amicos.* Joan. 15.) sed tantùm vult, ut nos ita de nobis sentiamus ex humilitate, tum quia nihil ex nostris viribus solis possumus præstare, tum quia etiam per opera ex gratia facta non sumus Deo propriè utiles, sed tantùm nobis. Potuisset quidem Deus nobiscum agere sicut cum mancipiis, sed ex misericordia sicut nos fecit filios & cohæredes Christi, ita promisit bene operantibus etiam mercedem. Deinde ibi sermo est de eo, qui nihil facit ultrà id, quàm quod debet ex pacto & præcepto; talis recipiet quidem debitam ex pacto mercedem, sed nullam gratiarum actionem, nullum honorarium, quod accepisset, si opera supererogatoria Domino grata præstitisset.

Dices 3. David ipse, quamquam conatus sit Legem totam observare, tamen à judicijs Dei timuit, & coram Deo justificari non speravit; ait enim *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Psal. 142. v. 2. R. actualis justitia ordinariè habet admixta multa peccata venialia, propter quæ formidari potest strictum Dei judicium: cùm his tamen stat justitia habitualis & amicitia cum Deo, qua dignificantur nostra bona opera ad meritum.

90. Ob. 2. Ut opus aliquod sit meritorium, debet imprimis esse bonum & perfectum in se. 2. Non aliunde debitum. 3. Ex proprijs viribus profectum. Sed nostra opera non sunt perfecta: imò propter imperfectionem suam supplicio digna: sunt aliunde mille titulis Deo debita, nimirum creationis, redemptionis &c. & viribus gratiæ, non nostris facta: ergo. R. Ad 1. patet ex §. 1. hujus articuli, quòd dentur bona opera, & perfecta, quæ placeant Deo, & digna non sint supplicio. Ad 2. patet pariter ex §. 2. de operibus supererogatorijs. Den etiamsi

etiamsi opera aliqua sint sub præcepto, tamen eatenus sunt nostra, quia in nostro libero arbitrio positum est, ea facere vel omittere. Esto etiam, quòd omnia nostra opera bona essent debita Deo mille titulis, si Deus vellet uti jure suo: defacto tamen illo non utitur, sed id quasi condonat, & in nos transscribit ex summa Bonitate, qua nos voluit Dominos actionum nostrarum, & se obligavit per liberam promissionem ad reddendam pro ijs mercedem, si ea facimus, quæ ipse vel præcepit vel suasit. Non igitur aliunde sunt proximè debita DEO nostra opera, sed remotè tantùm; quamvis enim omnia potuisset alio titulo exigere, non tamen defacto exigit, aut præcipere omnia, tamen defacto plurima non præcipit, & insuper ea, quæ præcipit, non exigit gratis & sine proposita mercede. Ad 3. patet rursus ex dictis de libertate, quòd opera bona partialiter sint à nostro libero arbitrio, partialitate influxûs, ita ut opus bonum quodcunque sit totum Dei propter gratiam adjuvantem, sed non totaliter, & pariter totum sit nostrum, sed iterum non totaliter, quia Deus nobiscum & nos cum Deo operamur. Gratis autem requiritur, ut opus totaliter sit nostrum, totalitate influxûs.

91. Ob. 3. Ut opus sit meritorium, requiritur, ut sit aliqua proportio & æqualitas inter opus & mercedem: sed inter opera nostra bona & vitam æternam nulla est proportio & æqualitas, & idem est pro bonis operibus exigere vitam æternam, ac wenn einer vor ein Bayrische Rübe ein Königreich prætendiren wolte / ait M. Lomer in seinem Außgang p. 365. *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* 2. Cor. 4. Et utique finiti ad infinitum nulla est proportio, nam opera nostra durant valde brevi tempore, retributio est æterna &c. 2. Requiritur, ut opus illud afferat aliquam utilitatem & commodum illi, cui præstatur; alias enim nulla ipsi deberet merces ex justitia.

R. ad 1. Quamvis opera nostra, prorsus materialiter & secundùm se spectata, non essent digna & æqualia mercedi supernaturali & æternæ, seclusâ promissione Divina, & supernaturalitate operum; tamen defacto digna sunt, & sufficienter proportionata, ita *ut momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operetur in nobis.* 2. Cor. 4. cit. Sicut enim opera Christi omnia, licèt materialiter spectata, minimè habuissent valorem infinitum, & proportionem, dignitatem intrinsecam, ac æqualitatem ad præmium infinitum, habuerunt tamen defacto, quia fuerunt dignificata à gratia infinita, scilicet Verbo Divino Humanitati unito, & fuerunt opera filij DEI naturalis: ita opera nostra, quia informantur quasi, & dignificantur per gratiam Divinam, per quam sumus filij Dei adoptivi & consortes Divinæ Naturæ, redduntur intrinsecè digna omnis præmij, quod ipsis promittitur; & sicut hæc gratia facit nos cohæredes vitæ æternæ cum Christo, licèt hac seclusa essemus iræ filij & gehennâ digni, ita nostra opera

facit

facit digna vitæ æternæ, etiamsi in speciem sint levia v. g. haustus frigidæ proximo datus propter Deum. Unde responsio colligitur ad rusticam M. Lomeri similitudinem. Quòd præmium sit æternum, opus autem sit modicò durans tempore, prorsus nihil obest sufficienti proportioni; aliàs enim nec opera Christi patientis habuissent dignitatem intrinsecam ad dignè satisfaciendum pro pœnis æternis: neque deliciæ peccatorum essent dignæ pœnis gehennæ, utpote valde breves, & exiguæ respectu tantorum cruciatuum. Sicut igitur has contemptus Legis Divinæ facit dignas pœnis gehennæ, ita charitas Dei tum habitualis tum actualis opera bona facit digna gaudijs æternis. Adde, quòd in Justitia distributiva non requiratur absoluta æqualitas inter meritum & præmium, sed tantùm proportio quædam dignitatis: in Justitia commutativa verò promissio præmij sub conditione operis æqualitatem inducat, vel supponat. Ad 2. Negatur, quòd opus debeat afferre aliquam utilitatem propriè dictam promittenti mercedem; quam enim utilitatem capit, qui cursoribus præmium proponit, ex obligatione solvendum victori? Utilitas impropriè dicta, scilicet gloria extrinseca, etiam in Deum redundat ex nostris operibus bonis.

82. Ob. 4. Quod Christus nobis abunde meruit, non possumus, nec debemus nos mereri: sed Christus abunde nobis meruit vitam æternam: ergo. Unde si opus est nostrô meritô, arguitur meritum Christi alicujus insufficientiæ, & Paulus malè dixit: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* Tit. 3. *Gratiâ estis salvati &c. non ex operibus, ne quis glorietur.* Eph. 2. Ut igitur excludatur vana gloriatio, nihil meriti tribuendum est bonis operibus, sed omnia gratiæ Dei. R. D. Ma. non possumus mereri primò, principaliter, & eo modo, quo Christus id nobis promeruit. C. M. non possumus viribus dependenter à Christi merito nobis communicatis, & in ordine ad applicanda nobis merita Christi N. Ma. & sic distincta Mi. N. Conf. Nostra merita sunt illa media, per quæ nobis applicari voluit Deus merita Christi, & sic opera nostra sunt *applicatio meritoria*, non prima & principalia vitæ æternæ merita; qua id ipsum meremur nobis in particulari tribui, quod Christus tanquam causa universalis meritus est omnibus. Neque id arguit insufficientiam meritorum Christi, sed potiùs efficaciam eorum commendat, quia sic non tantùm promeruit nobis vitam æternam, sed etiam modum nobiliorem, quo nobis applicentur ejus merita, impetravit, scilicet vim merendi, & nobis applicandi non quomodocunque, sed per merita. Sicut gloriosũ est viti, si ejus palmites floreant & fructum ferant, quia omnem succum & fertilitatem accipiunt à vite, ita & Christo glorioſa est nostra fertilitas & vis merendi, quam totam ejus meritis adscribimus. Apostolus loquitur de operibus vel Legis Mosaicæ vel Naturæ, sine fide in Christum & DEI gratia factis, quæ utique

non sunt meritoria vitæ æternæ. Bene tamen illa, quæ in & ex gratia DEI fiunt, & quæ excludunt vanam gloriationem; nam qui gloriatur intuitu operum ex gratia DEI factorum, non vanè & in suis operibus, sed gloriatur in Domino, quod licet.

93. Ob. 5. ex Patribus. S. August. in Psal. 70. conc. 2. dicit: *tua, peccata sunt: merita, DEI sunt. Supplicium tibi debetur: & cùm præmium venerit, sua dona coronabit: non merita tua.* S. Bernhardus ser. 1. de Annunt. *Neque talia sunt hominum merita, ut propter ea vita aterna debeatur ex jure, aut DEUS injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Dein Patres & Theologi communiter dicunt, DEUM præmiari *supra condignum*: ergo nostra opera non sunt digna præmio vitæ æternæ. R. Quid S. Augustinus & S. Bernardus sentiant de meritis bonorum operum, patet ex nostra probationis primæ confirmatione; In textibus allatis, & in alijs, in quibus hi aut alij Patres videntur damnare merita, loquuntur de meritis naturæ, & operibus, quæ nec à gratia, nec à promissione Divina dependent, ut ipsimet se declarant in contextu. Dicunt ergo tantùm, vitam æternam non deberi meritis ex jure *absolutè*, quasi non præsupponerent gratiam & liberam promissionem DEI. 2. Quòd merita nostra non tam sint ex nobis, quàm ex DEI misericordia principaliter. 3. Quod ex humilitate, & propter incertitudinem propriæ justitiæ, prudenter ponamus fiduciam nostram in misericordia DEI, non in nostris meritis. Dum dicitur DEUS præmiari supra condignum, sensus est, quòd magis præmietur, quàm opera nostra, materialiter & secundùm se spectata, & seclusâ gratiâ & promissione ac decreto DEI libero, mereantur. Dein opera nostra tamen possunt esse meritoria alicujus præmij de condigno, licèt DEUS ex mera liberalitate huic præmio aliquid superaddat.

Quæres adhuc 1. An possit collocari fiducia (seu spes firma) in meritis justorum, & bonis operibus? R. 1. posse id fieri absolutè, si quis habeat satis compertum, in se reperiri merita. Ratio est, quia fiducia de obtinenda salute nascitur partim ex fide, qua cognoscimus, DEUM vitam æternam promisisse bonis operibus tanquam conditioni adimplendæ, partim ex notitia, quam habemus de hac conditione bonorum operum à nobis impleta. Quò firmior igitur erit fides, & major hæc notitia, eò firmior & major erit fiducia tum in misericordia DEI, quæ est causa principalis & efficiens salutis, tum in meritis, quæ sunt causa meritoria & secundaria salutis. Sic Paulus confidebat, dum dixit: *Bonum certamen certavi &c. in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* 2. Tim. 4. R. tamen 2. consultum & tutissimum communiter esse, fiduciam omnem in sola DEI misericordia & Christi meritis ponere. Ratio est, quia ordinariè ignorat homo, utrùm justus sit, & consequenter an habeat vera merita. Si igitur non haberet, rectè non confidit in ipsis: si haberet vera & propria merita, nihil perdit, si illa ex humilitate non intueatur: nec ea DEUS propterea minùs remunerabitur

94.

bitur, utpote justus Judex. Et hinc Ecclesia orat in Canone Missæ: *Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte.*

95. Quæres 2. An licitum sit intuitu mercedis operari? R. affirmativè. Docet id Christus, dum dixit: *Quærite primùm Regnum DEI.* Mat 6. docet David suo exemplo: *inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Psal 118. confirmat S. Aug. in Ps. 120. *Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac.* Confirmat praxis fidelium, & denique ipsa ratio; quia vita æterna est finis, nostræ fidei & bonis operibus promissus: sed utique licet media referre ad finem, & intuitu finis operari. Improbandus tamen est servilis, mercenarius, & sordidus operandi modus illorum, qui solius mercedis intuitu operantur, ac ita, ut si merces nulla proponeretur, DEO nollent servire. Itaque principaliter agendum est bene propter DEUM, secundariò etiam potest intendi nostra Beatitudo sine vitio.

Atque hæc, quæ de merito bonorum operum disputata sunt, benè intelligere & notare oportet, quia Sectarij nostri vix aliud magis aversantur, & nobis sæpius obtrudunt, quàm meritum bonorum operum, quod ipsi penitus negant, tam id, quod *de congruo*, quàm alterum, quod *de condigno* appellamus. Ut scilicet locum habere possit præcipuus ipsorum fidei articulus *de justificatione per solam fidem*, ad quem nunc tandem delati sumus.

ARTICULUS VI.

De Justificatione peccatoris.

SUMMARIUM.

96. *Quid sit Justificatio peccatoris, & quæ illius causæ: solum de causa formali & dispositiva seu instrumentali Justificationis lis est.*

97. *Juxta Sectarios Justificatio formalis nihil est aliud quàm remissio peccatorum, & imputatio Justitiæ Christi extrinseca.*

98. *Juxta Catholicos verò est qualitatis supernaturalis infusio, quam qualitatem per modum habitûs permanentem in anima vocant* Gratiam Habitualem, Sanctificantem &c.

99. *Peccator non justificatur formaliter per hoc, quòd ipsi extrinsecè imputetur Justitia Christi, & sic peccata remittantur vel potiùs tegantur, sed per Justitiam propriam ipsi infusam à Deo, & ei intrinsecam.*

100. *Hæc justitia formaliter justificans est qualitas permanens seu gratia sanctificans.*

101. *Iterum tamen amittitur per peccatum mortale.*
102. *Nihil ex voce* justificatio *probatur contra justitiam homini intrinsecã.*
103. 104. *Nihil ex Scripturæ textibus.*
105. *Neque ex paritate peccati Originalis, tantùm extrinsecè, ut Adversarij putant, nobis imputati.*
106. *Neque ex eo, quòd justitiæ nostræ vocentur pannus menstruatæ.*
107. *Neque ex paritate cum adoptione humana in filium, quæ non sit per qualitatem physicam, adoptato intrinsecam.*
108. *Causaliter tamen & meritoriè justitia nostra est à justitia & meritis Christi: quo sensu dici potest, nobis imputari justitiam Christi.*
109. *Justi in justitia possunt crescere, & sanctiores effici.*
110. *Omnes Lutherani & Calvinistæ dicunt, hominem justificari per solam fidem, quod tamen non eodem modo explicant.*
111. *Non quidem per fidem dogmaticam, aut miraculorum, sed per fidem fiducialem specialem, non generalem tantùm.*
112. *Catholici requirunt fidem dogmaticam, tanquam dispositionem, non tamen solam.*
113. *Siquidem falsum est, fidem solam sufficere ad obtinendam justitiam, seu fidem solam justificare; sive per modum dispositionis, sive per modum instrumenti, quo apprehenditur justitia &c.*
114. *Quid Adversarii impiè & impetitè excipiant contra epistolam S. Jacobi.*
115. *Neque fides, ad Justificationem necessaria, est illa fides specialis & fiducialis, qualem Adversarii adstruunt.*
116. 117. *Quomodo intelligenda Scriptura, quando videtur Justificationem tribuere soli fidei.*
118. *Quomodo SS. Patres.*
119. *Quis sit Wolf. Jägerus, Montgallus, & Horallector.*
120. *Quid sit certitudo fidei, & certitudo evidentiæ.*
121. 122. *Nullus debet aut potest esse certus certitudine fidei de sua justitia, ut sibi fingunt tam Calvinistæ, quam Lutherani.*
123. *Neque de sua salute, secluſa revelatione speciali & singulari, qualis ordinariè nemini datur.*
124. *De utraq; tamen potest haberi certitudo conjecturalis, imò & moralis.*
125. *Quid Adversarii opponant.*

96. PEr Justificationem peccatoris simpliciter acceptam intelligitur *transitus de statu peccati ad statum gratiæ*; adeóque justificari nihil est aliud, quàm ex injusto seu peccatore fieri justum, sicut calefieri est ex frigido fieri calidum; aut ex minùs calido fieri magis calidum: quare etiam ille dicitur justificari, qui ex justo sit magis justus. Maximè hic lis est de Justificatione prima; qua quis ex injusto fit justus: cujus plures & variæ sunt causæ. 1. Causa *efficiens* est misericors DEUS. 2. *Meritoria* seu meritoria est Christus. 3. *Instrumentalis* est Baptismus, Pœnitentia, & per accidens etiam cætera Sacramenta.

26. Juxta Sectarios Sacramenta sunt quidem causa instrumentalis, sed solùm ex parte DEI offerentis gratiam, ex parte hominis autem instrumentum, apprehendens gratiam, est sola fides. 4. *Materialis* est anima hominis, justitiam in se recipiens. 5. *Formalis* est gratia sanctificans, seu qualitas supernaturalis animæ inhærens: juxta Sectarios verò causa formalis, per quam peccator formaliter fit justus, est justitia Christi per fidem solam apprehensa, seu propter fidem in Christum imputata, adeóque non est forma animæ inhærens & intrinseca, sed extrinseca. 6. Causa *finalis* est gloria DEI & Christi, ac nostra salus. 7. Denique causa *dispositiva* juxta Catholicos, quam etiam meritoriam de congruo dicere possumus, in homine adulto sunt actus variarum virtutum, scilicet fidei, timoris Domini, spei, contritionis, charitatis &c. Adeóque non sola fides, sed & aliæ virtutes ac opera bona sunt dispositiones requisitæ ad justificationem.

Ex quibus patet, solùm circa causam formalem & instrumentalem ex parte hominis, vel dispositivam, si ita vocare placet, cum Sectarijs controversiam esse, præcipuam quidem de sola fide justificante, quam aliqui ex ipsis, licèt malè, vocant causam formalem Justificationis, alij autem & communiùs vocant medium vel instrumentum, quo solo apprehenditur justitia Christi, seu justificatur peccator per imputatam sibi gratiam & justitiam Christi. Unde 1. disputabimus de causa formali justificationis, an scilicet homo formaliter fiat justus per justitiam sibi inhærentem. 2. An fides sola justificet, sive in ratione causæ instrumentalis, sive dispositionis, sive applicationis, prout vocare placuerit, & in actu justificationis nihil aliud influat ac requiratur, nisi sola fides. 3. Demum subjungemus aliquid de certitudine, quam quis habere possit de obtenta justitia, & obtinenda salute.

§. I.

An homo formaliter justificetur per justitiam inhærentem, quæ dicitur gratia sanctificans.

27. SCiendum 1. Litem cum Sectarijs esse 1. An justificatio nihil sit aliud, quàm remissio peccatorum? 2. Si sit aliquid aliud, quid illud? an sit forma seu qualitas nobis inhærens & intrinseca, an verò sit justitia à Christo parta, & nobis tantùm extrinsecè imputata. 3. An justitia semel accepta amitti non possit? Nam juxta Sectarios justificatio formalis nihil est aliud quàm remissio peccatorum, & imputatio justitiæ Christi extrinseca; quæ imputatio & remissio peccatorum vel realiter idem sunt, vel separari ab invicem nequeunt. Ita Gerardus de Justificat. §. 198. Cæterùm non conveniunt more suo Lu-

the-

theranì in explicanda Juſtificatione, & Salmeron jam ſuo tempore teſtatur fuiſſe 22. diſcrepantes eorum ſententias to. 15. Comm. p. 25. Calviniſtæ inſuper negant, hominem ſemel juſtificatum poſſe iterum perdere juſtitiam.

98. Sc. 2. Catholicos econtra docere, hominem *formaliter* juſtificari per formam inhærentem, quæ eſt qualitas ſupernaturalis à DEO infuſa, per quam homo fit formaliter juſtus, amicus, imò filius adoptivus DEI, éſtque jus & radix æternæ gloriæ, incompoſſibilis cum peccato mortali; adeóque per eam, dum acquiritur, remittuntur omnia peccata mortalia, quando verò juſtus iterum peccat mortaliter, eam iterum amittit. Vocatur hoc excellentiſſimum DEI donum communiter *gratia ſanctificans*, *gratia habitualis*, *gratia juſtificans*, *ſanctitas*, *juſtitia* &c. aut etiam *participatio Divinæ naturæ*, hoc eſt, per hoc donum participatur gradus quidam intellectualitatis Divinæ, vi cujus homo poſſit intuitivè videre & cognoſcere eſſentiam Divinam, quod ſoli Deo connaturale eſt; nam ens ſupremè intelligibile in ſeipſo attingere cognoſcendo eſt dignitas ordinis Divini.

99. Dicendum 1. Formalis Juſtificatio peccatoris non conſiſtit in mera remiſſione peccatorum extrinſeca, aut in extrinſeca imputatione juſtitiæ alienæ, ſcilicet Chriſti, ſed in juſtitia poſitiva, intrinſeca, & cuivis propria, quæ in ipſo juſtificationis actu infunditur à Deo. Hanc doctrinam his terminis docet Concilium Tridentinum: *Unica formalis cauſa juſtificationis eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur Spiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè juſti nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes, unusquisque ſuam &c. ſecundùm propriam cujusque diſpoſitionem & cooperationem &c. Unde in ipſa juſtificatione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per JEſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem* &c. Seſſ. 6. c. 7.

Prob. 1. ex Scriptura, quæ 1. Cor. 6. dicit: *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis*: ergo in juſtificatione continetur & purgatio & ſanctificatio: ſanctificatio verò eſt forma poſitiva, ſcilicet gratia Dei infuſa: quæ ſimul delet peccatum & animam ornat juſtitiâ, ſicut lux pellit tenebras ſimul & illuminat poſitivè. 2. *Convivificavit vos Chriſto, donans vobis omnia delicta, delens, quod adverſus vos erat, chirographum decreti.* Coloſſ. 2. Vivificatio pertinet ad interiorem renovationem, ſeu ſanctitatem acceptam, donatio delictorum ad remiſſionem peccati, & deletio chirographi denotat omnimodam ejus extinctionem: ergo juſtificatio non eſt mera remiſſio, aut non imputatio peccati, ſed etiam plena extinctio, & juſtitiæ ſeu vitæ novæ infuſio. 3. Sponſa in Canticis, per quam etiam juxta Adverſarios intelligitur Eccleſia, vel anima fidelis, dicitur pulchra, utique pulchritudine poſitiva & ſibi propria, non pulchritudine Sponſi tantùm ſibi imputata extrinſecè; quis enim credat, Sponſum

cœle-

cœlestem adamâsse sponsam in se turpem, & solùm extrinsecùs ornatam pretiosa aliqua veste viri? 4. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Rom. 5. v. 19. atqui per inobedientiam Adami constituti sumus injusti, injustitiâ verâ, reali, propriâ, non imputatâ tantùm: ergo per obedientiam seu merita Christi *constituimur* (notetur hoc verbum) *justi* justitiâ verâ reali, propriâ, & intrinsecâ. Et utique illud Christus iterum restituit, quod perdideramus in Adamo: atqui justitia originalis, quam perdidimus in Adamo per peccatum, non fuit extrinseca tantùm & imputata, sed realis & intrinseca, ut nemo negat: ergo. 5. *Qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut & ipse sanctus est.* 1. Jo. 3. atqui Christus fuit, & est justus justitiâ positivâ, intrinsecâ, & non merè imputatâ: ergo. Huc pertinent omnes illi textus Scripturæ, in quibus justitia nostra vocatur *filiatio Dei, participatio naturæ Divinæ, diffusio in cordibus nostris, pignus hæreditatis, stola prima, annulus, vestis nuptialis, renovatio mentis, regeneratio* &c.

Prob. 2. ex ratione 1. Sicut calefactio non potest intelligi, nisi depulso frigore aliquis acquiratur calor; ita intelligi nequit Justificatio, nisi præter remissionem peccati acquiratur aliqua justitia, realiter & physicè recepta in homine. 2. Sola remissio peccatorum tantùm facit, ut homo non sit peccator, & non obligatus ad pœnam; non tamen facit, ut homo sit *justus, amicus Dei, filius Dei adoptivus, habens jus* ad æternam gloriam, & visionem Dei intuitivam, quæ omnia conferuntur ei, qui *justificatur*: ergo in justificatione non tantùm remittuntur peccata, sed etiam confertur justitia positiva & intrinsecè inhærens. 3. Justus amatur à Deo amore amicitiæ, & in ordine ad eum admittendum ad visionem & fruitionem DEI supernaturalem: ergo in justo debet aliquid dari, quod sit proportionatum & dignum tali amore, scilicet justitia & pulchritudo, per quam homo fit *consors Divinæ naturæ.* 2. Petri 1. Nec obstat, quòd Deus nos amet priùs, quàm infundat nobis hanc pulchritudinem animæ; nam priùs solum nos amat amore *benevolentiæ & misericordiæ*, non amore *amicitiæ.* 4. Decet, ut in homine ad statum supernaturalem elevato detur aliqua forma, quæ sit principium & radix intrinseca eorum actuum, quibus pertingere debet ad suum finem supernaturalem, scilicet justitia & forma positiva; sicut in ordine ad actus, quibus consequitur suum finem naturalem, habet formam, scilicet animam, quæ sit principium & radix illorum actuum.

Prob. 3. ex absurda sequela. Si verum est, quòd Lutherani sint propriè & verè justi (& non putativè tantùm & imaginariè) per justitiam Christi sibi præcisè imputatam, uti contendunt; tunc sequitur, quòd Christus dici potuerit & fuerit *verè ac propriè* peccator, injustus, servus diaboli, & quidem omnium maximus; quia sicut justitia Christi nobis imputatur, ita &

Christo fuit imputata injustitia nostra, & peccata omnium hominum. Sequela est horribilis & extremè blasphema. Eam tamen admisit Lutherus, admittere debent Lomerus p. 435. seines Außgangs / & Gerardus, qui de Justif. §. 207. ita argumentatur. *Deus Christum pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in illo.* 2. Cor. 5. *Ergo sicut Christus per imputationem nostrorum peccatorum factus est peccatum, hoc est, insignis peccator, sic nos efficimur justitia Dei, hoc est, insigniter justi coram Deo per imputationem justitiæ Christi.* Et admittere debent omnes, qui consequenter docent, & contendunt, hominem *verè, propriè* (non imaginariè ac tropicè tantùm) esse justum per justitiam Christi sibi imputatam. Nisi igitur velint esse blasphemi, debent dicere nobiscum, quòd Christus dicatur *peccatum & maledictum* (vel peccator) *impropriè* tantùm & *tropice*, quatenus nimirum sponte in se suscepit debitum satisfaciendi pro nostris peccatis. Ex quo sequitur (si tenet paritas & argumentum Gerardi) quòd Lutherani non sint propriè & verè justi, sed tantùm tropicè & imaginariè propter justitiam Christi sibi imputatam, & propter relicta (quia recta solùm) peccata potiùs peccatores dici debeant; sicut Christus non potest dici verè peccator, sed potiùs justus, propter nostra sibi imputata peccata.

100. Dicendum 2. Justitia formaliter justificans hominem est permanens, habitualis, seu qualitas per modum habitûs inhærens: quæ communiter idcirco appellatur gratia habitualis. Probatur 1. Scriptura dicit, *Spiritum S. habitare in nobis.* Rom. 8. v. 11. 1. Cor. 3. *mansionem facere.* Jo. 14. sed hoc dicit *permanere donum aliquod* Spiritûs S. in nobis; nam ipse Spiritus S. quoad substantiam est ubique. Item justitia nostra comparatur *vesti nuptiali.* Mat. 22. *stolæ primæ*, & *annulo* Luc. 15. quæ indicant aliquam inhærentiam & permanentiam. 2. Parvuli post Baptismum vocantur & sunt justi, utique non justitiâ actuali, quæ consistit in operibus bonis, quæ actu fiunt: ergo habituali. 3. Fideles sunt justi, non solùm cùm bene operantur, sed etiam cùm dormiunt, aut nihil agunt. 4. Quia debet in homine justo dari aliquod principium supernaturale, ut connaturaliter possit elicere actus supernaturales.

Dicendum 3. Justitia semel acquisita iterum amittitur per peccatum mortale. 101.
Prob. 1. exemplo Adami, & dæmonum, qui fuerunt creati in justitia originali & gratia, eam tamen amiserunt per peccatum. 2. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Ezech. 18. 3. Potest ex fideli fieri infidelis: atqui fidelis utique amittit justitiam; aliàs non perderet salutem & gloriam; *quos enim justificavit* Deus, *hos, & glorificavit.* Rom. 8. 4. Justi habent libertatem ad peccandum mortaliter; sed cum peccato mortali non potest consistere justitia; quia peccatum facit hominem inimicum Dei, dignum æternâ pœnâ &c. sicut justitia facit amicum Dei, & dignum gloriâ æternâ &c.

Ob. 1.

102 Ob. 1. Justificatio est vox forensis, & idem denotat, quod *pronuntiare* justum, absolvere &c. ergo non dicit justitiam infusam & intrinsecam justo. R. Licèt fortè alicubi in Scripturis ita sumatur, tamen in negotio justificationis peccatoris non ita sumi, patet tum ex Scripturæ textibus suprà allegatis, tum ex SS. PP. quorum S. Aug. l. de Spir. & lit. c. 26. *quid est aliud justificati, quàm justi facti?* tum ex etymologia, *juxta quam justificare* æquè significat justum facere, ac *glorificare* significat glorioſum facere. Et ſicut calidum vel album non datur ſine calore vel albedine recepta in ſubjecto, ita nec juſtus dari poteſt ſine juſtitia in ſe recepta & phyſicè unita. Denique quiſquis veraciter pronuntiatur juſtus, ille in ſe debet habere juſtitiam coram eo, à quo juſtus pronuntiatur: atqui juxta Adverſarios homo in juſtificatione pronuntiatur juſtus (utique veraciter) à DEO: ergo coram DEO juſtum eſſe neceſſe eſt juſtitiâ in ſe receptâ & infusâ.

103 Ob. 2. *Chriſtus factus eſt nobis juſtitia & ſanctificatio.* 1. Cor. 1. ergo non habemus propriam juſtitiam; ſed Chriſti. 2. *Credenti in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ad juſtitiam.* Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham, & reputatum eſt ei ad juſtitiam* v. 5. ergo noſtra juſtitia nihil eſt, niſi juſtitia Chriſti propter fidem nobis imputata. R. ad 1. N. C. & retorq. Chriſtus etiam in Scripturis vocatur Sapientia, & Reſurrectio noſtra: ergo non ſumus ſapientes per ſapientiam propriam, neque reſurgemus aliter niſi per reſurrectionem nobis imputatam. Chriſtus dicitur juſtitia noſtra non in genere cauſæ formalis, ſed efficientis & meritoriæ, quia gratiam ſanctificantem nobis impetravit per ſua merita. Ad 2. iterum N. Conſ. quia *reputare* non ſignificat *nudè æſtimare* ſine rei veritate: igitur credenti &c. etiam ineſt juſtitia propria: juſtitia enim Chriſti, utpote extrinſeca, neminem facit *formaliter* juſtum, ſed tantùm *meritoriè*, DEUS autem *efficienter*. Cæterùm textus dicit, ipſam fidem imputari: fides autem utique non eſt juſtitia Chriſti: neque eſt formaliter ipſa juſtitia inhærens, ſed diſpoſitio ad illam.

Ob. 3. Injuria fit Chriſto, ſi alia, 104
& hominibus propria admittatur juſtitia præter juſtitiam Chriſti; nam dicitur Phil. 2. *Non habens meam juſtitiam, quæ ex Lege eſt, ſed illam, quæ ex Fide eſt, Chriſti JESU.* Et Rom. 10. reprehendit Apoſtolus Judæos, quòd non quærerent juſtitiam *DEI*, ſed *ſuam*. 2. Per Juſtitiam propriam datur nobis occaſio vanè gloriandi & ſuperbiendi: ergo. R. ad 1. Si ſtatueretur alia juſtitia, quàm Chriſti meritis comparata, fieret quidem injuria Chriſto; non tamen ſi ſtatuatur alia, à meritis Chriſti diſtincta, formalis & intrinſeca. Paulus rejicit tantùm juſtitiam, quam Ethnici ex viribus naturalibus, Judæi autem ex obſervatione Legum Ceremonialium, ſine fide in Chriſtum, obtinere nitebantur. Ad 2. Cauſam gloriandi non habet, neque gloriatur vanè, qui ſcit & fatetur, ſe nihil habere, niſi ex gratia alterius: Catholici verò ſciunt & fatentur, ſe habere præſtantiſſimum juſti-

justitiæ donum non ex se, sed ex gratia & Misericordia DEI, ac ex meritis Christi.

105 Ob. 4. Per peccatum Adami dicimur & sumus verè peccatores, licèt peccatum Adami nobis solùm imputetur: ergo etiam per justitiam Christi verè dicimur & sumus justi; licèt ea solùm imputetur nobis extrinsecè. *Sicut per inobedientiam illius* &c. Rom. 5. R. N. alteram partem Antec. nam peccatum Adami non præcisè imputatur nobis tanquam à solo Adamo commissum, sed fuit etiam verè à nobis commissum, licèt alió modô; nam Adamus illud patravit physicè & voluntate propria, posteri verò solùm moraliter & voluntate aliena Adami, cui eorum voluntates fuerunt moraliter alligatæ. Unde cuilibet inest proprium peccatum originale verè, utpote à quolibet verè commissum moraliter. Sed justitia Christi non fuit ita quasi transfusa in nos, neque ita transfundi potuit, ut per eam simus formaliter justi, sicut fieri non potest, ut Petrus sit albus per albedinem Pauli. Ratio ulterior est; quia esse peccatorem est denominatio moralis, nec requirit mutationem intrinsecam; sed esse justum est denominatio physica. Sicut igitur peccatum Adami debet esse moraliter nostrum, ut possimus dici peccatores, ita justitia DEI participata debet esse physicè nobis intrinseca & nostra, ut possimus dici justi.

106 Ob. 5. Justitia, quæ facit justum coram DEO, debet esse pura, immaculata, & perfecta: talis est justitia DEI aut Christi, non nostra, quia nostra dicitur esse sicut *pannus menstruatæ*. Is. 64. R. N. m. nam gratia illa sanctificans, qua nos justi sumus, est qualitas supernaturalis, & *pretiosum donum*. 1. Petr. 1. excludens omne peccatum mortale necessariò, quamvis per accidens conjungi possit cum peccato veniali. Et hinc justitia nostra, quamvis in se sit pura & perfecta, tamen ex accidenti justus maculari potest & solet peccatis venialibus: quo sensu morali dici potuerunt ab Isaia justitiæ nostræ similes panno menstruatæ: licèt is in sensu litterali locutus sit de justitia *Legali* Judæorum, quæ nihil ad perfectum adduxit.

Ob. 6. Adoptio humana in filium 107
fit non per qualitatem physicam illi intrinsecam, qui adoptatur, sed per favorem moralem & extrinsecum: ergo etiam adoptatio Divina, qua in filios DEI adoptamur, taliter fit. 2. Justitia habet se per modum vestis, & indumenti, juxta illud Pauli, *induite novum hominem*. Eph. 4. Sed indumentum est aliquid extrinsecum: ergo. R. ad 1. N. C. & parit. Nam homo adoptans non potest adoptato imprimere veram & physicam secum cognationem; econtra DEUS potest infundere talem qualitatem, vi cujus creatura habeat specialem similitudinem cum DEO, & participationem naturæ Divinæ, ac jus ad patrimonium Divinum. Adeóque in adoptione humana solùm *adoptatur* filius, qui non est, & in adoptione Divina *fit* verè filius DEI adoptivus per aliquid ipsi intrinsecum. Ad 2. D. m. indumentum corporale est aliquid extrinsecum. C. indumentum

spi-

ſpirituale. N.m. DEUS ipſe dicitur *indutus fortitudine.* Pſ. 32. utique non extrinſecâ. Verba Metaphorica non requirunt omnimodam ſimilitudinem; aliàs gratia deberet paulatim deficere, ſicut veſtis atteritur. Paritas in hoc eſt, quòd, ſicut veſtis ornat corpus, ita gratia ornet animam.

108 Ex dictis colliges duo. 1. quamvis formaliter juſti ſimus juſtitiâ propriâ, non eâ juſtitiâ, qua Chriſtus eſt juſtus, nobis tantùm imputatâ extrinſecè; cauſaliter tamen & meritoriè nos juſtos eſſe à juſtitia & meritis Chriſti, & hinc in aliquo ſenſu dici poſſe, Juſtitiam Chriſti nobis imputari, ſcilicet in hoc, quòd juſtitia & merita Chriſti nobis impetraverint juſtitiam propriam, & quòd DEUS acceptet ſatisfactionem Chriſti pro noſtris peccatis, ac ſi nos eam poſuiſſemus. 2. Juſtos poſſe creſcere in juſtitia & ſanctitate per exercitium bonorum operum, per quæ ſuperiùs diximus meritoriè augeri gratiam ſanctificantem, conſequenter & in gloria cœleſti futura; nam pro menſura gratiæ ſanctificantis erit menſura gloriæ. Si enim poteſt augeri fides, ut volunt Adverſarij cum Gerardo ad illud Luc 17. *adauge nobis fidem*, & ſic explicant, quòd juſti non ſint æquales in gratia, & conſequenter nec olim in gloria; cur non etiam augeri poſſit charitas & gratia ſanctificans? præſertim cùm conſtans fuerit fidelium ſenſus, eum, qui plures & majores exercet virtutes, eſſe ſanctiorem alijs, & in cœlo potiturum majori gloria. 109

§. II.

An Juſtificatio fiat per ſolam fidem?

110. SCiendum 1. Lutheranos & Calviniſtas omnes id affirmare, & tanquam pupillam ſuarum Sectarum mordicus defendere. Differunt tamen ſaltem in modo loquendi. Aliqui prorſus imperitè dixerunt, quòd fides ſola juſtificet *formaliter.* Sed Recentiores dicunt, eam juſtificare non formaliter, neque efficienter & phyſicè, neque moraliter & meritoriè, ſed ſolùm *inſtrumentaliter*, vel *relativè*, quia ſcilicet ſola fides reſpicit & velut manus accipit promiſſam & oblatam gratiam, qua DEUS imputat juſtitiam Chriſti, & non imputat peccata. Dicunt itaque, hominem juſtificari unicè per hoc, quòd firmiter credat, & ſecum ſtatuat, ſe propter Chriſtum à DEO recipi in gratiam, absque ullo alterius virtutis bono opere, ita ut, quamvis in juſtificato debeant dari bona opera tanquam ſignum fidei & effectus gratiæ, tamen in ipſa juſtificatione, ſeu in actu juſtificationis, nulla alia virtus aut opus bonum, ſcilicet nec ſpes, nec charitas, nec contritio &c. influat, imò nec Sacramenta, quæ ſolùm ſunt cauſa inſtrumentalis *ex parte DEI*; qua ipſe offert beneficia & juſtitiam Chriſti. Dicunt itaque, quòd ſola fides requiratur &

sufficiat, qua velut instrumento & manu apprehenditur oblata Christi justitia, & bona promissa in Evangelio, ac sigillata in Sacramentis.

111. Sc. 2. Fidem à Sectarijs triplicem distingui. 1. Est fides *Historica* vel *Dogmatica*, qua creduntur vera esse, quæ in Scripturis narrantur. 2. *Fides miraculorum*, qua creditur, nihil esse, quod à DEO fieri non possit. 3. *Fides promissionum*, quæ fertur in promissiones Divinas de remissione peccatorum propter Christum. Hanc tertiam fidem subdividunt in generalem, & specialem. *Generalis* est, qua generatim creditur, omnibus in Christum credentibus promissam esse remissionem peccatorum. *Specialis*, qua unusquisque in particulari sibi applicans promissionem Divinam credit, seu potiùs confidit, sibi per Christum omnia peccata esse dimissa. Et hanc fidem specialem, quæ etiam *Confidentialis* dicitur, ajunt esse *justificantem*: quæ juxta Gerardum §. 66. tria involvit, notitiam, assensum, fiduciam: prout est *notitia* & *assensus*, spectat ad intellectum, & pro objecto habet omnia in Scripturis revelata, prout est *fiducia* refertur ad voluntatem, & pro objecto habet promissiones Evangelicas de Christo Mediatore. Calvinus pro *fiducia* posuit *notitiam*.

112 Sc. 3. Catholicos in tribus dissidere à Sectarijs circa hoc negotium. Nam 1. dicunt fidem esse *dispositionem* ex parte hominis necessariam ad justificationem, quam aliqui non immeritò vocant *meritum de congruo*. 2. Fidem solam non esse dispositionem adæquatam, sed requiri etiam aliarum virtutum actus, qui sint æquè, ac fides, dispositiones vel remotæ, vel proximæ, cujusmodi sunt timor Domini, spes, amor DEI, odium peccati seu dolor, propositum emendandi vitam &c. qui actus, quamquam ordinariè præcedere soleant justificationem adulti, tamen id absolutè necesse non est de omnibus v. g. de timore, siquis justificetur per actum amoris. 3. Fidem, prout est dispositio ad justificationem, non esse illam specialem, vel fiducialem, quæ apud Sectarios justificans est, sed esse *assensum certum ac firmissimum ob auctoritatem Dei revelantis præstitum iis rebus, quæ à Deo revelata sunt.* Circa primum nihil morabor, quia videtur potiùs esse circa modum loquendi, quàm circa rem ipsam; sive enim fides, ad justificationem requisita, vocetur *dispositio*, seu *instrumentum*, sive *manus apprehendens* &c. parùm interest, modò requiratur ita, ut sine illa non obtineatur justitia. Idem te volo monitum de altero, nempe bonis operibus, seu aliarum virtutum actibus: sive enim vocare volueris *dispositiones*, sive *conditiones*, sive *meritum de congruo*, sive alio modo, de quo litigare nolo (licèt perperam neges, esse *dispositionu*) modò pro nunc admittas, etiam illos actus spei, charitatis, pœnitentiæ &c. utiles, & saltem aliquos etiam necessarios esse ad obtinendam justitiam. Quippe Trident. Sess. 6. Can. 9. sic definivit. *Siquis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, NIHIL ALIUD REQUIRI, quod ad justificationis gratiam consequendam COOPERE-*

RETUR, nulla ex parte necesse esse, eum sua voluntatis motu PRÆPARARI ATQUE DISPONI; anathema sit.

135. Dicendum 1. Non sola fides, sed & aliarum virtutum actus seu opera requiruntur ad perficiendam justificationem. Adeóque non sola fides justificat. Prob. 1. Scriptura vim justificandi (tu dicis, *apprehendendi justitiam*) non soli fidei tribuit, sed etiam alijs virtutibus, quas Tridentinum vocat meritò *dispositiones* (& Gerardus, fortè sui oblitus, saltem spem nominat *præparationem* §. 170. & contritionem §. 93. de Pœnit. ait *præparare* ad gratiam) juxta illud: *hominis est animam præparare.* Prov. 16. v. 1. Ergo non sola fides justificat, aut (juxta tuum loquendi modum) apprehendit justitiam, sed etiam cæteræ virtutes eo, quo fides, modo, cum hoc solo discrimine, quòd fides sit omnium prima, & initium; qui enim non credit, nec sperare potest, aut diligere &c. A. P. adducendo varias virtutes, à Scriptura requisitas, cujusmodi est Spes: *Omnis, qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Jo. 3. v. 3. Charitas: *Nam in Christo JEsu neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*, Gal. 5. v. 6. Timor Dei: *Timor Domini fons vitæ.* Prov. 14. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Eccli. 1. v. 27. Venia inimicis danda: *si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Mat. 6. v. 16. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus* &c. Pœnitentia, scilicet dolor de peccato, seu contritio: *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet.* Ezech. 18. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 13. v. 3. Denique requiritur observatio omnium mandatorum juxta præceptum Christi Mat. 28. *Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Quid clariùs dici posset?

Et ne replicandi sit locus, advertendum est, hæc opera bona requiri ad justificationem pro priori, & eo modo, quo requiritur fides. Frustra igitur excipis dicendo, requiri quidem opera bona in justificatis, non in actu justificationis, sed ut signum fidei, & effectum obtentæ justitiæ. Deinde ne quæras effugium, asserendo, hæc opera tantùm requiri ratione *ordinis à Deo instituti*, & voluntatis Divinæ, non verò ut opera meritoria, aut dispositiones; jam enim superiùs dixi, me nolle hic disputare de modo, quo influunt in justificationem, modò ita necessariò requirantur, ut sine illis æquè parùm, ac sine fide, perficiatur justificatio; quod apertè probant allati textus, & jam verum erit: *non sola fides justificat.* Si dicas, fidem esse *instrumentum* & *manum*, qua apprehenditur justitia, esse *conditionem sine qua non*, esse *relationem*, esse *medium* &c. idem ego dico de bonis operibus propter recitatos & alios similes textus, nec tu differentiam ex Scripturis ostendere poteris. Adde, quòd neque Catholici doceant, hæc opera esse *propriè* & *de condigno* meritoria justificationis primæ, sed esse solùm

lùm *dispositiones* aut *meritum de congruo.*

Quid multis opus est ? Sola S. Jacobi epistola c. 2. litem clarissimè decidit, & in terminis, dum dicit : *ex operibus justificatur homo, & NON EX FIDE TANTUM.* v. 24. *Abraham pater noster nonne EX OPERIBUS justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare ?* v. 21: *Fides cooperabatur operibus illius : & ex operibus fides consummata est.* v. 22. *Et suppleta est Scriptura, dicens : credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad justitiam.* v. 23. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? nunquid poterit fides salvare eum ?* v. 15. *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* v. 17. Cessa S. Apostole, satis est, mactati & occisissimi sunt Adversarii.

114. Excipiunt 1. epistolam S. Jacobi non esse Canonicam. 2. S. Jacobum agere solùm de ostensione & externa manifestatione apud homines, non de vera justificatione coram Deo, quod colligitur ex contextu, quia addit : *Ostende mihi fidem tuam sine operibus ; si fidem quis dicat se habere &c.* 3. Loqui de fide mortua, adeóque non de vera fide justificante. R. ad 1. Quisnam liber sit Canonicus, debet constare ex auctoritate Ecclesiæ, non ex sententia rebellis Apostatæ Lutheri, qui pro libidine & temeritate sua ausus est expungere ex Canone illos libros, qui nimis aperte ipsi adversantur, uti est epistola S. Jacobi. Quamquam passim à Lutheranis hodie recepta sit & citetur. Argentoratenses solemniter eam iterũ reposuisse dicuntur in Canonem, & M. Lomer agnoscit pro Canonica, Gerardus & alii saltem inter Canonicos libros secundi generis numerant. Ad 2. Injuria fit Apostolo, si dicatur disputare præcisè de justitia *apparenti*, & quisnam sit fidelis & justus *apparenter* coram hominibus : loquitur itaque, prout decet Apostolum, de justitia, quæ valet apud Deum, & explicat, quisnam sit verus justus coram Deo, an qui solam fidem, vel qui fidem & opera simul habet, & ex utrisque justificatus est. Quod evidenter patet etiam indè, quia pro exemplo adducit justificationem Abrahæ, quæ utique erat vera, & legitima coram Deo ; & ideo justificatus dicitur Abraham, *quoniam fides cooperabatur operibus illius*, hoc est per fidem & opera simul, seu per opera ex fide in Christum venturum facta. Ad 3. Fides mortua essentialiter adhuc est fides, sicut corpus mortuum essentialiter adhuc est corpus, licèt destituta sit vigore & virtute producendi effectus, quos producit fides viva, hæc enim producit opera DEO grata & viva : ergo locutus est S. Jacobus de vera fide, licèt justificans non sit, si mortua, hoc est, sine operibus sit.

Confirmatur ex PP. Audiamus solos Augustinum & Ambrosium, quos Augustana Confessio pro se citat art. 6, & 20. Ille l. 15. de Trinit. c. 18. ait : *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non prodesse. Etiam dæmones credunt, & contremiscunt.* Et l. de Fide & Oper. c. 15. *Si mandatis non observatis ad vitam venire potest per solam fidem*

fidem, quæ sine operibus mortua est: illud deinde quomodo verum erit, quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicet: ite in ignem æternum &c. nec increpat, quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Alter in 4. ad Hebr. *Magnares fides & salutaris, & sine hac non est salvari possibile. Sed sola fides non sufficit. Operari fidem per dilectionem necessarium est, & conversari dignè DEO.* Addamus & S. Bernardum, quem pariter ad se trahere nituntur Sectarij. Is serm. 24. in Cantica scribit: *Non facit hominem rectum fides, etiam recta, quæ non operatur ex dilectione. Neque opera sine fide, neque fides sine operibus sufficit ad animi rectitudinem.*

Probatur 2, ex ratione. Sicut forma physica naturalis non producitur & unitur subjecto, nisi in hoc præcesserint debitæ dispositiones, v. g. non producitur ignis in ligno, nisi in ligno priùs ponatur calor, siccitas &c. Ita neque connaturaliter producitur justitia tanquam forma supernaturalis in anima, nisi priùs anima disponatur & præparetur per dispositiones congruas & supernaturales, cujusmodi æquè sunt alia opera bona, ac fides. Et utique non decet, ut Deus in amicum recipiat illum, qui propria voluntate ab eo recessit, nisi hac ipsa voluntate retractet peccatum, doleat, speret, diligere incipiat &c.

Prob. 3. ex absurda sequela. Si fides sola justificat, & consequenter sola salvat, exclusis operibus bonis, tunc ingens aperitur porta omnibus sceleribus, & tollitur studium virtutum, frequens usus Sacramentorum, & omnia quæ Deus instituit ad nostram salutem, facilè negliguntur: quis enim multùm erit sollicitus, ut caveat peccata, si ea tam facilè deleantur, scilicet sola fide fiduciali, quæ facilis apparet esse etiam gravissimis peccatoribus, imò etiam hæreticis? quis multùm curabit bona opera, & studebit observare mandata &c. cùm sine illis perficiatur tota justificatio, & salus obtineri possit? Neque dicas cum Gerardo, fidem fiducialem æquè parùm esse posse sine bonis operibus, quàm solem sine radijs, & luce. Nam si ita est, in eodem instanti, quo perficitur justificatio, debent adesse bona opera sicut fides: ergo sine causa negatur ipsis æqualis cum fide influxus in justificatonem, præsertim cùm Scriptura non minùs aliis virtutibus, quàm fidei, tribuat vim justificandi, & quidem tanquam causis moralibus, ut: *remittuntur ei peccata multa, QUIA dilexit multùm.* Luc. 6. *Leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus OPERATUR in nobis.* 2. Cor. 5. Deinde omnino gratis dicitur, fidem non esse posse sine bonis operibus, præsertim cum fides fiducialis juxta Lutheranos excludat necessariò omnia opera, ut nempe excludatur *omnis gloriatio nostra*, & ut *gratis* justificemur.

Confirmatur. Si fides fiducialis justificet, tunc in oratione Dominica rogari Deus non potest, *dimitte nobis debita nostra*: vel enim orans credit, sibi esse remissa peccata, vel non credit? si credit, frustra sibi ea dimitti rogat, utpote jam dimissa, imò orando

peccat, quia committit actum infidelitatis aut diffidentiæ: si non credit, infidelis & injustus est per se.

315 Dicendum 2. Fides ad justificationem necessaria non est illa fides specialis & fiducialis, quam suprà explicavimus in sciendo 2. sed est fides dogmatica, qua præstatur assensus rebus à Deo revelatis. Prob. 1. quia ista fides specialis sine auctoritate & ratione adstruitur. 2. Quia nulli in particulari & absolutè promissum est, quòd ipsi remissa sint peccata: ergo credi non potest absolutè & in particulari. 3. Quia incertum est, an aliquis habeat actum fidei supernaturalis, & credat *ex toto corde*, utì requiritur Act. 8. *Si credis ex toto corde*: juxta Adversarios autem cuilibet est certum, quòd habeat hanc fidem. 4. Quia hæc fides specialis supponeret remissionem peccatorum, & non supponeret; supponeret, quia remissio esset objectum hujus fidei; non supponeret, quia fides saltem naturâ debet præcedere justificationem tanquam *conditio* sine qua non, vel ut *medium*, ut vult Gerardus. 5. Quia Scriptura, dum definit fidem, dicendo, *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, eam refert ad intellectum; nam *argumentum* dicit convictionem intellectûs: fides fiducialis autem spectat ad voluntatem, saltem partialiter. 6. Quia Scriptura fidem distinguit à spe, juxta illud: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Fides autem fiducialis involvit spem; cùm fiducia nihil sit aliud quàm spes roborata. 7. Denique quia, quotiescunque Scriptura loquitur de fide justificante, seu requisita ad justificationem, loquitur de tali fide, quæ est præcisè assensus intellectualis, & quidem non de remissione peccatorum, sed de aliis mysteriis, nec simul est fiducia voluntatis, utì Rom 10. *Corde creditur ad justitiam.* Et postea: *Si corde tuo credideris, quia Deus eum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Act. 8. *Si credis ex toto corde.* Jo. 20. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia JESUS est Christus Filius DEI, & credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Et demũ dum de Abraham dicitur: *credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad justitiam.* Gen. 15. Quid credidit Abraham? Non sibi remissa esse peccata, cùm horum nulla fiat mentio: sed quòd habiturus sit hæredẽ, & ex illo copiosam propaginem, juxta Dei promissum: *Multiplicabo semen tuum* &c. Et ideo *reputatum est illi ad justitiam.* Rom. 4. v. 22.

Solvuntur Objectiones.

316 Ob. 1. Scriptura in multis locis justitiam & salutem adscribit & promittit fidei sine ulla mentione aliorum operum: ergo sola fides justificat & salvat, nec opera alia sunt necessaria. A. P. *Qui credit in Filiũ, habet vitam æternam.* Joan. 3. v. 36. *Ipse justus & justificans eum, qui est ex fide JEsu Christi.* Rom. 3. v. 26. *Ex fide justificat gentes DEUS.* Gal. 3. v. 8. *Quicunque credunt in Christum, accipient remissionem peccatorum.* Act. 10. v. 43. *In Christo omnis, qui credit, justificatur.* Act. 13. v. 39. *Justitia DEI per fidem JESU Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.* Rom. 3. v. 22. *Fides tua te salvam fecit.* Luc 7. v. 50.

R. 1. retorq. argumentum: Scriptura

tura in multis locis adscribit justitiam & salutem alijs operibus, nulla facta mentione fidei. v. g. spei, pœnitentiæ, charitati, utì Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Item 1. Jo. 3. v. 15. *Qui non diligit, manet in morte.* Et mortificationi carnis. Rom. 8. v. 13. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Vide nostram probationem superiùs: ergo fides non est necessaria ad justificationem & salutem. Negabis rectè Cons. quia Scriptura non omnia dicit in uno loco, sed in uno requirit fidem, in alio spem, in tertio charitatem, in quarto pœnitentiam &c. Unde R. 2. D. A. Adscribit & promittit fidei negativè vel præcisivè, hoc est, abstrahendo à bonis operibus, alibi requisitis. C. A. exclusivè, hoc est, excludendo bona opera. N. A. & C. R. 3. Aliter dist. Ant. Adscribit & promittit justitiam & salutem fidei, intelligendo fidem vivam, & practicam. C. Ant. intelligendo fidem mortuam & merè speculativam. N. Ant. & Cons. Fides *viva* est, quæ exit in bona opera, tanquam operationes suas vitales: fides autem non viva utiq; vivificare non potest. Fides *practica* est, quæ non solùm credit revelata à Deo, sed etiam practicè adhibet media, quæ per fidem cognoscit esse necessaria ad justificationem & salutem. Sic explicati textus concordant cum alijs textibus, alia præter fidem opera requirentibus. Hæc responsio potest applicari singulis textibus. Ultimus non facit ad rem, quia denotat curationem miraculosam corporis, non animæ salutem. Urgetur, &

117 Ob. 2. Scriptura etiam positivè excludit opera à justificatione, & quidem in ijs locis, ubi ex instituto & in sede propria tractat de ipso actu justificationis, circa quem actum perpetuò opponit fidem & opera, credere & operari, gratiam & opera: ergo, etiamsi vera fides in justificatis non sit sine bonis operibus, tamen hæc in ipso justificationis actu non concurrunt. Ant. prob. *Arbitramur, hominem justificari per fidem sine operibus Legis,* Rom. 3. v. 28. *Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Rom. 4. v. 5. *Non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem JESU Christi.* Gal. 2. v. 16. Similia habentur Eph. 2. v. 8. Phil. 3. v. 9. Tit. 3. v. 5. Et demum Luc. 8. v. 4. dicitur: *Noli timere, crede tantùm, & salva eris.*

R. 1. Iterum retorq. Scriptura positivè requirit opera simul cum fide, & in propria sede expresè negat, fide sola justificari hominem, utì Jac. 2. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm* &c. R. 2. D. A. excludit opera naturæ, opera solius liberi arbitrij, opera externa tantùm, & Legis Ceremonialis. C. A. opera gratiæ, fidei in Christum, legis moralis, ac supernaturalis, seu opera facta ex fide in Christum & ex gratia DEI. N. A. & C. nam sine his operibus fides est *mortua*, & *nihil prodest*. Jac. 2. & 1. Cor. 13. Opera autem præcisè naturaliter & moraliter bona, solisque naturæ viribus facta, etiam juxta nos nihil prosunt immediatè ad justificationem; opera autem Legis Ceremonialis, utì Circum-

cisio &c. insuper essent noxia. Pro uberiore notitia te monitum volo, Paulum in suis epistolis disputâsse partim contra Gentiles, partim contra Judæos & Pseudo-Apostolos, illi justificari putabant hominem operibus merè naturalibus & moraliter tantùm bonis, isti verò operibus Legis Mosaicæ tam moralis, quàm Cæremonialis. Utrosque errâsse contendit Paulus, & docet, sine fide in Christum, & sine operibus ex gratia factis, adeóque supernaturaliter bonis, neminem justificari & salvari posse, & Abrahamum non fuisse justificatum per opera *sine fide* in Christum venturum facta. Quoniam verò jam tempore Apostolorum quidam non bene intellectis epistolis S. Pauli sentire cœperant, solam fidem sufficere, bonis operibus quibuscunque interim neglectis, alij Apostoli in suis epistolis hunc errorem dedocuerunt, præsertim S. Jacobus. Audiamus de hac re S. Augustinum, qui in l. de fide & operibus c. 14. ita discurrit: *Quoniam hac opinio* (de sufficientia solius fidei) *tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in DEUM creditur, sed eam salubrem, planóque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: & fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Ita S. Augustinus prorsus clarè & divinè. Unde non opus est ad singulos textus in particulari respondere, quia quadrat ubique distinctio data de operum discrimine. Ultimus textus iterum non est ad rem, quia agit de salute corporis, non animæ.

Dices. Illa opera excluduntur, quæ inducerent gloriationem: sed nulla opera excludunt gloriationem, excludit tamen fides, quia dicitur Rom. 3. v. 27. *Exclusa est gloriatio, per quam Legem? factorum? non: sed per per Legem fidei.* Et c. 4. v. 2. *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*: ergo. 2. *Gratiâ salvati estis per fidem, non ex operibus.* Eph. 2. *Si ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Rom. 11. Ergo gratis justificamur & salvamur, non ex operibus bonis. R. Non excluditur ab Apostolo alia gloriatio, quàm illa, quæ oritur ex operibus naturæ, & sine fide & gratia factis; addit enim gloriatio *tua*, hoc est, qua gloriaris in te: si autem gloriamur in operibus non nisi DEI gratiâ factis & ex fide, gloriamur in Domino, quod non est illicitum. Opera non profuissent Abrahæ apud DEUM, si fuissent sine fide; nunc verò quia ex fide processerunt, justificatus est cooperante operibus fide. Jac. 2. Ad 2. est responsio supernè data, quòd scilicet tantùm opera sine gratia nihil valeant, & operibus solius naturæ non justificemur. Cæterùm etiam eatenus justificamur *gratis*, quatenus justificamur sine merito *de condigno*, adeóque ex mera gratia. Non enim meremur

de

de condigno primum gradum gratiæ sanctificantis.

118 Ob. 3. ex PP. S. Hieron. in c. 1. Gal. ait: *Neque à me confinxi, neque ab alio homine accepi, neque à quoquam didici, quòd gentes sola fide salvarentur.* In 2. ad Gal. *Non ex operibus Legis, sola fide, sicut gentes, vitam in Christo invenisse te nôsti.* Pòst: *In sola fide, quia nihil debeo Legi antiquæ.* S. Chrysost. in c. 3. Gal. *Illi dicebant, qui sola fide nititur, execrabilis est: hic verò* (Apostolus) *demonstrat, qui sola fide nititur, eum benedictum esse.* S. Ambr. in c. 3. Rom. *beatos dicit, de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore & aliqua observatione, sola fide justificentur apud Deum.* R. 1. generaliter: Patres, quando videntur tribuere justificationem soli fidei, & excludere opera, loqui semper vel de operibus sine fide in Christum, vel sine gratia supernaturali factis, adeóque de operibus, præcisè naturalibus: vel de operibus Antiquæ Legi proprijs, utì erat Circumcisio, observatio Sabbathi: vel de operibus propriè meritorijs: vel de fide viva: vel de fide Catholica, utì palàm fit inspicientibus eorum libros. R. 2. specialiter: primi duo textus, quos allegat Wolf. Jäger de Eccles. contr. 8, non reperiuntur in S. Hieron. Deinde, si reperirentur, primus esset pro nobis, ut patet intelligenti terminos, alter tantùm excluderet opera Legi Mosaicæ propria, quia addit: *Nihil debeo Legi Antiquæ.* S. Chrysost. non excludit opera simpliciter, quippe inferiùs in verba Pauli, *qui fecerit hæc, vivet in eis*, sic commentatur: *non tantùm fidem requirit Lex, sed opera quoque, gratia verò justificat* (nimirum gratia justificat formaliter, fides & opera dispositivè) sed solùm excludit opera Legis Mosaicæ, quà talis, & sine fide in Christum facta. S. Ambros. quem citat larvatus quidam Scriptor, ficto nomine Orallector, non habet illa verba loco citato. Dein etsi haberet, solùm excluderet opera Veteri Legi propria: ibidem enim dicit, quòd *homo gentilis justificetur credens, nulla faciens opera Legis, id est sine circumcisione, aut Neomenijs, aut veneratione Sabbathi* &c. Si præter *fidem in Christum* nihil aliud requireretur ad justificandum gentilem, is neque baptizari deberet; quod utique non admittent Adversarij. Hæc S. Ambrosij interpretatio est eò magis notanda, quia hìc explicat præcipuum, quo Adversarij nituntur, textum S. Pauli Rom. 3. dicentis: *Arbitramur hominem justificari fide sine operibus Legis.*

Urget idem Orallector ex Jure Canon. Canone charitas est aqua 14. de Pœnit. dist. 2. ex S. Aug. dicitur: *Fidei soli venia peccatorum promittitur, & fide sola peccata relaxantur.* R. Orallector fallitur & fallit more suo; fallitur, quia verba priora iterum non reperiuntur loc. cit. fallit, quia posteriora verba, *fide sola peccata relaxantur*, reperiuntur quidem; at nequiter dissimulatur, qualem fidem intelligat S. Augustinus, nempe *Christianorum, quæ operatur per dilectionem*, ibidem enim ait: *in Christum credit, qui charitatem habet in Christum, quippe credere est a-*

mando in ipsum tendere. Occasione hujus

119 Quæres, quis sit Wolf. Jägerus, & Orallector, quorum mentio primùm est facta, & quid de utroque sentiendum? R. prior est Univers. Tubing. Cancellarius, odio in Romanum Pontificem flagrans, ut ex geminis, quæ ad manus meas pervenere, lucubrationibus ejus manifestum est; in una enim, in qua se profitetur defensurum *jura Imperatoris in Comachium*, fere perpetuò criminatur Papam Clementem XI. nec solùm abludit à scopo suo, quem non persequitur, sed etiam seditioso prorsus calamo Cæsarem contra Pontificem irritare, & bella ciere non cessat, vel in hoc etiam gravissimè injurius in piissimæ memoriæ Cæsarem Josephum, qui longè fuit reverentior erga Sedem Apostolicam, quàm sibi finxit, & voluit Jägerus. In altera, quam *de Ecclesia* inscripsit, pariter fugillat Papam hinc indè, præsertim Controv. 6. ubi eum non modò Antichristum vocat, verùm etiam tyrannum esse, & ita vocari posse contendit salvâ Pace Monasteriensi. Priorem partum nec Lutherani laudaverint, quia ferè nihil dicit ad rem. Posterior nihil omnino soliditatis habet, & à me abunde refutatum invenies tum *in pugna Decretoria de vera Christi Ecclesia*, tum *in Papatu nunquam errante*, tum etiam in hac ultima mea lucubratione de Ecclesia. Quod spectat ad alterum, qui hoc anno *Orallector*, priore *Horallector* audiit, & haud dubiè idem est, qui *Monrgallus*; noveris, me non legisse ullum ex Lutheranis, qui minus habeat rei, plus autem clamoris & ignorantiæ de sententijs Catholicorum, totiésque erret in suppositio, ac iste thrasonicus æquè & histrionicus Scriptor larvatus. *Thrasonicus*, inquam, & *Histrionicus*, nimirum ob styli impudentiam, verborum luxuriam, exuberantem dicacitatem, ludicros idiotismos, fictionem & variationem nominis &c.

Ex dictis patet, quàm immane flagitium & crimen falsi commiserit Lutherus, dum in suis Biblijs Germanicis illud Rom. 3. v. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus Legis*, ita vertit: Allein durch den Glauben / dolosè intrudens *solam*, Allein. Frustra quoque Prædicantes hanc fraudem excusare moliuntur, dicendo, idem in re esse *fidem sine operibus Legis*, & *fidem solam*, & Lutherum non verba, sed sensum spectâsse. Nam falsum est, harum propositionum esse eundem sensum: *Fides sine operibus Legis justificat*, & *sola fides justificat*: Posterior enim excludit omnia similiter opera: prior autem tantùm opera & cæremonias Legis Mosaicæ. Sicut nec istæ eundem sensum habent: *Justificatur homo per solam fidem*, & *homo justificatur tantùm per fidem*. Nam prior dicit, nihil aliud præter fidem requiri, posterior, sine fide non obtineri justitiam, quamvis præter fidem adhuc alia requiri possint. Adde quòd Versoris non sit aliquid addere vel demere; etiamsi putet spectare ad sensum.

§. III.

§. III.

An & quomodo possit homo esse certus de justitia sua, & salute?

120 SCiendum 1. Aliam esse certitudinem fidei, aliam esse certitudinem evidentiæ. Illa est circa veritatem fidei obscuram quidem, orta tamen ex motivo infallibili infallibiliter cognito. Ista est circa rem claram ac manifestam, & est triplex, nempe moralis, physica, & metaphysica. *Moralis est*, quando quidem absolutè res aliter se habere posset etiam sine miraculo, prudentem tamen formidinem de oppositò excludit. *Physica*, quando res naturaliter se non potest aliter habere, & quæ excludit omnem formidinem de oppositò, nisi fortè contingat miraculum. *Metaphysica*, quando res nec divinitus se aliter habere potest, & excluditur prorsus omnis formido absolutè. Aliqui addunt certitudinem *conjecturalem*, quæ minor est, quàm moralis, & tantùm ex conjecturis magni momenti oritur.

121 Sc. 2. Sectarios nostros, tam Lutheranos, quàm Calvinistas, docere, quòd homo renatus & fidelis possit, imò debeat, esse certus certitudine fidei absolutâ & prorsus indubitatâ, quòd sibi remissa sint peccata, & quòd salvandus sit, adeòque de sua justitia, perseverantia in ea, & consequenter etiam de salute, scilicet per fidem illam specialem, qua quis credit, sibi in particulari esse remissa peccata, & promissam salutem à Deo propter merita Christi. Contra spuriam hanc & stultam certitudinem, ac fraudulentam præsumptionem, qua velut dulci veneno suorum animas suaviter perimunt Prædicantes,

Dicendum 1. Nullus debet, aut 122
potest esse certus absolutè, & certitudine fidei, quòd sit justus, seu in statu gratiæ, secluſa revelatione speciali. Prob. 1. Nihil potest *absolutè* credi fide Divina & certa, quòd non est *absolutè* revelatum: sed nulli est *absolutè* revelatum, quòd sit justus: ergo. Ma. est clara. Min. Prob. tum *negativè*, quia Lutherani non possunt adducere ullum textum ex tota Scriptura, in quo alicui sit absolutè & sine ulla conditione fidei, pœnitentiæ, charitatis &c. promissa justitia; tum *positivè*, afferendo textus, in quibus promittur justitia sub certis tantùm conditionibus: *Si conversi in corde suo egerint pœnitentiam, & reversi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, tu dimittes populo tuo* &c. 2. Paral. 6. v. 36. seqq. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Jo. 14. &c.

Prob. 2. Nihil potest *in particulari* & fide speciali credi tanquam certum, quod nulli *in particulari* est revelatum: sed nulli *in particulari* est revelatum, quòd sit justus: ergo. Ma. est iterum evidens penetranti termi-

nos,

nos. Min. Prob. provocando Adversarios, ut ostendant vel unicum textum, in quo alicui ex Lutheranis vel Calviniſtis in particulari revelatum ſit, quòd ſit juſtus. Siquidem omnes promiſſiones & revelationes ſunt tantùm generales, ſicuti ſunt conditionatæ, ut patet ex citatis paulò antè duobus textibus, cujusmodi ſunt cæteri omnes. Dixi tamen in aſſertione: *ſecluſa ſpeciali revelatione*; nam nos Catholici, qui admittimus etiam revelationes non ſcriptas, fatemur, poſſe alicui à Deo ſpecialiter revelari, quòd ſit juſtus, & futurus ſalvus; utì defacto quibusdam inſigniter Sanctis contigiſſe hanc gratiam extraordinariam legimus.

Prob. 3. Sectarij fatentur, neminem poſſe eſſe juſtum, niſi per fidem veram, vivam, Divinam, & ſupernaturalem: atqui nemo poteſt eſſe certus certitudine fidei, utrùm habeat fidem, his conditionibus affectam: ergo. Min prob. Fides illa ſpecialis, ut ſit *vera*, debet eſſe firma, ſine hæſitatione, & *ex toto corde* Act. 8. atqui Sectarij ſæpe non habent, imò nec habere poſſunt fidem tam firmam, tam perfectam, & *ex toto corde*, in hac carnis infirmitate, ut partim fatentur expreſsè apud Gerard. de Juſtif. §. 81. partim ſequitur indè, quia præceptum fidei non poteſt perfectè impleri juxta ipſos. Ut fides ſit *viva*, debet operari per charitatem, hoc eſt, debet eſſe conjuncta bonis operibus: ſed eſt valde incertum ipſis, utrùm habeant vera opera bona, imò impoſſibile, cùm alibi doceant, omnia opera eſſe peccata propter imperfectionem, quam ſemper habent admixtam. Utrùm denique fides ſit *Divina & ſupernaturalis*, vel ſolùm humana & naturalis, ſciri metaphyſicè nequaquam poteſt.

Dices. Qui credit, ſcit ſe credere, & qui habet Contritionem, ſcit ſe eam habere: ergo experimentaliter certus eſt, quòd habeat veram fidem, & conditionem requiſitam impleverit: ergo fide ſpeciali poteſt & debet credere ſe eſſe juſtum. Et quamvis fides infirma ſit & imperfecta, tamen fides eſt, conſequenter juſtificat. R. 1. retorq. arg. qui orat, experimentaliter eſt certus, quòd oret, & oratio, licèt imperfecta ſit, tamen eſt oratio: ergo certus eſt de impetratione beneficij illius, quod petit in particulari, quia Chriſtus generaliter promiſit: *omnis, qui petit, accipit.* Mat. 7. R. 2. Etiamſi ſcire quis poſſit experimentaliter, ſe habere aliquam fidem, vel contritionem, experimentaliter tamen ſcire non poteſt, an habeat fidem ſupernaturalem, conſequenter veram & Divinam; cùm ſupernaturalitas non poſſit cadere ſub experientiam potentiæ naturalis; nec ipſa gratia ſupernaturalis, ſine qua nullus poteſt elici actus fidei Divinæ & ſupernaturalis, experimentaliter cognoſci queat. Adeóque obſcurum, nec abſolutè certum ordinariè eſt credentibus, utrùm credant fide vera, Divina, & ſupernaturali.

Prob. 4. ex Scriptura, quæ claris textibus indicat, hominem neſcire, an ſit juſtus nec ne, utì Prov. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Pſal. 18.

18. v. 13. *Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me.* 1. Cor. 4. v. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Eccl. 9. v. 1. *Sunt justi atque sapientes &c. & tamen nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit.*

123 Dicendum 2. Nullus debet aut potest esse absolutè certus certitudine fidei, quòd sit salvandus. Prob. ijsdem tribus argumentis, cum proportione applicatis, quibus stabilita est assertio præcedens. Specialiter adhuc prob. 1. ex Scriptura, quæ jubet nos semper esse sollicitos : *cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Phil. 2. v. 12. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Rom. 11. v. 20. 2. Exemplis Virorum sanctorum, qui semper erant solliciti pro sua salute, uti David, Paulus &c. 3. Quia incertum est, an quis in obtenta semel justitia sit perseveraturus usque ad finem, an eâ iterum amissâ acturus sit rursus pœnitentiam, an non subitò in peccatis opprimendus morte sine elicito actu fidei &c. 4. Quia hæc spuria certitudo de salute facit homines insolentes, præfidentes, & ad omnem laxitatem ac vitia inducit, utpote certos de salute, modò firmiter credant se salvandos, etiamsi interim peccata cumulent peccatis. 5. Quia nullus est certus certitudine fidei, quòd sit baptizatus : sed sine Baptismo nulla est salus.

124 His tamen non obstantibus Catholici dicunt, hominem posse obtinere certitudinem conjecturalem, vel etiam moralem, de sua justitia præsente, & futura salute, ita ut propriè dubitare de ea non semper debeat, ut Sectarij obganniunt identidem ; nam propriè *dubitare* est, quando neutri parti præbetur assensus propter defectum sufficientium motivorum : sed qui moralem diligentiam aut extraordinariam adhibet, ut faciat ea, quibus justitia & salus promissa est, habet rationes magnas vel moraliter etiam certas judicandi, se esse justum, &, si ita perrexerit, etiam fore salvum. Absolutam autem certitudinem spes non patitur, quia promissiones sunt factæ sub conditione nostrorum operum, non absolutè.

Objiciunt. *Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd simus Filij Dei.* Rom. 8. v. 16. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* Jo. 5. Deinde pij motus animæ satis indicant inhabitantem Spiritum S. 125. licèt testimonium internum Spiritûs S. sit certum in se, non tamen est certum quoad nos ; quia Sathanas potest se transfigurare in Angelum lucis ; possumus impelli à natura, à sensualitate &c. Alter textus & plerique alij tantùm indicant 1. vel certitudinem præcisè moralem, vel conjecturalem, uti etiam pij motus, quos etiam experiuntur subinde peccatores. 2. Vel supponunt specialem revelationem. 3. Vel supponunt, conditiones ab homine esse impletas &c.

CONTROVERSIA PARTICULARIS II.

De Justis & Sanctis alterius vitæ.

QUinque animarum receptacula post hanc vitam agnoscunt Catholici. 1. Est *Infernus*, quo nomine simpliciter prolato ordinariè intelligitur locus damnatorum, in quo æternas & dirissimas pœnas sustinere debent decedentes cum uno vel pluribus peccatis mortalibus. 2. *Purgatorium*, in quo animæ purgantur & puniuntur temporaliter, quæ decedunt cum uno vel pluribus peccatis venialibus, vel pœnam ex dimissis quoad culpam mortalibus adhuc residuam in hac vita nondum exsolverunt. 3. *Limbus puerorum*, in quo cœli gaudiis æternum exclusi collocantur illi, qui sine Baptismo decedunt, nullo tamen peccato mortali personali se inquinârunt. 4. *Limbus Puerorum*, quò olim ante Christi adventum devenerunt Patriarchæ & alii homines sancti, ac in statu gratiæ decedentes, saltem postquam in Purgatorio, siquid eluendum ipsis adhuc adhæsit, perfectè ab omni culpæ & pœnæ reatu liberati sunt. 5. Denique est *Cœlum*, in quod animæ Sanctorum, vel in hac vel in altera vita plenè ab omni inquinamento purgatæ, admittuntur, ut ibi Deo, & perfecta felicitate fruantur in omnem æternitatem. Ex his quinque receptaculis prima quatuor juxta communem sunt in terræ sinu, ac ideo etiam subinde *infernus*, & eorum inquilini dicuntur *inferi*, quamvis ordinariè infernus appelletur solus locus dæmonum, & hominum æternis pœnis tam *sensûs* quàm *damni* adjudicatorum, qui locus est infimus & in centro terræ esse putatur, cui proximus est Purgatorium, dein Limbus infantûm, denique Limbus Patrum, qui hodie translatis in cœlum Patribus vacuus est. Præcipuè nobis lis est cum Sectariis de Purgatorio, & cœli incolis, utpote qui alium præter cœlum & infernum pro animabus alterius vitæ locum non admittunt.

ARTICULUS I.

De Justis in altera vita adhuc purgandis.

SUMMARIUM.

1. *Purgatorij nomine intelligitur locus, in quo anima justa defunctorum purgantur ad aliquod tempus igne vel alijs pœnis.*

2. Et

2. *Et in hoc sensu, utrùm existat, quæritur.*
3. *Catholici affirmant, & solidè probant.*
4. *Lutherani negant, quamvis pro defunctis rectè fundi preces concedant.*
5. *Pro se nequicquam adducunt Scripturam.*
6. *Quando morientibus cum peccato veniali remittatur illud quoad culpam.*
7. *Potest manere reatus pœnæ post culpam dimissam.*
8. *Satisfactionibus & meritis Christi nihil demitur per assertionem Purgatorij.*
9. *Non est paritas Sacramenti Pœnitentiæ essentialiter sumptæ cum Baptismo.*
10. *Neque tolluntur peccata venialia & reatus pœnæ per mortem, aut per fidem actualem morientium, aut per non-imputationem.*
11. *Quid Græci Patres, & ex Latinis S. August. senserint de Purgatorio.*
12. *Quid sint pia suffragia, quibus contra Hæreticos*
13. *Juvari à vivis animas Purgantes docent Catholici.*
14. *Quo sensu orent, ne animas defunctorum absorbeat tartarus, aut ne pœnas inferni sustineant.*
15. *Quamvis Deus non puniat unum pro altero, tamen acceptat preces unius pro altero.*

§. I.

An existat Purgatorium?

1. SCiendum 1. *Purgatorij* nomine intelligi locum, in quo animæ justæ defunctorum purgari debent igne vel alijs pœnis, donec ab omni culpæ & pœnæ reatu penitus emundatæ valeant cœlum ingredi. Existere talem locum, tanquam fide Divina certum docent Catholici, Sectarij verò moderni cum Waldensibus & Albigensibus eum pertinacissimè negant, & petulantissimè irrident tanquam figmentum avarorum Sacerdotum, ex Missis funeralibus lucrum captantium. Lutherus illorum coryphæus modò cum ipsis, modò cum Catholicis sentit; nam in Disput. Lipsi. 8. Julij 1519. habita ait: *Credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatorium esse: facilè persuadeor, in Scriptura de eo fieri mentionem &c. Ego nihil de Purgatorio novi, nisi animas ibi pati, nostris operibus & orationibus juvandas.*

2. Sc. 2. Quæstionem præcisè in hoc versari: utrùm detur locus, in quo aliquæ animæ justorum post hanc vitam pœnas aliquas per aliquod tempus sustinere debeant, & sic purgari ab omni sibi adhuc adhærente macula, donec plenè purgentur, & aptæ fiant ad visionem DEI in cœlis. Unde quæstio non est 1. de modo, quo torquentur animæ,

mæ, an scilicet igne materiali, ut plerique sentiunt, an aquâ, an frigore, an à dœmonibus, quàm atrociter, an omnes eodem tormenti genere &c. 2. Neque de loco, an scilicet omnes torqueantur infra terram, an in aliquo carcere simul congregatæ &c. 3. Neque de tempore, quamdiu scilicet pro quolibet peccato luendum sit. 4. Neque de personis, an omnes debeant transire Purgatorium, quænam determinatè ibi hæreant &c. Quia de his nihil revelatum, nihil definitum esse, Catholici fatentur: sed solùm ejusmodi locum existere, in quo saltem quibusdam per aliquod tempus irrogantur pœnæ pro ratione delicti, & reatûs pœnæ nondum solutæ, contendimus.

3. Dicendum. Existit Purgatorium in sensu explicato. Probatur 1. ex Scriptura ritè intellecta, & explicata à Patribus & Pastoribus Ecclesiæ. Quamvis enim nullibi clarè affirmet Purgatorium, nullibi tamen illud negat, & insuper tales continet textus, ex quibus optimâ & pronâ consequentiâ deducitur Purgatorium. Cujusmodi sunt 1. *Esto consentiens Adversario tuo citò, dum es in via* (in hac vita) *cum eo, ne fortè &c. in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas novissimum quadrantem.* Mat. 5. v. 25. 26. ergo in altera vita (nam de hujus pœnis sermonem esse præcedentia ostendunt) est locus pœnæ, ex quo datur liberatio, postquam pro peccatis levibus (*quadrante novissimo*) fuerit satisfactum. Neque dicas, sermonem ibi esse de odio ante mortem non deposito, & implacabili; nam non omne odium est grave peccatum, & pœnâ æternâ dignum, in quo quis decedit. 2. *Qui dixerit verbum contra Spiritum S. non remittentur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Mat. 12. v. 32. ergo dantur peccata aliqua, quæ etiam in altera vita remittuntur: sed peccata æternam pœnam promerentia non remittuntur in altera vita: ergo promerentia pœnam temporalem, quæ solvitur in Purgatorio, 3. *Quem Deus suscitavit ex mortuis, solutis doloribus inferni.* Act. 2. v. 24. ergo Christus resurgens aliquos liberavit ex Purgatorio; nam Patres in Limbo non cruciabantur *doloribus*, à doloribus autem Inferni propriè dicti nulla datur redemptio. 4. *Ut in Nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum.* Phil. 2. sed damnati non venerantur Nomen JESU: ergo alii inferi, nempe in Purgatorio existentes. 5. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit: si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* 1. Cor. 3. Quem locum S. August. 50. homiliarum homil. 16. de Purgatorio intelligit, per quem propter venialia peccata transeundum, sed, *quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora*, ait. Similia habent alii PP. tum Latini, ut Ambros. Hieron. Greg. tum Græci, ut Origenes, Oecumenius, Basil. Athanas. Theodoretus &c.

Confirmatur ex Veteri Testamento; nam 2. Machab. 12. legitur, quòd Judas Machabæus miserit in Jerusalem 12. millia drachmarum argenti, in Sacrifi-

cia

cia pro mortuis & occisis militibus expendenda. Cui narrationi subjungit sacer Historicus hanc notatu dignissimam sententiam: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro Defunctis orare, ut à peccatis solvantur.* Ergo potest homo piè & sanctè mori (hi enim mortui sunt pro Religione, & *cum pietate dormitionem acceperunt*) & tamen habere debitum aliquod solvendum, in quo juvari potest Sacrificiis & orationibus vivorum. Neque dicas, libros Machabæorum non esse Canonicos; nam id falsum esse docuimus in *Lutheranismo constanter errante* & suprà de Script. S. Dein ipsi Lutherani eos ponunt in Codice Bibliorum, & rectè legi in Ecclesiis aiunt saltem *ad morum ædificationē*: ergo sacrificare pro Defunctis, ut à peccatis solvantur, saltem est conforme bonis moribus.

Prob. 2. Dantur peccata ex natura sua venialia, ut ostendimus pag. 430. ergo datur Purgatorium; posito enim, quòd aliquis decedat cum uno vel pluribus peccatis venialibus, is utique non potest æternùm damnari & separari à Deo, tanquam adhuc amicus Dei: neque statim aptus est recipi in cœlum, quia maculatus est; *nihil enim coinquinatum introibit in cœlum.* Apoc. 21. ergo deveniet ad Purgatorium, in quo eluenda est macula.

Prob. 3. Quando remittitur peccatum, præsertim mortale, quoad reatum culpæ, non semper remittitur tota pœna, sed sæpe remanet aliquis reatus pœnæ temporalis sustinendæ: atqui hæc pœna subinde non sustinetur in hac vita; cùm sæpe fiat pœnitentia primùm in agone de gravissimis peccatis: ergo debet sustineri in altera vita: ergo ibi debet dari locus, in quo hujusmodi animæ purgentur, quem nos dicimus *Purgatorium.* M. prob. exemplô Adami, qui à culpa absolutus audire debuit: *Maledicta terra in opere tuo. In sudore vultûs tui vescēris pane* &c. Item Davidis, cui post dimissum peccatum adulterii Propheta dictavit pœnam aliquam, scilicet futuram infantis mortem. 2. Reg. 22. Rursus exemplô populi Israëlitici murmurantis in deserto, de quo dicitur Num. 14. *Dimisi peccatum populi: attamen nullus videbit terram* &c. Demum exemplô justorum, qui, quamvis veram pœnitentiam egerint, tamen sæpe graves afflictiones corporis & animi pati debent, à Deo sibi immissas, & puniuntur vel in corpore, vel in fortunis, vel in filijs &c. Nihil dicam de infantibus, qui post Baptismum liberi ab omni peccato subjacent adhuc varijs morbis, doloribus &c.

Prob. 4. Pro Defunctis rectè funduntur preces, offeruntur Sacrificia, & opera bona peraguntur ad obtinendam illis requiem &c. ut docebimus §. sequenti: ergo debet dari Purgatorium, seu tertius quidam locus præter cœlum & infernum; nam ij, qui sunt in cœlo, non indigent hujusmodi vivorum suffragijs, illi autem, qui sunt in inferno non sunt capaces ullius auxilii, quietis, & liberationis.

M. Lomer p. 236. Saur. Brunen. Cur cum Gerardo & aliis negat consequentiam; quamvis enim non improbet orationem pro Defunctis, dicit tamen, per eam nihil aliud orari 4.

& optari Defunctis, quàm 1. clementem judicem in die extremi Judicii. 2. perfectiorem sensum beatitudinis. 3. augmentum gloriæ. 4. tranquillam corporum quietem in terra. 5. gloriosam olim resurrectionem & unionem cum corporibus. Sed contrà est: per secundum & tertium contradicit sibi, & alijs Lutheranorum principijs, qui docent, per solam fidem, & non per orationes &c. obtineri beatitudinem & gloriam, nostraque opera esse tam imperfecta, ut nullum gloriæ gradum nobis, multò minùs alijs impetrare possimus, & solus Christus omnia nobis impetraverit, in cujus præjudicium & injuriam cederet, si nostris precibus perfectiorem beatitudinem & augmentum gloriæ impetrandi vim tribueremus. Dein cur M. Lomer non etiam orat pro S. Petro & alijs Apostolis, ut ipsis obtineat perfectiorem sensum beatitudinis & augmentum gloriæ, si id obtineri possit? Reliqua tria, præcipuè primum, pro quibus orari dicit, dum preces funduntur pro Defunctis, independenter à nostris precibus certò evenient animabus justorum: ergo frustra petuntur nostris precibus: ne igitur frustra fiant preces pro Defunctis, debent hæ ipsis prodesse ad celeriorem liberationem ex Purgatorio, vel ad mitigandas pœnas. Replicat M. Lomer, ac dicit, etiam pro alijs rebus nos orare, etiamsi sciamus, eas independenter à nostris precibus certò evenire, uti dum oramus, *ut fiat voluntas Dei* &c. Sed contrà: quando rogamus, ut fiat voluntas Dei, rogamus gratiam, ut rejecta voluntate propria, qua nobis nihil est damnosius, utpote ad malum pronâ, exequamur in omnibus voluntatem Divinam, eique tam in adversis quàm prosperis semper acquiescamus: quod utique non certò cognoscimus independenter à nostris precibus futurum.

Ob. 1. Scriptura S. 1. tantùm duorum locorum alterius vitæ meminit, in quorum alterutro anima, semel posita, in æternum manebit, scilicet cœli & inferni: ergo tertius locus, nempe Purgatorius, non datur. Ant. P. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccl. 11. Item Rom. 8. *Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo.* 2. Dicit, eos, qui in Domino, hoc est, in statu gratiæ moriuntur, statim & sine mora pervenire ad quietem, & in cœlum: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Apoc. 14. 3. Peccata remitti perfectè, ita ut etiam pœna simul omnis cum culpa remittatur: *Cùm conversus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor* Ezech. 16. *Hodie mecum eris in Paradiso*, dixit Christus ad latronem Luc. 23. Et quis credat, Deum tam severè & immaniter punire eos, quos in amicos filiósque recepit, & in quibus nihil culpæ reperitur ampliùs? 4. Ne nomen quidem Purgatorij in tota Scriptura occurrit: ergo non potest esse articulus fidei, dari Purgatorium.

R. ad 1. N. Ant. Ratio negandi patet

tet ex probatione nostra 1. Dein, quando Scriptura solùm duo videtur animarum post hanc vitam receptacula adstruere, loquitur de receptaculis æternùm duraturis, & post extremi judicij diem, ubi Purgatorium cessabit, & animæ justorum corporibus reunitæ erunt in cœlo, impiorum in inferno. Textus, qui est Achilles Adversariorum, prorsus non favet ipsis, tum quia est metaphoricus; ex metaphoris autem juxta ipsos non possunt duci firma argumenta ad probandum vel negandum fidei dogma: tum quia per lignum màplurimis intelligitur corpus Defuncti, quod utique manet ibi, ubi cadit, nec per se resurgere & se movere potest: tum quia, etiamsi per lignum intelligas animam, per Austrum tamen non cœlum, sed status gratiæ, & per Aquilonem status peccati mortalis intelligitur: quo pacto rectè dicitur anima in æternum mansura in eo statu, in quo migrârit ex corpore: adeóque & animæ purgantes, quia migrârunt in statu gratiæ, semper persistent in hoc statu, licèt mutandus sit locus. Ad 2. Statim quidem perveniunt ad quietem ab ærumnis hujus vitæ, non tamen omnes statim ad cœlum, & ad quietem ab omni supplicio alterius vitæ, nisi sint viri perfecti, & vel per pias satisfactiones, opera bona, & actus heroicos, vel per indulgentias, vel per calamitates patienter toleratas &c. perfectè purgati fuerint in hac vita: qui soli simpliciter *in Domino* mori censendi sunt. Illud *amodo* referendum est ad extremi judicij diem, de quo ibi agit S. Joannes, non ad tempus mortis, nisi in hac vita jam penitus purgati sint. Ad 3. N. assert. Deus non recordatur quidem iniquitatum quoad aversionem & pœnam æternam, quam remittit recipiendo in amicũ; recordatur tamen justè quoad pœnam temporalem, quam dictare vult ijs, quibus pœnã æternam cum culpa gratis remisit, nisi extraordinaria pœnitentia &c. ipsum moveat ad omnem pœnam simul cum culpa condonandam. Et hinc, quamvis in justis nihil sit damnationis æternæ, sæpe tamen aliquid damnationis, & pœnæ temporalis ipsis inest. Latronis in cruce fuit extraordinaria pœnitentia, & in illis circumstantijs valde ardua. Deinde potuit speciali privilegio Christi, qui actu operabatur fuso sanguine redemptionem nostram, absolvi ab omni pœna temporali in Purgatorio aliàs sustinenda. Demum ex his verbis, *hodie mecum eris in Paradiso*, non eruitur, Latronem non devenisse in Purgatorium; potuisset enim per modicum tempus ibi torqueri, & intensione pœnarum suppleri extensio temporis. Nec mirabere, Deum tam severè punire amicos, si peccati, etiam venialis tantùm, gravitatem, ac simul Majestatem Dei consideres, quæ, quamvis ex infinita misericordia facilè recipiat in gratiam, ne homines desperent, non tam facilè tamen debet remittere omnem pœnam, ne vilipendatur, & homo ad peccandum quasi provocetur. Ut igitur Majestati Divinæ sua constet reverentia, & homo magis retrahatur à peccando, decet peccata etiam in justis severè puniri in altera vita, ubi locus est Justitiæ, si isti non prævenjant vindicando in se ipsis in hac vita, ubi locus est Miseri-

cor-

cordiæ. Ad 4. Quamvis nomen Purgatorij non occurrat in Scripturis ; modò res ipsa contineatur, vel indè per bonam consequentiam deducatur, sufficit ad fidei dogma : sic Lutherani credunt, parvulos rectè baptizari, quamvis Scriptura nullam mentionem faciat parvulorum, dum præscribit Baptismum. Cæterùm juxta Catholicorum principia non opus est omnia nobis in particulari revelari in Scripturis ; cùm paris auctoritatis esse agnoscant Traditiones Divinas & Apostolicas.

6. Ob. 2. Si aliquæ animæ venirent ad Purgatorium, tunc eò venirent, quæ cum peccatis venialibus migrant ex hac vita, vel quibus omne quidem peccatum quoad culpam dimissum est, non tamen quoad omnem pœnam : sed neutræ illuc deveniunt : ergo nullæ. M. est Catholicorum m. quoad primum membrum probatur, quia in altera vita nullum remittitur peccatum, tum quia ibi sumus in termino, tum quia nullum peccatum remittitur sine pœnitentia : in altera autem vita non est locus pœnitentiæ. Quoad alterum membrum probatur 1. Pœna est propter culpam : ergo ubi nulla supereſt culpa, nec infligi potest pœna. 2. Qui exigit pœnam pro peccato remisso, exigit solutionem debiti jam remissi : hoc foret iniquum. 3. Reatus culpæ & reatus pœnæ non distinguuntur realiter : ergo sublato illo auferetur & iste. 4. Post hanc vitam nihil ampliùs mereri possumus : ergo neque satisfacere pro pœnis residuis : ergo qui cum reatu pœnæ transit ad alteram vitam, nunquam ab eo liberabitur, sed sustinere debebit pœnam æternam : ergo nullæ animæ temporaliter puniuntur in altera vita.

R. C. M. N. m. Ad probationem primi membri dico, peccata venialia quoad culpam remitti vel in ipso egressu animæ justæ : vel statim post egressum, quia talis anima (quamvis non meritoriè) haud dubiè retractat omnia peccata vel dolendo formaliter, vel DEUM diligendo super omnia, qui actus dilectionis, utpote contrarius peccatis, est pœnitentia virtualis ; adeóque remissioni peccatorum venialium nec obest, quòd animæ non ampliùs sint in statu viæ. Adde, quòd animæ purgantes aliquo modo adhuc sint in via, cùm nondum perfectè sint in termino, seu in æterna beatitudine. Ad 1. probationem secundi membri D. A. pœna est propter culpam, hoc est, infligitur propter culpam præviam, ad quam pœna est aliquid consequens C. A. pœna est propter culpam, hoc est, non potest infligi nisi adhuc habitualiter perseveret culpa. N. A. & C. Ad 2. N. A. Nam in peccato est duplex debitum, seu duplex reatus, culpæ & pœnæ : utique potest debitum seu obligatio ad aversionem remitti recipiendo in gratiam, ea tamen lege, ut is, qui recipitur in gratiam, sustineat aliquam pœnam leviorem, quam fuerat promeritus. Sic Judex humanus potest graviter delinquentem civem iterum recipere in gratiam, & tam vitâ quàm civitate donare, ea tamen conditione, ut v. g. per annum exulet, vel in carcere pane & aqua vitam transigat ad certum tempus. Cur id Deus non possit ? quòd autem sic

faciat,

faciat, suprà probavimus. Ad 3. aliqui absolutè negant Ant. alij absolutè concedunt, & dicunt, quando peccatum mortale remittitur quoad culpam mortalem, remanere sæpe aliquam culpam æquivalenter venialem, & propter hunc reatum culpæ venialis remanere reatum pœnæ temporalis. Alij distinguunt inter reatum pœnæ remotum & radicalem, atque inter proximum & formalem. Reatus pœnæ remotus identificatur cum reatu culpæ (aiunt) proximus verò inadæquatè ab illo distinguitur; quia pro parte dicit negationem remissionis aut persolutionis pœnæ: quæ negatio sæpe datur etiam dimisso reatu culpæ, & sublato reatu pœnæ remoto, radicali, & conditionato. Loquere, prout vis, cum hac aut alia parte; quia nihil decisum est. Ad 4. C. Ant. N. Conf. nam ad merendum & demerendum requiritur libertas & status viæ, seu præsentis vitæ, juxta communem Patrum & Theologorum: neutrum probatur requiri ad satisfaciendum; & inter homines etiam satisfacit alteri, etiamsi invius quis debitum solvat, vel etiam in carcerem detrusus luat illatam injuriam. Aut, si putes, hanc satisfactionem non esse propriè talem, quia libera & meritoria non est, vocare mea pace poteris *satispassionem*, & dic, animas in Purgatorio *satispati* potiùs, quàm *satisfacere* Divinæ Justitiæ.

8. Ob. 3. Merita & satisfactiones Christi, utpote infiniti valoris, abunde sufficiunt sicut ad tollendam culpam, ita & longè magis etiam ad tollendam omnem pœnam: ergo. 2. Si nos debemus satisfacere pro pœna temporali per opera bona in hac vita, & satispati in Purgatorio, minuitur honor Christi, & secundùm quid nos sumus Redemptores nostri: hoc sine absurdo admitti non potest. R. ad 1. Dist. Ant. sufficiunt in se, & in actu 1. C. Ant. quoad nos, & in actu 2. subdist. si nobis applicemus C. secùs N. Ant. & Conf. Quid prodest tibi ad solvenda debita, si ingens pecuniæ summa sit in tuis loculis, vel apud amicum parata, tu tamen illam nunquam protrahas, nunquam ab amico accipias ex negligentia? Sic pariter thesaurus meritorum & satisfactionum Christi nihil tibi proderit, nisi per Contritionem vel Sacramenta tibi applices ad delendam *culpam*, & per opera satisfactoria ad solvendam *pœnam temporalem*. Hoc agnovit Paulus, dum dixit Coloss. 1. *Adimpleo ea, quæ desunt, Passionum Christi*. Ad 2. Non minuimus honorem Christi, quia fatemur, omnem vim satisfaciendi nostra opera bona habere ex meritis Christi, imò augemus ejus honorem, dum asserimus, eum non solùm satisfeciisse pro nostris delictis, sed etiam nostris operibus promeruisse gratiam & vim satisfaciendi. Proin satisfactio Christi tollit quidem etiam pœnam temporalem, sed non sola, nec immediatè extra Sacramenta, sed mediante nostra satisfactione, per quam applicatur nobis satisfactio Christi. Sicut igitur non minuitur, sed potiùs augetur gloria Dei, quòd causis secundis dederit virtutem verè & propriè agendi, & coo-

perandi sibi tanquam causæ primæ & universali : ita potiùs augetur gloria Christi, si dicatur, quòd nobis dederit & impetraverit virtutem ipsi cooperandi ad delendam pœnam in actu secundo, quamvis ipse solus sufficeret in actu primo. An propterea possimus dici Redemptores nostri secundùm quid, lis est de nomine. Et sanè, si propterea, quòd nobis per opera bona applicemus satisfactionem Christi, possimus dici nostri Redemptores; pariter Lutherani tales dici poterunt, quia eandem sibi applicant per actum fidei.

2. Dices. Per Sacramenta applicantur nobis merita & satisfactiones Christi, præcipuè per Baptismum & Pœnitentiam : arqui per Baptismum delentur omnes pœnæ, etiam temporales, quæ contrahuntur ex peccato personali : ergo & per Pœnitentiam. R. Si Sacramentum Pœnitentiæ accipiatur etiam cum sua parte integrali, quæ est Satisfactio, admitto totum. Si verò sumatur tantùm essentialiter pro contritione, confessione, & absolutione, vel absolutione tantùm, negatur paritas; *nam voluntariè peccantibus post acceptam veritatem non relinquitur hostia pro peccato.* Hebr. 10. hoc est, alter Baptismus, quo remittatur simul omnis pœna cum culpa; quippe pro *culpa* utique relinquitur hostia & remissio post lapsus etiam plurimos, cùm omnes invitentur ad pœnitentiam. Deinde qui ante Baptismum peccavit personaliter, nondum peccavit ut rebellis Christo, quia nunquam erat membrum Ecclesiæ Christi & subditus, ideóque ampliori videtur venia dignus, quàm qui post Baptismum peccavit.

Ob. 4. Potest dici, quòd peccata venialia, & omnis reatus pœnæ tollatur 1. per ipsam mortem. 2. per fidem actualem morientium. 3. per non-imputationem. R. nihil horum dici posse. Non primum 1. Quia sic à suis peccatis & ab omni reatu pœnæ purgarentur etiam Turcæ & omnes infideles, quia hi quoque sustinent mortem. 2. Quia mors est pœna peccati originalis, non peccatorum actualium; cùm illam sustinere debeant multi parvuli, qui nullum commiserunt peccatum actuale. 3. Quia mors secundùm se sumpta est aliquid prorsus naturale, eamque patiuntur æquè boni ac mali: ergo secundùm se non potest purgare animas : si verò intelligitur mors ut conjuncta cum aliquo actu voluntatis, non tam mors, quàm ille actus purgat: quem tamen actum non eliciunt repentina morte extincti, aut qui moriuntur destituti usu rationis &c. Quò isti deveniunt? 4. Quia si mors expiaret animas, deberent pessimi pati mortem acerbissimam, & optimi levissimam : experientiâ tamen constat, sæpe contrarium accidere. Neque secundum dici potest 1. Quia gratis tribuitur tanta virtus soli fidei actuali. 2. Quia multi præoccupantur morte repentina, aut moriuntur sine usu rationis, aut alijs rebus abstracti; ubi in his fides actualis? Quò igitur isti deveniunt? Juxta Lutheranos ad infernum, qui tamen certò sibi promittunt salutem, licèt incerti sint de fide actuali in

in agone elicienda, sine qua certò damnantur. Nec denique tertium; quia ad hoc, ut non imputetur peccatum, & sic remittatur omnis pœna, saltem requiritur actus fidei juxta ipsos: jam contra hunc pugnant argumenta, allata contra secundum. Dein ubi manet peccatum, debet imputari juxta alibi dicta p. 437. & 438.

11. Ob. 5. Græci non crediderunt Purgatorium. Item multi ex Patribus (ex quibus S. August. de Civ. Dei. l. 21. c. 26.) dubitant, an post hanc vitam animæ torqueantur igne Purgatorio, & de hac re se ait habere opinionem tantùm. R. Græci Patres, utl & alij omnes, qui non fuerunt Schismatici, confessi sunt Purgatorium, ut patet ex Conc. Florent. Idem dic de SS. Patribus, licèt apud hos & illos fuerit adhuc controversia de modo pœnæ, & Purgatorij qualitate, num scilicet torqueantur animæ vero igne, an obscuritate, an turbine, an alio quovis modo, an omnes eodem pœnæ genere &c. nequaquam verò dubitabant, an ad tempus torqueantur in altera vita. Audiatur ipse S. Aug. qui in Enchir. c. 109. & 110. sic ait: *Cùm ergo Sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleëmosynarum pro baptizatis Defunctis omnibus offeruntur: pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque tamen vivorum consolationes sunt.* In l. 21. c. 26. cit. potiùs asserit Purgatorium, quia vocat *ignem non æternum*, quàm dubitat.

§. II.

An animæ in Purgatorio existentes possint juvari pijs suffragijs Vivorum?

12. SCiendum, per pia suffragia hìc intelligi preces, eleëmosynas, jejunia, & alia opera pia & pœnalia, præsertim Sacrificium Missæ, & Indulgentias, pro animabus purgantibus à vivis oblatas. Hæc suffragia Defunctis prodesse, negavit jam olim Aërius, etiam propterea ab antiqua Ecclesia jam habitus pro hæretico, ut testatur S. Epiph. hæres. 75. Lutherani pariter cum ipso pleraque rejiciunt, & ijs juvari posse Defunctos negant, exceptis precibus, quas pro Defunctis fieri suo modo & non sine fructu posse, fatetur M. Lomet cum alijs recentioribus Lutheranis, quamvìs negent, servire ad liberationem ex Purgatorio: de quo suprà p. 486. Econtra Catholici docent, animas Purgatorij his vivorum suffragijs eatenus juvari, quatenus DEUS illorum intuitu vel mitigat, vel abbreviat, vel omnino condonat pœnas, cæteroquin sustinendas.

13. Dicendum. Possunt animæ purgantes juvari vivorum suffragijs. Prob. 1. ex l. 2. Mach. c. 12. ubi pro mortuis fa-

cta sunt Sacrificia, & sacer textus dicit: *Sancta & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* 2. ex perpetua Traditione Ecclesiæ, ac Patrum doctrinis; quippe Clemens Romanus coævus Apostolis l. 8. Apost. Constit. c. 47. ait: *Pro quiescentibus in Christo rogemus, ut Deus, qui animam Defuncti suscepit, dimittat ei omne peccatum.* S. Dionys. Areop. de Hierarch. Eccles. p. 85. edit. Colon. 1557. *precibus à Divina Benignitate contendit, ut & omnia peccata, quæ humana fragilitate admissa sunt, ei, qui excessit è vita, remittat* &c. Tertullianus de corona militis c. 3. *Oblationes pro Defunctis facimus.* Verbo: sicut initium nescitur, quo credi in Ecclesia cœperit existentia Purgatorij, ita nitium nescitur, quo cœperint orationes & Sacrificia pro Defunctis, ut à peccatis, consequenter & eorum pœnis solvantur: ergo juxta regulam S. Augustini communiter receptam utrumque referendum est ad Traditionem Apostolicam. 3. Ex antiquissima praxi fidelium à temporibus Apostolorum. Clarè enim in Liturgijs Apostolorum reperiuntur orationes pro Defunctis. Præclarè August. l. de cura pro mortuis c. 1. *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium: Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Sancti petierunt preces & Sacrificia post mortem, & vivi alijs persolverunt: sic S. Monica S. Augustini Mater moriens ad circumstantes dixit: *Tantùm vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei.* Quod S. Augustinus postea fecit, & ab alijs fieri petijt l. 9. Conf. c. 13.

Confirmatur. Ecclesia est *corpus* mysticum 1. Cor. 12. ergo membra illius debent se mutuò posse juvare, sicut fit in corpore physico: ergo viva debent posse succurrere mortuis, in Ecclesia Purgante existentibus, & vicissim juvari à mortuis, jam translatis ad Ecclesiam triumphantem. Et hæc est illa *communio Sanctorum*, quam credimus in Symbolo Apostolico.

Ob. 1. Si oratio Ecclesiæ prosit Defunctis, ut à peccatis & pœnis liberentur, tunc possunt liberari animæ ex inferno, ubi tamen teste Jobo nulla est redemptio: consequens non potest admitti: ergo. M. P. quia Ecclesia orat pro Defunctis, *ne eos absorbeat tartarus: ut Deus eos liberet de ore Leonis: ne pœnas inferni sustineant* &c. R. N. M. Orationes Ecclesiæ, quæ citantur, possunt intelligi 1. quòd respiciant diem obitûs, quasi animæ tunc primùm migrarent à corpore, & essent in periculo æternæ salutis, cui similem modum orandi Ecclesia etiam adhibet in certis festis Christi, acsi Christus tunc primùm deberet incarnari, nasci &c. sic in Adventu orat: *Rorate cœli desuper* &c. licèt noverit, Christum pridem fuisse incarnatum. 2. Quòd earum intuitu, licèt post mortem Defuncti primùm fiant, tamen DEUS decreverit dare gratiam pœnitentiæ finalis, eò quòd prævideris futuras orationes & vota precantium.

um. 3. Dici potest, quòd nomine *inferni* &c. non intelligatur infernus seu locus damnatorum, sed locus alius in terræ sinu existens, in quo solùm temporaliter puniuntur animæ.

Ob. 2. DEUS non punit unum pro alio: ergo neque acceptat unius opus bonum pro alio: ergo per opera bona vivorum non possunt juvari Defuncti. R. T. A. N. C. quippe punire unum pro altero, non participem delicti, videtur esse injustitia: at acceptare opera, pro alio oblata, est misericordia, vel supponit pactum ex misericordia initum: cujusmodi non dedecet Judicem; per hoc enim quòd sit misericors, non fit injustus.

Claudamus egregio S. Augustini testimonio qui serm. 32. de Verb. Apost. ait: *Orationibus sanæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro Defunctorum spiritibus eroganter, non est dubitandum, mortuos adjuvari.*

ARTICULUS II.

De Sanctis jam in Cœlo existentibus.

SUMMARIUM.

1. *Quid intelligatur per Sanctos, quos coli & invocari, quorumque reliquias & imagines honorandas esse profitentur Orthodoxi.*
2. *Quid sit cultus seu adoratio in genere, & quomodo differat ab honoratione & laude.*
3. *Quid sit cultus politicus & religiosus: quid cultus latriæ, dulliæ, & hyperdulliæ.*
4. *Potissimùm dependet ab intentione & submissione interna illius, qui ponit actiones externas, an cultus sit religiosus vel politicus, latria an dulia.*
5. *Quomodo Lutherani Sanctos coli posse concedant.*
6. *Malitiosè calumniantur asserendo, Catholicos parem vel majorem exhibere cultum Sanctis quàm Deo & Christo.*
7. 8. *Qui, quamvis non exstet præceptum directè obligans, asserunt tamen, piè & licitè coli Sanctos cultu religioso.*
9. *Neque cultus Religiosus duliæ est talis, qui deferri nequeat Creaturis propter aliquam excellentiam supernaturalem, in ipsis reperibilem.*
10. *Neque per illum ullatenus immiuitur cultus Dei & Christi, sed potiùs augetur.*
11. *Multò minùs est idololatricus.*
12. *Pertinaciter extorquere volunt idololatriam Lutherani ex cultu religioso Sanctorum, sed vel per insciitiam, vel per summam malitiam.*
13. *Quid sit invocare alterum, & quidem religiosè.*

14. *Quo discrimine Catholici invocent Deum & Sanctos.*
15. *Quo sensu invocent Sanctos per eorum merita.*
16. *Tam Lutherani quàm Calvinistæ extremè aversantur Invocationem Sanctorum.*
17. *Quamvis in antiquo Testamento ordinariè & publicè non consuetum fuerit directè invocare Sanctos; quia istitum nondum erant in Cœlo.*
18. *Catholici tamen rectè tenent, Sanctos defacto in Cœlo existentes cognoscere nostras preces & vota cordium, quibus eorum auxilium imploratur & intercessio:*
19. *Item piè & utiliter invocari, nixi auctoritate Scriptura, Sensu, Traditione, & Praxi Ecclesiæ Universalis constantissima per omnia sæcula, Miraculis innumeris ad intercessionem Sanctorum, qui invocati sunt, editis, & demum insolubili paritate cum Sanctis in hac vita existentibus, quos Adversarij rectè & utiliter invocari fatentur, & demum Ratione efficaci.*
20. *Frustra conatur M. Lomer labefactare argumentum à Sanctis in hac vita existentibus applicatum ad Sanctos in Cœlo existentes.*
21. *Inepte quærunt injuriam Dei & Idololatriam:*
22. *Aut injuriam Christi in Religiosa invocatione Sanctorum.*
23. *Longe diversa ratione Catholici fiduciam ponunt in Deo & Sanctis.*
24. *Etiamsi Deus nos amet ipsemet, & sciat nostras infirmitates, tamen non frustra adhibentur Patroni: nec Christus reprehendit Matrem tanquam importunè monentem.*
25. *Etiamsi nullum exstet mandatum Dei de invocandis Sanctis, etsi nullum etiam exstaret hujus invocationis exemplum in Scripturis, aut promissio exauditionis, tamen rectè & utiliter invocantur.*
26. *Insulsè exprobrat Lomerus Jesuitis silentium ad argumentum, quod ipse vocat magni momenti.*
27. *Ex Scriptura non probatur, Sanctos nihil scire de nostris precibus in particulari.*
28. *Quomodo intelligendum Concilium Laodicenum & alij PP.*
29. *Occurritur varijs objectiunculis.*
30. *Quid intelligatur nomine* Reliquiarum.
31. *Quas religiosè venerandas esse negant cum antiquis hæreticis nostri Sectarij.*
32. *Cultus Religiosus alius est absolutus, alius respectivus.*
33. *Tali cultu respectivo venerari licet & decet sacras Reliquias.*
34. *Hanc venerationem non improbat Scriptura.*
35. *Nec ad eam tollendam sufficiunt fraudes, quæ subinde contigerunt circa Reliquias.*
36. *Cruci Christi propterea non denegandæ est veneratio, quia ipsi attulit dolorem.*
37. *Nec ex ejus veneratione sequitur, pariter colendæ esse labia Judæ, asinam*

asinam, super quam Christus sedit &c.

38. *Quid veniat nomine Sacrarum* Imaginum, *nomine Idoli & Simulacri.*

39. *Imagines Sacras religiosè colendas Lutherani, Calviniſtæ verò etiam asſervandas negant.*

40. 41. 42. *Quo ſenſu & mente eas honorandas eſſe contendant Catholici.*

43. *Qui eas rectè ſtatuunt intra & extra Eccleſias.*

44. *Atque licitè venerantur cultu religioſo reſpectivo.*

45. 46. *Nec Scriptura repugnat, nec Concilium Francofordienſe, nec Patres.*

47. *Nec iſta veneratio eſt Idololatrica.*

48. *Satisfit reliquis ſcrupulis Adverſariorum.*

1. SAtis non eſt Heterodoxorum Sectis negato Purgatorio animas fidelium defunctorum ſpoliare viventium ſuffragijs: ſed ulteriùs progreſſi os ſuum in cœlum ponere non verentur: dum Angelos hominésque ſanctos, jam glorioſos in cœlo, & cum Chriſto triumphantes, ſuo debito cultu, nos verò illorum patrocinio & auxilio privare per ſummam impietatem nituntur, cum impijs Gigantibus cœlum oppugnantes. Per *Sanctos* intelligo illos, qui publico Eccleſiæ judicio *canonizati* ſunt, ut loquimur, ſeu de quibus Eccleſia authenticè declaravit, eos jam actu eſſe in cœlo poſitos, ac frui viſione beatifica, adeóque publicè coli poſſe, & invocari, eorúmque reliquias, & imagines in veneratione haberi. Unde quatuor nobis contra Sectarios evincenda ſunt. 1. Sanctos rectè coli cultu Religioſo. 2. Eosdem rectè invocari tanquam Interceſſores apud DEUM. 4. Eorum reliquias. 4. Et ſacras imagines rectè honorati.

§. I.

De Cultu Sanctorum.

2. SCiendum 1. Nomine *cultûs*, ſeu *adorationis* (hìc enim pro eodem ſumuntur cultus & adoratio) intelligitur recognitio excellentiæ in altero, ejúsque cum debita animi ſubmiſſione conteſtatio, ſive hæc fiat ſignis externis, ſive internis tantùm intellectûs & voluntatis actibus: nam ſignum externum probabiliter non eſt de eſſentia adorationis, licèt ſine illo non ſit perfecta ejus conſummatio. Differt adoratio ab honoratione, quòd *honoratio* ſit teſtificatio excellentiæ alterius, exhibita per facta externa v. g. inclinationem corporis; item differt à laude, quia *laus* eſt teſtificatio excellentiæ alterius per verba: *adoratio* verò ſuperaddit internam animi ſubmiſſionem.

Sc-

3. Sc. 2. Excellecntiam, quam in altero recognoscere & contestari possumus, esse triplicem. 1. Naturalem. 2. Supernaturalem. 3. Divinam. *Naturalis* excellentia reperitur in Regibus, Principibus, Magistratibus, Parentibus, Doctis, Nobilibus &c. *Supernaturalis* datur in Sanctis, & consistit in donis supernaturalibus & spiritualibus, uti est gratia sanctificans, gratiæ actuales, variæ virtutes &c. *Divina* est in solo DEO. Unde & soli DEO competit talis adoratio, quæ nulli alteri tribui potest. Vocatur hæc adoratio cultus *Latriæ*, quo nimirum colitur DEUS tanquam primus rerum omnium fons, & ultimus noster finis, tanquam supremus omnium Dominus, & ens infinitæ perfectionis. Cultus, quo coluntur Sancti propter excellentiam & dona supernaturalia, appellatur *Dulia*: quia verò in Beatissima Virgine MARIA reperitur specialis aliqua excellentia supernaturalis, nimirum Maternitas DEI, peculiari quoque nomine illius cultus dicitur *Hyperdulia*, quia est major cultu, Sanctis alijs competente, quamvis sit minor eo, qui Deo competit. Humanitas Christi cultu latriæ adoratur, vel potiùs coadoratur cum Verbo Divino, ferè sicut quando cultu politico adoratur homo, coadoratur corpus cum anima, propter unionem: quamvis aliàs sola anima absolutè capax sit adorationis. Unde si humanitas Christi per intentionem separetur à Verbo, & consideretur reduplicativè, non potest adorari cultu latriæ, sed alio quodam hyperduliæ. Denique cultus, qui defertur alijs propter excellentiam & dona naturalia, uti est nobilitas, doctrina, potestas gubernativa &c. appellatur cultus *Civilis*, aut *Politicus*. Cui opponitur cultus *Religiosus*, qui tribuitur DEO propter excellentiam infinitam, & insuper Sanctis propter excellentiam supernaturalem & spiritualem. Quippe Catholici omnem cultum, à civili & politico contradistinctum, vocant Religiosum & sanctum, eò quòd eadem virtus Religionis moveat ad DEUM colendum & Sanctos, licèt diverso modo, nimirum DEUM propter se & ut infinitè excellentem, Sanctos verò propter DEUM, & ut excellentia supernaturali, spirituali, & sacra præditos, Deique amicos dilectos: ferè sicut eadem virtus charitatis movet ad DEUM & Sanctos amandos, sed diverso modo.

4. Sc. 3. ex intentione ac interna submissione illius, qui alterum colit, potissimùm dependere ac determinari, utrùm adoratio seu cultus sit politicus vel religiosus, dulia an latria &c. quippe actiones externæ cultui tam politico quàm religioso communes sunt, creaturis & DEO exhiberi solitæ; cujusmodi sunt aperire caput, flectere genua, se prosternere humi, accendere thus & lumina, celebrare festos dies, spargere flores: sic genua flectimus non solùm DEO Evcharistico, sed etiam coram Sanctis, item coram Principibus Sæcularibus: filius à patre veniam precatur flexis genibus &c. Sic Abraham prostratus humi adorabat DEUM Gen. 17. v. 3. Angelos Gen. 18. v. 2. Homines Gen. 23. v. 7. Nihilominus tamen Sacrificia propriè dicta, & quæ illuc pertinent, uti templa, altaria, sacerdotes

&c.

&c. soli DEO debentur, ut docet cum S. August. l. 10. de Civit. DEI c. 4. sensus fidelium, & indicat ipsa Scriptura Exod. 22. v. 20. dicens *Qui sacrificat Dijs, occidetur, præterquam Domino soli.*

5. Sc. 4. Quamquam Lutherus in Evang. Dom. 23 post Pentecost. omnem cultum & venerationem Sanctorum vocet rem diabolicam, & Centuriatores cent. 1. l. 2. c. 4. appellent idololatriam: minùs tamen insaniunt cæteri Lutherani multi, qui non omnem cultum denegant Sanctis propter nimis claros Scripturæ textus, utì dum B. Virgo Luc. 1. v. 48. prophetizat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*; sed dicunt, ipsis competere cultum civilem, item coli eatenus posse, quatenus 1. DEUS laudatur propter gratias & dona Sanctis concessa. 2. quatenus laudantur Sancti propter fidele servitium DEO præstitum, & commemorantur eorum virtutes. 3. Quatenus proponuntur eorum gesta in exemplum ad imitationem. Negant tamen omnes & pernegant, Sanctos posse coli *religiosè*, scilicet cum animi devotione, certas preces, vota, sacrificia, peregrinationes in eorum honorem faciendo &c. aut coli *suppliciter*, nimirum invocando ipsos in necessitatibus tam internis, quàm externis, petendo eorum intercessionem & auxilium &c. Vid. Apolog. August. Conf. item Gerard. to. 8. tit. de morte in Locis Theol. à §. 378. &c. De Cultu Religioso nunc, de Invocatione Sanctorum postea agimus.

6. Sc. 5. A Lutheranis & Calvinistis per summam perfidiam & calumniam falsò impingi Catholicis, quòd Beatissimæ Virgini & Sanctis parem, vel etiam majorem cultum exhibeant, quàm ipsi DEO & Christo; quòd B. Virginem non solùm Deam appellent, verùm etiam pro Dea habeant, Divinos honores ipsi deferendo; quòd Sanctos faciant omniscios & omnipotentes &c. non obstante, quòd Catholici semper protestati sint, & hodiedum constanter protestentur, se solum DEUM colere cultu latriæ, & adorare adoratione stricte dicta, Sanctos verò cultu duliæ vel hyperduliæ, & adoratione minùs propria, ac longè inferiore, quamvis religiosâ propter dona & excellentiam supernaturalem. Et quamvis ex intentione, quam toties apertè profitemur, desumi debeat, qualis sit cultus, latriæ vel duliæ &c. & quamvis nemo ex Catholicis adeò sit rudis, qui nesciat, minori cultu adorandos esse Sanctos quàm DEUM, & nullus adeò malitiosus, qui velit æqualem ipsis ac DEO cultum deferre; nihilominus tamen malevoli Præcones proclamant, & scripto nos appellitant Idololatras, ut scilicet fidem Catholicam, quam veris argumentis labefactare nequeunt, fallitatibus impugnent, iniquissimè traducentes eam ac denigrantes apud imperitam plebem. Sciunt Præcones, præsertim M. Lomer, Catholicorum hac in parte innocentiam tam bene, ac digitos suos, tum ex libris tum ex conversatione, & tamen ex pulpitis & in libris suis hodiedum antiquam hanc calumniam repetunt; quod nuper ex me intelligens litteratus quidam Saxo multùm miratus est

est, dictitans, neminem Lutheranorum, in Controversijs versatum, de Catholicis ita sentire posse, sed esse calumniam & ignorantiam imperitæ plebis.

7. Sc. 6. Catholicos non asserere, quòd detur præceptum positivè & directè obligans ad colendos vel invocandos Sanctos, sed solùm quòd *liceat* colere & invocare. Quidquid autem dicemus de Sanctis hac in parte, intelligi quoque poterit de SS. Angelis.

8. Dicendum. Licitè & rectè coluntur Sancti, tanquam amici Dei, cultu Religioso. Prob. 1. ex Scriptura. Abraham, Loth, Josue, adorârunt proni in terram Angelos. Gen. 18. & 19. item Josue 5. Rursus Abdias, qui fuit potens Aulicus, adoravit pronus Eliam Prophetam adhuc viventem. 3. Reg. 18. atqui non adoravit propter excellentiam Eliæ naturalem, quia Elias erat pauper, sed propter excellentiam supernaturalem, quia scilicet erat Propheta Deo dilectus, adeóque adoravit cultu religioso, non merè politico. Imò ipse Deus honorat amicos suos, & glorificat glorificantes se, proin propter virtutes & dona supernaturalia: ergo & nobis propter hæc ipsa licet colere Sanctos, consequenter cultu religioso. Ant. constat ex Scriptura: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit illum Pater meus.* Jo. 12. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus.* Ps. 138. *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum.* 1. Reg. 2.

Prob. 2. ex antiquissima & constanti Ecclesiæ praxi, quam nobis testantur tum SS. PP. tum tot templa in honorem Sanctorum erecta, institutæ festa, piæ peregrinationes ad limina Apostolorum, sacella B. V. &c. cujusmodi devotiones & Sanctorum cultus sibi placere Deus sæpissime miraculis ostendit, ut facilè posset demonstrari ad oculum tum ex veterum monumentis, tum ex constanti fama, tum ex quotidiana ferè experientia. Audiamus testimonium unius vel alterius ex Patribus. S. Damasc. l. 4. orth. fidei c. 16. docet: *Honorandos esse Sanctos ut servos, amicos, & filios Dei.* S. Cypr. l. 4. ep. 5. *Sacrificia pro eis semper offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.* S. Ambr. serm. 6. in fine: *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.* S. August. contra Faustum Manich. l. 20. c. 21. clarè pronuntiat, *à Christianis coli Martyres, sed non latriâ, & ideo non esse idololatriam.* Et: *Populus Christianus memorias Martyrum RELIGIOSA solennitate concelebrat.* Notetur, *RELIGIOSA.*

Prob. 3. ex ratione. Cultus Religiosus duliæ est cultus sacer, seu qui exhibetur creaturis propter excellentiam & dona supernaturalia: sed in Sanctis multa reperiuntur dona supernaturalia, scilicet gratia sanctificans, habitus virtutum, visio intuitiva Dei &c. ergo. Ma. constat ex notione terminorum, quos explicavimus in Sciendo 2. Min est in confesso apud omnes, etiam Lutheranos, saltem quoad visionem intuitivam Dei.

Ob. 1. Cultus religiosus est cultus 9
soli

soli Deo debitus : ergo. Ant. prob. 1. Quia spectat ad primam Decalogi tabulam. 2. Quia cultus duliæ & cultus latriæ in Scripturis sumuntur pro eodem. 3. Quia si non sumuntur pro eodem, tunc cultus duliæ erit major quàm cultus latriæ; nàm dulia significat *servitutem*, latria *cultum*. R. me non sine stomacho in Lomeri fortgesetzten Abfertigung legisse hanc objectionem identidem repetitam, nec sine stupore, quòd M. Lomer necdum sciat, vel nescire se simulet, quid Catholici intelligant nomine cultûs religiosi, & quomodo eum distinguant. Audiat iterum, & tandem vel ignorantiam vel pertinaciam suam deponat : Cultus religiosus seu sacer est, qui defertur alteri propter excellentiam sanctam & supernaturalem : cùm igitur sanctitas alia sit creata, alia increata ; rectè dividitur cultus religiosus bifariam, in eum, qui defertur DEO ob sanctitatem increatam, & in eum, qui defertur amicis Dei propter sanctitatem creatam, & specialem relationem ad Deum. An ignorat, quòd ipsa Confessio Augustana cultum *Religiosum* tribuat non soli Deo, sed propter specialem respectum ad Deum etiam Potestati humanæ tam Civili quàm Ecclesiasticæ, dum art. ult. dicit : *Utramque propter mandatum Dei RELIGIOSE venerandam* &c. Igitur

N. Ant. argumenti. Ad prob. 1. cultus religiosus, Sanctis exhiberi solitus, nec ad primam nec ad secundam tabulam Decalogi propriè spectat ; quia *præceptus* non est : in Decalogo autem continentur mera præcepta : reductivè tamen ad utramque spectare potest, ad primam ultimatò & mediatè, ad secundam proximè & immediatè, quia Sanctos colimus tanquam amicos Dei, & sic ultimatò propter Deum : ferè sicut proximum diligimus ultimatò propter Deum, quæ dilectio proximi immediatè spectat ad secundam tabulam, mediatè ad primam. Ad 2. Quidquid λατρεύειν & δουλεύειν in Scripturis significent ; tamen ex usu & recepta Ecclesiæ consuetudine per latriam intelligitur cultus soli Deo debitus, per duliam verò cultus minor, licèt sacer, creaturis tamen competens. Unde ad 3. Quidquid hæ voces ex Græcorum primæva institutione significent, tamen ex Catholicorum voluntate & Ecclesiæ usu latria importat servitutem summam, Deo soli debitam, dulia verò servitutem minorem. Audiant Adversarij S. Augustinum, qui melius novit, quem sensum jam primæva Ecclesia, & Antiquitas Græca huic voci *latria* indiderit, quàm Novatores scioli & perfidi. Is l. 15. contra Faustum Manich. c. 9. ait : *Latria verbum Græcum est, & interpretatur servitus, non quacunque, sed illa, quæ tantummodo Deo servitur.* Idem dicit l. 10. de Civit. c. 4.

Dices 1. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies.* Deut. 6. *Soli Deo honor & gloria.* 1. Tim. 1. ergo. R. 1. Si ita strictè accipi debent hæc verba ; cur Præcones & alij Sectarij admittunt servos & ancillas ? Cur exigunt honorem à filijs, à subditis ? *Soli* Deo honor, *soli* Deo serviendum. R. 2. Soli Deo serviendum,

tanquam Creatori, Redemptori, & infinitæ excellentiæ Domino, ipsi soli honor & gloria *latriæ*: Sanctis verò tanquam amicis & servis Dei, propter Deum, decet cultus minor, scilicet *duliæ* vel *hyperduliæ*.

Dices 2. Sanctis neque potest deferri cultus duliæ: ergo. Ant. prob. variis exemplis Scripturæ. Mardochæus noluit se inclinare coram Amman. Esther. 13. Petrus prohibuit Cornelium, se adorare volentem. Act. 10. Paulus & Barnabas vetuerunt Licaonibus, ne se adorarent. Act. 14. Angelus non admisit adorationem à S. Joanne, dicens: *Vide, ne feceris, conservus enim tuus sum, Deum adora*. Apoc. 22. v. 9. R. N. A. Amman utique non fuit sanctus, adeóque indignus cultu religioso. Deinde exigebat cultum Divinum, ut colligunt interpretes ex adjectis verbis Scripturæ: *Ne honorem Dei transferret ad hominem*. Cornelius vel aliquid Divinum existimavit inesse Petro, & rectè à D. Petro correctus est, vel Petrus ex modestia & humilitate non admisit honorem, alias sibi competentem. Paulus & Barnabas jure prohibuerunt sibi sacrificari veluti Jovi & Mercurio, pro quibus habebantur ab illis Gentilibus. S. Joannes vel putabat esse ipsum Deum, quem adorare volebat, vel si voluit adorare, postquam cognovit esse Angelum, voluit adorare cultu duliæ, quem cultum, alias sibi competentem, noluit tamen Angelus acceptare: vel ex modestia, vel ex reverentia erga S. Joannem, qui fuit Apostolus, Evangelista, Prædicator Verbi Divini, Custos Virginis, dilectus Christi Discipulus, & brevi futurus Martyr, vel ex reverentia erga humanitatem Christi; ut enim observat Bellarm. ex Beda, Anselmo, & Gregorio, post Verbum incarnatum Angeli non ampliùs se adorari permiserunt in Veteri Testamento.

Ob. 2. Per cultum religiosum, qui exhibetur Sanctis, imminuitur cultus Dei & Christi: ergo. R. N. Ant. Sicut non minuitur dilectio Dei & Christi per hoc, quòd diligamus proximos nostros propter Deum, sed potiùs augetur, cùm sic diligamus Deum in hominibus; ita nihil subtrahitur cultui Divino per hoc, quòd propter Deum & Christum colamus Sanctos religiosè, sed potiùs augetur cultus Dei & Christi, cùm sic Deum colamus & laudemus in Sanctis suis, ac omnis honor Sanctis exhibitus redundet in gloriam Dei & Christi, quia coluntur propterea, quòd sint amici Dei, & imitatores Christi &c. Certè nemo dixerit, quòd minuatur honor terreno Principi debitus, si præter ejus personam etiam colatur mater, filij, amici, & fideles servi ejusdem Principis; imò augetur ejus honor, cùm non nisi propter ipsum colantur, ac omnis eorum cultus redundet in Principem: sicut vicissim ignominiam matri aut servis suis irrogatam sentiret tanquam sibi factam, eamque ulciscereturr. 10.

Ob. 3. Cultus religiosus, quem Catholici exhibent Sanctis, est idololatricus: ergo. Ant. prob. quia Sanctos colunt Sacrificijs, templis, altaribus, votis, juramentis, festis, peregrina- 11.

grinationibus, genuflexione, proſtratione, thurificatione &c. Sed hi cultus ſunt latreutici, ac ſoli Deo debiti: ergo colunt Sanctos latriâ conſequenter cultu idololatrico: ergo committunt idololatriam. R. N. Ant. ad P. adverto, quod ſuprà jam adverti in Sciendo 3. plerosque ritus & actus externos, quibus adoratur alius, eſſe indifferentes ſecundùm ſe, ac pendére ab intentione & ſubjectione interna colentium, ut ſint cultus latriæ, duliæ, vel omnino politici & civiles, excepto Sacrificio, & ijs, quæ ad Sacrificium pertinent. Attendenda igitur eſt mens Catholicorum, qua ejusmodi ritus & actus peragunt, an Sanctis hos cultus deferant tanquam Dijs, tanquam Dominis ſupremis, infinitæ ſanctitatis & excellentiæ, an verò ſolùm tanquam amicis, filijs, & ſervis dilectis Dei & Chriſti: prius nemini in mentem venit, & eſſet verè idololatria; poſterius facimus, ſed abſque omni periculo idololatriæ, quia minore ſubjectione animi colimus Sanctos, quàm Deum, non ut Deos, ſed ut creaturas Deo dilectas, quas ipſe honorat & honorari cupit. *Sacrificia* propriè dicta, quia ſunt *conteſtatio ſupremi Dominij in omnes creaturas*, ſoli Deo offerimus, eique ſoli erigimus *templa*, & *altaria*, ſupra quæ celebratur miſſa & offertur Sacrificium propriè dictum (nam tabula & ſtatuæ, ſuper aras poſitæ, ſunt ornamenta altarium, non altaria) ſæpe tamen hæc facimus in memorias Sanctorum. Hanc eſſe mentem Eccleſiæ, pridem teſtatus eſt S. Auguſt. l. 20. contra Fauſtum Manich. c. 21. ſæpius cit. *Nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, conſtituimus altaria; quis enim Antiſtitum, in locis SS. Corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule* &c.? Quando igitur offertur Miſſa de aliquo Sancto, vel in honorem alicujus Sancti, non ſacrificatur Sancto, ſed ſoli Deo, de Sancto autem fit mentio peculiaris, commemoratio, aut preces accidentales, ut Deum colamus etiam peculiariter in aliquo dilecto ſuo amico, hujúsque accedente patrocinio faciliùs flectamus in noſtra vota. Ferè idem dicendum eſt de Votis & Juramentis. *Vota* principaliter ſoli Deo fiunt; poſſunt tamen fieri ſecundariò in honorem Sanctorum, ita ut indè aliquis etiam honor cedat Sanctis, ſicut aliqua utilitas cedit v. g. hoſpitali, cui per votum promittuntur centum aurei. *Juramenta* fiunt quidem principaliter & ultimatò ſemper per Deum, immediatè tamen & ſecundariò etiam fieri poſſunt per creaturas, in quibus Dei virtus ſpecialiter elucet & reſpicitur, v. g. per cœlum, terram, SS. Evangelia; cur non ergo etiam per Sanctos?

12. Regerunt. Quidquid dicant Catholici ad ſe excuſandos, facto ipſo tamen ſatis oſtendunt, quòd Sanctis deferant cultum latriæ; nam Virginem MARIAM vocant Deam, colunt ut Deam, & tanquam cœli terræque Reginam, cui competat poteſtas Divina, quæ jure Matris poſſit imperare filio &c. Vocant eam Mediatricem, Redemptri-

cem, caput serpentis conterentem, Spem suam. Imò sæpe in ipsam feruntur majori devotione, affectu, & fiducia, quàm erga Christum, ut patet ex libellis eorum precatoris, ex concionibus, & alijs libris typo editis. R. hæc est vel insciția Lutheranorum non intelligentium, vel potiùs malitia intelligere nolentium, quo sensu ejusmodi honorificos titulos B. Virgini & Sanctis tribuamus, & qua mente ad eosdem confugiamus. Oprimè Catholici intelligunt magnifica hæc verba, quibus exprimere volumus sublimem sanctitatem, & potentissimam intercessionem Sanctorum apud DEUM. B. V. si appellatur Dea, Regina cœli, Mediatrix &c. non ita appellatur in sensu proprio & rigoroso, quo DEUS & ipse Christus, sed longe inferiore, quo DEUS ipse per Davidem dixit ad homines: *Dij estis, & filij excelsi omnes.* Ps. 81. Quæ reperiuntur in libellis precatorijs, concionibus &c. subinde cum exaggeratione dicuntur & hyperbolicè. De quibus Lutherani ita sentiant, sicut M. Lomer p. 313. **fortgesetzten Abfertigung** cum Stapletono sentit, de Patribus sic loquente: *Quæ à Patribus pro concione dicuntur, non ita expresè & propriè & juxta dogmaticam veritatem accuratè dici solent, sicut alia, quæ disputando & commentando scribunt.* Devotio, affectus, & fiducia erga B. V. est quidem subinde tenerior & major *intensivè*, quàm ad Christum, quia Christum subinde apprehendimus ut severum Judicem, qualis etiam est; B. Virginem verò solùm ut Advocatam & Matrem amantissimam: non tamen *appretiativè*, quia scimus, Christum infinitè excedere omnes Sanctos, eum solum esse Redemptorem nostrum, qui fuso sanguine DEUM nobis reconciliare potuit, ab ipso habere eos omnia, licèt ipse habere nos sæpe nolit, nisi nobiscum & pro nobis etiam orent Cœlites. Sed de intercessione Sanctorum sit

§. II.

De Invocatione Sanctorum.

13. SCiendum 1. Invocare alterum est cum aliqua fiducia ab illo petere vel auxilium vel patrocinium. Adeóque Religiosa invocatio Sanctorum, de qua nobis summa lis est cum Sectarijs, cultui Sanctorum superaddit duo, nimirum fiduciam aliquam cordis, & preces nostras ad illos immediatè directas, ut nos juvent precibus & meritis suis apud DEUM. Unde

Sc. 2. Solum DEUM posse invocari tanquam auctorem omnis gratiæ & gloriæ, qui ex se, & propria virtute, potestate, & auctoritate nobis conferre possit omnem gratiam, auxilium naturale & supernaturale, mortem felicem, & beatitudinem æternam: Sanctos verò invocari solùm ut *Intercessores*, *Patronos*, *Advocatos* apud Christum & DEUM, ut nobiscum & pro nobis eundem 14

dem orent ; sic enim rectè speramus, citiùs nos exaudiendos à DEO, si dilecti ejus amici pro nobis suas preces interponant. Hinc est, cur ad Sanctos dicamus, *orate pro nobis*, ad DEUM verò & Christum, *miserere nobis*. Dum verò invocando Sanctos utimur verbis, quæ indicant, eos à nobis invocari etiam ut *Auxiliatores*, dicendo v. g. ad B. V. S. Petrum &c. miserere mei, juva me, salva me, aperi mihi cœli aditum, da mihi sanitatem corporis, virtutem castitatis &c. semper subintelligimus, ut id faciant intercedendo & rogando pro nobis, vel dando illa, quæ priùs ipsi acceperunt à Deo eum in finem, ut nobis conferant, ferè sicut herbæ dant nobis sanitatem naturaliter, quam virtutem priùs in hunc finem acceperunt à Deo. Scimus enim, Sanctos nihil habere ex se, plurima tamen accepisse à Deo, utpote dilectissimos ac intimos Dei amicos, quæ possint dispensare in alios, præsertim magnam habere efficaciam in suis intercessionbus, & quidem ob merita sua temporalis vitæ. Sed de his

15. Sc. 3. Catholicos non dicere, quòd Sancti, quos piè, religiosè, & devotè invocant mente vel voce, nobis *mereantur* illa beneficia, quæ per & ab ipsis petimus, & quòd Deus ea nobis conferat *propter* merita Sanctorum; sed dicere, quòd nobis dentur propter merita solius Christi, qui solus non pro se tantùm, sed & *pro alijs* strictè & de condigno mereri potuit, ac meritus est omnia dona gratiæ & gloriæ. Nihilominus tamen prosunt nobis, Sanctos invocantibus, etiam merita Sanctorum : non quòd illi nobis aliquid propriè sint meriti, sed quòd pro se meriti sint altiorem gradum gloriæ & amicitiæ cum Deo ; quò enim majora alicujus Sancti sunt merita, eò amicior & charior est Deo, consequenter & potentior in sua intercessione, ac ditior donis in alios dispensandis. Ferè sicut fit inter homines : quò enim aliquis Aulicus propter merita sua est charior & gratior Principi, eò plùs prodesse potest alijs intercedendo, largiendo ex acceptis ; quamvis talis aulicus has gratias alijs non sit promeritus de condigno, ut Princeps eas teneatur supplici elargiri. Unde fit, ut Sancti sint quasi Mediatores apud Mediatorem Christum, per cujus merita & ipsi rogant nobiscum Deum, & quasi Advocati apud Advocatum principalem Christum, cujus merita sunt infinita in ordine ad omne præmium, etiam alijs obtinendum, quod & pro quibus ille petit ; *nemo enim* (dixit ipse) *venit ad Patrem, nisi per me*. Jo. 14. *petite in nomine meo*. ibid. Hinc Ecclesia immediatè per Christum, mediatè per Sanctos simul intercedentes, à Deo rogat dona tam naturalia quàm spiritualia. v. g. dicendo : *Concede nobis Deus intercessione hujus Sancti hoc beneficium per Christum Dominum nostrum*. Quando verò rogat *per merita* Sanctorum, aliud non intendit, quàm Deo quasi proponere merita illa, per quæ Sancti facti sunt Deo valde dilecti amici, cujus amicitiæ intuitu potentiores fiunt preces Sanctorum pro nobis.

Sc. 4.

16. Sc. 4. Lutheranos æquè & Calvinistas extremè persequi invocationem Sanctorum. Contra quam M. Lomer Præco Augustanus ante paucos annos multum chartæ pessundedit, plusquam quinquaginta quaterniones typis dando in der Ersten und Anderen Abfertigung / quas lucubrationes ex fundamento confutatas in hujus & præcedentis §. paucis pagellis reperies. Concedunt quidem 1. cum Apolog. August. Conf. quòd Cœlites *in genere* orent pro hominibus in hac vita existentibus, quamvis fateantur expressè, *in Scriptura testimonium nullum de mortuis orantibus exstare* &c. Apol. de Invoc. SS. Item aliqui transmittunt, eos etiam *in particulari* orare pro quibusdam. 2. Quemlibet hominem habere non unum, sed plures Angelos Custodes propter illud Psal. 91. *Angelis suis mandavit de te*, & aliquos fortassis unicum tantùm. Ex his tamen negant rectè inferri posse, Sanctos, & Angelos religiosè invocandos esse: licèt admittant 3. rectè invocari homines in hac vita existentes, seu rectè viventium preces implorari propter claros Scripturæ textus. Deus ipse id jussit Job. 42. *Ite ad servum meum Job: Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam.* Et Paulus in suis epistolis sæpe imploravit preces eorum, ad quos scripsit. *Orationi instate, orantes simul & pro nobis.* Coloss. 4. v. 2. *Obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Rom. 15. v. 30.

17. Sc. 5. Quamvis in Antiquo Testamento non fuerit illicitum, & subinde (saltem privatim) probabiliter usitatum, invocare Sanctos jam tum mortuos, communiter tamen & publicè in usu non fuisse, ita ut dicerent v. g. Sancte Abraham ora pro nobis, S. Moyses ora pro nobis &c. sed immediatè supplicâsse DEO, allegando tamen quandoque merita Sanctorum, ut preces suas redderent efficaciores. Sic Moyses oravit Exod. 32. v. 3. *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Jacob Sanctorum tuorum.* Daniel c. 3. v. 35. *Neque auferas à nobis misericordiam tuam propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel* (Jacob) *sanctum tuum.* Et David allegavit etiam propria merita, sic orans: *Memento Domine David & omnis mansuetudinis ejus.* Psal. 131. Quin & DEUS ipse satis innuit, quòd intuitu servorum suorum & amicorum, qui ex hac vita jam migraverant, invocantibus se propitius sit, dum 4. Reg. 19, v. 34. invocatus à Rege Ezechia dixit: *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me & David servum meum.* Ratio autem, cur in Veteri Testamento ordinariè & publicè non fuerint directè invocati Sancti defuncti, est duplex, una, quia nondum erant in cœlo, nec DEUM videbant, adeóque ordinariè & sine speciali revelatione non poterant cognoscere preces ad se fusas, quæ revelatio ipsis tunc, utpote nondum beatis, non debebatur vi statûs sui; altera, quia ille populus erat valde pronus ad Idololatriam, & videbat passim apud Gentiles invocari varios Deos, si igitur passim fuisset in usu invocatio Sanctorum, facilè eos non ut DEI servos & amicos, sed etiam ut Deos invocare

care cœpisset. Utraque ratio cessavit in Novo Testamento. Unde

18. Dicendum 1. Sancti in cœlo cognoscunt, etiam in particulari, viventium preces, & vota cordis, quibus invocantur. Probatur 1. ex Scriptura. Angeli cognoscunt orationes hominum, pœnitentiam & conversionem peccatorum, quæ pœnitentia, utpote dolor animi, est actus internus: ergo etiam homines sancti, in cœlo jàm beati, cognoscunt illas; quia sunt *sicut Angeli Dei*, Mat. 22. in statu beatitudinis ipsis æquales. Ant. prob. Luc. 15. dicitur: *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*: nemo autem gaudet prudenter, nisi cognoscat causam gaudendi: ergo. *Quando orabas cum lacrymis* (dicit Raphaël ad Tobiam) *ego obtuli orationem Domino.* Tob. 12. Simile quid legitur Apoc. 8. Dein sæpius Scriptura dicit, *in conspectu Angelorum*, Apoc. 14. v. 10. Ps. 137. v. 2. *In conspectu Angelorum psallam tibi*, hoc est, inspicientibus & videntibus Angelis, sicut tò *in conspectu Dei aut hominum*, idem est, ac inspiciente Deo aut hominibus. Quin & homines sancti in cœlo existentes offerunt Deo orationes Sanctorum in terra existentium, Apoc. 5. ut videbimus assertione sequente: sicut Angeli Apoc. 8. ergo cognoscunt has orationes. Neque dicas, Angelos cognoscere ratione officij sui, quia sunt *administratorii spiritus, missi in salutem hominum*, non ratione beatitudinis. Nam contrà est 1. quòd allati textus etiam loquantur de Angelis, qui non actu sunt *Custodes* deputati certorum hominum. 2. Quia etiam homines sancti sunt deputati ad custodiam hominum, iisque præpositi juxta illud Apoc. 2. *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes.* Et Ps. 45. *Constitues eos principes super omnem terram.*

Prob. 2. ex statu beatitudinis. Pertinet ad beatitudinem, saltem accidentalem Sanctorum, ad eorum dignitatem, & charitatem, cognoscere preces hominum etiam internas, ad se directas: ergo cognoscunt; aliàs enim esset beatitudo imperfecta, neque perfectæ amicitiæ status, quæ exigit, ut amicus revelet ea amico, quæ ad ipsum pertinent, præsertim si ad amici felicitatem honorem & oblectationem cedat; id quod ipse Christus innuit, dum ait: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Jo. 15. Ant. prob. gloriosum utique & oblectabile est Sanctis habere supplices, quia invocantur tanquam amici Dei, in quo est maxima gloria, dignitas, & gaudium: dein utique charitas erga alios, *quæ nunquam excidit* (nec in cœlo) exigit juvare miseros: sed quomodo juvabunt, nisi cognoscant necessitates suorum supplicum, & preces clientum? si enim homines in hac vita existentes ex revelatione Divina possunt cognoscere secreta cordium, uti Samuel Saulis. 1. Reg. 9. & res absentes, ut Elisæus sui famuli absentis. 4. Reg. 5. multò magis poterunt Sancti in cœlo ex revelatione Divina: ergo actu DEUS ipsis revelat, quia id exigit status beatitudinis & perfectæ amicitiæ cum DEO. Confirmatur. Damnati cognoscunt ea, quæ geruntur in mun-

do & ad eorum pœnam pertinent, ut constat exemplo divitis Epulonis, qui noverat, fratres ad sui imitationem perditè vivere: ergo multò magis scient Sancti, quæ ad eorum felicitatem spectant.

Prob. 3. ex communi sensu fidelium. Nam praxis universalis & antiquissima est invocare Sanctos: ergo fideles judicant, Sanctos cognoscere nostras necessitates, & vota, precésque ad se missas. A. postea probabitur.

Certum igitur est, quòd Sancti in cœlo cognoscant nostras tum necessitates corporales & spirituales, tum preces, quando à nobis invocantur. Modus autem, quo cognoscant, controversus est apud Catholicos DD. nec SS. Patribus satis fuit cognitus. Duæ tamen sententiæ cæteris probabiliores sunt, quarum una dicit, quòd Beati in cœlo, videndo Divinam essentiam & Verbum, in eo, quasi in speculo quodam vivo videant omnes creaturas existentes actu, exceptis secretis cordium, nisi hæc ad eorum felicitatem, dignitatem, & charitatem pertineant: quæ opinio fuisse videtur etiam S. Gregorij, qui l. 2. Dial. c. 35. apud Canis. de præc. 1. Decal. §. 8. dicit: *Quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?* Altera sententia docet, quòd cognoscant ex speciali revelatione DEI, in quam inclinat S. August. de cura pro mortuis c. 16. postquam retulerat alios duos modos, quibus possent Sancti cognoscere preces & necessitates nostras in particulari, licèt nobis localiter præsentes non sint.

Hic rursus exclamat & interrogat M. Lomer, ubi sit illa decantata concordia inter Papistas? R. Et vicissim quæro, an sciat Lomerus, in quo Papistæ dicant, se esse, & esse debere concordes, ejusdem mentis & sermonis? Si nesciat, ignorans est & dignus doceri, si sciat, & tamen se scire dissimulet, perversus est & indignus responso. Sed malo præsumere ignarum quàm studiosè malum. Audiat itaque: decantata illa inter Papistas concordia consistit in hoc, quòd omnes omnino conspirent in omnibus fidei articulis sufficienter revelatis, qui nempe clarè habentur in Scripturis aut Traditionibus, vel ab Ecclesia explicitè definiti sunt. In cæteris relinquitur libertas in utramque partem disputandi; interim tamen omnes parati esse debent amplecti illam partem, quam Ecclesia (scilicet Papa vel sine vel cum Concilio Generali) definierit. Cùm igitur de *Modo*, quo Sancti cognoscant nostras preces, nihil adhuc determinaverit Ecclesia, nihil officit dissensio Doctorum. Sed quare non definit Ecclesia etiam modum? R. quia nunquam adhuc judicavit, id necesse esse. Sufficit, quòd definierit, rectè invocari Sanctos. Ex qua definitione colligunt quidem plerique, etiam indirectè definitum esse ab Ecclesia, quòd Sancti absolutè cognoscant nostras preces & necessitates in particulari. Quod tamen alij negant, licèt minùs probabiliter, asserentes, posse invocationem & auxilium Sanctorum etiam in particulari subsistere, etiamsi Sancti nostras orationes & necessitates in particulari non videant; eò quòd possent generaliter Deum rogare pro omni-

omnibus illis in particulari, qui illorum intercessionem implorant apud Deum, omnia videntem, omnia audientem. Et sic sentit Vetweiss in Speculo f. 249. & probabiliter etiam S. Aug. l. de cura pro mortuis c. 16. Adeóque probabiliter fortè non est definitum, quòd Sancti à nobis invocati sciant in particulari preces nostras & necessitates, eò quòd tamen eorum invocatio posset nobis in particulari esse utilis, consequenter hoc etiam transmisso tamen illæsus staret adhuc articulus fidei de Invocatione Sanctorum. Pro qua

19. Dicendum 2. Sancti in cœlo existentes rectè & utiliter invocantur à nobis. Quamquam hæc assertio explicitè & claris terminis non contineatur in Scripturis, ideireo tamen neganda non est, sicut propterea negandum non est, nec negatur ab Adversarijs, Deum esse trinum in Personis, in Christo esse duas quidem naturas, unam tamen personam, Spiritum S. procedere à Patre & Filio, parvulos ante usum rationis esse baptizandos &c. quòd in Scripturis clarè non sint expressa. Cæterùm cur in libris Antiqui Testamenti non fiat clara mentio Invocationis SS. ratio congruens esse potest, tum quòd tunc Beati nondum fuerint, qui sanctè obierunt, adeóque ordinariè ignari nostrarum rerum, tum quia periculum fuisset idololatriæ in populo, ad vitium hoc valde proclivi. Cur autem libri Novi Testamenti nihil de ea explicitè meminerint, ratio potest esse, tum ne Gentiles conversi crederent se rursus adduci ad colendos Terrigenas, & ne veteri more suo inciperent Sanctos colere ut Deos, tum quia nullus illo tempore, quo plerique libri Sacri conscripti sunt, eximiæ & notæ Sanctitatis vir obierat; vivebant enim adhuc Apostoli & Evangelistæ cum B. Virgine: & sanè, si isti Scriptores sacri multùm scripsissent de cultu & invocatione Sanctorum demortuorum, suspicionem arrogantiæ potuissent incurrere, quasi quærerent gloriam suam etiam post mortem. Deus ipse statim post eorum fata satis docuit tum per miracula, & varia beneficia hominibus, hos Sanctos colentibus, concessa, tum per traditionem, Sanctos hujusmodi rectè & utiliter invocari. Nihilominus tamen multa occurrunt in Scripturis, ex quibus rectè deducitur Angelorum hominúmque defunctorum invocatio. Unde assertio

Probatur 1. ex Scripturis. Gen. 48. dicit Jacob: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Oseæ 12. v. 4. *Jacob invaluit ad Angelum, flevit, & rogavit eum*, scilicet ut sibi benediceret adversus Esau se insequentem Gen. 32. ergo Jacob invocavit Angelum tum pro se tum pro alijs. Excipit Gerardus, & dicit, hìc per Angelum intelligi ipsum Dei Filium incarnandum. Sed communior Interpretum mens est, intelligi Angelum creatum, quem sonat ipsa vox, accipienda in sensu proprio, cùm indè non sequatur absurdum. Qui oppositum dicere videntur, intelligendi sunt, quòd Angelus fuerit tantùm repræsentativè Filius Dei, utpote quem incarnandum repræsentabat, non verè & entitativè. Porro Jobi 5. Eliphaz Jo-

bum amicum suum commonuit & dixit: *ad aliquem Sanctorum convertere*, ubi nomine Sanctorum intelligit Angelos S. Augustinus apud Pined. ergo saltem subinde fuerunt in Veteri Testamento invocati Angeli, & credendum est, hanc invocationem rectè & utiliter fieri. Apoc. 5. dicitur: *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Ubi per 24. Seniores intelliguntur Sancti Veteris & Novi Testamenti, qui tum jam fruebantur visione beatifica, & non secus ac Angeli Apoc. 8. offerebant Deo orationes Sanctorum, in terris adhuc degentium. Demum Baruch. 3. v. 4. Judæi in calamitatibus suis ita precantur: *Domine Omnipotens Deus Israel audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te.* Quid hoc est aliud, quàm invocare demortuos justos, ut cum & pro vivis peccatoribus Deum deprecentur?

Prob. 2. maximè ex Traditione Apostolica, quam nobis declarat tum praxis perpetua fidelium tum Patrum testimonia. Traditio autem Apostolica, utpote Verbum Dei non scriptum, eandem vim habet ac Scriptura Apostolica. Jam sic: nescitur initium temporis, quo fuerit introducta invocatio Sanctorum: atqui juxta regulam S. Augustini l. 2. de Bapt. contra Donat. c. 7. communiter receptam credendum est, ejusmodi à temporibus Apostolorum proficisci; dicit enim: *Quod Ecclesia universalis suo tempore observat, nec est per Concilia Generalia institutum, credi debet ex Apostolica Traditione esse.* Cùm igitur certum sit ex Patribus, quos statim adducam, sæculo IV. & V. jam fuisse in usu invocationem Sanctorum, nec nominari possit Concilium, quod eam primitus statuisset, rectè creditur, statim post tempora Apostolorum, & præcedentibus sæculis jam fuisse usitatam. Jam ad Patres sæculi IV. & V. S. Ambros. precatione 2. præparante ad Missam: *Ut efficax mea sit deprecatio, B. MARIÆ Virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti &c. Apostolorum intercessionem imploro &c. Martyrum preces deposco &c. Confessorum orationes expostulo.* S. Chrysost. in Liturgia sæpius invocat preces B. V. & aliorum Sanctorum. S. Augustinus in Meditationibus c. 40. sic orat: *Sancta & Immaculata Virgo DEI Genitrix MARIA, & Mater Dei Domini nostri JESU Christi, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici templum. Sancte Michael, S. Gabriel, S. Raphael, SS. Chori Angelorum, atque Archangelorum, Patriarcharum, atque Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumque Justorum: per illum, qui vos elegit, & de cujus contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo, ut pro me culpabili ipsi Deo supplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli, & de morte perpetua meream liberari.* Idem ser. 18. de Sanctis: *S. MARIA succurre miseris: juva pusil-*

pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo &c: *Tu es spes unica peccatorum* &c. Et l. 20. contra Faust. Manich. c. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate celebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur.* Quot verba, tot fulmina. Patres Concilij Generalis Chalced. act. 11. unanimiter dicebant: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Quod postea adhuc clariùs expressérunt Patres Conc. Gen. sexti sic pronuntiantes: *Christianus solo Deo Creatore suo adorato invocet Sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem Divinam dignentur.* Tacco clara testimonia aliorum PP. Athanasij, Cyprian. Orig. Hilar. Ephrem, Basilij, Greg. Nyss. Greg. Naz. Cyrill. Hieros. Epiph. Hieron. Paulini, Sulpitij Severi, Maximi, Chrysol. & Historicorum Theodoreti, Euseb. Sozomeni &c. quos vide apud Gaulterium, Coccium, Canisium, Peresium.

Tanta testium nube convicti negare non audent Adversarij, IV. sæculo jam viguisse invocationem Sanctorum. Hinc se recipiunt ad prima tria sæcula, præsertim M. Lomer, ex his antiquitatis latebris eam oppignari posse ratus; & hoc nequiter facit, quia scit, primis tribus sæculis, propter gravissimas persecutiones Christianorum, nec Concilium Generale haberi, nec multa monumenta Patrum relinqui posteris potuisse; cùm ferè nulla quies scribendi ipsis concessa fuerit, vel quæ scripta fuere, omni conatu abolere conati sint barbari gentiles. Sed fallitur: etiam ex his tenebris, Deo ita disponente, promicat veritatis lux, & idonei exstitere testes. In Liturgia S. Petri sic legitur: *Imprimis sanctæ gloriosæ, semperque Virginis MARIÆ, BB. Apostolorum & Martyrum, quorum intercessionibus & precibus concede* &c. In Liturgia S. Jacobi: *Commemorationem agamus Sanctissimæ &c. Dominæ nostræ, Matris Dei, & semper Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum, ut precibus atque intercessionibus eorum omnes Misericordiam consequamur.* Vid. Cocc. to. 1. l. 5. a. 4. S. Dionys. Areop. p. 866. edit. Colon. 1557. *Parvitatis sua conscius adeat ad aliquem sanctum hominem, petitum, ut se adjuvet, ac pro se roget.* Hæc pro I. sæculo. Pro II. testatur S. Irenæus l. 5. c. 19. *Sicut Eva seducta est, ut effugeret Deum, sic MARIA suasa est obedire Deo, ut virginis Evæ Virgo MARIA fieret Advocata.* Pro III. Origenes in Lament. *Incipiam me genibus prosternere & deprecari universos Sanctos, ut mihi, non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, succurrant.* S. Cornelius in translat. Corporum Apost. ep. 1. *Orantes Deum & Dominum nostrum JESUM Christum, ut intercedentibus suis Sanctis Apostolis maculas vestrorum purget peccatorum.* S. Cyprianus in tract. de habitu Virginum in fine: *Durate fortiter, spiritualiter pergite, pervenite feliciter: tantùm mementote tunc nostri, cùm ineipiet in vobis Virginitas honorari.*

Prob. 3. ex Miraculis, quæ Deus edidit ad intercessionem Sanctorum, qui

sunt invocati,& ex innumeris beneficijs, quæ quotidie impetrant pij fideles per & ab ijs Sanctis, quos devotè invocant. Est autem incredibile, quòd pij cæteroquin homines, tanto numero, per omnes ætates, in varijs locis, qui testantur, se per Sanctos à se invocatos impetrâsse sanitatem corporis, liberationem à periculis &c. sæpe non sine miraculo, omnes mentiantur, vel ex simplicitate seipsos decipiant. Nemo prudens hoc dixerit. Ergo placet Deo invocatio Sanctorum, quam tot beneficijs, etiam prodigiosis, approbat, de quibus multa jam olim posteris tradiderunt Theodoretus l. 5. histor. SS. Ambr. August. Greg. Turon. Gregorius M. 3. Dialogorum c. 22. & seqq. Hinc illa anathemata, quæ tanquam acceptorum beneficiorum testimonia publicè appenduntur in templis, de quibus Theodoretus de Græcarum affectionum curatione l. 8. scribit: *Piè fidelitèrque precatos ea maximè consequi* (à DEI Martyribus) *quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persolvunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porro manuum simulacra suspendunt ex argento aurove confecta.*

Prob. 4. ad hominem invicto argumento. Viventes à viventibus rectè & utiliter invocantur tanquam intercessores apud Deum: ergo etiam Sancti jam in cælo regnantes à viventibus in terra adhuc constitutis. Ant. admittunt Adversarij. Cons. Prob. quia Sancti in cœlo non minùs possunt & volunt nos juvare, quàm justi in hac vita existentes, imò magis possunt, quia sunt amici Dei in gratia jam confirmati, magisque volunt, quia puriori charitate nos diligunt. Unde S. Hier. adversus Vigilantium hæreticum c. 3. sic intulit: *Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus pro peccatoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cæperint, minùs valebunt?*

Dices cum Lomero. Ab invocatione fidelium vivorum, quam admittunt Lutherani, nequaquam inferri potest licitus usus invocandi Sanctos in cœlo, quem Catholici tenent. Ratio est 1. Quia Catholici invocant Sanctos defunctos religiosè. 2. Cum devotione cordis. 3. Cum fiducia in eorum meritis. 4. Non tantùm ut intercessores, sed etiam ut auxiliatores. 5. Sine voluntate Dei, quia sine mandato, sine exemplo probato, & sine promissione in Scripturis contenta. 6. Sancti in cœlo sunt longè absentes, adeóq; preces nostras nonaudiunt, nihil de necessitatibus nostris in particulari sciunt. Contraria omnia reperiuntur in invocatione viventium, prout est apud Lutheranos. R. illatio est optima. Quæ opponuntur, non sunt ad rem; quòd enim invocatio sit *religiosa*, juxta sensum superiùs explicatum, cum aliqua *devotione* & *fiducia*, quæ ponitur in meritis Sanctorum eatenus, quatenus propter illa sunt Deo valde grati, & ideo in precibus valde potentes; nihil detrahitur Deo, nec nimium tribuitur creaturis. Si invocentur ut *auxiliatores*, ita invocantur, non quòd ex propria vir-

virtute, & rebus, quas habent exse, nobis tribuant, sed ex ijs, quæ acceperunt à Deo, & quantum alijs dispensandum concessit Deus. Nunquid homo ab homine vivente adhuc sæpe petit non tantùm patrocinium, sed etiam auxilium, sine præjudicio Dei? Quòd sit *voluntas Dei*, patet ex tribus adductis argumentis, & patebit magis adhuc ex sequenti; etiamsi nullum mandatum exstet, nec clarum fortè exemplum, & peculiaris promissio sit in Scripturis. Quòd Sancti in cœlo *cognoscant* nostras preces & necessitates in particulari, satis jam probavimus. Quòdsi etiam nescirent in particulari, possent fortè tamen rectè invocari, ut intercederent apud illum, qui perfectissimè novit omnia, ut scilicet DEUS se invocantibus largiretur id, quòd petunt à Sanctis & per Sanctos. Vid. p. 506.

Prob. 5. ex ratione. Invocare Sanctos in cœlo existentes est res pia, DEO gloriosa, Sanctis honorifica, hominibus perquam salutaris, nullibi prohibita: ergo rectè & utiliter invocantur. Ant. prob. *pia* est, quia fit cum pio animi motu, scilicet cum humiliatione sui, æstimatione amicorum Dei, spe al quid obtinendi à Divina Misericordia per intercessionem Sanctorum; *Deo gloriosa*, quia sic colitur Deus in Sanctis suis, & simul Christus, quia cœli principes & dilectissimos Dei amicos facimus Deo supplices & compræcatores nostros, cùm nos propter peccata & vilitatem nostram sine Patronis, Deo & Christo magis dilectis, quàm nos sumus, apparere non audeamus. *Sanctis honorifica*, quia magni facimus sublimem eorum amicitiæ cum Deo gradum. *Hominibus salutaris*, quia sic facilius & certius obtinent, quæ petunt. *Nullibi prohibita*, ut patebit ex solutione objectionum.

Solvuntur Objectiones.

21. Ob. 1. Invocatio religiosa Sanctorum cedit in injuriam Dei, & est idololatria: ergo. Ant. prob. 1. Quia omnis cultus religiosus pertinet ad primam tabulam, consequenter soli Deo competit. 2. Quia omnis vera & religiosa invocatio fertur in eum, qui est omniscius, omnipotens, ubique præsens. 3. Quia Scriptura dicit, solum Deum esse invocandum religiosè: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Deut. 6. Mat. 4. *Quomodo invocabunt, in quem non credidérunt?* Rom. 6. atqui in solum Deum potest credi: ergo.

R. N. Ant. nec enim Idololatria est, ut est *invocatio*, aliàs nec Adversarij sine Idololatria possent invocare existentes in hac vita: nec ut est *religiosa*; quia cultus religiosus bifariam dividitur, scilicet in latriam & duliam, ut suprà vidimus: & quia invocatio Sanctorum non est sub præcepto, ideo propriè nec ad primam nec ad secundam tabulam Decalogi, ubi mera præcepta continentur, pertinet: reductivè autem pertinet

net immediatè ad tabulam secundam, mediatè & ultimatò ad primam, sicut charitas, qua diligitur proximus propter Deum; eò quòd cultus religiosus deferatur Sanctis ultimatò propter Deum, quem adoramus in Sanctis suis. Ps. 150. Unde patet ad prob. 1. quæ absolutè negatur. Utì & 2. prorsus enim gratìs dicitur, non posse invocari religiosè illum, qui non est omniscius &c. Licèt Sancti non omnia cognoscant, cognoscunt tamen nostras preces ad se directas; licèt non sint ubique, & apud nos physicè, dum eos invocamus, sunt tamen præsentes intentionaliter & quoad cognitionem &c. Ad 3. Scriptura nec verbulum dicit de invocatione *religiosa*. Textus 1. nihil aliud vult, quàm Deum solum esse adorandum proprijssimè, & colendum cultu latriæ, illique soli ut supremo Domino serviendum, aliàs Adversarij nec possent colere se invicem, & invocare viventium preces, nec possent admittere famulos famulásque. Textus 2. est contra Gentiles, qui utique non possunt invocare verum Deum, nisi priùs credant in illum, tanquam auctorem salutis. Deinde N. m. quòd non possit credi etiam in creaturam, non quidem ut Deum, sed ut gratam Deo & sanctam; nam apud Hebræos idem sunt *credere aliquem, & credere in aliquem*, Sic. Exod 4. v. 21. dicitur: *(rediderunt in Deum, & in servum ejus Moysen.* Unde rectè etiam sic intelligitur textus: quomodo invocabunt Sanctum, in quem non credunt, hoc est, quem non credunt esse sanctum?

Ob. 2. Invocatio Sanctorum cedit in injuriam Christi: ergo. Ant. prob. quia ipse solus est noster Mediator & Advocatus, cujus merita sunt infinita, & sufficientia ad quidvis impetrandum. *Unus Mediator Dei & hominum homo Christus JESUS.* 1. Tim. 2. *Non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri.* Act. 4. *Per ipsum habemus accessum ad Patrem.* Eph. 2. R. 1. retorq. argumentum: Adversarij invocant alios præter Christum, scilicet homines in hac vita existentes, miseros adhuc & de salute incertos: ergo injuriam faciunt Christo. Replicabis cum Lomero, à Lutheranis invocari in hac vita existentes juxta voluntatem DEI, quia in Scripturis habetur exemplum &c. item non religiosè: ergo est disparitas. R. hoc est saltitare, & nihil dicere ad rem, quo modo semper saltitat Lomerus, ut sic effugiat vim retorsionis allatæ. Hic non est quæstio, utrùm invocatio quà *religiosa* Sanctorum cedat in injuriam Christi, nec quatenus est *præter voluntatem Dei*, sed quatenus est *invocatio alterius*, qui non est Christus, eò quòd ipse *solus* & *unicus* Mediator sit &c. atqui Adversarij invocant etiam alios præter Christum: ergo argumentum æquè premit ipsos. Reliqua duo huc non pertinent, & seorsim examinantur. 11.

R. 2. N, A, Ad prob, Christus rectè dicitur unicus Mediatôr noster, scilicet principalis, & talis, *qui nos redemit* proprio sanguine: & infinitô meritorum suorum pretiô (quia profecta sunt à persona infinitæ dignitatis) nos DEO reconciliavit; Paulus enim statim subjun-

jungit : *Qui dedit Redemptionem semetipsum pro nobis*, Cum quo tamen stat, Sanctos esse Mediatores & Advocatos secundarios, ministeriales, mediatos, subordinatos &c, quorum intercessio (uti & ipsa olim merita à viventibus adhuc collecta) omnem suam vim & efficaciam habet ex meritis Christi, qui pro nobis intercedendo non adjuvant mediationem & intercessionem Christi, utpote ex se infinitè sufficientem, sed adjuvant nos impetrando à Christo, ut Christi merita nobis applicentur in ordine ad obtinenda beneficia, quæ petimus: qui longè alio modo pro nobis intercedunt, quàm Christus; nam Christus (scilicet quà homo; quà DEUS enim mediare & intercedere non potest) authoritativè se interponit, exhibens sua merita, quibus nihil denegari potest; Sancti verò in cœlo (uti & in hac vita existentes) more supplicum per Christū & à Christo rogant, non sua, sed Christi, merita pro nobis allegantes, & quorum intercessio absolutè potest non exaudiri. Quod non cedit in injuriam Christi, sed potiùs in gloriam. Itaque Christus est unus Mediator, non quia solus, sed quia principalis & primarius est. Cæteri, uti & B. V. potest vocari Mediatrix *Intercessionis*. Eodem modo intelligendi sunt reliqui duo textus: per Christum solum *primariò*, *meritoriè*, *& ultimatò* nos oportet salvos fieri, aliàs idem Paulus malè dixisset, imò sibi contradixisset, dum 1. Cor. 9. v. 22. scripsit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Paulus itaque potuit etiam salvare, sed secundariò, instrumentaliter, immediatè cooperando per prædicationem Evangelij &c. Sic etiam per solum Christum tanquam Advocatum principalem *habemus accessum ad Patrem.* Quòd si verò M. Lomer pergat contendere quòd *unus Mediator* &c. strictè accipi debeat pro *solo*, hodie debebit adhuc deponere titulum *Magistri*, quia scriptum est: *Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus.* Mat. 23. v. 10.

Ob. 3. Deus & Christus volunt, ut nostram fiduciam omnem ponamus in se, non in hominibus: sed Catholici invocando Sanctos in hominibus ponunt fiduciam, sæpe majorem quàm in Deo & Christo: ergo. Ma. prob. ex Scriptura: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ.* Heb. 4. *Sic orabitis: Pater noster, qui es in cælis.* Mat. 6. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Jerem. 17. v. 5. R. 1. retorq. argum. Atqui Adversarij ponunt fiduciam in hominibus, v. g. subditi in suo Principe, liberi in parentibus, amici in amicis, clientes in patronis. Retorq. aliter: atqui Adversarij invocando fideles, in hac vita existentes, ponunt fiduciam aliquam in hominibus, ut fatetur M. Lomer p. 222. **Andere mahligen Abfertigung.** Sed statim iterum excipit, & dicit, se ideo in his ponere fiduciam, quia cognoscunt preces & necessitates se invocantium, & quia viventes invocantur juxta voluntatem DEI. Aliter se res habet in invocatione mortuorum. At hoc iterum est saltare extra rhombum, & ab uno ad alterum, ut inveniatur effu- 23.

gium. Hìc quæstio non est, an Sancti demortui cognoscant nostras preces & necessitates, an invocentur juxta voluntatem Dei, quæ seorsim examinantur, sed præcisè utrùm in aliquo alio, quàm in Deo, & Christo, possit poni aliqua fiducia cordis. Si negat Lomerus, sibi & suis contradicit; si asserit, nihil probat hoc argumentum.

R. 2. Dist. Ma. volunt, ut in Deo, tanquam in Auctore omnium gratiarum, & auxiliatore supremo, in Christo verò tanquam in Mediatore principali, omnem fiduciam nostram ponamus ultimatò, in hominibus verò solùm tanquam intercessoribus, & mediatoribus secundarijs, ac non ultimatò C. M. alio modo N. Ma. In hominibus sanctis, quos invocamus, ponimus aliquam fiduciam non ultimatò, nec tanquã in auctoribus gratiarum, qui ex se & bonis propriis nos juvare possint, & per sua merita, sed tantùm tanquam in intercessoribus Deo valde gratis. Et quò quis major est in sanctitate, eò major in ejus intercessione rectè ponitur fiducia; sicut enim justitia & status gratiæ est conditio in orante, ut exaudiatur, *quia Deus peccatores non audit.* Jo. 9. v. 31. ita major justitia & sanctitas intercedentis est conditio & motivum impellens, ut citiùs & faciliùs exaudiatur. Textus probant quidem, in Deo & Christo ponendam esse fiduciam, eósque immediatè posse rogari, non tamen dicunt, quòd in ijs *solis* sit ponenda fiducia, & per alios rogari non possint tanquã per intercessores, sive vivos adhuc, sive mortuos. Textus ultimus, qui maledictum pronuntiat in illum, qui confidit in homine, facilè intelligitur, si legantur verba immediatè sequentia: *Et ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus*, quando scilicet homo confidit solùm & ultimatò in homine carnali, ac penitus relinquit Deum, acsi homo satis esset potens ex se, & sine Deo, ad juvandum.

Dices. Deus ipse amat nos magis quàm Sancti, & est paratissimus ad nos exaudiendos: ergo in ipso solo confidendum. 2. Ipse per se jam scit necessitates nostras, nec indiget monitoribus, scilicet Sanctis, qui quasi Deo aures vellicent, vel commoneant. Hinc reprehendit etiam Matrem suam, non quòd pro hospitibus intercesserit, sed quòd importunè monuerit Christum, quasi ipse nesciviisset vini defectum. 3. Quod potest fieri paucioribus, non debet fieri pluribus: ergo cùm immediatè accedendo Deum possimus assequi Divina beneficia, non debemus circumcursare apud Sanctos ad ea obtinenda. R. 1. retorq. totum argumentum quoad omnia tria membra in invocatione viventium. R. 2. directè ad 1. licèt Deus nos valde amet, & ad auxiliandum sit paratissimus, tamen magis amat Sanctos, utpote ab omni macula puros; & nos sæpe propter peccata nostra & tepiditatem in orando non sumus digni, qui exaudiamur, atque ideo adhibemus Patronos ipsi valde gratos, ut per eos impetremus, quòd nobis meritò negare-

tur:

tur: quo pacto non diffidimus Bonitati Divinæ, sed potiùs indignitati nostræ, scientes, Deum non tantùm esse bonum, sed etiam justum. Ad 2. Non adhibemus Sanctos, ut moneant Deum, quasi Deus aliquid nescire, vel obliviscì posset, sed tanquam patronos, ut eorum, quos valde diligit, intercedentium intuitu nos benigniùs exaudiat, ferè sicut Moyses orans proposuit Deo dilectos amicos: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum* &c. Exod. 32. 13. Quod additur, & identidem obtruditur de B. Virgine, negatur, illam importunè monuisse Christum, aut ex ignorantia omniscientiæ Christi, vel ab hoc fuisse reprehensam: sed potiùs hanc Virginis intercessionem Christo placuisse, patet ex effectu, quia fecit, quod illa modestè insinuando petijt; simul tamen indicat per hæc verba, *mulier quid mihi & tibi*? quòd ipsi *ratione Maternitatis* non competat jus petendi miracula, quia non sunt actiones Humanitatis, quam solam habuit à Matre, sed Divinitatis; atque in ijs petrandis, uti & in alijs rebus Divinis, non attendi debeat affectus naturalis erga parentes, sed gloria Dei, & utilitas proximi; atque hinc appellavit non *Matrem*, sed *mulierem*, quasi exteram; sine ulla tamen reprehensione, ut apud Cornel. à Lapide interpretantur Beda & August. Ad 3. N. Conf. vel potiùs suppositum, quòd Deum solum immediatè accedentes tam facilè & securè consequamur Divina beneficia, tum propter indignitatem nostram, tum propter DEI decretum, quædam dare nolentis nisi intercedentibus Sanctis, ut partim ab experientia partim ex Patrum doctrina colligitur.

Ob. 4. In Scripturis nullum exstat mandatum, vel probatum exemplum invocationis Sanctorum alterius vitæ, vel promissio exauditionis: ergo non rectè & utiliter invocantur. Hanc crambem perpetuò coquit & recoquit Lomerus. Sed facilè R. 1. retorq. argum. Lutherani baptizant infantes ante usum rationis, servant jejunium naturale ante Communionem sacram, improbare nequeunt votum castitatis, nec improbant apud illos, qui habent hoc donum: & tamen nullum de his exstat in Scripturis mandatum, probatum exemplum, & promissio particularis atque explicita. Igitur transmisso A. N. C. R. 2. Multa rectè fiunt, etiamsi in Scripturis non sint *mandata*, uti servare Virginitatem, omnia dare pauperibus &c. Imò ipse Lomerus p. 273. rotundè fatetur, invocationem Sanctorum, etiamsi nihil omnino in Scripturis de ea contineretur, ex hoc capite non fore illicitam & prohibitam. Rursus, etiamsi nullum *exemplum* exstaret in Scripturis (exstare tamen suprà ostendimus in probatione 1.) sufficerent exempla innumera piorum fidelium, & SS. Patrum, de quibus in probatione 2. satis est dictum. *Promissio* particularis non est necessaria, cùm etiam Lutherani admittant, Sanctos in cœlo generaliter pro nobis orare, & aliquid impetrare, licèt de hoc nullam afferre possint promissionem particularem. Promissio autem generalis etiam 25.

est pro invocatione & intercessione Sanctorum, ubi nimirum DEUS promisit exaudire preces supplicantium, sine ulla exceptione dicens: *Petite, & dabitur vobis.* Mat. 7. *Omnis enim, qui petit, accipit,* ibidem & alibi sæpius. Sed qui invocant Sanctos, petunt aliquid à DEO, scilicet per & cum Sanctis.

26. Dices. Si invocatio Sanctorum esset cultus DEO gratus, & nobis utilis, haud dubiè in SS. Litteris id nobis revelásset DEUS; quia omnem voluntatem suam de obtinenda nostra beatitudine ibidem nobis revelavit. Hoc magni momenti argumentum (inquit M. Lomer p. 165.) Jesuitæ dextrè dissimulant, nihilque respondent. 2. Omnis cultus DEO gratus debet esse juxta voluntatem DEI: sed si in Scripturis non exstat præceptum, formula, exemplum, promissio, non est juxta voluntatem DEI: ergo. Atqui de invocatione Sanctorum non exstat præceptum &c. M. P. ex Apostolo, qui Coloss. 2. v. 8. 22. prohibet omnem cultum electitium, seu ab hominibus excogitatum, qui vocatur ἐθελοθρησκεία. R. N. absolutissimè assertum, & retorq. in Baptismo parvulorum, jejunio naturali ante Communionem sacram, Mysterio Trinitatis, existentia, integritate, puritate Scripturæ S. & in alijs plurimis, quæ necessariò credenda aut facienda judicant ipsimet Lutherani, & tamen in Scripturis vel nulla, vel non nisi obscura fit mentio, uti demonstravimus suprà de Scriptura S. Datur nimirum etiam alius modus aliqua nobis revelandi præter Scripturam, scilicet per Traditiones, quæ sunt Verbum DEI non scriptum. Deinde satis deducitur invocatio Sanctorum etiam ex Scripturis, ut ostensum est in nostris probationibus. En! quàm dextrè & facilè respondeant Jesuitæ, & nihil dissimulent. Ad 2. D. M. debet esse juxta voluntatem DEI vel præcipientem, vel consulentem, vel approbantem. C. M. semper juxta voluntatem DEI præcipientem. N. M. DEUS nullibi improbat invocationem Sanctorum, imò positivè probat, ut patet ex nostris probationibus. Paulus tantùm rejicit cultus superstitiosos, inanes, falsos, *contra* 28
DEI aut Christi voluntatem ab hominibus excogitatos.

Ob. 5. Sancti nihil sciunt de nostris precibus in particulari: ergo. A, P. ex Scriptura. *Tu nôsti SOLUS cor omnium filiorum hominum.* 3. Reg. 8. *Mortui nihil noverunt amplius.* Eccl. 9. *Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos.* Isa. 63. R. N. A. Textus 1. debet sic intelligi: DEUS *solus* cognoscit corda hominum, seu secreta cordium, ex natura sua, & ex infinita ac intrinseca perfectione, quo sensu dicitur etiam *solus* bonus, immortalis, justus, faciens mirabilia; tamen hæc omnia possunt convenire etiam hominibus, sed alio modo, scilicet non per essentiam & naturam, sed per communicationem & participationem: sic cognoscunt Sancti secreta cordium per cognitionem participatam vel specialem revelationem. Textus 2. & 3. loquuntur de cognitione naturali, quam solam habebant mortui, etiam justi, ante adventum & descensum Chri-

Christi ad inferos, utpote nondum Beati; non de cognitione supernaturali, quam habent Beati in cœlo, intuitivè videntes DEUM. Ordinariè itaque, & dempta speciali revelatione, tunc nihil sciebant de ijs rebus, quæ gerebantur in terris, licèt probabiliter etiam ijs revelaverit DEUS, dum per illos vivi rogabant DEUM. Adde, quòd ultimus textus videatur habere hunc sensum: Abraham & Jacob nesciunt nos, hoc est, non agnoscunt nos pro filijs suis propter peccata nostra, ut vult S. Hier.

28. Ob. 6. Conc. Laodicenum Lege prohibuit, ne homines precarentur Angelos propter illum textum Pauli: *Nemo vos seducat volens in humilitate & Religione Angelorum* &c. Coloss. 2. v. 18. Ita testatur Theodoretus. Item S. Chrysostomus hom. 5. in Mat. ait: *Deus salutem nostram non tam alijs pro nobis rogantibus vult donare, quàm nobis &c. Sic meretrici donavit salutem: sic latronem è cruce in Paradisum transtulit: nullius Patroni, nullius precibus Mediatoris inflexus.* R. quid sentiant Concilia & Patres de invocatione Sanctorum, in probatione 2. vidimus. Conc. Laodicenum imprimis est tantùm Particulare, cujusmodi infallibilia non sunt nisi secundùm ea, quæ à Papa approbantur, vel à tota Ecclesia recipiuntur. Deinde cum Paulo solùm damnat hæresim, vel potiùs idololatriam Simonis Magi, docentis, quosdam Angelos velut quosdam minores Deos esse adorandos, qui fabricâssent mundum &c. Ita Paulum intelligunt S. Hieron. S. Chrysost. & alij PP. Item docentis, Deum apprehendi non posse, sed per Angelos esse placandum. S. Chrysost. ibi agit contra illos, qui in propria persona orare nolunt, sed præcisè alienis precibus juvari volunt; subjungit enim: *Hæc dicimus, non ut supplicandum esse Sanctis negemus, sed ne dormientes ipsi alijs tantumodo nostra curanda mandemus.* Deinde fatemur, absolutè non esse necessariam invocationem Sanctorum, & posse nos immediatè accedere ad solum Deum & exaudiri, licèt dicamus, ordinariè nos faciliùs & certiùs exaudiendos, si Sancti nobiscum orent Deum; quod ipsum dicere debent Adversarij, invocantes eos, qui adhuc vivunt.

Ob. 7. Sancti in cœlo jam accepe- 29.
runt omne præmium pro suis operibus bonis, scilicet æternam gloriam: ergo nihil supereſt, quod alijs impetrent vel elargiantur. 2. Sancti in cœlo sibi ipsis nihil ampliùs mereri possunt: ergo multò minùs nobis. 3. Videtur sapere Ethnicismum, dum aliqui Sancti invocantur pro viatoribus, alij pro capitrvis, alij pro febri, vel alio morbo laborantibus, alij pro bobus, alij pro ovibus &c. quasi tanquam Dij præsiderent his creaturis, sicut Dij Gentilium. 4. Aliqui, quos invocant Catholici, nec existunt in rerum natura, ut Georgius, Christophorus, Catharina, cùm eorum Legendæ scateant fabulis, & aliorum Sanctorum Legendæ sint prorsus ridiculæ. 5. Experientia docet, Sanctos sæpe invocari frustra in morbis, periculis &c. ergo.

R. ad 1. Jam acceperunt omne præmium eſſentiale, quod conſiſtit in viſione intuitiva Dei C. Ant. accidentale, ad quod ſpectat etiam invocari ab hominibus, exaudiri preces à Deo, gloria corporis ſuo tempore &c. N. Ant. & Conſ. Ad 2. licèt nunc nihil ampliùs mereri poſſint pro ſe, & multò minùs pro nobis, meriti tamen ſunt in vita pro ſe, & ſic aliquo modo pro nobis, quatenus nempe per merita ſua facti ſunt Deo valde chari, & conſequenter valde potentes in ſuis interceſſionibus pro nobis. Ad 3. Nos illos Sanctos, quos pro certis perſonis, certis in neceſſitatibus, morbis &c. invocamus, religiosè quidem invocamus, non tamen latreviticè, ut faciebant Gentiles, ſed cultu minore, ſcilicet duliæ & hyperduliæ. Cur autem certos Sanctos in certis caſibus imploremus præ alijs, indè fit, quia vel floruerunt ſpecialiter in aliqua virtute, vel plura in certo membro, vel certo cruciatuum genere, pro Deo paſſi ſunt, vel quia experientiâ didicimus, certos Sanctos in quibusdam neceſſitatibus ſæpius à Deo opem impetrâſſe, quàm alios, uti S. Sebaſtianum & S. Rochum in morbis peſtiferis, S. Antonium in rebus deperditis &c. Ad 4. hæretica eſt protervia dubitare, an ſint in rerum natura, quos Univerſalis colit Eccleſia. Vitæ aliquorum Sanctorum hiſtoriam fabulis quibusdam fuiſſe nonnunquam corruptam, & quædam Acta eſſe apocrypha fatemur, ſed indè non ſequitur, ejusmodi homines vel omnino nunquam fuiſſe, vel non eſſe Sanctos. Eccleſia non definit veritatem hiſtoriæ, ſed ſanctitatem hominum. Inter Legendas faciendum eſt diſcrimen: aliquæ ab Eccleſia ſunt approbatæ vel toleratæ: aliæ ſunt rejectæ & non approbatæ: hæ nullius ſunt auctoritatis, bene tamen illæ. Ad 5. Experientia etiam docet oppoſitum, in morbis, periculis &c. ſæpe manifeſtum auxilium à Sanctis & per Sanctos eſſe impetratum. Deinde nunquid etiam Adverſarij ſæpe fruſtra invocant ſuæ fidei alumnos in hac vita exiſtentes? Nunquid fruſtra ſæpe invocant Deum ipſum? an propterea hæc invocatio non eſt licita, vel omittenda? Sæpe non exaudimur, quia malè petimus, vel quia, quod petimus, non prodeſſe nobis novit Deus, & Sancti.

§. III.

De Reliquijs Sanctorum.

30. SCiendum 1. *Reliquiarum* nomine intelligi non ſolùm corpora Sanctorum, vel eorum partes, ſed etiam veſtes, baculos, roſaria, & alia, eorum uſu vel attactu ſacrata, uti ſunt inſtrumenta Martyrij, puta cruces, funes &c. imò & ſepulchra &c. Crux, in qua Chriſtus pependit, ejúsque particulæ ſpectant ad Reliquias, cæteræ verò cruces pertinent ad Imagines ſacras.

tas. Unde venerari decet particulas Crucis Christi, etiamsi non habeant formam crucis; cruces verò, quæ coluntur tanquam imagines Crucis Christi, colendæ ampliùs non sunt, postquam perdiderint formam crucis.

31. Sc. 2. Quæstionem esse, an & quo modo liceat venerari Reliquias sacras. Marcionistæ olim, Eunomius, & Vigilantius, pridem damnati hæretici, dicebant, corporibus Sanctorum non alium honorem & cultum competere, quàm sepulchrum. Ijs egregiam tulerunt operam Diocletianus tyrannus & Julianus Apostata Imperatores, nuper verò Calvinistæ, qui gentilium more & prorsus inhumano debacchati sunt in SS. Reliquias præsertim in Gallia, ubi ossa SS. Irenæi, Hilarij, & Martini effossa cremârunt, & pulverem in profluentem projecerunt. Minùs quidem sacras Reliquias tractant Lutherani, docentes, corpora vel ossa Sanctorum non irreverenter tractanda; cum prioribus tamen ijs denegant omnem cultum religiosum, cujusmodi juxta Gerardum de morte §. 95. est 1. illa populo religiosè veneranda monstrare. 2. Eadem spectantibus osculanda offerre. 3. Coram illis genua flectere, vel procidere. 4. Peregrinationes ad eorum loca instituere. 5. Arbitrari, quòd ibi preces citiùs exaudiantur. 6. Putare, quòd illorum cultus aliquid faciat ad impetrandam à DEO gratiam & remissionem peccatorum. 7. Reliquias decorare candelis accensis, serico, aliisque ornamentis. 8. Eas ad majorem juramentorum religionem adhibere. 9. Portare in collo ex devotione & fiducia ad DEUM & Sanctos. 10. Imponere languentibus & Defunctis impetrandæ opis causâ.

Sc. 3. Cultum rei sacræ competentem, adeóque religiosum, dividi in absolutum & respectivum. *Absolutus* est, quo quis alterum honorat propter excellentiam ipsi intrinsecam; & hic cultus non alteri nisi creaturæ rationali exhiberi potest. *Respectivus*, quo quis alterum honorat non propter excellentiam in ipso residentem, sed propter respectum, quem habet ad aliquid aliud; & hjc cultus potest exhiberi etiam rebus inanimatis. Sic imagines colimus propter prototypon, sive propter id, quod repræsentant, Reliquias SS, propter personas v. g, Christum, B. Virginem, vel alios Sanctos, quorum usu vel attactu nobilitatæ sunt, adeóque non quasi physicè ac in se ipsis essent res sanctæ, sed moraliter, & in æstimatione hominum propter Sanctos, à quibus sunt, vel quos respiciunt. Unde 32.

Dicendum. Sacras Reliquias venerari licet & decet, & quidem cultu religioso. Intellige *respectivo*, ut primùm explicavimus. Posterius membrum indiget solùm explicatione. Res sacra colenda est cultu sacro seu religioso: sed Reliquiæ sunt res sacræ, scilicet moraliter, quia sunt sacratæ usu vel attactu Christi aut Sanctorum: ergo colendæ sunt cultu religioso. Prius membrum 33.

Prob. 1. ex Scriptura. Deus ipse jubet nos honorare loca & res sanctas. Sic ad Moysen dixit: *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus*

locus enim, in quo stas, terra sancta est. Exod. 3. Sic Angelus ad Josue: *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est.* Jos. 5. *Adorate scabellum pedum ejus.* Ps. 98 hoc est, arcam Testamenti, quæ per scabellum hoc intelligitur 1. Paral. 28. Item DEUS ipse varijs miraculis honoravit corpora & reliquias Sanctorum; ergo & nobis licet decétque venerari. A. P. DEUS ipse sepelivit corpus Moysis, Deut. 34. Christus miraculosè sanavit mulierem hæmorrhoissam, postquam hæc *tetigit FIMBRIAM VESTIMENTI ejus.* Luc. 8. *Umbra* Sancti Petri sanabat infirmitates. Act. 5. *Sudaria & semicinctia* S. Pauli deferebantur ad ægros, & convalescebant. Act. 19. Taceo innumera miracula, quæ extra Scripturam S. referuntur à SS. PP. Augustino, Gregorio Turonensi, aliisque Scriptoribus tam veteribus, quàm recentibus, in quibus passim occurrunt prodigia, quæ contigerunt & hodiedum contingunt ad sepulchra Sanctorum, ad Reliquias sacras, ubi prodigiosa beneficia indies obtingunt religiosè ac devotè eas venerantibus.

Probatur 2. ex Traditione Apostolica, & perpetua Ecclesiæ praxi. De utraque apertè testantur SS. Patres & Historici; ab ipsis enim Ecclesiæ primordijs usque ad nostram ætatem sepulchra & corpora Sanctorum in tanto honore habita fuisse legimus, ut etiam templa & altaria DEO in honorem & memoriam eorum erecta fuerint. S. Clemens Apostolorum coætaneus l. 6. Const. Apost. c. 30. ait: *Eorum, qui in Deo vivunt, nec Reliquiæ sine honore manent.* S. Anacletus, quartus à D. Petro Papa, ep. 3. *Secunda sedes* (templum) *apud Alexandriam B. PETRI NOMINE à Marco discipulo ejus atque Evangelista CONSECRATA est.* S. Ignatij Martyris ossa Antiochiâ Romam honoris ergo translata esse meminit Niceph. l. 3. hist. c. 19. Euseb. Emiss. homil. de Blandina interrogat: *Ubi sunt, qui dicunt, venerationem sacris Martyrum deferendam non esse corporibus?* S. Chrysost. homil. 40. in SS. Juventium & Maximum: *Sæpe eos invisamus, capsulam attingamus, magnâque fide Reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur.* S. Aug. ep 103. *Reliquias B. Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas vestra (sicut & nos fecimus) quam convenienter honorare debeatis.* Lege l. 22. c. 8. de Civit. S. Hieron. ep. 11. ad Riparium docet, *Christianos solum Deum adorare, sed Martyres & Reliquias eorum venerari, quorum honor ad Dominum redundat, qui dixit: qui vos suscipit, me suscipit.* Videatur idem fusè contra Vigilantium, & ep. 53. ad Riparium.

Prob. 3. ex ratione. Lumen naturale dictat, honestum & æquum esse venerari id, quod fuit organum ad opera bona & virtutes exercendas, instrumentum Dei ad patranda miracula, destinatum ad perennem aliquando in cœlo gloriam: sed tale quid sunt corpora & ossa Sanctorum. Item venerari id, quod in nobis excitat pietatem, sti-

ſtimulat ad varias virtutes patientiæ, charitatis, caſtitatis, fortitudinis &c. ſed hoc efficiunt in nobis viſa ſepulchra, inſtrumenta paſſionis, & Reliquiæ Sanctorum: ergo. Huc facit dictum S. Ambroſii ſerm. 92. in feſto SS. Naz. & Celſ. *Honoro itaque corpus, quod Chriſtum honoravit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in cœlo.*

34. Ob. 1. Deus ſepeliendo corpus Moyſis abſcondit ipsémet, ne illud venerarentur Judæi: ergo Deus non vult nos venerari Reliquias. 2. Jubet idem Deus ſepeliri corpora mortua Eccl. 38. *Fili in mortuum produc lacrymas, & ſecundùm judicium contege corpus illius*: ergo alius ipſis honor deferri non debet; præſertim cùm turpe ſit & ignominioſum mortuis, ſi eorum corpora extra ſepulchrum ſinantur publicè computreſcere. 3. Chriſtus reprehendit Phariſæos, quòd ornaverint ſepulchra Sanctorum: *Væ vobis, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum* Mat. 22.

R. ad 1. Tranſ. Ant. N. Conſ. Deus honoravit corpus Moyſis, quòd ipſe ſepeliverit, & ſic docuit, corpora Sanctorum honorari poſſe; & ideo rectè honorantur ab Eccleſia, eò quòd nunc nullum ſit ampliùs idololatriæ periculum, quale fuerat apud Judæos, qui corpus Moyſis, ſi ſciviſſent ejus tumulum, facilè adorâſſent tanquam Idolum, exemplo Gentilium inducti, inter quos diu vivebant in Ægypto. Ad 2. ibi eſt ſermo de Sepultura ſtatim poſt obitum, quam Catholici non negant viris ſanctis; eò quòd corpora recèns mortua tetrum exhalent fœtorem, & propter ſaniem horrori ſpectantibus, ac ignominiæ ſorent Sanctis: at poſtquam exeſa, & ab omni fœditate purgata, ac inſuper pretiosè ornata ſunt, rectè exponuntur hominum oculis; idque Sanctis glorioſum, & ſpectantibus utile eſt, eò quòd excitetur eorum memoria, & horum imitandi ſtudium. Ad 3. Chriſtus reprehendit Phariſæos, partim propter hypocryſim, quia iſto externo cultu contenti internas animæ virtutes negligebant, volentes tamen pro valdè probis haberi; partim propter crudele eorum mores, quia non Prophetas, quorum ſepulchra ornabant rectè, ſed potiùs eorum occiſores imitabantur inſidias ſtruendo vitæ Chriſti & Sanctorum.

35. Ob. 2. Plurimæ fraudes contigerunt, & adhuc poſſunt contingere circa Reliquias: ergo earum cultus, utpote tot impoſturis obnoxius, DEO non placet. A. conſtat ab experientia, qua compertum eſt, à Catholicis Reliquiarum loco ſæpe honorata eſſe oſſa latronum, membra brutorum, vel alias res minimè ſacras. Sic Genevenſes deprehenderunt fuiſſe pumicem, quod Catholici priùs colebant ut cerebrum S. Petri. Confirmatur. Eædem Reliquiæ monſtrantur in diverſis locis, uti corpus S. Dionyſij Areop. Pariſijs & Ratisbonæ. Tot particulæ Crucis Chriſti hinc indè aſſervari dicuntur, ut, ſi omnes colligerentur, integram navem onerariam replerent &c.

R. 1. Retorq. argum. plurimæ fraudes contigerunt, & adhuc poſſunt con-

gere apud Sectarios circa natales filiorum, ita ut multi filij ex adulterio nati supponantur à matribus, qui postea honorantur tanquam legitimi : ergo nullus Prædicans honorari debet tanquam proles legitima; quia certum non est, an non sit spurius. Hinc R. 2. etiamsi aliquoties quædam forsan Reliquiæ fuerint suppositititiæ, & absolutè adhuc esse possint, vel ex malitia, vel ex infirmitate & ignorantia hominum, minimè tamen sequitur, omnes Reliquias debere esse suspectas, sua veneratione privandas & rejiciendas, etiam ubi nulla est ratio dubitandi de earum legitimitate. Adde, quòd fideles formaliter non errarent, si bona fide, & ex ignorantia venerarentur Reliquias suppositititias & falsas, nec minùs in his coleretur ille Sanctus, cujus esse creduntur. Quin propter bonam venerantium intentionem posset Deus ad intercessionem illius Sancti, quem honorare cupiunt, ijs varia beneficia concedere, imò & miracula patrare. Vel dici potest, quòd fideles colant Reliquias semper cum hac tacita conditione : si sit vera Reliquia. Quo supposito nunquam errarent : vel enim esset vera vel falsa ? Si vera, non errant; si falsa, non colunt, quia non purificatur conditio. Accedit, quòd saltem post Concil. Lateran. & Trid. non ampliùs sit magnum periculum erroris, quia ab his statutum est, ne novæ Reliquiæ exponantur publicæ veneration i sine prævia Ecclesiasticæ Potestatis approbatione. Experientia de suppositit ijs Reliquijs non est frequens, si tamen aliquando fuerit. Dein nihil obest juxta dicta. Illa de punice Genevensium, quam Gerardus adducit, probabiliter conficta est à Calvinistis ex odio SS. Reliquiarum. Ad Confirm. Quòd eadem corpora dicantur subinde in diversis asservari locis, indè fit, vel quòd in pluribus locis sit eorum pars, vel quòd sint plures Sancti ejusdem nominis, & per errorem, qui humanitus potest contingere, putetur esse corpus ejusdem Sancti, eò quòd documenta belli, incendij, vel temporum injuriâ perierint &c. Quod dicitur de Crucis particulis, figmentum est. Dein idonei Scriptores dicunt, lignum Crucis novo prodigio non fuisse imminutum, licèt plurimæ particulæ in varias Christiani orbis partes pro solatio fidelium fuerint asportatæ.

Ob. 3. Crux Christo attulit dolorem & ignominiam : ergo potiùs est detestanda quàm honoranda ab ijs, qui diligunt Christum; quia utique impius vel stultus censeretur esse filius, qui honoraret patibulum, in quo ejus pater pependit. Confirmatur. Hostes Christi gaudebant de passione illius : sed qui colunt instrumenta passionis Christi, etiam videntur gaudere de passione illius : ergo. Adde, quòd S. Ambr. de obitu Theodosij dicat, gentilem esse errorem adorare lignum S. Crucis. 36.

R. Crux attulit quidem Christo dolorem & ignominiam, majus tamen simul gaudium & gloriam ob devictum in cruce diabolum, ob exaltationem suam propter mortem crucis, quam innocens & volens sustinuit. Non dolor & ignominia Christi, quatenus ipsi

mala

mala erant, sed quatenus gloriosa, nobis verò utilia sunt, placent Catholicis. Unde paritas non est cum filio honorante patibulum, in quo ejus pater propter crimina, ac nolens, suspensus est. Ad Confirm. ferè eadem est responsio. Nos compatimur Christo propter dolores, quatenus ipsum affligebant, gaudemus propter eosdem, quatenus Christo attulerunt gloriam, nobis redemptionem, & crucem tanquam trophæum statuimus. S. Ambrosius solùm vult, errorem esse crucem adorare propter se, & sine respectu ad Christum, seu adorare *absolutè*, non *respectivè* propter Christum.

37. Dices. Si Crux est adoranda propter Christum, & ejus attactum, sequitur 1. Labia Judæ Christum osculantis, manum servi Christum percutientis &c. religiosè adoranda esse. 2. Etiam asinam, super quam sedens Christus Jerosolymam ingressus est. R. N. utramque sequelam, primam quidem, quia os Judæ, manus Malchi & Judæorum, fuerunt quidem instrumenta passionis, sed activa, viva, & cum scelere conjuncta, quæ si colerentur, censerentur coli ipsi homines scelerati. Alia longè instrumenta, & quidem innocentia, sunt crux, funes, clavi &c. *Actio* in passione Christi fuit scelerata, uti & instrumenta immediata actionis, veluti labia Judæ, manus percutientium &c. Econtra *passio* fuit sancta, & instrumenta immediata passionis, uti crux, spinæ &c. quæ quidem erant etiam instrumenta actionis, sed tantùm mediata & remota. Ad alteram sequelam pridem respondit S. Athanas. l. quæst. ad Antioch. q. 15. *Non per asinum Christus diabolum devicit & dæmones, neque in eo salutem operatus est, sed in cruce.* Scilicet asina erat jumentum non specialiter electum à Christo ad peragendum Redemptionis negotium sicuti Crux. Dein per se ridiculum esset religiosè colere asinam. Denique Ecclesia, quæ optimè novit, quid colendum, & in quo suus Sponsus adorandus sit, nunquam venerari consuevit asinum, bene tamen instrumenta Passionis Christi.

§. IV.

De Imaginibus Sanctorum.

38. SCiendum 1.° Nomine *imaginis* intelligi similitudinem vel repræsentationem alicujus, scilicet prototypi seu exemplaris sui. Alia est *naturalis*, quam scilicet producit natura: uti est facies relucens in speculo, parelij, cruces, vel alia phænomena in aëre; imò ipse homo ex natura sua est imago DEI, licèt imperfecta. Alia est *artificialis*, quam nimirum ars efformat: uti sunt picturæ & sculpturæ repræsentantes hominem v. g. vel Angelum, vel aliquid aliud. Quamvis imago sæpe ab optimis Scriptoribus confundatur cum Ido-

lo & Simulacro; strictè tamen & ex usu tum Scripturæ tum Ecclesiæ *Idolum* vel *Simulacrum* dicitur illa imago, quæ vel adoratur ut Deus, vel in qua colitur falsus Deus.

39. Sc. 2. quæstionem duplicem hìc esse de imaginibus artificialibus Christi, B. Virginis, & aliorum Sanctorum, utrùm eas liceat habere intra vel extra templum, dein utrùm & quomodo venerari? Quippe Calvinistæ negant utrumque, asserentes, imagines sacras nec fieri & haberi licitè posse, nec religiosè coli; Lutherani verò duntaxat cultum earum religiosum tanquam idololatriam rejiciunt. Sequuntur hac in re Bugonotos, & Waldenses hæreticos, & ex parte Imperatores Theophilum, Michaëlem Balbum, Leonem Armenum, item Constantinum Copronymum, ejúsque patrem Leonem Isauricum, qui à Judæis inductus primus ex Christianis bellum indixit sacris imaginibus circa annum Christi 720. propterea dictus *Iconomachus* vel *Iconoclasta* Bilder-Stürmer / qui cum successore filio propter imaginum cultum Ecclesiam diris simè persecutus est & devastavit ferè usque ad annum 780. quo tempore sub Adriano Papa & imperante Constantino cum matre Irene habita est Synodus Generalis VII. seu Nicæna II. in qua contra Iconomachos definitus est cultus sacrarum imaginum. Quod autem dicemus de sacris imaginibus, intelligendum pariter erit de crucibus, utpote quæ sunt imagines illius sanctæ Crucis, in qua Christus salutem nostram operatus est.

40. Sc. 3. Imaginem sacram posse triplici modo spectari. 1. *Materialiter & Physicè*, seu secundùm materiam, figuram, artem &c. abstrahendo à repræsentatione; & eatenus non est res sacra, consequenter nec colenda cultu sacro seu religioso. 2. *Formaliter, & moraliter*, seu quà talem, & quatenus repræsentat suum prototypon seu exemplar tanquam terminum: & eatenus est res sacra, si repræsentet rem sacram, propter relationem & respectum, quem habet ad rem repræsentatam. Atque sic spectatam religiosè coli posse, & quidem directè, per se, & propriè, semper tamen *cultu respectivo*, seu propter prototypon, in quod semper resultat imaginis honor, postea dicemus. Nam Vasquez, qui putat, imagines sacras non posse propriè & directè coli actibus internis, sed solùm externis, cujusmodi sunt, deponere pileum, osculari, flectere genua &c. Item Durandus, qui putat solum prototypon posse coli coram imagine, ipsam verò imaginem nec actu externo nec interno, valde vapulant à cæteris Doctoribus Catholicis, præsertim Durandus, quia loquuntur contra communem; utrùm verò unius vel alterius opinio damnata sit à Synodo VII. nostrùm non est examinare. 3. *Formalissimè*, seu quatenus non tantùm actualiter repræsentat prototypon, verùm etiam quatenus prototypon in illa objectivè relucet quasi præsens & vestitum imagine, ita ut tam imago quàm prototypon directè consideretur per modum unius objecti adæquati: quo modo Ecclesia considerat Crucem in die Parasceves, eam profunda genuflexione adorans. Et tunc tam imago quàm pro-

prototypon uno eodémque actu verè, propriè, & directè colitur, licèt imago semper colatur respectivè tantùm & propter prototypon; ferè sicut idem amor tendere potest in DEUM & hominem, licèt alio modo attingat hominem quàm DEUM, DEUM scilicet propter se, hominem verò ultimatò propter DEUM. Nimirum prototypon est ratio colendi imaginem, & principale motivum. Unde

41. Sc. 4. Licèt cultus, qui exhibetur imaginibus, aliquo modo spectet ad illam speciem, qua colitur prototypon, scilicet cultus imaginum DEI & Christi ad latriam, B. Virginis ad hyperduliam, aliorum Sanctorum ad duliam; tamen imagines simpliciter & propriè non possunt coli tali cultu, sed solùm secundùm quid, reductivè, improprie, quia imago semper longè superatur à prototypo, v. g. homo pictus à vero homine. Proinde imagines DEI & Christi nonnisi impropriè (quo loquendi modo improprio sæpius usi sunt veteres Theologi) dicuntur adorari latriâ; nam quod propriè colitur latriâ, debet posse coli absolutè & propter se; quod enim colitur præcise propter aliud, vel propter relationem repræsentationis, jam aliquid minus est, & DEUS non est, neque physicè cum DEO unitum in unam personam, adeóque latriâ propriè dictâ indignum. Itaque prototypon colitur *ut quod*, imago *ut quo* juxta tritum illud: *Effigiem Christi, cùm transis, semper honora. Non tamen effigiem, sed quem designat, adora.*

42. Sc. 5. Catholicos, dum dicunt, sacris imaginibus debitum honorem esse impertiendum, neutiquam docere aut credere, quòd ijs aliqua Divinitas vel virtus insit, aut quòd ab eis aliquid petendum, aut fiducia in ipsis ponenda sit, ut olim fiebat à Gentilibus; sed per imagines & in imaginibus dicunt adorari Christum, & coli Sanctos, quorum similitudinem gerunt imagines; eò quòd honor, qui ipsis exhibetur, redundet in prototypa: adeóque non cultu *absoluto*, sed *respectivo*, sicut de sacris Reliquijs dictum est, quamvis *religioso* tamen; quia sunt res sacræ propter relationem ad rem sacram. Itaque

Dicendum 1. Rectè fiunt, & tam 43.
intra quàm extra templum statuuntur imagines Christi, B. Virginis, & aliorum Sanctorum. Imò extendit se hæc assertio etiam ad imagines ipsius Dei, SS. Trinitatis, & Angelorum; quamvis enim horum non sit possibilis vera imago, seu similitudo imitans suum prototypon, quia sunt meri Spiritus, adeóque à nulla pictura vel sculptura sensibili imitabiles; nihilominus tamen potest per imagines aliquo modo adumbrari, & quasi per metaphoram sensibus nostris proponi Dei & Angelorum natura, atque perfectiones, quas in hac vita per species proprias cognoscere non possumus. Certè Deus apparuit sæpius in corporea specie v. g. Spiritus S. in specie columbæ, Angeli in specie juvenum, & in Scriptura Deus describitur ut *Antiquus dierum, sedens in throno, cujus vestimentum candidum quasi nix, & capilli quasi lana munda.*

Dan. 7. Alibi tribuitur ipsi caput, pedes, brachia &c. licèt non habeat hujusmodi membra : cur igitur sic pingi non possit ? cùm semper habeamus correctivam cogitationem, quia scimus, Deum se non ita habere, non esse columbam, non senem cum canis capillis &c. sed tantùm ita proponi, cùm in hac vita eum, sicuti est, cognoscere non valeamus. Jam assertio

Prob. 1. ex Scriptura. Deus ipse fecit, & fieri præcepit aliquas imagines. Item Natura aliquas profert, ut suprà dictum est : ergo Deo non simpliciter exosæ sunt imagines, consequenter licet eas facere, & habere, etiam in templis. Ant. prob. Deus *fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Gen. 1. Mandavit erigi statuam seu imaginem serpentis æneam in deserto. Num. 21. Duos Cherubin aureos & productiles fieri & poni jussit ex utraque parte Oraculi. Exod. 25. Item duos Cherubin de lignis olivarum. 3. Reg. 6. Prob. 2. ex perpetua Ecclesiæ praxi, non tantùm in & extra Ecclesias ponentis imagines, sed etiam venerantis. Nam

44. Dicendum 2. Licet venerari imagines sacras, scilicet cultu religioso, respectivo tamen, ut de sacris Reliquijs dictum. Prob. 1. ex Scriptura, quæ jubet & vult aliquas res inanimatas honorari propter specialem relationem & respectum, quem habent ad Deum & res Divinas. Sic de Arca Testamenti dicit : *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est.* Ps. 93. Populus venerabatur serpentem æneum. Num. 21. tum quia ejus aspectu sanabantur, qui morsu igneorum serpentum fuerant læsi, tum quia figura erat Christi in Cruce dependentis ; & ita venerabatur, ut Ezechias debuerit hunc serpentem æneum confringere, cùm inciperet populus ei adolere thus ; incensum enim offerre in Veteri Testamento erat Sacrificij species, soli Deo offerri solita à solis Sacerdotibus ex instituto & persuasione illorum hominum. Loth adoravit pronus in terram duos Angelos in forma humana apparentes. Gen. 19. consequenter honoravit Angelos in aliqua eorum imagine & forma aliena. Nomen JESU venerandum est teste Apostolo, ita ut in ipso *omne genu flectatur.* Philip. 2. atqui nomen alicujus Personæ est quasi imago personam significans. Denique Litteras sacras utique venerari decet, & quidem plùs quàm politicè & civiliter, quo modo venerari oportet diploma Régis politici : ergo religiosè ; nam sacræ Litteræ sunt signa & quasi imagines rerum sacrarum. Unde & praxis ubique habet, ut verba Evangelij audiamus stantes & detecto capite in signum venerationis.

Prob. 2. ex Traditione Apostolica, & continua praxi Ecclesiæ, quam abunde testatur Concil. Nicæn. II. actione 2. 3. 4, 6. & 7. In hac ita definit : *Nos Sanctorum Patrum doctrinæ insistentes, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua S. Spiritus inhabitat, TRADITIONEM observantes, definimus cum omni diligentia & cura, venerandas & sanctas imagines in templis sanctæ*

DEI

DEI collocandas, habendásque tum in sacris vasis & vestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus privatis, in vijs publicis &c. Quò omnes, qui contemplantur, illis salutationem & honorariam adorationem exhibeant, non veram latriam, quæ solùm Divinæ Naturæ competit &c. Imaginis enim honor in prototypon redundat; & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum. Sic enim Sanctorum nostrorum Patrum obtinet disciplina, vel TRADITIO CATHOLICÆ ECCLESIÆ, quæ à finibus usque ad fines Evangelium suscepit. Actione 2. verò recitans verba Basilij in Julianum ait: *Historias imaginum illorum* (Apostolorum, Prophetarum, Martyrum) *honoro & palàm adoro. Hoc enim nobis TRADITUM à SANCTIS APOSTOLIS non est prohibendum, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus.* S. Chrysost. to 5. in Liturgia: *Sacerdos egreditur è parvo ostio portans Evangelium, & conversus ad Christi imaginem inter duo ostia inflexo capite cum exclamatione dicit hanc orationem* &c. Nicephorus l. 2. Hist. Eccl. c. 7. & S. Damasc. l. 4. orth. fidei c. 17. referunt, ipsum Christum imaginem sui vultûs in texto lineo expressisse, ut mitteretur Abagaro Edessenorum Regi, Christum venerari saltem in imagine desideranti. Item S. Lucas Apostolus depinxit imaginem B. Virginis, imò & Christi ac Apostolorum Petri & Pauli (utique venerationis ergo) ut idem Niceph. l. 6. c. 16. & Metaphrastes in vitâ S. Lucæ commemorant. Ac ejusmodi imago B. Virginis à D. Luca depicta adhuc visitur Romæ, atque *Maria Major* appellatur: in alijs autem locis plures ad hujus imitationem ab alijs pictoribus factæ visuntur.

Prob. 3. ex ratione. Imprimis negativè, quia nullibi prohibitum est habere & venerari SS. imagines. Dein positivè sic: Honorantur imagines Regum, Principum, Parentum &c. Et Præcones suas & suarum uxorum imagines pingi & sculpi curant; quas si honorari vident, se ipsos honorari existimant, si verò ignominiosè tractari cognoscunt, se despici arbitrantur: ergo licitè coluntur imagines saltem cultu *politico*. Ergo, cùm imagines Christi & Sanctorum sint sacræ propter prototypa sancta, quorum sunt repræsentativæ, dignæ sunt cultu *sacro seu religioso*.

Ob. 1. S. Scriptura prohibet fieri 45.
imagines: *Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium* &c. Deut. 5. *Non facietis vobis Idolum & sculptile.* Levit. 26. Et teste Josepho l. 18. c. 15. nulla in templo à Judæis propter hoc præceptum posita est imago. Item Conc. Elibertinum Can. 36. prohibuit picturas fieri in templi parietibus. R. Solùm Judæis, qui valde proni erant ad Idololatriam, datum est hoc præceptum, nec tamen simpliciter, sed tantùm ne facerent sculptile, *ut adorarent illud* tanquam Deum, vel in illo falsum Deum; nam. Deut. 5. statim additur: *Non adorabis ea, neque coles.* Et Exod. 20. *Non facietis mecum Deos argenteos.* Et sicut in pri-

ma

mo præcepto Decalogi per verba, *non habebis Deos alienos*, prohibetur actus idololatriæ interior, ita per verba, *non facies tibi sculptile*, prohibetur idololatria exterior. Ubi igitur periculum Idololatriæ non est, fieri possunt imagines, & poni etiam in templis, quia textus nullus quidquam dicit de non ponendis imaginibus *in templo*. Si Judæi non habuerint in templo, & verum sit testimonium Josephi, credendum est, fuisse legem Ceremonialem, quæ post Christi adventum abrogata est. Conc. Elibert. nihil aliud voluit, quàm consulere imaginibus, ne scilicet irreverentia illis fiat vel à crusta decidente, vel à Gentilibus, Christianos tunc valde persequentibus.

46. Ob. 2. In Scriptura saltem prohibetur cultus religiosus imaginum, quia Deut. 5. additur: *Non adorabis ea, & non coles*, per tò *adorabis* prohibetur cultus exterior v. g. genuflexio &c. per tò *coles* interior animi devotio. 2. Concilium Francofordiense damnavit Conc. Gen. VII. in quo definitus est cultus SS. imaginum: idem fecit Carolus M. qui Francofordi Concilio interfuit. ut patet ex ejus 4. libris, qui dicuntur Carolini. 3. SS. PP. reprobant sæpius cultum imaginum, ex quibus S. Aug. ait ep. 119. ad Januar. *primo præcepto prohibetur, ne quis colat ullam imaginem DEI, nisi unam eandemque cum ipso, quæ est Christus.* R. ad 1. solùm prohibetur cultus religiosus latriæ, & ultimatò sistens in imagine, quo modo colebant Ægyptij, inter quos Judæi diu vixerant, & ad eorum imitationem valde proclives erant. Ad 2. Conc. Francoford. non est approbatum quoad ea, quæ statuit contra imagines sacras. Deinde vel non damnavit Synodum VII. in qua definitus est cultus SS. imaginum, sed aliam sub Leone Isaurico, quam Græci subinde VII. appellant: vel si damnavit legitimam Synodum, id fecit errore, non juris, sed facti, quia falsò putabant Patres Concilij Francoford. in illa Synodo decretam fuisse imaginibus adorationem latriæ: vel Conc. Francoford. fuit corruptum à Sectarijs, ut docet Tannerus. Illi quatuor libri non sunt Caroli M. ut probat Bellarm. solidè. Ad 3. Patres solùm reprobant cultum superstitiosum & idololatricum. S. Aug. pariter vult, tantùm prohiberi aliam imaginem coli *ut Deum.*

47. Ob. 3. Culus, quem Catholici exhibent imaginibus, est idololatricus: ergo. A. P. quia faciunt prorsus id, quod fecerunt Gentiles, & Israelitæ vitulum aureum adorantes, nam Gentiles, saltem prudentiores, utì & Judæi, non credebant sua Idola esse Deos, sed in his Idolis volebant colere verum Deum; sed quia simul colebant hæc Idola seu imagines, habentur pro Idololatris: hoc faciunt etiam Catholici venerando ipsas imagines. R. N. A. & ejus probationem. Nam Gentiles & Judæos in Idolis suis vel adorâsse falsos Deos, vel agnovisse aliquam in ijs latentem Divinitatem, vel ipsa Idola adorâsse ut Deos, spem suam in ipsis collocando, & in ligno, lapidibúsque cultum & venerationem ultimatò terminando, adeóque fuisse verè Ido-

Idololatras, constat ex eo, quia Idolis, non DEO vero, *sacrificabant*; nam Sacrificium semper habebatur pro cultu Divino. De Gentilibus ait Daniel c. 5. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque & lapideos.* Et Paulus 1. Cor. 10. *Quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non DEO.* De Judæis verò Psalmista testatur: *Commixti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum, & IMMOLAVERUNT filios & filias suas dæmonibus.* Psal. 105. Et Psal. 106. *Obliti sunt DEI sui.* Item Deut. 32. dicitur: *IMMOLAVERUNT dæmonijs & non Deo.* Demum ipse Aaron Exod. 32. ait ad Populum Israëliticum: *Hi sunt Dij tui* (intelligit vitulum aureum) *qui te deduxerunt de terra Ægypti.* Adde, quòd sensu communi semper existimatum fuerit, Gentiles (& Judæos subinde) adorâsse Idola tanquam Deos, vel in Idolis coluisse falsos Deos, vel saltem credidisse, Deum esse corporeum & similem Idolis v. g. vitulo. Nihil horum reperitur apud Catholicos, qui sactas imagines venerantur: non ergo committunt Idololatriam, cùm juxta S. Augustinum, 1. de Trinit. c. 6. *Idololatræ dicantur, qui simulacris eam servitutem exhibent, quæ debetur Deo.* Et quis credat, cultum sacrarum imaginum esse idololatriam, cùm Deus tot miraculis pro eo pugnet, & innumeris beneficijs imaginum cultores cumulet? Adeat, qui de hoc dubitat, pia sacella & templa, ubi asservantur thaymaturgæ imagines, utl Laureti, Oettingæ Veteris &c. & in nostra vicinia Biberbachij, ubi peculiari devotione colitur imago Crucifixi, & lustret suspensa anathemata. An omnibus, per omnes mundi partes existentibus, & innumeris testibus, fidem effrons denegabit? Dicat ergo, cur illis duntaxat talia beneficia, quæ oculis videmus, Deus conferat, qui imagines honorant?

Ob. 4. Imago non potest coli absolutè & propter se; quia quà imago est respectiva: ergo non potest coli *quà* imago. 2. Homo est imago Dei: ergo juxta nos debebit coli religiosè. 3. Si imago crucis est honoranda, tunc omnis crux est honoranda, eò quòd Christus in aliqua cruce pependerit: ergo etiam honorandæ sunt omnes funes, omnia flagella, omnia sepulchra &c. quia Christus jacuit in aliquo sepulchro &c. R. ad 1. N. Conf. vel Dist. non potest coli quà imago inadæquatè sumpta C. adæquatè sumpta N. Conf. imago, quia est relativa, dicit fundamentum & terminum: sumpta sola sine termino seu prototypo non est capax honoris. Ad 2. posset quidem homo considerari ut imago Dei, & sic religiosè etiam coli, sed communiter non ita considerari solet. Ad 3. N. Conf. quia funes, flagella, sepulchra &c. non fiunt in hunc finem, ut exprimant flagella, sepulchrũ &c. Christi, saltem ordinariè, sicut tamen cruces in hunc finem fieri solent: ergo cruces habent rationem imaginis, non illa. 48.

CONTROVERSIA PARTICULARIS III.

De Sacramentis in genere & specie.

SAcramenta sunt illa media divinitus instituta, quibus amissa per peccatum *Justitia* recuperari, *Sanctitas* augeri, & denique *Salus* æterna obtineri debet, ita disponente Deo, ut sine iis vel in re, vel in voto saltem, susceptis non applicentur nobis merita Christi ad Justitiam, Sanctitatem, & Salutem impetrandam. Ordo doctrinæ erit sequens. In Capite I. Articulo 1. agetur de Sacramentorum natura & efficientia. 2. De numero Sacramentorum. 3. De Sacramentalibus & cæremonijs. In Capite II. Articulo 1. De Baptismo. 2. De Confirmatione. 3. De Eucharistia. 4. De Pœnitentia. 5. De Extrema Unctione. 6. De Ordine. 7. De Matrimonio.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

SUMMARIUM.

1. *Quæ sit huic loco propria acceptio Sacramenti: quæ ejus requisita juxta Catholicos:*
2. *Quæ juxta Lutheranos.*
3. *Quæ inter utrosque controversa.*
4. *Ad rationem Sacramenti non necessariò requiritur elementum, sed sufficit aliud signum sensibile.*
5. *Requiritur tamen intentio Ministri.*
6. *Sacramenta Novæ Legis verè causant gratiam sanctificantem,*
7. *Et quidem ex opere operato.*
8. *Aliqua etiam imprimunt animæ characterem.*
9. *Non rectè vocantur sigilla promissionum Divinarum, neque metaphysicè reddunt certum aliquem in particulari de accepta gratia.*
10. *Definitio Sacramenti.*
11. *Vana sunt, quibus elementum Peripateticum pro materia Sacramenti necessariò requisitum,*
12. *Non verò intentionem Ministri ad ejus valorem,*
13. *Et Sacramenta solùm mediatè conferre gratiam mediante fide, probare nituntur Heterodoxi.*
14. *Discordia Sectariorum de Numero Sacramentorum.*

15. Nec

15. *Nec pauciora nec plura dari quàm septem, probatur.*
16. *Non est necesse, ut singula claris textibus Scripturæ probentur.*
17. *Quænam sint illa septem.*
18. *Confirmationem esse unum ex illis,*
19. *Et Pœnitentiam, solidè ostenditur:*
20. *Item Extremam unctionem,*
21. *Ordinem, saltem Presbyteratûs,*
22. *Et Matrimonium.*
23. 24. *An numerus septenarius Sacramentorum habeat fundamentum in Scriptura, & antiquis Patribus remissivè.*
25. *An Catholicis constet satis de materia & forma 5. Sacramentorum antea nominatorum.*
26. *An ritibus, quibus ordinantur Ministri Ecclesiæ, & contrahitur Matrimonium, promissa sit gratia sanctificans.*
27. *An eadem Ordinatio & Matrimonium habeant Mandatum Divinum, & quale.*
28. *An in Antiqua Lege fuerint tantùm duo Sacramenta: et an indè rectè inferretur idem numerus in Nova Lege.*
29. *An possit ostendi tempus & locus, quo instituta sint prefata 5. Sacramenta.*
30. *Quid & quotuplicis generis sint Sacramentalia, de quibus hic controvertitur.*
31. *Sacramentalia solùm ex opere operantis & mediatè conducunt ad delenda peccata.*
32. *Ceremoniæ in administratione Sacramentorum piè & utiliter adhibentur:*
33. *Usi & Exorcismi in collatione Baptismi, benedictione aquæ, & aliarum rerum.*
34. *Nec illæ nec isti pro libitu omitti possunt à Ministris.*
35. *Rectè benedicitur aqua, oleum, panis &c. per signum Crucis, vel per certas orationes Ecclesiæ.*
36. *Item rectè formatur crux in fronte, ore, & pectore.*
37. *Usus ceremoniarum defenditur,*
38. *Item Crucis signum in fronte vel aëre efformatum.*

ARTICULUS I.

De Essentia & Efficientia Sacramentorum.

1. SCiendum 1. Sacramentum (*à sacrando* dictum) variè accipi. 1. Pro juramento militari, quo milites inaugurantur & quasi sacrantur militiæ. 2. Apud Juristas pro quolibet jurejurando. 3. In Scriptura & apud Patres pro mysterio seu re occulta, maximè sacra. 4. Pro signo talis rei occultæ & sacræ. 5. Huic loco propriè pro signo sensibili & practico gratiæ supernaturalis divinitus instituto. Unde ad Sacramentum ex communi Patrum & Theologorum requiruntur sequentia. 1. Debet esse signum sensibile, seu sensu per-

ceptibile, ducens in cognitionem interioris gratiæ. 2. Practicum, hoc est, non tantùm significare, sed etiam causare & conferre debet gratiam illis, qui hoc signo utuntur, & quidem primariò gratiam sanctificantem, secundariò etiam gratias actuales. 3. Stabile, nempe quamdiu durat Religio. 4. Debet habere promissionem gratiæ, præcipuè sanctificantis. 5. Esse institutum à Deo, vel pro novo Testamento à Christo; nam nullus homo per se & ex se potest gratiam supernaturalem annectere signis sensibilibus, ac ita quidem, ut hæc signa gratiam etiam efficiant instrumentaliter, sive dein efficiant physicè sive moraliter. Porro sensibilitas signorum habetur per materiam & formam, ut vocant; nam in omni Sacramento novæ Legis reperitur res aliqua sensibilis, v. g. aqua, oleum &c. quæ appellatur *Materia*, ac simul certa verba v. g. Ego te baptizo &c. Ego te absolvo &c. quæ à Catholicis appellantur *Forma*. Atque hanc materiam & formam aliquo modo debere esse determinatam à Christo, dicunt, saltem in genere; licèt non in omnibus determinata ab illo sit quoad ultimam speciem, ut patebit ex art. sequenti. Præter materiam & formam juxtà Catholicos insuper ad valorem Sacramenti requiritur *intentio* Ministri, conficientis Sacramentum: quod Sectarij negant.

2. Sc. 2. Juxta Chemnitium & Gerardum, Lutheranorum primipilos, ad Sacramentum Novæ Legis requiri 1. ut habeat externum aliquod materiale & visibile elementum seu signum. 2. Ut elementum seu signum illud habeat expressum mandatum Divinum seu institutionem Divinam. 3. Et quidem in Novo Testamento. 4. Et stabiliter usque ad consummationem sæculi. 5. Ut exstet promissio Divina de gratia Evangelio propria, hoc est, de gratia justificationis, seu gratuitæ remissionis peccatorum. 6. Ut hæc promissio sit annexa signo Sacramenti. 7. Eaque promissio non tantùm significetur & annuntietur in collatione Sacramentorum, sed etiam offeratur, obsignetur, & applicetur singulis, Sacramenta suscipientibus. Confer. Gerard. de Sacram. §. 11. in LL. Theol. Præcipuè autem tria semper requirunt Lutherani & urgent: 1. Elementum visibile cum Verbo Dei juxta illud S. Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; quamvis tò *elementum* non sumant pro quolibet signo sensibili; ut tamen videntur facere in recitato n. 2. sed pro substantia materiali permanente, visibili; ut nempe aliqua excludant à ratione Sacramenti, quæ à Catholicis numerantur inter Sacramenta. 2. Promissionem gratiæ. 3. Institutionem Divinam. Præterea juxta Gerardum & Chemnitium Sacramenta non præcisè significant gratiam, sed etiam instrumentaliter causant tanquam media efficacia regenerationis, renovationis, & salutis, etiam in ijs, qui verba, seu *formam*, in verbis consistentem, non intelligunt, uti fit in infantibus, dum baptizantur; ex parte tamen suscipientis requirunt fidem, qua apprehenditur gratia, à DEO in Sacramentis oblata, & causata per Sacramenta. Ita Gerard. §. 23. 29. 32. 40. 51.

51. 54. 78. &c. qui pati non vult, Lutheranis tribui, quòd Sacramenta *tantùm* sint signa gratiæ, *tantùm* sigilla promissionis Divinæ, fidem excitantia in suscipientibus, & confici verbis *concionalibus*, sed dicit verba esse *consecratoria*, & actionem efficacem, per quam Symbola Sacramentalia verè sanctificantur, hoc est, profanis usibus eximuntur, & usui Sacramentali destinantur. Et Zwinglianorum ac Calvinistarum errorem esse ait, quòd Sacramenta sint mera signa, solùm excitent fidem, & nihil causent gratiæ. Alij tamen ex Lutheranis aliter & contrarium docent. Forma juxta ipsos non in solis verbis, sed etiam in actione consistit v. g. forma in Evchаristia ex parte Ministri est benedicere, & porrigere, ex parte suscipientis accipere, manducare. Denique dicunt Lutherani, Sacramenta applicare & sigillare promissionem Divinam de gratia remissionis peccatorum apud quemlibet suscipientem in particulari, & confirmare fidem, qua suscipiens certus fiat metaphysicè, sibi esse remissa peccata. Ex quibus omnibus Lutherani Sacramentum definiunt hoc modo: *Est actio sacra, aut signum gratiæ divinitus institutum, in quo Deus mediante hominis ministerio sub visibili & externo elemento per verbum certum bona cœlestia offert singulis utentibus, ac credentibus applicat, atque obsignat promissionem de gratuita remissione peccatorum Evangilio propriam.* Confer. Gerard. §. 109 in fine; M. Lomer. p. 144. Aufgang. Calvinus in Catech. sic describit: *Sacramentum nihil est aliud, quàm externa Divinæ erga nos benevoletiæ testificatio, quæ visibili signo spirituales gratias figurat.*

Sc. 3. Sequentes cum Sectarijs superesse controversias. 1. An ad Sacramentum necessariò requiratur elementum visibile, tanquam materia. 2. An intentio Ministri. 3. An Sacramenta verè causent gratiam sanctificantem seu justificantem, & quidem ex opere operato. 4. An ex essentia sua sint sigilla, quibus alicui in particulari obsignetur promissio Divina de remissione peccatorum. 5. Quomodo definiendum sit Sacramentum Novæ Legis; nam de Sacramentis Antiquæ Legis, utpote jam abrogatis, non agimus. 3.

Dicendum 1. Ad rationem Sacramenti non necessariò requiritur visibile elementum (intelligendo non sine elementi vel unum ex quatuor elementis Peripateticis, aquam, terram &c. vel saltem substantiam materialem, *visu* perceptibilem) sed sufficit aliud signum sensibile, sive visu sive auditu visibile sit. Prob. 1. negativè, quia Adversarij prorsus gratis requirunt sine Scripturæ, Patrum, & rationis suffragio ejusmodi elementum. Prob. 2. positivè, quia Pœnitentia est verum Sacramentum, ut demonstrabimus art. sequenti, & tamen pro materia non habet elementum visibile. Adde, quòd neque Evchаristia esset Sacramentum, si requireretur elementum Peripateticum; panis enim & vinum (quæ sunt materia remota) non sunt Elementa, sed Mixta. 4.

Dicendum 2. Necessariò requiri- 5.

tur intentio Ministri. Hoc est, Minister conficiens Sacramentum debet saltem velle facere id, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia; aliàs non conficit validè Sacramentum. Prob. 1. Materia & forma sunt indifferentes ad esse Sacramenti: ergo debent determinari aliunde, ut censeantur esse positæ nomine Christi, & constituant Sacramentum: sed aliunde non determinantur nisi à Ministro, volente facere id, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia &c. ergo. A. P. Potest adhiberi v. g. à Matre infantem lavante aqua, & pronuntiari hæc verba: mi parvule *ego te abluo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S.* invocando ex devotione Sanctissimam Trinitatem, ut bene cedat lotio, vel ad sordes corporis auferendas, vel ad sanitatem obtinendam parvulo &c. quo casu nemo prudens dixerit, talem infantem verè baptizari, & fieri Sacramentum: ergo materia & forma sunt Indifferentes ad esse Sacramenti: consequenter requiritur intentio Ministri, quæ determinet, cùm aliud determinativum assignari nequeat: ferè sicut forma verborum certorum requiritur, ut materia de se indifferens determinetur ad significandam gratiæ collationem. Prob. 2. Actio Ministri Sacramentum conficientis utique debet esse humana: atqui humana non esset sine intentione &c. aliàs etiam amens vel dormiens ageret modo humano. Prob. 3. ex absurdis sequelis; si enim non requiritur intentio Ministri, tunc si amens, dormiens, ebrius, vel etiam psittacus adhiberet materiam & pronuntiaret verba, fieret validum Sacramentum: imò etiam, si quis prudens animo irrisorio aut ludrico pronuntiaret verba, & applicaret materiam. Quis autem ab hujusmodi fieri Sacramentum crèdat? Nihil autem aliud essentiale ipsis deest, nisi intentio: ergo.

Dicendum 3. Sacramenta Novæ Legis verè causant gratiam tanquam causæ instrumentales (DEUS enim utique causa principalis est) & quidem ex opere operato. Adeóque non merè excitant fidem, ut per hanc primùm obtineatur gratia. Prob. primum membrum 1. Scriptura Sacramentis tribuit effectum gratiæ, & remissionem peccatorum, tanquam causis: ergo. Dicit enim: *Salvos nos fecit per Baptisma.* 1. Petr. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Act. 2. *Imponebant manus super ipsos, & accipiebant Spiritum S.* Act. 8. & 19. *Qui manducat meam carnem &c. in me manet, & ego in eo.* Jo. 6. Prob. 2. Si non ipsa Sacramenta instrumentaliter nos justificant, & gratiam causant non per se, sed excitando fidem, sequitur 1. Sacramenta non habere majorem vim, quàm habeant conciones, libri spirituales, præsertim Biblia, imò & imagines &c. hæc enim & similia æquè, imò magis excitant fidem quàm Sacramenta. 2. Eum, qui suscipit Sacramentum, non plùs participare de effectu Sacramenti, quàm adstantes, consequenter eum, qui videt vel audit baptizari alterum, tantum gratiæ posse percipere, quàm qui baptizatur. 3. Nullum posse baptizari fructuosè, qui

qui non est capax rationis, uti infantes; quia in his non potest excitari fides, qua mediante primùm conferenda est gratia. Accedit, quòd sententia Adversariorum nitatur falso supposito, quasi sola fides justificaret & salvaret. Quem errorem confutavimus in materia de Justificatione. Confirmatur. Scriptura requirit fidem ante Baptismum (in adultis) *si credit ex toto corde, licet baptizare.* Act. 8. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. ult. ergo Sacramenta præsupponunt fidem, non primùm excitant, & illâ suppositâ alium effectum causant, nempe gratiam.

7. Ad probandum secundum membrum opus est tantùm explicatione, quid sit causare gratiam *ex opere operato, & ex opere operantis.* Illud est, quando posito aliquo opere datur gratia immediatè propter merita Christi, & non propter opus quatenus meritorium & bonum est in se, nec propter meritum operantis. Illud verò, quando gratia datur immediatè intuitu ipsius operis, cujus merito & valori commensuratur. Itaque ex opere *operato*, quæ vox passivè sumitur, causari gratiam à Sacramentis dicimus, quia datur suscipientibus immediatè propter merita Christi, & propter actiones Sacramentales, quatenus hæ fiunt nomine & in persona Christi, & quatenus sunt petitio Christi, nullo habito respectu ad pietatem, fidem, aut meritum *operantis*, seu Ministri conficientis Sacramentum, vel Subjecti suscipientis. Unde Baptismus & alia Sacramenta valent, & conferunt gratiam, etiamsi administrentur ab homine scelerato: modò interim ex parte suscipientis non adsit obex, scilicet peccatum mortale. Nam Sacramenta sunt moraliter actiones & petitio ipsius Christi, his signis gratiam promittentis & annectentis: atque adeò causant gratiam ex opere operato. Ita semper sensit, & hodiedum sentit Ecclesia Catholica, quæ in Conc. Trid. Sess. 7. Can. 6. & 8. Clarissimè hunc sensum expressit. Per hoc tamen Catholici nequaquam dicunt (ut ipsis Adversarij impingunt) Sacramenta fructuosè suscipi sine *omni pio motu* suscipientis: sed potiùs apud adultos, qui scilicet habent usum rationis, & suscipiunt Sacramentum, quod confert primam gratiam sanctificantem, uti est Baptismus & Pœnitentia, expressè requirunt fidē, aliquam detestationem peccati &c. tanquam necessarias dispositiones, non tamen tanquam causas gratiæ. In cæteris verò Sacramentis, quæ conferunt gratiam secundam, seu augmentum gratiæ, requirunt saltem aliquam intentionem & voluntatem recipiendi Sacramentum, itidem ut dispositionem tantùm, non ut causam vel meritum.

8. Præter effectum primarium, qui est gratia sanctificans vel prima vel secunda, Sacramenta aliqua habent adhuc alium effectum secundarium, scilicet imprimunt animæ aliquod signum spirituale indelebile, quod appellatur *character*: qui quidem imprimitur solùm à tribus Sacramentis, nempe Baptismo, Confirmatione, & Ordine: quare etiam reiterari nec validè nec licitè

licitè possunt hæc tria Sacramenta. Ita definitum est in Conc. Trid. Sess. 7. Can. 9. & Florentino. De hoc charactere intelligendus est S. Basil. exhort. ad Baptismum : *Charactere sacro carentibus os aciémque intentat*, scilicet Divinus gladius. Et S. August. tract. 6. in Jo. *Si baptizatus charitatem non habet, characterem* quidem impositum habet, ait enim : *Non mutatur, sed agnoscitur : character est Regis.* Item : *hunc* characterem *ut imprimerent* (Apostoli) *præcepit dicens : baptizate gentes* &c. serm. de Emerito. Item Scriptura : *Qui signavit nos, 2.* Cor. 1. *in quo signati estis.* Eph. 4. Munus characteris est facere aptum ad cultum Divinum, configurare hominem Christo, & distinguere ab alijs, & constituere hominem in spirituali quodam statu, scilicet *Christiani, militis fortis, & viri perfecti.* Deus enim non solet ad talia ministeria deputare per simplicem deputationem, sed infundendo certas qualitates, tanquam characteres ; ferè sicut infundit habitum fidei, charitatis, dum sibi vult credi, vel se diligi &c.

9. Dicendum 4. Sacramenta non rectè vocantur sigilla, quibus confirmantur & obsignantur promissiones Divinæ ; multò minùs metaphysicè certum reddunt suscipientem in particulari de accepta gratia. Primum membrum prob. 1. Quia in Scriptura nullibi vocantur sigilla, & testimonia, quæ confirment promissiones Divinas, sed tantùm describuntur ut instrumenta, quæ conferant gratiam & remissionem peccatorum. 2. Promissiones Divinæ per se sunt certissimæ, ut non indigeant testimonio, & tantam tenemur fidem adhibere promissionibus, quantam Sacramentis. Adde, quòd potiùs Sacramenta constent nobis ex Scripturæ promissionibus, quàm promissiones ex Sacramentis. 3. Si Sacramenta essent testimonia promissionum gratiæ respectu alicujus in particulari, essent sæpe testimonia falsa, quando nimirum ministrantur homini hactè (juxta Lutheranos sine fide) accedenti : nam juxta ipsos nullum Sacramentum valet (etiam Baptismus in parvulis) sine vera fide suscipientis. Alterum membrum patet tum ex iis, quæ diximus de Justificatione, tum ex eo, quòd nulli absolutè & metaphysicè certum sit, an habeat veram fidem, an materia, forma &c. ritè adhibitæ sint in administratione Sacramenti.

Dicend. 5. Sacramentum ex Cate- 10.
chi. Conc. Trid. rectè definitur sic : *Est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sancti aris & justitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet.* Vel, ut alij loquuntur : *Est ritus seu signum externum & sensibile, quod ex Divina institutione annexam habet promissionem gratiæ justificantis.* Idem, sed brevius, volunt dicere, qui sic definiunt : *Est signum visibile invisibilis gratiæ divinitus institutum.* Bonitas & sensus nostræ definitionis patet ex dictis : convenit omni & soli illi, cui conveniunt requisita ad verum & propriè dictum Sacramentum ; exprimit enim signum

sensi-

sensibile, gratiæ causativum, secundùm promissionem & institutionem Divinam, quæ ab omnibus requiruntur ad rationem Sacramenti: alia autem gratis requiruntur ab Adversarijs.

11. Ob. 1. Ut sciamus, quid requiratur ad essentiam Sacramenti, debent attendi illa, quæ ab omnibus habentur pro Sacramentis, uti est Baptismus, & Eucharistia: atqui in his est elementum visibile, nimirum in Baptismo aqua, in Eucharistia panis & vinum, quæ duo saltem sunt substantiæ materiales visibiles: ergo ad essentiam Sacramenti requiritur elementum, vel saltem substantia materialis visibilis, nec sufficiet impositio manuum, vel verba, quæ tantùm sunt accidentia, & insuper nec videri, sed solùm audiri possunt. Ita ferè M. Lom. ex Chemnitio & Gerardo. R. hoc argumentum vel supponit falsum, vel procedit à specie ad genus, à particulari ad universale, seu à non distributo ad distributum. Quippe supponit, *tantùm* duo dari Sacramenta, & non plura; & hoc suppositum est falsum: si hoc non supponit, à particulari procedit ad universale, à duobus ad omnia; ferè acsi aliquis sic vellet concludere: ab omnibus admittitur, quòd equus, quòd canis sit animal: atqui tam equus quàm canis est irrationalis: ergo omne animal est irrationale. Vel sic: ab omnibus admittitur, quòd Baptismus sit Sacramentum: atqui Baptismus pro materia habet elementum aquæ: ergo omnia Sacramenta pro materia debent habere elementum aquæ.

Dices 1. S. August. Tr. 80. in Joan. dicit: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: ergo omne Sacramentum pro materia debet habere elementum. 2. Patres dicunt, materiam Sacramentorum fluxisse ex Christi aperto latere: sed indè solummodo fluxit aqua & sanguis, quæ sunt substantiæ visibiles, non accidentia tantùm. 3. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus & aqua & sanguis.* 1. Joan. 5. v. 8. Sed per Spiritum intelligitur Verbum DEI, per Aquam *Baptismus*, & per Sanguinem *Eucharistia*, quæ sunt duo Sacramenta, quorum meminit Scriptura, & pro materia habent substantiam visibilem: ergo, quod non habet talem substantiam, Sacramentum non est. R. ad 1. Iterum proceditur à particulari ad universale, ab uno ad omnia. S. Augustinus ibi loquitur de solo Baptismo. Dein vel ibi per *elementum* intelligis elementum Peripateticum, seu corpus simplex aquæ? & à ratione Sacramenti excludis Eucharistiam contra te ipsum. Vel intelligis substantiam visibilem? & hoc fingis prorsus gratis contra significationem vocabuli, & totam antiquitatem. Adde, quòd nulla substantia sit visibilis in se. Vel denique intelligis signum quodcunque sensibile? & sentis rectè cum Catholicis. Ad 2. Patres non dicunt, materiam Sacramentorum fluxisse ex latere Christi, cùm utique nec apud Lutheranos materia Eucharistiæ sit sanguis, sed panis & vinum;

num : sed dicunt Sacramenta fluxisse in sensu mystico, insinuantes, Sacramenta præsertim Baptismi, qui confertur in aqua, suam vim & efficaciam traxisse ex Christi meritis & profuso sanguine. Ad 3. Quis dedit Lomero potestatem illa verba S. Joannis interpretandi de Sacramentis ? An nescit, quod aliàs semper clamant Lutherani, ex ejusmodi textibus allegoricis & symbolis non solidè probari articulos fidei, inter quos & ipsi referunt doctrinam de Sacramentis ? nam Gerard. de Sacramentis § 14. ait: *Institutio Sacramentorum pertinet ad fidei articulos.* Sed sinamus eum interpretari verba S. Joannis de Sacramentis, cur non admittit tria Sacramenta, cùm textus dicat *tres sunt* &c. cur per *Spiritum* non intelligit Sacramentum Pœnitentiæ, quia in hoc Spiritus S. amissam gratiam reddit, & in ejus institutione Jo. 20. Christus dixit : *Accipite Spiritum S.* &c. ? Cur Lutherani pati nolunt, si Catholici alios Scripturæ textus v. g. Exod. 29. Levit. 4. 8. 13. 15. 16. 23. Num. 19. Deut. 15. 4. Reg. 5. 2. Paral. 29. adducant pro suis 7. Sacramentis ? Cur Lutherani non distribuunt Eucharistiam sub sola vini specie, quia S. Joannes tantùm meminit *Sanguinis* ? Si dicant, eum alibi jam fecisse mentionem *Corporis & Carnis* Christi, quæ manducanda est. Reponimus, Scripturam alibi facere mentionem etiam aliorum Sacramentorum, quorum materia non est aqua vel sanguis vel substantia visibilis alia.

12. Ob. 2. Si requiritur intentio Ministri ad valorem Sacramentorum, tunc valor pendet à qualitate Ministri : ergo etiam à probitate & fide Ministri : sed hoc est falsum. 2. Nemo erit certus de suscepto Sacramento, cùm intentio sit actus internus animi, & à suscipiente videri non possit. 3. Causa instrumentalis, qualis est Minister Sacramentorum, derogaret causæ principalis, nempe Christi, efficaciæ. 4. Verba malitiosè immutata non impediunt valorem Sacramenti : ergo neque intentio malitiosè immutata, vel negligenter omissa. R. Dist. Ma. tunc pendet à qualitate Ministri, sine qua Minister non est Minister, uti est intentio, sine qua non agit nomine & in persona Christi. C. Ant. à qualitate alia, quæ non est necessaria ministerio, uti est probitas vitæ, fides &c. N. Ant. & Cons. Ad 2. nemo erit certus metaphysicè C. moraliter N. cùm enim nihil sit facilius quàm actioni externæ adjungere intentionem internam, nisi quis ultro eam cohibeat ex sacrilego animi decreto, quod vix de aliquo, nisi bipedum nequissimo, præsumi potest, moraliter certi sumus de intentione Ministri & valore Sacramenti. Majorem certitudinem Deus nos habere noluit. Ad 3. derogaret quidem, qui malitiosè omitteret intentionem, sed ita permittente Christo, qui homines libertate præditos voluit esse Sacramentorum Ministros. Ad 4. N. Ant. Verba enim, substantialiter & ita immutata, ut non ampliùs habeant sensum à Christo intentum, vitiant & invalidant Sacramenta.

13. Ob. 3. Verbum Divinum prædica-

tum æquè justificat ac Sacramenta: sed Verbum Divinum solummodo justificat mediatè & excitando fidem, quæ sola immediatè justificat: ergo. Ma. prob. *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* R. N. M. Ad prob. per *Evangelium* non intelligitur concio, sed ipsa mysteria Evangelij, uti Incarnatio, Passio Christi &c. ex quibus est nostra virtus. Pessimè insuper ex hoc Antecedenti, *Scriptura tam verbo (seu concioni) quam Sacramentis tribuit vim justificandi*, infertur: ergo Verbum & Sacramenta eodem modo justificant; sicut malè inferretur ex hoc, *Scriptura tribuit vim justificandi & Deo & Baptismo*: ergo Deus & Baptismus eodem modo justificant.

ARTICULUS II.

De Numero Sacramentorum.

4. SCiendum, sicut constans & concors omnium Catholicorum doctrina est, septem esse Sacramenta, ita prorsus inconstans & discors fuit hactenus Sectariorum nostrorum opinio de numero Sacramentorum, licèt Sacramenta pertineant ad articulos fidei, & sint media ac instrumenta salutis teste ipso Gerardo in LL. Theol. tit. de Sacramentis. Lutherus eorum protoparens in l. de Captiv. Babylonica non rejicit *septem* Sacramenta, sed ea ex Scriptura non posse evinci ait, quam si attenderemus, *unum* duntaxat Sacramentum fore, se tamen pro tempore ponere *tria*: in fine tamen ejusdem libri ponit tantùm *duo*. Rursus *tria* ponit l. de Miss. Angul. anno 1534. item anno 1545. ante obitum assert. 35. contra Academ. Lovan. ubi sic ait: *Pœnitentiam cum virgute clavium absolventium Sacramentum libenter confitemur* &c. Æquè inconstans fuit alter Lutheranismi fundator Philippus Melanchthon, qui in Locis anno 1522. editis solùm duo, Baptismum & Eucharistiam, anno 1562. quatuor agnoscit Sacramenta, anno 1530. in Apologia August. Conf. in quam defacto jurant Ministri Lutherani, adjungit tertium, nempe Pœnitentiam; sic enim sonant verba Apologiæ tit. de numero & usu Sacramentorũ, adeóq; in loco proprio: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint propriè Sacramenta &c. Verè igitur sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria Novi Testamenti.* In Conventu Lipsiensi anno 1548. cum DD. Wittenbergicis admisit septem. Tria pariter Sacramenta Norimbergenses in ihrem grossen Glaubens-Buch f. 1331. primùm anno 1646. perhibentur adstruo-

re. Ratisbonenses (ut mihi retulit vir rerum istarum peritus & probatæ fidei) tribus diversis temporibus ediderunt Catechismum, semper tamen diversum numerum Sacramentorum posuerunt. Quid jam dicam de alijs Magistris, Ministellis, Urbibus? Quid de Zwinglio, qui Matrimonium, quid de Calvino, qui Ordinationem Sacramentis annumerat? Hodie tamen communiter conspirant Sectarij, quantùm scio, in *duo* Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam. Contrà

15. Dicendum 1. Septem sunt Sacramenta. Quamvis hoc probari possit ex Scriptura ritè intellecta & explicata ab Ecclesia, ut palàm fiet ex Assertione 3. ubi de singulis Sacramentis in specie afferentur textus; optimè tamen probatur ex auctoritate & definitione Ecclesiæ, semper septem, nec plura, nec pauciora, Sacramenta agnoscentis. Olim quidem non ita clarè hic numerus fuit decretus aut propositus in Concilijs & à Patribus, quia à nemine fuit ita impugnatus ut nunc, tamen etiam in primævæ Ecclesiæ Patrum scriptis non obscura omnium septem indicia deprehenduntur, ut iterum patebit ex Assertione 3. Posterioribus tamen temporibus, nimirum in Conciliis Generalibus Constantiensi, Florentino, & Tridentino clarissimè numerus septenarius est definitus, & à S. Thoma traditus l. 4. contra Gentes c. 58.

Regerunt Sectarij nostri, hæc Concilia nimis esse nova, & auctoritate non paria antiquæ Ecclesiæ. Sed miror imprimis, hoc objici à Novatoribus novissimis herì natis, quibus longè antiquiora sunt Concilia Constantiense & Florentinum. Dein Ecclesia moderna non est minoris auctoritatis, uti & Concilia posterioris temporis, quàm fuit Ecclesia primæva, & Concilia antiqua, partim quia Spiritus S. semper regit Ecclesiam, nec totam potest permittere labi in errorem circa res fidei; permitteret autem labi, si sineret Concilium Generale legitimum quocunque tempore labi in errorem: partim quia Ecclesia semper debet posse infallibili sententia decidere controversias fidei, & doctrinam veram discernere ab hæretica & falsa; quippe etiam posterioribus temporibus sæpe hæreses ortæ sunt, & deinceps oriri possunt. Videatur materia de infallibilitate Ecclesiæ. Proin

Dicend. 2. Non est necesse, ut singula Sacramenta claris textibus probentur ex Scriptura. Quoad *nomen Sacramenti* res est certa etiam apud Adversarios, qui fatentur, nec Baptismum nec Eucharistiam, quæ duo ipsimet admittunt, à Scriptura vocari *Sacramenta*. Igitur Sacramenta nec quoad rem ipsam necessariò contineri clarè in Scripturis, nec indè necessariò esse probanda asserimus, & sic 16.

Prob. 1. Non est necesse, ut omnes fidei articuli clarè contineantur, aut per claram consequentiam deducantur ex Scriptura S. ut in materia de Traditionibus evidenter demonstravimus, nec negare possunt Sectarij, qui pro articulis fidei habent: hos vel illos libros esse Verbum DEI scriptum, DEUM esse trinum in Personis &c. licèt id Scriptura nullibi asserat clarè, nec

nec indè clarè deducatur. Quod pridem agnovit S. Augustinus in ep. Fundamenti dicens: *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* & l. 7. de Trin. c. 4. *Dicimus in DEO tres Personas, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit.* Prob. 2. quia Baptismus & Eucharistia etiam juxta Adversarios jam fuerunt Sacramenta Novæ Legis, antequam ulla Scriptura Novæ Legis existeret. 3. Quia ad rem & esse Sacramenti etiam juxta Adversarios requiritur institutio Divina, certo signo seu elemento annectens & promittens gratiam remissionis peccatorum: sed de Eucharistia id probare non possunt ex Scriptura; nullibi enim legitur, sumenti Corpus & Sanguinem Christi fuisse promissam remissionem peccatorum, quam vocant promissionem *Evangelio propriam*, nisi fortè Jo. 6. in quo tamen cap. juxta Lutheranos non agitur de reali & Sacramentali, sed solùm de spirituali manducatione, adeóque non de Sacramento Evharistiæ. Imò id neque de Baptismo solidè probare possunt; ijsdem enim argumentis, quibus remissionem peccatorum Baptismo promissam esse contendunt Adversarij, uti facilè poterit alius ad probandum, quòd Pœnitentia, imò & Lotio pedum, habeat similem promissionem, adeóque Sacramentum sit. Proinde

Prob. Assertio 2. Vel nullum Sacramentum potest probari claris Scripturæ textibus, vel pariter probari poterit, Pœnitentiam, & Lotionem pedum, quam Jo. 13. Christus instituit in ultima Cœna, esse verè & propriè Sacramenta: utrumque est contra Adversarios: ergo. Ma. prob. Juxta Adversarios requiruntur præcipuè tria ad rationem Sacramenti, scilicet signum externum vel elementum, cui promissa sit gratia remissionis peccatorum, & quod habeat institutionem seu mandatum Divinum: hæc tria Adversarij non reperient in Baptismo & Eucharistia, vel reperient pariter in Pœnitentia & Lotione pedum: ergo. Min. prob. *ELEMENTUM* propriè dictum in Eucharistia non est, est tamen in Lotione pedum, scilicet aqua: elementum impropriè dictum, scilicet sumptum pro quolibet signo externo, reperitur etiam in Pœnitentia, scilicet humilis confessio peccatorum & contritio manifestata. Quæso ubi Scriptura clarè requirit elementum propriè dictum, vel substantiam visibilem? Quòd hæc reperiantur in Baptismo & Eucharistia, nihil facit, cùm à particulari ad universale, ab uno vel altero ad omnia, prorsus nulla sit argumentatio. *PROMISSIONEM GRATIÆ* in Eucharistia nullam invenient, ut vidimus: quam inveniunt in Baptismo, pariter reperient in Pœnitentia: *Convertimini, & agite Pœnitentiam* (promittit Deus per Ezechiëlem c. 18. cujusmodi promissiones de remissione peccatorum spectant ad Evangelium juxta Lutheranos) *& non erit vobis in ruinam iniquitas. Revertimini, & vivite.* Rursus: *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 13. v. 3. Item in Lotione pedum: *Si non laverote,*

non habebis partem mecum. Jo. 13. v. 8. *Qui lotus est &c. mundus est totus.* v. 10. Denique *INSTITUTIONEM ET MANDATUM DIVINUM* æquè reperient de Pœnitentia: *Pœnitentiam agite.* Mat. 3. *Si non pœnitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.* Luc. 13. v. 5. Item de Lotione pedum: *nisi lavero te: & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Jo. 13. ac de Baptismo & Evchariſtia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Jo. 3. *Nisi manducaveritis* &c. Jo. 6.

Denique dicant mihi Lutherani, cur eleëmoſyna non ſit Sacramentum; pecunia enim erogata eſt ſubſtantia viſibilis, vel elementum corporale, ut vocant, habet promiſſionem gratiæ, & mandatum Divinum: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Luc. 11. v. 41. Ergo ex Scriptura ſola nullum Sacramentum ſufficienter probatur, vel, ſi probetur, etiam probatur facilè, eleëmoſynam, lotionem pedum, pœnitentiam &c. eſſe Sacramenta.

17. Dicend. 3. Sacramenta Novæ Legis ſunt Baptismus, Confirmatio, Evchariſtia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium. Ita expreſſis verbis definitum eſt in Conc. Trident. Seſſ. 7. Can. 1. de Sacr. & Florentino de Sacram. Eccl. Circa Baptismum & Evchariſtiam non movent nobis litem Sectarij noſtri, ſed circa reliqua quinque, quæ ordine ſtabiliemus. Priùs tamen advertimus aliquam hujus numeri ſeptenarij ac ordinis congruentiam & analogiam vitæ ſpiritualis, quam dant & conſervant Sacramenta, cum vita corporali. Quippe ſicut ad vitam corporalem requiritur 1. generari. 2. creſcere, 3. nutriri. 4. ſanari à morbo. 5. liberari à morbi reliquijs. 6. habere poteſtatem gubernandi Rempublicam. 7. propagare genus humanum. Ita in vita ſpirituali opus eſt 1. generari per *Baptismum.* 2. augeri & roborari per *Confirmationem.* 3. nutriri per *Evchariſtiam.* 4. ſanari à morbo peccatorum per *Pœnitentiam.* 5. liberari à reliquijs peccatorum per *Extremam unctionem.* 6. habere poteſtatem regendi homines in ijs, quæ ad animæ ſalutem pertinent, per *Ordinem.* 7. propagare membra veræ Religionis ad cultum DEI per *Matrimonium.* Ex his Sacramentis duo, ſcilicet Baptismus & Pœnitentia, per ſe & directè inſtituta ſunt ad conferendam *primam* gratiam juſtificantem, cætera ad *ſecundam*, ſeu ad augmentum gratiæ; quamvis illa duo per accidens ſecundam, & reliqua primam ſubinde conferant. Lutherani etiam de Evchariſtia concedere debent, quòd non ſit per ſe inſtituta ad conferendam primam gratiam, ad remittenda peccata, utpote quæ priùs remittuntur per Pœnitentiam, quam Communioni ſacræ præmittendam docent. Jam in ſpecie quoad ſingula illa Sacramenta, quæ negantur ab Adverſarijs, Aſſertio

Probatur de *Confirmatione* 1. ex 18
Scriptura, quæ dicit, Apoſtolos impoſuiſſe manus baptizatis, ut acciperent Spiritum S. ſic Act. 8. v. 17. dicit: *Imponebant manus ſuper illos, & accipie-*

cipiebant Spiritum S. Et Act. 19. v. 6. *Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos.* Quos textus Ecclesia de Sacramento Confirmationis intelligit, ut jam olim docuit S. Hieron. Adv. Luciferian. *An nescio*, ait, *etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus S? Exigis, ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum* c. 8. & 19. *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Rursus 2. Cor. 1. legitur: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos DEUS, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Ubi exprimitur etiam nomen *Confirmationis*, virtus, natura, character, quem imprimit, & gratia sanctificans, quam confert & auget; nam Spiritus S. non accipitur sine gratia sanctificante, imò per Spiritum S. intelligitur ejus gratia, siquidem Spiritus S. quoad substantiam non accipitur, sed est ubique. Reperiuntur igitur in Confirmatione 1. signum externum & actio sensibilis, scilicet impositio manuum, & unctio cum oratione. 2. Promissio gratiæ, huic signo annexæ. 3. Institutio seu mandatum Divinum. Nisi enim Apostoli novissent, huic impositioni manuum, & unctioni promissam & annexam fuisse gratiam Spiritûs S. & simul mandatum Christi, non ita ordinatè ac securè impositissent manus baptizatis, *ut acciperent Spiritum S.*

2. Et præcipuè ex Traditione ac perpetua Ecclesiæ praxi, quæ optimè declarat, quid Christus instituerit, & Apostoli usurpaverint. Siquidem primis statim sæculis Confirmationis Sacramenti meminerunt Patres. S. Clemens Apostolis coævus ep. 4. ad Julium & Julianum ait: *Omnibus festinandum est sine morâ renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo &c. Cùm autem regeneratus fuerit per aquam, postmodum septiformi Spiritûs gratia ab Episcopo confirmatus.* S. Urbanus Papa & M. qui vixit anno 226. in ep. ad omnes Christianos: *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum Spiritum* S. *post Baptismum accipere debent, ut plenè Christiani inveniantur; quia cùm Spiritus* S. *infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.* S. Cyprianus, qui ferè eodem tempore vixit, & apud Adversarios in magno pretio est, quia aliquando intemperantiùs se opposuerat Pontifici Romano, licèt postea se submiserit, & errorem Martyrio eluerit, epist. ad Jubaianum de Hæret. baptiz. *Idcirco quia Samaritani legitimum & Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat: sed tantummodo, quod deerat, id à Petro & Joanne* (Act. 8.) *factum est, ut oratione pro eis habita & manu impositâ invocaretur & infunderetur super eos Spiritus S. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, per Præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manûs impositionem Spiritum* S. *consequantur, & signaculo Dominico consignentur.* Rursus de

Unct.

Unct. Chrysm. *Hodie* (in die Cœnæ) *in Ecclesia cum cæteris unctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum sacrum Chrysma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum &c. divinitus instituta &c. non hæc medendis corporibus est Unctio instituta.* S. Melchiades Papa & M. paucis annis posterior, in ep. ad Hispaniæ Episcopos: *Quid mihi prodest post mysterium Baptismatis mysterium Confirmationis? Ergo Spiritus S. qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* Patres Conc. Laodic. Can. 48. ut refertur in Decreto Grat. de Consecr. dist. 5. sic statuerunt: *Oportet baptizatos post Baptisma inungi supercœlesti Chrysmate.* S. Aug. 2. contra Litt. Petiliani 104. *Sacramentum Chrysmatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Sufficiant hæc clarissima Antiquitatis testimonia ad probandum, Apostolicam Traditionem esse de doctrina Confirmationis, quam hodiedum retinent Catholici.

19. De *Pœnitentia* prob. 1. ex Scriptura ritè intellecta & explicata ab Ecclesia. Christus Mat. 18. Apostolis promisit potestatem remittendi vel retinendi peccata: *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo* &c. Eandem potestatem ipsis contulit post Resurrectionem suam. Jo. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* utique sub tacita conditione, si homines fuerint dispositi ad Absolutionem; quæ dispositio consistit in dolorosa confessione peccatorum; nisi enim Apostoli & eorum Successores cognoverint priùs peccata, non possunt ferre judicium de Absolutione impertienda, vel retentione indicanda. Jam sic: ad rationem Sacramenti requiritur 1. signum sensibile, quod hìc est confessio peccatoris & verba absolventis. 2. Promissio gratiæ justificantis, quæ confertur eo ipso, quòd remittantur peccata, quæ dimittendi potestatem citt. locis concessit Christus. 3. Institutio Divina, quæ in ijsdem clarè elucet. Ergo

2. Ex Traditione, & perpetuo Ecclesiæ sensu. S. Ambr. 1. de Pœnit. c. 7. ait: *Neque interest, utrùm per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vendicent.* S. Greg. Nyss. apud Burghaber, l. de vita Moysis: *Moyses inundare aquis eremum fecit, quæ, quantum qualéque sit Pœnitentiæ Sacramentum, docet.*

3. Speciatim contra Lutheranos ex Apol. Conf. Aug. qui est liber apud ipsos Symbolicus, in quem jurant. In hac tit. de Num. Sacr. habentur hæc clarissima verba: *Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ* &c. Neque dicas, Pœnitentiam esse Sacramentum in sensu latiori, non strictissimè & proprijssimè, ut ait Lomerus. Nam contra est 1. quia additur *verè*, & paulò antè *propriè*: quid ulteriùs desiderari possit ad strictam vel strictissimam acceptionem Sacramenti? 2. quia neque Christus

alia

alia *strictè* alia autem *strictissimè* sumpta instituit, neque unquam Ecclesia tale discrimen agnovit: quod ergo est strictè Sacramentum, est etiam strictissimè Sacramentum, sicut gemma, quæ strictè est gemma, eò quòd habeat prædicata essentialia gemmæ, etiam strictissimè est gemma: & qui propriè & strictè est homo, etiam proprijssimè & strictissimè est homo; quia essentiæ consistunt in indivisibili, nec suscipiunt magis & minùs. 3. Pœnitentia ab Apologia numeratur cum Baptismo & Eucharistia sine ulla restrictione: ergo si Pœnitentia non est propriè & proprijssimè Sacramentum, nec Baptismus nec Eucharistia erunt; consequenter Lutherani nullum habebunt Sacramentum propriè, aut (si ita nugari placet) propriissimè dictum.

Regeres, ad Sacramentum proprijssimè dictum requiri vel elementum, vel saltem substantiam visibilem; quia hæc reperiuntur in Baptismo & Eucharistia, quæ duo Sacramenta ab omnibus agnoscuntur: sed Confessio & Absolutio non sunt elementum, neque substantia visibilis, sed solummodo sunt verba, quæ sunt accidentia, & non nisi auditu perceptibilia. R. N. Ma. quæ sine ullo prorsus fundamento asseritur. Imò nulla substantia in se est visibilis, sed tantùm in suis accidentibus. Ratio addita supponit id, quod est in quæstione, vel procedit à particulari ad universale, ut suprà dictum: vel enim supponit, tantùm esse illa duo Sacramenta, & de hoc est lis & quæstio: vel ex eo, quòd hæc duo Sacramenta habeant pro materia substantiam visu perceptibilem, infert, quòd omnia Sacramenta debeant esse talia, quod est procedere à particulari ad universale; & æquè aliquis sic posset arguere: Baptismus, qui ab omnibus admittitur esse Sacramentum, pro materia habet elementum aquæ: ergo Eucharistia Sacramentum non est proprijssimè, quia pro materia non habet elementum aquæ. Sufficit igitur, modò adsit tale signum sensibile, per quod significetur illa gratia, quæ interiùs confertur animæ.

De Extrema Unctione prob. 1. ex Scriptura. Jac. 5. sic habetur: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* En 1. signum & actionem externam, scilicet oleum, unctionem & orationem Sacerdotis. 2. Promissionem gratiæ, scilicet remissionis peccatorum & alleviationis. 3. Mandatum & institutionem Divinam; quippe Apostolus non potuisset tam certò & asseveranter promittere gratiam ad positionem unctionis &c. nisi sciviset, ejusmodi unctionem infirmorum à Christo fuisse institutam ad significandam & efficiendam gratiam, cùm nemo possit signo materiali alligare gratiam, nisi Deus: ergo Extrema Unctio habet omnia requisita ad verè & propriè dictum Sacramentum. Imò in citato textu etiam 20.

iam exprimitur materia, forma, minister, & suscipiens.

2. Ex Traditione, & sensu Ecclesiæ etiam primævæ, quem satis produnt varia Concilia, uti Nicænum I. Lateranense, Viennense &c. Wormatiense, Aquisgranense &c. Meldense apud Canisium de Sacram. Extr. Unct. §. 2. statuit: *ut Presbyter in Cœna Domini ampullas tres secum deferat, unam ad Chrysma, alteram ad oleum ad catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos juxta sententiam Apostolicam, ut, quando quis infirmatur, inducat Presbyteros &c.* Ex PP. idem confirmat S. Innocentius I. qui ep. 1. c. 8. Unctionem infirmorum, cujus morem explicat Jacobus, *genus esse Sacramenti*, ait. S. Chrys. l. 3. c. 6. de Sacerdotio dicit: *Sacerdotes non solùm, cùm nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accersat presbyteros.* S. Aug. l. 2. de Visit. infirm. c. 4. *Nec prætermittendum est Apostoli Jacobi præceptum: infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine JESU &c. Sic roges de te, & pro te fieri &c. ipsa videlicet olei sacrati delibutio intelligitur Spiritus S. typicalis Unctio.* Quin & Ecclesia Græca, quamvis in quibusdam alijs refractaria sit Matri suæ, Ecclesiæ Romanæ, tamen Apostolicam hanc Traditionem de septem Sacramentis Catholicorum, consequenter etiam de Extrema Unctione, semper retinuit, ut patet ex responsione Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitani ad Wirtenbergenses Theologos Lutherano sdata. Videatur meū *Examen Polemicū super August. Confess.* art. 6. & in fine hujus Operis.

De *Ordine* (saltem Presbyteratûs) 11.
prob. 1. ex Scriptura, in qua habentur hi textus. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponentésque eis manus dimiserunt illos.* Act. 13. *Ut constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Ad Tit. 1. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* 1. Tim. 4. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum.* 2. Tim. 1. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata* &c. Jo. 20. Jam ex his textibus recte colliguntur omnia ad verum Sacramentum requisita. 1. Signum & ritus externus, scilicet impositio manuum &c. 2. Promissio & collatio gratiæ huic ritui annexæ. 3. Institutio seu Mandatum Divinum, *segregate mihi* &c. & quidem pro omni tempore stabiliter, quia in Ecclesia fideles semper indigent remissione peccatorum, quæ remittendi potestatem presbyteri accipiunt in Ordinatione, dum eis dicitur: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis* &c.

2. Ex Traditione & continuo Ecclesiæ sensu, quem testatur Concil. Chalced. Can. 2. damnans eos, qui pecuniam accipiunt pro Ordinatione, quia censentur *gratiam Dei* vendere: ergo judicabant Patres Concilij, in ordi-

Ordinatione conferri gratiam. S. Ign. Martyr. coævus Apostolorum ep. ad Smyrn. *Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Patrem, & Presbyterorum collegium ut Apostolos, Diaconos revereamini, ut EX DEI PRÆCEPTO ministrantes.* S. Ambr. l. de Dignit. Sacerdotali c. 5. *Per hominem dat Deus* (gratiam Episcopalem) *homo imponit manus, Deus largitur gratiam.* Clarissimè S. August. l. 2. contra ep. Parmeniani c. 13. *Utrumque enim* (Baptismus & Ordo) *Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud, cùm baptizatur, istud, cùm ordinatur, ideóque in Catholica utrumque non licet iterari &c. Non eis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideóque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria &c. Explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti &c. Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? neutri Sacramento injuria faciendaest.* Quoties hic ordinatio vocatur Sacramentum? utique propriè, cùm comparetur cum Baptismo, qui procul dubio propriè dictum Sacramentum est. Similia habet l. de bono conjugali c. 24. & l. 1. de Bapt. contra Donatistas c. 1.

Dixi superiùs, *saltem Presbyteratûs*; quamvis enim satis certum sit, Ordinem Episcopalem, qui est Sacerdotium completum, item Diaconatum & Subdiaconatum esse Sacramentum, idque de quatuor Minoribus sit probabilius, tamen definitum non est. Neque propterea erunt plura apud Catholicos Sacramenta quàm septem, quia omnes Ordines censentur esse unum Sacramentum, cùm tendant ad unum finem, scilicet ad idoneum ministrum, qui offerat Sacrificium Missæ, & Sacramenta, præcipuè Eucharistiæ & Pœnitentiæ, legitimè administret. Ordines inferiores Presbyteratu referuntur ad hunc, Episcopalis verò est complementum Presbyteratûs, quem essentialiter supponit. Omnes Ordines jam olim circa annum 284. distinctè expressit Cajus Papa, dum ep. ad Felicem scripsit: *Siquis Episcopus esse meretur, sit primò Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, indè sacratur Acolythus, demum verò Subdiaconus, deinde Diaconus, postea Presbyter: & exinde, si meretur, Episcopus ordinetur.* Tanta nimirum dignitas est & supereminentia Sacerdotij Christiani, ut non nisi per plures gradus eò perveniri possit.

De *Matrimonio* probatur 1. ex Scriptura. Eph. 5. v. 32. sic ait Apostolus: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adharebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Ubi ipsum *Sacramenti* nomen expressè tribuitur Matrimonio, nec est ulla causa, cur non accipiamus in sensu proprio: imò ex adjunctis verbis colligitur, Sacramentum dici propriè, eò quòd Apostolus asserat, per con- 220

junctionem Matrimonialem Christianorum significari conjunctionem Christi cum Ecclesia, utique non tantùm illam, quæ habetur per assumptionem carnis humanæ (quæ conjunctio est communis toti humano generi, nec Ecclesiæ Christianæ propria) sed etiam, & quidem maximè, illam, quæ habetur per gratiam sanctificantem, & propria est Ecclesiæ. Atqui hanc conjunctionem Christi cum Ecclesia per gratiam non significaret Matrimonium, si Christiani solùm naturaliter & carnaliter, ut etiam fit apud Gentiles, inter se conjungerentur, & non etiam spiritualiter per gratiam & charitatem mutuam, quam Apost. cit. c. v. 25. tam studiosè commendat: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Idem Apostolus 1. Tim. 2. dicit: *Salvabitur mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide* (scilicet conjugali) *& dilectione & sanctificatione.* At in his *permanere* non potest, nisi priùs, quando contraxit Matrimonium, ea acceperit, præsertim *sanctificationem*, quæ in Matrimoniali contractu non datur, nisi sit Sacramentum. Ergo in nova Lege Matrimonium (scilicet quoad contractum Matrimonialem, non quoad usum seu copulam) est elevatum ad rationem Sacramenti. Et cur non sit propriè dictum Sacramentum? cùm adsit 1. signum & ritus externus, nimirum contractus per verba aut nutus sponsorum manifestatus. 2. Significans & conferens gratiam, ut patet ex textibus citatis. 3. Ex institutione Divina; quia nemo potest alicui signo sensibili annectere gratiam nisi DEUS. Dein nec ipsi Adversarij negant, Matrimonium à DEO esse institutum.

2. Ex Traditione & sensu totius Ecclesiæ. S. Leo I. ep. 92. ad Rusticum c. 4. dicit: *Societatem nuptiarum ita ab initio esse constitutam, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum*, scilicet in Antiqua Lege imperfectè, typicè, & quoad conjunctionem secundùm naturam, in Nova autem Lege perfectè, completè, & quoad conjunctionem secundùm gratiam. Clarissimè iterum S. August. de bono conjugali c. 18. *In nostratum quippe nuptijs plùs valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri.* & c. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi, & in fide castitatis; quod autem AD POPULUM DEI pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit.* Ubi rationem Sacramenti solùm tribuit Matrimonijs Christianorum. Demum l. de fide & operibus c. 7. *In Ecclesia nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* Ita sentiunt, & post Conc. Trid. Florent. & Canonem illum, qui habetur c. ad audientiam 9. de hæreticis l. 5. Decretal. sentire debent omnes Catholici, quidquid dixerit, fortè in solo modo loquendi discrepans, Durandus in contrarium, & pauci olim Juristæ, ad quos non spectat decernere de hac materia

teria Theologica. Cur autem non citiùs in Ecclesia clarè definitum fuerit, Matrimonium in Nova Lege esse Sacramentum, ratio est, quia olim non fuit hæc veritas in dubium vocata, sicut fecerunt posteriores hæretici. Nihil autem in Ecclesia decidi solet, nisi quæ controversa sunt.

Solvuntur Objectiones.

23. Ob. 1. Scriptura nihil meminit de septem Sacramentis: ergo non dantur septem. R. 1. N. Ant. quamvis enim non explicitè meminerit de numero septenario, imò nulli (excepto Matrimonio, ut vidimus) nomen Sacramenti tribuat; tamen quoad rem ipsam omnia septem in Scripturis continentur, ut partim fatentur Adversarij, partim nos hucusque ostendimus, si nempe accedat legitima Scripturæ interpretatio, sine qua vel nullum ex Scriptura probari, vel plura poterunt, quàm septem, ut pariter suprà ostendimus p. 541. R. 2. T. A. N. C. antiqua enim hæc nœnia, *scriptum non est, ergo non credendum*, nihil omnino valet, ut evidenter demonstratum tum in materia de Traditionibus, tum Assert. 2. hujus art. Nunquid Scriptura nec dicit, *duo* dari Sacramenta? & tamen ab Adversarijs admittuntur duo.

24. Ob. 2. Patres primitivæ Ecclesiæ nihil sciunt de septem Sacramentis, sed tantùm duo ponunt, scilicet Baptismum & Evchariſtiam, uti S. August. ep. 118. ad Januarium: ergo. R. Quamvis antiqui Patres non simul omnia septem Sacramenta recenseant, sed, prout exigebat ipsorum propositum & materia, quam tractabant, modò hæc, modò alia, modò plura, modò pauciora nominent; omnia tamen & singula habent luculenta apud Patres, antiquos etiam, testimonia, ut ostensum jam est, nominatim apud S. August. quem citat objectio; mox enim ep. 119. sequente mentionem fecit trium, l. 5. de Bapt. contra Donat. c. 20. commemorat quatuor, nempe Baptismum, Unctionem, Evchariſtiam, Ordinem. Tertull. l. de Resurr. carnis quinque, quia addit Confirmationem dictis quatuor. Ambros. dum scribit ad Catechumenos, tria numerat, scilicet ea, quæ illis uno die ministrabantur, nempe Baptismum, Evchariſtiam, & Chrysma, seu Confirmationem. Videantur textus Patrum de singulis Sacramentis paulò antè adducti.

25. Ob. 3. Non constat satis de materia & forma, quam Papistæ adhibent pro signo externo in quinque suis Sacramentis, utrùm nempe & quam materiam Christus requisiverit in Ordinatione v. g. quam formam in Confirmatione &c. 2. Non conveniunt ipsi inter se circa materiam & formam in contractu Matrimoniali, dum alij dicunt, contrahentes esse materiam, verba, quibus exprimitur consensus, esse formam, alij pro materia statuunt verba, alij contractum ipsum &c. 3. Materiam nunc aliam adhibent

v.g. in Ordinatione Sacerdotis, quàm olim; nam olim solummodo imponebantur manus, nunc verò traditur simul calix & patena, & proferuntur certa verba ex præscripto, quod olim non fiebat. 4. Christus & Apostoli non adhibuerunt ejusmodi signa externa, quando ordinârunt Sacerdotes, absolverunt à peccatis &c. ergo.

R. ad 1. Etiamsi non satis constaret, an & qualem materiam ac formam requisiverit Christus, ex Scriptura; tamen sufficienter constat ex Traditione Ecclesiæ. Dein jam suprà ostendimus, in quinque Sacramentis, quæ præter Baptismum & Eucharistiam admittimus, reperiri in ipsis Scripturis signum externum, à Christo determinatum, gratiæ significativum, & quidem determinatum vel in infima specie, ut in Extrema Unctione oleum olivarum, in Ordinatione impositionem manuum: vel in genere saltem, ut in Matrimonio *legitimum* contractum signo externo manifestatum, relinquendo ultimam determinationem Ecclesiæ, decernentis, quisnam contractus sit habendus pro legitimo vel non, an etiam clandestinus &c. Videantur Scholastici. Ad 2. Conveniunt omnes quoad rei substantiam, & in ijs, quæ vel à Scripturis vel ab Ecclesia definita sunt, nimirum in omni Sacramento Novæ Legis requiri materiam & formam, & aliquod signum externum, per quod significetur gratia conferenda, & practicè illud omnes requirunt: quamvis speculativè discrepent in explicanda materia & forma Sacramenti Matrimonij, an hoc vel illud, quod necessariò adhibendum docent, habeat rationem materiæ potiùs quàm formæ. Quod denique ad modum loquendi pertinet. Ad 3. Negatur, quòd nunc adhibeatur alia materia quoad substantiam, quàm olim in Ecclesia Christi; nam manus imposuisse ordinandis leguntur Apostoli, qua impositione conferebatur Spiritus S. & potestas absolvendi à peccatis; de calice quidem cum vino, & de patena cum hostia, quæ hodie adhibentur, dum confertur potestas offerendi Sacrificium Missæ, & consecrandi Corpus Christi, nihil quidem legitur; sed nec legitur quidquam in oppositum. Eodem itaque jure nos dicimus, hoc vel saltem simile signum, quo significata sit memorata potestas tradita, fuisse porrectum ordinandis, quo jure Adversarij negant: imò longè meliori nos affirmamus, eò quòd Traditio, cujus initium nescitur, censenda sit Apostolica & à temporibus Christi proveniens, præsertim circa ea, in quibus Ecclesia nihil statuere potest, utì est instituere materiam & formam Sacramentorum, seu certo signo & ritui externo alligare gratiam sanctificantem. Ad 4. De Apostolis temere negatur, imò longè meliùs affirmatur partim ex ratione primùm data: nisi tantùm sit sermo de *accidentalibus* ceremonijs; partim ex 1. Tim. 4. ubi dicitur: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Ubi pro materia exprimitur impositio manuum, & nomine *prophetiæ* intelliguntur certa verba; nam Scriptura consuevit omnem

sermo-

sermonem Divinum vocare prophetiam. Christus fortè & ipse adhibuit aliquod hujusmodi signum externum: sic enim in ultima Cœna, dum Apostolos ordinavit in Presbyteros, & potestatem dedit consecrandi & sacrificandi in pane & vino, *porrexit sub specie panis & vini* suum Corpus & Sanguinem, & dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, cui ritui respondet nunc *traditio patena cum hostia, calicis cum vino.* Dein etiamsi Christus ejusmodi ritus externos non adhibuisset, nihil obesset, quia ipse tanquam Auctor gratiæ, & absolutus Dominus potuisset dare gratiam sine Sacramento, & remittere peccata &c. nec fuit ipse alligatus determinatis signis.

26. Ob. 4. Quamvis hi ritus, quibus ministri Ecclesiæ ordinantur, vel contrahitur Matrimonium &c. sint boni, & Deus ad piorum preces conferat ordinatis, & contrahentibus, gratiam aliquam, non tamen confert per ejusmodi ritus gratiam *Evangelio propriam*, seu gratiam justificantem, & remissionem peccatorum; quia probari non potest, conferri gratiam justificantem per hos ritus: ergo hi ritus non sunt propriè Sacramenta. R. 1. & quæro ex Adversarijs, unde probent ipsi, quòd Eucharistia conferat gratiam justificantem, seu remissionem peccatorum (quæ apud ipsos idem sunt) cùm ante S. Communionem quilibet debeat se *probare*, credere, & consequenter jam esse justus, & obtinuisse remissionem peccatorum? Quomodo Baptismus; cùm tamen baptizandus debeat priùs credere, & per fidem juxta ipsos statim justificetur? Et tamen hæc duo Sacramenta ipsimet admittunt. Unde R. 2. Omnia & singula conferre gratiam justificantem seu habitualem, scilicet vel primam, ut Baptismus facit & Pœnitentia, nisi homo jam antecedenter sit justus, vel secundam seu augmentum gratiæ habitualis, ut reliqua quinque Sacramenta, quæ supponunt primam gratiam, saltem ordinariè, & per se; licèt per accidens etiam conferre possint primam, ut docent Scholastici. R. 3. Quamvis Sacramenta, uti & Ordo & Matrimonium, conferant etiam gratias actuales, seu auxilia supernaturalia, nimirum ad sacra ministeria ritè obeunda, ad onera Matrimonij patienter ferenda, ad sobolem bene educandam; tamen semper conferunt simul etiam gratiam habitualem, seu justificantem vel primam vel secundam, ut colliges ex Scripturæ & Patrum textibus, qui illam gratiam vocant *Spiritum* S. gratiam *diffusam in cordibus*, *permanentem* in nobis, *resuscitandam* &c. Relege dicta. Id tamen observandum est, gratiam habitualem seu sanctificantem in singulis Sacramentis sub alia & sibi peculiari ratione conferri; nam in Baptismo confertur sub ratione regenerationis, in Confirmatione sub ratione augmenti & roboris Spiritualis, in Eucharistia sub ratione alimenti & nutritionis, in Pœnitentia sub ratione medicinæ, in Extrema Unctione sub ratione præsidij contra tentationes in agone mortis, in Ordine sub ratione debitæ dispositionis & auxilij

xilij ad munia Ecclesiastica rectè obeunda, in Matrimonio sub ratione spiritualis & castæ conjunctionis animorum inter conjuges.

27. Ob. 5. Matrimonium, & Ordo non habent Mandatum Divinum, quia non omnibus præceptum est Matrimonium, aut necessarium ad salutem, uti & Ordo: ergo non sunt propriè Sacramenta. R. Si per tò *mandatum* intelligas mandatum Divinum omnes obligans ad utendum tali ritu C. A. & N. C. prorsus enim gratis fingitur ad *esse* Sacramenti tale præceptum: & nunquid apud Adversarios Eucharistia non est sub præcepto respectu omnium, scilicet parvulorum, abstemiorum &c. & tamen Sacramentum est? Si verò intelligas nomine mandati *institutionem* Divinam, ut plerumque insinuare videntur Lutherani Scriptores per particulam *seu*, requirentes *mandatum seu institutionem Divinam*; tunc N. A. Ratio negandi patet ex dictis. Cæterùm loquendo de necessitate Sacramentorum, dicimus cum P. Canisio & communi Catholicorum, Baptismum necessariò suscipiendum ab omnibus (scilicet vel in re vel in voto) Eucharistiam à ratione utentibus, Pœnitentiam à relapsis in peccatum mortale post Baptismum. At reliquis uti arbitrarium est, modò nullum contemnatur, aut, cùm ita fert tempus aut occasio, contra jus & æquum negligatur.

28. Ob. 6. In Antiqua Lege tantùm fuerunt duo Sacramenta, Circumcisio & Agnus Paschalis, tanquam typus Baptismi & Eucharistiæ: ergo pariter tantùm hæc duo dantur in Nova Lege. 1. Illa tantùm sunt propriè Sacramenta, quorum materia profluxit ex latere Christi in cruce pendentis: sed ex latere Christi solùm profluxit sanguis & aqua, quæ sunt materia Eucharistiæ & Baptismi: ergo. 3. Pœnitentia & Matrimonium jam fuerunt in Antiqua Lege, non tamen fuerunt Sacramenta: ergo nec modò sunt. Vel si olim fuerunt Sacramenta, tunc Sacramenta Antiquæ & Novæ Legis non sunt diversa contra Patrum sensum. R. ad 1. N. Ant. nam in Antiqua Lege teste S. August. l. 19. contra Faustum c. 13. fuerunt plura quàm in Nova Lege, sic enim ait: *Prima Sacramenta, cùm suo Adventu Christus implevisset, ablata sunt, & alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, NUMERO PAUCIORA.* Habebant enim Circumcisionem, Agnum Paschalem, varias Ordinationes, Lotiones, & alias Cæremonias inter Sacramenta. Deinde Transm. Ant. negari posset Cons. Ad 2. N. M. Deinde sanguis non est materia Eucharistiæ juxta Adversarios, saltem materia visibilis, sicut aqua in Baptismo, sed panis & vinum. Vel si dixeris, sanguinem esse materiam, tunc Eucharistia non erit Sacramentum Corporis, sed solùm Sanguinis Christi, quia corpus non profluxit ex latere Christi. Nugæ! Ad 3. N. Cons. in Antiqua Lege defuit institutio Divina, non autem in Nova. Urg. &

Ob. 7. Non potest ostendi tempus & locus, ubi & quando sint instituta quinque Catholicorum superflua Sacramenta; ergo non sunt à 29.

Chri-

Christo instituta. R. Transf. Ant. & retorq. argum. Non potest ostendi, quo tempore & loco Baptismus fuerit institutus pro Sacramento Novæ Legis, an nempe dum Christus fuit Baptizatus, an Jo. 3. & 4. ubi Christus per discipulos suos legitur baptizâsse, an tempore intermedio, an primùm post Resurrectionem, dum dixit ad Apostolos: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Ergo nec Baptismus erit Sacramentum. Potest igitur constare, an aliquid absolutè institutum sit à Christo, etiamsi de tempore & loco institutionis non certò constet; quod scire nihil interest Ecclesiæ. Cæterùm Doctores Catholici non improbabiliter docent, *Confirmationem* esse institutam, saltem perfectè & completè, post Resurrectionem, ubi Christus Jo. 20. ad Discipulos dixit: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Extremam Unctionem* itidem Resurrectionem inter & Ascensionem Christi, postquam fuit instituta Pœnitentia; nam à Tridentino vocatur *Consummativum Pœnitentiæ*. Quamquam hoc Sacramentum Marc. 6. insinuatum & adumbratum sit, ubi Apostoli leguntur ægros inunxisse oleo, & sanâsse, promulgatum verò & declaratum à S. Jacobo c. 5. v. 14. *Ordinem*, quia complectitur geminam potestatem sacrificandi & absolvendi, partim in ultima Cœna, partim post Resurrectionem Jo. 20. fuisse institutum. Denique *Matrimonium* vel intra 40. illos dies, quibus Christus post Resurrectionem suam Discipulis apparens multa eos docuit, *loquens de regno Dei*, seu de Ecclesia: vel Mat. 19. dum Christus ejus inseparabilitatem docuit, dicens: *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* Hic iterum locum habet recepta regula S. Augustini l. 2. de Bapt. cont. Donatistas c. 7. ubi dicit: *Multa non inveniuntur in litteris Apostolorum, nec in Concilijs posteriorum: & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.*

ARTICULUS III.

De Sacramentalibus, Ceremonijs, Signo Crucis &c.

30. SCiendum 1. Per *Sacramentalia* posse intelligi vel illas ceremonias, quæ in solenni administratione Sacramentorum ex usu & præscripto Ecclesiæ adhibentur, vel (& quidem magis propriè) alios quosdam actus externos, qui ad colendum DEUM ordinati sunt, & ex communi quadam fidelium persuasione ad hominis sanctificationem speciali aliquo modo serviunt. Ejusmodi Sacramentalia enumerantur præcipuè sex, hoc versu comprehensa: *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.* Vocabulo 1. intelligitur oratio Dominica. 2. Aquæ benedictæ aspersio. 3. Esus

panis benedicti, qualis olim in usu erat. 4. Confessio generalis cum tunsione pectoris, ut est *Confiteor*, Missæ præmitti solitum. 5. Eleëmosyna. 6. Benedictio ab Episcopo vel Abbate consecrato data.

Sc. 2. Quæstionem hìc esse 1. de Sacramentalibus his secundo modo acceptis, an habeant aliquam vim ad delenda peccata saltem venialia ex opere operato, utì Sacramenta, an solùm ex opere operantis? 2. De Cerimonijs in administratione Sacramentorum adhiberi solitis, an rectè adhibeantur? 3. An pro libitu omitti possint? 4. An rectè benedicatur aqua, quam vocamus lustralem, panis, oleum, palmæ &c. 5. An rectè adhibeatur exorcismus in conferendo Baptismo, benedictione aquæ &c. 6. An rectè fiat signum crucis in fronte à Christianis. Item an rectè ducatur manu in aëre, dum aliquid benedicitur. Ista enim omnia à Sectarijs nostris vel non curantur, vel ridentur, vel contemnuntur, vel etiam ut superstitiosa damnantur.

31. Dicendum 1. Sacramentalia recitato versiculo comprehensa solùm ex opere operantis conducunt ad delenda peccata, seu mortalia seu venialia, nimirum quatenus illorum usus excitare in nobis potest tales motus salutares, nimirum pœnitentiæ & detestationis peccatorum, qui de se sufficientes sint ad delenda peccata, vel quatenus per illorum devotum usum impetratur specialis Dei gratia actualis seu auxilium ad detestationem peccatorum, ad superandas tentationes &c. Probatur. Quia nec ex auctoritate nec ex ratione habemus ullum fundamentum majorem virtutem (scilicet ex opere operato, & immediatè) causativam remissionis peccatorum tribuéndi Sacramentalibus. Unde patet mendacium Lutheranorum, qui passim tam in Confessione Augustana quàm in alijs libris Catholicos arguunt, quasi docerent, hominem per hujusmodi promereri justificationem & remissionem peccatorum.

Dicend. 2. Cerimoniæ in administratione Sacramentorum, utì & in quolibet cultu Divino, rectè piè & utiliter adhibentur. Probatur 1. ex Scriptura, in qua Paulus jubet, ut *omnia honestè & secundùm ordinem fiant* 1. Cor. 14. atqui ad hoc vel maximè serviunt cerimoniæ. 2. Ab exemplo Christi, qui, quamvis potuisset sine ulla cerimonia conferre gratiam, sanare tam corpus quàm animam, tamen adhibuit cerimonias, scilicet insufflavit in Apostolos Jo. 20. homines à dæmone obsessos exorcizavit. Marc. 5. ex sputo lutum fecit. Joan. 9. digitos misit in auriculas, suspiciens in cœlum ingemuit Marc. 7. elevatis manibus benedixit &c. 3. Ex perpetua praxi & antiquissima Traditione Ecclesiæ, ut constat ex scriptis SS. Patrum Dionysii Areop. c. 2. p. 2. Hier. Eccl. Clementis ep. 5. Tertul. de corona mil. Orig. hom. 12. in Num. Cypriani l. 1. ep. 12. Chrysost. Basil. Cyrilli catechesi Mystagogica 1. 2. 3. 4. & aliorum passim. Dionys. Apostolis coævus loc. cit. dicit: *Baptizatum rursus ad Pontificem ducunt. ille* 32.

Divi-

Divino ac deifico prorsus unguento virum signans &c. 4. Ex multiplici utilitate, & fine honesto; quia per Ceremonias defertur Deo cultus externus, revocantur in memoriam mysteria Redemptionis nostræ, nutritur devotio, augetur reverentia in suscipientibus Sacramenta, dum quædam majestas cultûs Divini oculis objicitur, conservatur Religio, instruuntur fideles, discernuntur ab hæreticis &c. 5. Ex confessione quorundam Sectariorum, imò & præxi, nam & ipsi in aliquibus locis adhibent exorcismos in Baptismo conferendo, accendunt cereos tum in Evchariſtiæ administratione, tum in funerum curatione &c. teste Gerardo de morte §. 102. Obtendunt pileos, & ijs ora abscondunt, dum sunt in suis fanis &c.

33. Dicendum 3. Rectè adhibentur exorcismi in collatione Baptismi, benedictione aquæ, & aliarum rerum. Prob. ferè ijsdem argumentis, quibus prior assertio; quia nempe Christus adhibuit, & primitiva Ecclesia, ut testatur S. Chrysost. homil. de Adam & Eva: *Quod cùm ad Regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ ingrediuntur, quàm exorcismis & exsufflationibus Clericorum Spiritus ab eis immundus abigatur.* Et Cyrill. Catech. *Mistag. 2. sic & exorcizatum hoc oleum per orationem, Deique invocationem, tantam virtutem consequitur, ut non modò ardentia peccatorum vestigia expurget, verùm etiam omnes invisibiles dæmones repellat.* Vides simul utilitatem & finem exorcismi. Jo. Fabricius Junior p. t. Pro-Rector Acad. Jul. in considerat. variar. Contr. p. 590. sic dicit: *Audiendus nobis est Dreierus: exorcismus cum Baptismo conjunctus in nostris Ecclesiis retinetur; quia sic placuit Ecclesiæ Catholicæ jam indè ferè à temporibus Apostolorum.* Constat, *quòd Augustinus peccatum originis in infantibus probet, quod Universa Ecclesia ubique exorcismos baptismis parvulorum præmittat.* Hæc Lutheranus. Est autem exorcismus nihil aliud, quàm quando Divina auctoritate implorata jubemus diabolum excedere, vel abstinere aquis, oleo &c. ne ijs ad nostram perniciem abuti possit: licèt enim creaturas irrationales obsideri à dæmone non credamus; scimus tamen, diabolum sæpe abuti istis creaturis ad nocendum hominibus.

Dicend. 4. Ceremoniæ ab Ecclesia præscriptæ non possunt pro libitu omitti. Ita expressè definivit Tridentinum Can. 13. de Sacram. in genere. Ratio est, quia Ecclesiæ præceptis obediendum, ut ostensum est in materia de Potestate Papæ & Conciliorum Generaliū, item p. 424. Si igitur Ecclesia aliquas ceremonias præscribit sub præcepto, omitti pro libitu aut mutari à quovis sine peccato non possunt. Aliud est de ijs, quas non præcipit, utì v. g. est aspergere se aquâ benedictâ in ingressu Ecclesiæ, Missæ non nisi flexis genibus interesse, suas preces numerare ad grana Rosarij &c. 34.

Dicend. 5. Rectè benedicitur aqua (quæ appellatur *lustralis*) oleum, panis &c. sive deinde id fiat per signum cru- 35.

crucis in aëre ductum, sive per certas orationes Ecclesiæ, vel per utramque simul. Prob. 1. ex Scriptura. 1. Tim. 4. dicitur: *Omnis creatura Dei bona est &c. sanctificatur enim per Verbum Dei & orationem*, id est, etiamsi creatura aliqua esset immunda, facilè posset sanctificari oratione, & adhibito signo crucis; quantò magis res bonæ fient sanctiores? ut interpretatur Chrysost. 2. Ab exemplo Christi, qui benedixit panes, & benedicendo auxit Luc. 9. & Mat. 14. 3. Ex antiquissima Traditione & praxi Ecclesiæ à temporibus Apostolorum, ut patet ex S. Clem. l. 8. Const. Apost. c. 29. & juxta aliam editionem c. 35. item S. Alexan. P. & M. qui ad annum 132. jam præcepit benedici aquam, prout hodiedum observatur, admiscendo salem pariter benedictum, non sine miraculis per aquam benedictam patratis. S. Cypr. l. 1. ep. 12. ad Januar. ait: *Oportet mundari & sanctificari aquam priùs à Sacerdote.* S. Cyrill. Catech. 3. *Sicut mundi cibi fiunt immundi invocatione diaboli, ita aquam simplicem fieri sanctam invocatione Dei.* Similia habent S. Ambros. S. Augustt. & alij PP. atque Concilia.

Quæres, in quem finem benedicatur aqua, oleum, cereus, cineres &c? R. 1. ad significanda certa mysteria, & effectus spirituales; nam cereus Paschalis significat Resurrectionem Christi, oleum ejus misericordiam, cineres nostram pœnitentiam, aqua purgationem animæ &c. 2. Ad excitandos in nobis pios motus, quibus impetremus gratias actuales, & aliquo modo disponamur ad obtinendam gratiam sanctificantem. 3. Ad effugandos dæmones, morbósque pellendos &c. Hos tamen effectus non infallibiliter operantur, utì tamen Sacramenta in illis, qui non ponunt obicem; tum quia id DEUS non promisit, tum quia nobis non semper expedit. Rectè tamen multum spei in ijs collocatur, & tantum, quantum virtutis est in precibus Ecclesiæ, & utentium devotione. Diabolus certè, ut ex plurimis historijs constat, fugatur per ejusmodi res benedictas, & per signum crucis, ita ut in proverbium abierit: *Fugit, sicut diabolus crucem.*

Dicend. 6. Rectè formatur crux 56.
in fronte, ore, & pectore. Prob. 1. quia fit in memoriam Redemptionis nostræ in cruce peractæ, in gratitudinem erga Christum, in professionem publicam amoris, quo complectimur Christum, in contestationem nostræ fidei, ad pellendos dæmones & tentationes, pro felici successu nostrorum operum. Prob. 2. ex perpetua praxi fidelium, qui semper hoc signo se distinxerunt ab Hæreticis, Judæis, & Gentilibus, qui semper hoc signum tulerunt, vel abominati sunt. Videant jam, quos imitentur Sectarij nostri; ex quibus prudentiores, licèt ex respectu humano publicè non formentcrucem more Catholicorum, faciunt tamen privatim, vel saltem non vituperant, multò minùs rident, ut expertus ipsémet testari possum. Quid enim mali est in cruce, quæ est quasi *imago* crucis Christi? An forma displicet? an invocatio SS. Trinitatis

in

in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. ? Rectè dixit S. Aug. in enarrat. Psal. 141. *Usque adeò non erubesco de cruce, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem &c. quam Pagani deridenr, in loco pudoris nostri constituit.*

37. Ob. 1. Quidquid Christus non instituit, id ipsi non placet : sed plerasque ceremonias, quas Catholici adhibent, Christus non instituit, sed sunt merum inventum hominum; hujusmodi enim arbitrarij cultus rejiciuntur ab Apostolo Colost. 2. ubi rejicit omnem ἐθελοθρησκείαν. 2. Multæ ceremoniæ sunt ridiculæ, quas adhibent Catholici. 3. Etiamsi aliquæ ceremoniæ non malè adhibeantur, nemo tamen debet præcepto adstringi ab Ecclesia ad illas observandas, neque gravari conscientia, si omittantur. R. 1. D. M. quidquid DEUS non instituit immediatè per se N. M nec immmediatè per se, nec per suos vicarios mediatè C. M. Placent DEO etiam illa, quæ per suos vicarios, scilicet Pastores Ecclesiæ, ordinat & instituit. Paulus non rejicit omnem cultum, à DEO non præceptum, & ab hominibus voluntarie susceptum, sed inanem, superstitiosum &c. Abas nec DEO gratum fuisset Sacrificium Abelis, quod à DEO nec imperatum nec institutum fuit, nisi mediatè tantùm, mediante scilicet dictamine rationis, quam DEUS indidit Abeli, & per quam Abel cognovit, DEO placere Sacrificium. Ad 2. Si ceremoniarum significatio attendatur, nec illæ perverso oculo aspiciantur, nullæ sunt ridiculæ. Bene dixit nonnemo ex Patribus : spernere ceremonias Ecclesiæ primus ad hæresim gradus est. 3. Christus Ecclesiæ dedit potestatem solvendi & ligandi etiam in conscientia, imò per Paulum præcepit, *ut omnia honestè & secundùm ordinem fiant.* 1. Cor. 14. ergo Ecclesia potest sub præcepto suos adstringere ad aliquas ceremonias. Quæso ! quanta foret inordinatio & confusio in Ecclesia, si cuilibet liceret pro libitu has vel illas vel nullas ceremonias in administratione Sacramentorum, Sacrificio &c. adhibere ? Dein retorq. argum. quoad 1. & 2. membrum, & quæro, ubi Christus instituerit vel præceperit, ut Christiani (ceu faciunt in templis suis Lutherani) orationes suas (si tamen orent) in pileum immurmurent, eóque faciem tegant ? Quo nihil est magis ridiculum. Ego certè hanc lepidam ceremoniam videns, & causam illius interrogans, quam mihi nullus dare potuit ex ijs, quos interrogavi, à risu temperare non potui.

38. Ob. 2. Superstitiosum est Crucis signo in fronte vel aëre efformato aliquam virtutem tribuere, ut faciunt Catholici : ergo. R. N. A. quamvis enim figura & signum Crucis ex se & natura sua non habeat virtutem pellendi dœmones, sacrandi, operandi mirabilia (ut sæpe contigit) habet tamen ex ordinatione Christi tanquam signum & trophæum Christi, à quo accipit virtutem supernaturalem, præsertim si devotè formetur; sic enim simul honoratur & invocatur Christus, in

cruce pro nobis passus. Audi S. Augustin. l. 83. quæstionum q. 79. *Contremiscunt hac signa* (Spiritus mali) *ubicunque illa prospexerint. Cùm autem non cedunt his signis, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id justum & utile judicat.*

Ob. 3. Si quodlibet signum crucis religiosè colendum est, quia imago est crucis, in qua Christus pependit, tunc etiam omnes spinæ, flagella, sepulchra, præsepia erunt colenda religiosè, quia Christus cæsus est aliquibus flagellis, reclinatus in aliquo præsepi, jacuit in aliquo sepulchro &c. Hoc est ridiculum: ergo. R. N. sequelam & paritatem, quia non omnia flagella, præsepia, sepulchra fiunt ad exprimenda flagella, præsepe, sepulchrum Christi, sed alium usum habent: econtra cruces ordinariè formantur in eum finem, ut repræsentent nobis crucem, in qua passus est Christus; nisi fortè casu fiant aut aliâ causâ, dum v. g. in ædificio duæ trabes in formam crucis collocentur &c. Nam hujusmodi cruces ad alium finem ordinatæ nullâ sunt dignæ reverentiâ.

CAPUT II.

De Sacramentis in specie.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Baptismus: quæ lis & cum quibus circa eundem.*
2. *Anabaptistæ malè negant Baptismum parvulis ante usum rationis.*
3. *Lutherani malè tribuunt his parvulis fidem actualem, vel actum fidei similem.*
4. *Calvinistæ malè inficiantur absolutam necessitatem (in re vel in voto) Baptismi respectu liberorum ex fidelibus natorum.*
5. *Audiuntur & refelluntur Anabaptistæ,*
6. *Lutherani,*
7. *Et Calvinistæ.*

ARTICULUS I.

De Baptismo.

1. SCiendum, circa Baptismum (qui Eph. 5. v. 26. dicitur esse *Lavacrum aquæ in verbo vitæ.* & Tit. 3. v. 5. *Lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs* S. & à Doctoribus definitur esse ablutio exterior corporis sub præscripta verborum formula) tres classes modernorum Sectariorum adversari Catholicis, Anabaptistarum, Lutheranorum, & Calvinistarum. 1.

ANA-

ANABAPTISTÆ negant Pædo - Baptismum, seu infantes rectè baptizari ante usum rationis, eò quòd juxta Lutheranorum placita ante Baptismum debeat baptizandus doceri, juxta illud: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs* S. Mat. 28. Et nemo baptizari possit, nisi priùs crediderit, juxta illud: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Marci 16. Ergo (inferunt) Baptismum debet præcedere instructio & fides actualis, quæ locum non habent in infantibus, utpote usu rationis destitutis. 2. *LUTHERANI*, qui quidem Baptismum infantium recipiunt, sed propter citatos & alios Scripturæ textus, malè Intellectos, admittunt fidem actualem in infantibus, vel actum fidei similem, quem Spiritus S. in ipsa Baptismi collatione operetur in ipsis, vi cujus credant, & Christum apprehendant, ac remissionem peccatorum impetrent, quam sine fidei actu nullatenus (ut docent de Justificatione) impetrari posse putant. Dicunt itaque, infantes credere, dum baptizantur. Gerardus de S. Baptis. §. 228. 229. 230. & 232. in LL. Theol. Quo teste non potest infantibus absolutè denegari fides actualis, seu actus fidei, licèt modus ille credendi sit inexplicabilis, eúmque nos percipere nequeamus; non enim habent fidem tam explicatam & sensibilem, qualem habent adulti, habent tamen aliquam; nec operatio Spiritûs S. in ijs fidem excitantis alligata est ad usum rationis. 3. *CALVINISTÆ* neque parvulis neque adultis necessarium esse Baptismum volunt, asserentes, quòd omnes liberi fidelium (*Prædestinatorum*) *antequam nascantur*, sint sancti jure hæreditario promissionis, & fœdere Dei, ac societate æternæ salutis gaudeant. Calvin. l. 4. Inst. c. 15. n. 20. Beza, Petrus Martyr, & alij. Quos Lutherani cum Gerardo §. 237. ex parte sequuntur & Calvinizant, docentes, Baptismum esse quidem ordinariè ad salutem necessarium omnibus etiam *fidelium* liberis, in casu tamen, quo parvulos *fidelium* parentum privari Baptismo contingit vel ex malitia hominum, vel ex dispositione causarum naturalium, eos salvari per extraordinariam & specialem dispensationem Divinam; Deum enim non ita alligâsse suam gratiam Baptismo, ut in casu privationis agere extraordinariè non velit aut possit: esse quidem obligationem suscipiendi Baptismum ex parte hominis, ex parte tamen Dei nullam dari necessitatem, si sine contemptu & propria culpa homo privetur Baptismo. Liberos *infidelium*, sine Baptismo decedentes, committunt judicio Dei, utpote pro quibus nulla exstet promissio; nec pro ijs admittunt locum quendam intermedium inter cœlum & infernum. Liberi autem *fidelium*, sine Baptismo extincti, offeruntur Deo per preces vel parentum, vel saltem Ecclesiæ, pro parturientibus & lactentibus orantis, & sic salvantur. Hi omnes Sectarij fatentur, Baptismum semel validè acceptum iterari non posse; quamvis enim Anabaptistæ eos, qui ante usum rationis baptizati sunt, iterum baptizent (propterea Anabaptistæ

seu

seu Rebaptizantes dicti) id tamen faciunt ex ea persuasione, quia putant, Baptismum parvulis collatum esse invalidum & inanem ceremoniam. Contra singulos agendum, &

2. Dicendum 1. Rectè baptizantur parvuli ante usum rationis. Quamvis hæc assertio probari soleat etiam ex Scripturis; tamen solidè nequit indè evinci independenter ab interpretatione Ecclesiæ, textus Scripturæ ritè declarantis, uti in plerisque alijs materijs contingit, atque in specie etiam de Baptismo *non iterando*.

Probatur itaque assertio solidiùs ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ, quam nobis testantur Patres, & Historia Ecclesiastica. Dionys. de Eccl. Hier. c. ult. Baptismum parvulorum vocat sanctam Traditionem. S. Iren. l. 2. c. 39. ait: *Salvari omnes, qui renascuntur per Christum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores.* S. Cypr. l. 3. ep. 8. ad Fidum: *A Baptismo atque à gratia nemo prohibetur, quantò magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit?* S. August. l. 10. de Genes. ad litt. c. 23. *Consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio.* Patres in Concil. Milevit. II. c. 2. *Propter hanc enim* (Ecclesiæ Catholicæ) *regulam fidei etiam parvuli in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Ratio potest esse hæc, quia vi præsentis Decreti Divini nullus salvatur nisi per merita Christi, & sine Baptismo: *nisi quis renatus fuerit* &c. Nam per contritionem perfectam aut actum amoris, in quo continetur votum Baptismi, seipsos juvare nequeunt parvuli. Aliud igitur medium, nempe Baptismum, quo mundentur & justificentur ex opere operato, pro parvulis instituit Benignissimus DEUS, qui vult omnes homines salvos fieri.

Dicend. 2. Infantes, dum baptizantur, non habent fidem actualem, seu actum fidei, neque actum similem fidei, quo personaliter credant. Prob. 1. quia hujusmodi actus sine ullo fundamento fingitur contra experientiam & rationem naturalem. 2. Fides actualis est essentialiter actus rationalis & intellectualis, cujusmodi à parvulis naturaliter elici non potest propter defectum organi ritè dispositi. Si dicas, quòd solus DEUS operetur hanc fidem, parvulo prorsus nihil agente, tunc fingis id sine fundamento; deinde sic parvulus non posset dici credere, quia credere essentialiter est actus vitalis à principio intrinseco productus. Item vel intelligeret parvulus id, quod credit operante fidem solo DEO in ipso, vel non intelligeret? Si intelligeret, sine peccato non posset resistere Baptismo, quod tamen parvuli manibus pedibúsque sæpe faciunt: si non intelligeret, intelligi non potest, quomodo credat. Dices, esse imperceptibile quidem: meliùs diceres, impossibile. 3. Vel Deus operatur fi-

3.

dem

dem ante Baptismum? & sic parvulus justificatur non per lavacrum regenerationis, quia juxta Adversarios fides justificat. Vel primùm in Baptismo, dum actualiter confertur? & sic non salvant textum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* &c. hìc enim fides prærequiritur. Sed tædet refutare ulteriùs opinionem non minùs stultam quàm incredibilem.

4. Dicend. 3. Baptismus est absolutè necessarius ad salutem (scilicet vel in re, vel in voto seu desiderio) etiam liberis fidelium. Prob. 1. ex Scriptura ut explicata ab Ecclesia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei.* Jo. 3. ubi non distinguitur inter liberos fidelium & infidelium; imò hæc verba dicta fuerunt ad Nicodemum, qui natus erat ex parentibus fidelibus. Item Paulus, qui pariter ex fidelibus erat natus (etiam prædestinatus) reputabat se nihilominus inter filios iræ: *Eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri.* Eph. 2. Prob. 2. ex Traditione & sensu Ecclesiæ, de quo clarissimè testatur S. August. ep. 28. ad S. Hier. *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt: hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.* Item l. 3. de anima & ejus orig. c. 19. *Nolì credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte prævenientes, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus* &c. Prob. 3. ad hominem. Lutherani dicunt, fidem actualem omnibus esse absolutè necessariam ad salutem, atque ideo contra experientiam & lumen naturale eam admittunt in parvulis, existimantes, id asseri à Scripturis; cùm tamen nullum textum pro absoluta necessitate fidei actualis afferre possint tam clarum, quàm sit iste pro absoluta necessitate Baptismi, *nisi quis renatus fuerit* &c. Cur ergo dicunt, fidem actualem omnibus, etiam fidelium liberis, esse absolutè necessariam, non verò Baptismum?

5. Ob. 1. Christus Mat. 28. jussit priùs doceri quàm baptizari homines, & Marc. 16. prærequirit fidem: *Qui crediderit & baptizatus fuerit.* At qui infantes non possunt doceri, neque credere: ergo nec baptizari utiliter. Confirmatur. Nemo debet inscius subjici alienæ potestati: sed infantes sunt inscij, & per Baptismum subjiciuntur Ecclesiæ: ergo. Viderint Lutherani, qui solâ Scripturâ niti volunt, quid respondeant Anabaptistis. Ego facilè R. cum Ecclesia, textus illos intelligi debere de baptizandis adultis, qui instructionis & fidei actualis capaces sunt. Ad Confirm. Qui subjicitur Ecclesiæ, etiam inscius, non patitur injuriam, quia sic subjicitur Christo, per Ecclesiam se gubernanti, quod jugum nulli debet esse grave, cùm sit valde utile, imò necessarium ad salutem.

6. Ob. 2. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. 11. sed infantes, dum bap-

baptizantur, placent Deo: ergo habent fidem. 2. *Justus ex fide vivit.* Rom. 11. Gal. 3. & Scriptura ubique justitiam, & remissionem peccatorum, adscribit fidei: parvuli autem in Baptismo acquirunt justitiam: ergo necessariò habent fidem, & credunt. 3. Si parvuli non credunt actu, dum baptizantur, tunc Patrini, qui eorum nomine asserunt se credere, mentiuntur. 4. S. August. serm. 14. c. 18. de Verbis Apostoli ait: *Absit, ut ego dicam non credentes infantes.*

R. ad 1. Nemo potest placere Deo sine omni fide, etiam habituali aut aliena C. sine actuali & propria N. Fides habitualis, seu habitus fidei cum cæteris donis supernaturalibus, & gratia sanctificante, infunditur parvulis in Baptismo, tanquam ornamentum animæ, & comprincipium & potentia supernaturalis, cum qua suo tempore anima possit elicere actus fidei. Dein infantes etiam credunt fide aliena Patrinorum vel Ecclesiæ; quod sufficit, quia etiam peccârunt voluntate aliena Adami. Ad 2. Quando Scriptura justificationem tribuit fidei actuali, loquitur imprimis de adultis; deinde de fide tanquam dispositione inadæquata, quam adulti afferre debent ad obtinendam remissionem peccatorum; non enim sola fides justificat. Demum juxta Adversarios, ut vidimus de Justificatione, nulla ibi vera est fides, ubi nulla sunt opera bona, tanquam signum fidei & fructus gratiæ: atqui in infantibus nulla apparent bona opera: ergo infantes non credunt, nec Scriptura intelligi potest de infantibus, quando justificationem tribuit fidei. Ad 3. N. sequelam, quia Patrini promittunt pro parvulis solùm de futuro, propter quam promissionem suo tempore etiam tenentur eos instruere, nisi id faciant parentes vel alij. Ad 4. S. Augustinum explicant verba immediatè sequentia: *Jam superiùs disputavi*, inquit, *credit in altero, qui peccavit in altero*: itaque parvuli non habent fidem actualem propriam, sed alienam Ecclesiæ.

Ob. 3. Videtur esse contra Misericordiam Dei, tot parvulos ex parentibus fidelibus natos, qui moriuntur vel in utero Matris vel postea ante susceptum sine propria culpa Baptismum, cœlo in æternum excludere. 2. Circumcisio, quæ fuit figura Baptismi, non fuit simpliciter necessaria, sed poterant parvuli, qui moriebantur ante diem octavum, quo debebant circumcidi, salvari: ergo neque Baptismus erit simpliciter necessarius liberis fidelium. 3. Si Baptismus sit simpliciter necessarius parvulis, etiam Eucharistia ijsdem parvulis erit simpliciter necessaria; quia non minùs de hac dicitur: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis* Joan. 6. quàm de illo, *nisi quis renatus fuerit &c.* Joan 3. consequens est falsum: ergo. 4. Liberi fidelium 1. Cor. 7. v. 14. vocantur *Sancti*, infidelium verò *immundi*: ergo liberis fidelium opus non est Baptismo. 5. S. August. l. 4. de bapt. c. 24. ait: *Tunc Sacramentum Baptismi impletur invisibiliter, cùm id ipsum non contemptus, sed articulus necessitatis excludit.* Ergo, si 7.

con-

contingat citra contemptum Baptismi mori sine Baptismo, poterit adhuc obtineri salus.

R. ad 1. id ipsum imprimis dici posset de liberis infidelium, pro quibus pariter mortuus est Christus. Deinde cur DEUS voluerit Christi merita non prodesse nisi baptizatis, abyssus est judiciorum DEI. Sufficiat tibi, quòd aliunde certissimum, imò evidens sit, DEUM esse infinitè sapientem, misericordem, & justum: ipse novit, cur ita decreverit: sancta in omnibus & adoranda est ipsius voluntas. Cæterùm parvulis, qui Baptismo privati excluduntur à cœlo, nulla prorsus fit injuria, quia beatitudo supernaturalis est donum prorsus indebitum, quo possunt jure privari etiam sine actuali culpa propria & personali (originali enim non carent) si in ipsis non impleatur illa conditio, nempe Baptismi, sine qua placuit DEO neminem admittere ad cœlum: *nisi quis renatus fuerit* &c. Denique plura similia, quæ nostrum excedunt captum, debemus admittere; dic enim mihi, cur non omnes adulti perveniant ad veram fidem? Cur hi potiùs quàm alij? Cur non omnes, qui perveniunt ad veram fidem, salventur? &c. Ad 2. Circumcisio saltem fuit simpliciter necessaria post diem octavum, & ante hunc simpliciter erat necessarium *remedium naturæ*, scilicet oblatio aliqua & fides parentum, quo remedio succurri etiam debebat fœmellis: sicut igitur vel Circumcisio post diem octavum, vel ante hunc Remedium naturæ erat simpliciter necessarium ad salutem, ita nunc Baptismus, tanquam unicum Legis Evangelicæ remedium, ad delendum peccatum originale: *Nisi quis renatus fuerit* &c. Cæterùm non est necesse, ut figura & figuratum conveniant in omnibus; aliàs de Isaac, qui erat figura Christi, deberet posse dici, quòd redemerit totum mundum. Ad 3. Viderint iterum Lutherani, solâ Scripturâ nixi, quid reponant Calvinistis. Nos opponimus interpretationem Ecclesiæ, ad parvulos extendentis necessitatem Baptismi, non necessitatem Eucharistiæ, etiamsi olim particularium Ecclesiarum praxis fuerit parvulis etiam dare Eucharistiam; nunquam enim creditum est, saltem ab universali Ecclesia, hanc parvulis esse simpliciter necessariam ad salutem, sicut tamen de Baptismo creditum est. Si dicant Lutherani, ad Eucharistiam requiri, ut suscipiens *probet seipsum*. 1. Cor. 11. quod parvuli non possunt: repono, eos æquè se posse *probare*, ac *credere* possint: atqui hoc in parvulis admittunt Lutherani; cur non & illud? Ad 4. *Sancti* appellantur liberi fidelium à Divo Paulo non propter sanctitatem internam & munditiam cordis, sed eatenus, quatenus in Ecclesia nati aditum habent ad Baptismum, quo interiùs sanctificantur, item quatenus ex thoro legitimo nati, atque adeò sancti vocantur sanctitate Ecclesiastica, & civili, non spirituali; aliàs enim etiam vir infidelis, quem ibidem Paulus dicit sanctificari per mulierem fidelem, foret sanctus sanctitate interna & spirituali. Ad 5. S. Augustinus, cujus ver-

ba longè aliter sonant, quàm citata sunt, partim loquitur de adultis, qui in re suscipere Baptismum non possunt, suscipiunt tamen in voto: partim de infantibus, quibus ait prodesse Baptismum, licèt nec cordè credere, nec fidem ore profiteri possint: sufficere, si alius pro eis respondeat, & dicat: *credo*.

ARTICULUS II.

De Confirmatione.

SUMMARIUM.

Quid sit Confirmatio, ejus Materia, Forma, Minister, & Effectus.

CONfirmatio est Sacramentum confirmativum hominis baptizati per augmentum virtutis ad constantem fidei professionem, quod confertur ab Episcopo per unctionem Chrysmatis consecrati sub præscriptis verbis. Unde ejus *materia remota* est Chrysma, seu oleum olivarum balsamo mixtum, *proxima* unctio in fronte in formam crucis facta. *Forma* sunt hæc verba: signo te signo crucis, &. confirmo te Chrysmtae salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. *Minister* Ordinarius est Episcopus; ex commissione tamen summi Pontificis etiam simplex Sacerdos esse potest. *Effectus* est augmentum gratiæ sanctificantis, ac robur contra tentationes in fide. Præterea imprimit characterem, quo adscribitur confirmatus in *militiam* Christi, sicut per characterem Baptismi adscribitur in *familiam* Christi. Ita Catholici ex perpetua Traditione; Sectarij verò negant hæc omnia, quia negant, Confirmationem esse Sacramentum, Contrarium nos hìc supponimus, p. 552. seq. jam sufficienter probatum. Nihil verò aliud circa Confirmationem occurrit. Unde sit

ARTICULUS III.

De Eucharistia.

SUMMARIUM.

1. *Quæ sint circa Eucharistiam controversa cum Sectarijs.*
2. *Christus est vere, realiter, & substantialiter præsens in Eucharistia, verèque sumitur; & non tropicè tantùm, figuratè, in signo, aut spiritualiter ac per fidem, ut volunt Sacramentarij.*

3. Quo

3. Quorum argumenta sive ex SS. Litteris desumpta,
4. Sive ex implicantia replicationis apparente,
5. Sive ex absurditate, quam sibi fingunt, nullius sunt roboris.
6. Peracta consecratione panis & vinum quoad substantiam desinit esse præsens, & convertitur in corpus ac sanguinem Christi, ut adeò detur vera Transsubstantiatio.
7. Lutherani Impanatores non salvant proprietatem Verborum Christi, hoc est corpus meum, etiamsi assuant vocem Sacramentaliter.
8. Neque per paritatem cum hac propositione, hoc est vinum, si quis vitrum vino plenum ostendat alteri.
9. Neque ex Transsubstantiatione rectè inferunt Transaccidentiationem, ita ut verum sit dicere: hoc album rotundum est corpus meum.
10. Quo sensu panis Eucharisticus post Consecrationem dicatur panis à Scriptura S. Et à Christo de se: ego sum panis.
11. Neque Scriptura, neque Gelasius Papa, neque Theodoretus, neque Scotus negat Transsubstantiationem, aut de ea dubitat.
12. Lutherani negant, Christum Sacramentaliter esse præsentem in hostia extra actualem usum, & actionem Sacramentalem, præcipuè manducationem & bibitionem: quodnam autem sit illud beatum tempus, quo præsens esse incipit, variè & ridiculè divinant.
13. Catholici econtra unanimiter & clarè illud determinant, nempe Christi Humanitatem Divinitati unitam in illo momento poni sub speciebus panis & vini, quo verba Consecrationis legitimè sunt prolata & absoluta; ut adeò sit præsens etiam extra actualem usum.
14. Quid ineptè reponat Gerardus.
15. Hostia Consecrata rectè asservatur in Sacrario, Hierotheca, Ciborio &c.
16. Et sanctè adoratur, ac piè in Processionibus circumgestatur inter publicos honores & applausus.
17. Quomodo totum Sacramentum Eucharistiæ, quod etiam involvit species sacras, adoretur à Catholicis.
18. Ex institutione Christi malè infertur, Corpus Christi non esse præsens, nisi actualiter manducetur.
19. Neq; ex paritate cũ Baptismo infertur, qui consistit in actuali usu.
20. Neque asservatio, adoratio, circumgestatio Eucharistiæ pugnant cum prima ejus institutione.
21. Lutherani Ubiquistæ, seu illi, qui subscripserunt libro Concordiæ, ac proin credere debent, Humanitatem Christi esse semper in omni prorsus loco, in quo est Verbum Divinum, adeóque immensam esse, ipsimet tollunt Mysterium & usum Eucharistiæ, & sic secum ipsis pugnant.

22. *Quid excipiant contra Catholicos, hoc ipsis objicientes.*
23. *Præmittuntur scitu necessaria de Communione sub una vel utraque specie.*
24. *Sub una specie continetur, & sumitur totum Evchariſtiæ Sacramentum.*
25. *Nullum exstat mandatum Divinum de utraque specie sumenda.*
26. *Proinde potest Ecclesia vel unam, vel utramque speciem præscribere.*
27. *Et de facto rectè jubet non actu Sacrificantes abstinere ab usu calicis, & sumere tantùm unam speciem panis.*
28. *Solvuntur, quæ opponuntur ex Scripturis & Institutione prima.*
29. 30. 31. *Quæ ex imaginaria subtractione totius Testamenti, à Christo omnibus relicti, ac fructûs spiritualis: item quæ ex Patribus.*
32. *Præmittuntur quædam de Natura & varietate Sacrificij.*
33. *Evchariſtia, sicut est Sacramentum, ita est Sacrificium, adeóque in Missa offertur Deo verum ac propriè dictum Sacrificium.*
34. *Et quidem Propitiatorium.*
35. *Et Satisfactorium, pro vivis & defunctis.*
36. *Item Impetratorium.*
37. *Proinde Missa privata est retinenda.*
38. *Nec opus est eam celebrari linguâ Vernaculâ, Germanicâ, v. g.*
39. & 33. *Quid replicent Adversarij.*

1. EVchariſtia apud Catholicos & Sacramentum & Sacrificium est. Quà *Sacramentum* est cibus animæ, & sumitur, atque sic definitur: est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum. Quà *Sacrificium* offertur Deo; est enim oblatio Christi incruenta, Deo facta à Sacerdote per immutationem panis & vini, & mysticam separationem Sanguinis Christi à Corpore, in recognitionem supremi dominij, quòd Deus habet in vitam & necem. Et hoc Sacrificium est Missa, quam persequuntur Sectarij. Concedunt quidem, Evchariſtiam esse Sacramentum, quod communiter vocant *Cœnam*, & subinde etiam *Testamentum*, eò quòd Christus illud paulò ante mortem instituerit, & in eo pretiosissima dona Chriſtianis tanquam hæredibus legaverit; plures tamen circa illud nobis movent controversias; quippe aliqui negant realem Christi præsentiam, qui propterea vocantur communi nomine *Sacramentarij*, sùntque Calviniſtæ, Zwingliani, Wicleffiſtæ &c. Alij admittunt quidem realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam, sed unà cum subſtantia panis & vini permanente, adeóque negant Transsubſtantiationem, nempe *Lutherani*, qui insuper dicunt, extra usum & actualem sumptionem Evchariſtiæ non adesse Corpus & Sanguinem Christi *Sacramentaliter*. Omnes verò isti urgent Communionem seu sumptionem Evchariſtiæ sub utraque specie, nimirum panis & vini, contendentes, id esse necessarium ex præcepto Divino. Unde sequentes controversiæ hìc decidendæ occur-

occurrunt 1. An Christus quoad Humanitatem suam verè, realiter, & substantialiter sit præsens in Evchariſtia. 2. Quomodo sit præsens. 3. Quando incipiat esse præsens. 4. An Communio sub utraque specie sit necessaria, & Divinitus præcepta. Annectitur & 5. An Missa sit Sacrificium propriè dictum, & Propitiatorium.

§. I.

An Christus verè, realiter, & substantialiter sit præsens in Evchariſtia?

2. REspondetur affirmativè contra Calviniſtas, Zwinglianos &c. qui asserunt, Sacramentum Evchariſtiæ esse duntaxat signum & figuram Corporis Christi, atque Christum non nisi tropicè, figuratè, in signo, & per apprehensionem esse præsentem, consequenter manducari & sumi tantùm spiritualiter & per fidem. Responsio dicit 1. quòd Christus *verè* sit præsens quoad humanitatem suam in Evchariſtia, ut excludatur præsentia *figuratæ* tantùm. 2. *Realiter*, ut excludatur præsentia *imaginaria* tantùm. 3. *Substantialiter*, ut excludatur præsentia solius *efficacia* tantùm, &

Prob. 1. *ex promissione* Christi, qui Joan. 6. v. 52. dicit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* v. 56. *Caro enim mea verè est cibus* &c. 2. *Ex institutione* hujus Sacramenti; nam Christus in ultima Cœna hoc Sacramentum instituens expressis verbis clarissimè dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Mat. 26. Luc. 22. 3. Demum *ex usu* hujus Sacramenti; nam 1. Cor. 10. v. 16. habetur: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* hoc est, nónne in pane consecrato communicatur nobis Corpus Domini? Præcipuè autem ex Institutione

Sic argumentor. Verba Christi, *hoc est Corpus meum* &c. debent accipi propriè, non figuratè & tropicè: ergo faciunt hunc sensum: hoc, quod sub his accidentibus panis porrigitur, est Corpus Christi: ergo præsens est Corpus Christi verè, realiter, & substantialiter, & non tantùm adest ejus signum, figura, aut virtus: nam verbum *est* non nisi tortè & impropriè sumitur pro *significat*. Primum Ant. constat partim ex recepto canone, quòd verba Scripturæ, si possint sine absurdo, debeant accipi in sensu proprio, partim quia hæc verba Christi sunt verba Testatoris, Legislatoris, quæ debent esse clara, & in sensu proprio prolata, ne detur ansa litibus.

Confirmatur 1. Si hæc verba non debent accipi in sensu proprio, tunc ex Scriptura nihil ampliùs probari poterit

terit solidè; semper enim fas erit hæreticis quoscunque textus ad sensum alienum, & tropicum detorquere v. g. hos: *Ego & Pater unum sumus: hic est Filius meus dilectus: ego sum Dominus Deus tuus* &c. Et sic summa fidei mysteria facilè convelli poterunt. Confirm. 2. Si Corpus Christi non verè, sed solùm figuratè, est in Evchariſtia, tunc in Antiqua Lege comedentes Agnum Paschalem, Panes propositionis, non minùs comederunt Corpus Christi, ac nos in Nova Lege; quia comederunt figuram Corporis Christi. Atque sic nihil novi instituit Christus instituendo Evchariſtiam: neque ista erit Sacramentum Novæ Legi proprium. Quod utrumque horrent Adversarij admittere.

Prob. ulteriùs ex perpetua Traditione & communi sensu Ecclesiæ; quippe à temporibus Apostolorum usque ad Berengarium (qui circa annum Christi 1050. publicè negavit veram & realem Christi præsentiam in Evchariſtia, adeóque auctor exstitit Sacramentariorum, licèt ipse post iteratos relapsus & palidonias Catholicè obierit, damnatis à se suis erroribus) à Christianis ubique creditum & traditum est, Christi Corpus & Sanguinem verè esse præsentem in Evchariſticis Symbolis, ac hodiedum creditur à recte & cum Antiqua ac Apostolica Ecclesia sentientibus. Est autem evidenter incredibile, Christum potuisse permittere, Ecclesiam suam totam tanto tempore mox à primordijs tam fœdè fuisse deceptam, ut frustillum panis adoraret pro Deo, & amaret pro Sponso suo. Quid sentirint Patres Antiquissimi & Concedisce potes ex Bellarm. Canisio, Gaulterio, Coccio &c. Nos paucorum percipiamus testimonia. S. Clemens D. Petri Discipulus & Successor in Const. Apost. l. 8. c. 14. ait: *Qui pretiosum Corpus & pretiosum Sanguinem JESU Christi participavimus, agamus gratias.* S. Dionys. Areop. Eccles. Hierarch. c. 3. & 4. habet similia. S. Irenæus l. 5. c. 2. adv. hæres. Valent. *Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Evchariſtia Sanguinis & Corporis Christi.* Theophylactus in c. 26. Mat. *Non enim dixit: hoc est figura, sed hoc est corpus meum, ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Panis quidem apparet, sed caro est.* S. Cyrillus Jerosol. Catechesi Mystagog. 4. *Cùm ipse* (Christus) *de pane pronuntiaverit: hoc est Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere?* S. Damasc. l. 4. Orthod. fidei c. 14. *Nec panis & vinum Corporis Christi figura sunt (absit enim hoc) verùm ipsummet Domini Corpus Divinitate affectum.* Denique Patres Conc. Nicæni II. actione 6. to. 3. in fine. *Dixit: Accipite, edite, hoc est Corpus meum &c. non autem dixit: sumite, edite imaginem corporis mei.*

Nihil jam dicam de varijs miraculis, imò & continuis, quæ facta sunt in contestationem veræ præsentiæ Christi, dum vel visibiliter Christus apparuit in hostia consecrata, vel agnitus etiam à brutis, vel hostiam convertit in speciem carnis &c. cujusmodi jam ultra 500. annos in nostra urbe asservatur in

Æde

Æde S. Crucis DD. Canonicorum Regularium S. Augustini. Dicent fortassis Sacramentarij, etiam se miraculosè didicisse oppositum. Sic Carolstadius Lutheri initiò discipulus, & primus postea Dux modernorum Sacramentariorum dicit, sibi in somno apparuisse virum quemdam, à quo intellexerit, verba à Christo prolata habere hunc sensum: *Hoc, quod in mensa assidere cernitis, est corpus meum.* Sed insigniter propterea vapulavit à Luthero l. contra cœlestes Prophetas, qui Carolstadium dignis excepit modis: nec mirum; quia etiam innocentissimos quosque incredibili sua maledicentia lacerare non destitit, etiam principes viros, maximè Ecclesiasticos. Sic pariter Zwinglius, postquam narravit sibi de nocte aliquem Spiritum apparuisse, à quo didicerit, sensum verborum Consecrationis esse istum, *hoc SIGNIFICAT Corpus meum*, mox addidit: *Ater fuerit an albus* (Spiritus ille) *nihil memini.* Suspicantur Catholici, hunc spiritum fuisse dœmonem, idem putant Lutherani, qui propterea contra Calvinistas sic argumentantur: doctrina Sacramentariorum de Eucharistia est à dœmone: ergo non est vera. Sed retorquent argumentum Calvinistæ, & sic arguunt: doctrina Lutheranorum de abroganda Missa est à dœmone, qui eam Luthero in nocturna disputatione suggessit & persuasit: ergo non est vera. Hìc quadrat illud Poëtæ: *Va tibi tu, nigra dicebat cacabus olla.*

Ob. 1. In Scriptura sæpius adhibentur tropi & locutiones impropriæ, & quidem etiam circa Eucharistiam, dum dicitur: *Hic est calix Sanguinis mei*, ubi invenitur Synecdoche, & continens sumitur pro contento. *Ego sum panis*, dicit Christus, utique non verus panis; *ego sum vitis* &c. Item Agnus Paschalis, qui fuit figura Eucharistiæ, dicitur *Phase* seu *transitus* Exod. 12. hoc est, memoria transitûs populi Israëlitici. Circumcisio dicitur *pactum* inter Deum & Hominem Gen. 17. licèt solummodo fuerit signum pacti: ergo etiam verba Consecrationis, *hoc est Corpus meum*, possunt sumi tropicè & impropriè. R. Adhibentur quidem tropi, sed semper ex subjecta materia, vel ex circumstantijs, vel ex absurdo, quod sequeretur ex propria acceptione verborum, satis colligitur, Scripturam loqui tropicè, metaphoricè, synecdochicè &c. ut apparet in allatis exemplis. In primo Christus ipse satis indicavit, se tropicè loqui, dum subjunxit: *Bibite: qui pro vobis fundetur*; nam calix non bibitur, non funditur, sed liquor in calice contentus. Copulam *est* sumi pro *significat* inauditum est apud Logicos & Rhetores. In adductis instantijs, si ritè explicentur, tò *est* sumitur propriè; quia sensum habent: ego sum panis spiritualis & supernaturalis: ego sum vitis spiritualis propter fertilitatem mysticam: Agnus est memoria tansitûs: Circumcisio est signum pacti.

Dices: Scriptura subjungit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Ergo in Eucharistia peragitur memoria Christi: sed cujus memoria agi-

tur, ille non est præsens. 2. Christus expresè dicit : *Me autem non semper habebitis.* Mat. 26. ergo non est præsens in Evchariſtia; aliàs semper esset nobiscum. 3. Scriptura dicit, Christum ascendisse ad cœlum, & ibi mansurum, usque dum venerit ad judicandum universum mundum : ergo non est in terra sub hostijs consecratis: ergo verba Christi debent intelligi tropicè, figuratè, impropriè. R. ad 1. N. subsumptum. Scriptura etiam nos jubet meminisse Dei : Deus tamen utique semper est nobis præsens. Ad 2. Christus loquitur de visibili sua præsentia; nam invisibilem clarè promisit : *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Mat. ult. Ad 3. N. Cons. quippe supernaturaliter possibilis est replicatio, seu positio ejusdem rei in diversis locis.

Urgebis : in Lege Mosaica Levit. 17. prohibetur comestio carnis & sanguinis : sed comederemus carnem & sanguinem, si Christus esset verè & realiter præsens. 2. *Caro non prodest quidquam* Joan. 6. ad quid ergo ponatur caro Christi realiter in Evchariſtia ? R. ad 1. hoc mandatum imprimis tantùm fuit de carne & sanguine in specie propria : Caro autem & Sanguis Christi non sumitur in specie propria, sed aliena, scilicet panis & vini. Deinde hoc mandatum utpote ceremoniale nunc est abrogatum. Ad 2. Caro dicitur inutilis 1. si est sine spiritu vivificante. 2. Si est cruda, cruenta, & manducata in specie propria atque carnaliter, seu concisa dentibus, quo modo manducatur caro vitulina, ut sibi crassè imaginabantur Capharnaitæ, quos Joan. 6. alloquitur Christus. 3. Si caro sumatur pro intelligentia carnali, prout distinguitur à spirituali; quo modo sæpe sumitur. Præterea *Panis* Evchariſticus, quem manducant Sacramentarij, in se æquè parùm prodest, atque *Caro.* Cur ergo manducant ?

Ob. 2. Est impossibile, ut Christi Corpus sit in tam diversis locis, in quibus simul & semel consecrantur hostiæ; quia corpus aliquod non potest esse simul in diversis locis; esset enim in hoc loco v. g. Augustæ, & non esset, quia esset etiam alibi v. g. Monachij, quod implicat. R. Quamvis naturaliter nulla res possit esse in pluribus locis adæquatis simul, potest tamen supernaturaliter, ut docent Philosophi. Modus existendi in Evchariſtia, & simul in diversissimis locis, est quidem admirabilis, vires totius naturæ creatæ transcendens; id tamen fieri virtute Divina, fides docet, & Christus ipse revelavit satis. Neque ex replicatione sequuntur contradictoria, Christum *esse hic*, & *non esse hic*, sed tantùm, *esse hic*, & *simul esse alibi*, quæ contradictoria non sunt, cùm utraque propositio sit affirmativa. 4.

Ob. 3. Absurdum est, Christum per os hominis descendere in stomachum, sæpe valde fœtidum: virum grandævum cum ossibus, manibus, & pedibus per collum demitti : Redemptorem à suis servis devorari, & sæpe ab indignis, imò indignissimè subinde tractari : item posse vorari à muribus, conculcari pedibus, projici in cloacam, secari, cremari. 5.

mari &c. quæ omnia admitti debent, si admittatur realis præsentia Christi in hostia consecrata. R. Absurdum neutiquam dici debet, quod ipse Christus fieri voluit, ex infinita charitate erga nos cupiens intimè nobiscum uniri, & nos quasi in se transformare. Quòd sic voluerit, probant inconcussa argumenta nostra. Non abhorret à nostra vilitate, stomacho fœtido &c. cùm ipse nihil ampliùs pati possit in Eucharistia, tum quia ejus corpus jam est gloriosum, tum quia partes corporis sunt penetratæ, cujusmodi penetratio supernaturaliter possibilis est juxta Philosophiam. Qui indignè sumunt, vel tractant Corpus Christi in Eucharistia, si id faciant ex malitia, peccant quidem gravissimè, Christus tamen indè nihil patitur. Si projiciatur in cloacas, tam parùm fœdatur Corpus Christi, quàm parùm fœdatur Divinitas, etiam in sordidissimis locis præsens, aut radius solis per cloacas transiens, sed solùm species panis & vini fœdantur. Unde Corpus Christi nec ejicitur per secessum, ut spurcè obganniunt hæretici. Sic pariter, si cremetur hostia, computrescat in Sacrario &c. ejusmodi non Corpus Christi afficiuut, sed species duntaxat Eucharisticas panis & vini, quibus subest Christus.

§. II.

Quomodo Christus sit præsens in Eucharistia? an cum pane? Ubi de Transsubstantiatione.

6. SCiendum, Lutheranos mordicus tenere, quòd substantia panis & vini post verba Consecrationis permaneat, atque Corpus Christi uniatur pani, & sanguis uniatur vino, unione quadam incomprehensibili, quam vocant Sacramentalem, quæ facit, ut Corpus Christi mediante pane, & cum pane manducetur, propterea dictos *Impanatores*. Econtra Catholici semper docuerunt, substantiam panis & vini converti in Corpus & Sanguinem Christi, ita ut substantiæ panis & vini non ampliùs subsint illis accidentibus, quibus ante consecrationem suberant, sed Corpus & Sanguis Christi sint sub accidentibus seu speciebus panis & vini. Quam conversionem substantialem Ecclesia, ut meliùs exprimeret, in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. c. 1. appellare cœpit *Transsubstantiationem*, ferè sicut Concil. Nicænum excogitavit vocabulum ὁμοούσιος ad meliùs exprimendam æqualitatem Filij cum Patre, & Concil. Ephesinum vocem Θεοτόκος ad exprimendam Maternitatem Dei; nam quoad rem ipsam hæc mysteria priùs jam fuerant credita in Ecclesia.

Dicendum. Post Consecrationem non ampliùs adest substantia panis & vini, sed Corpus & Sanguis Christi cum anima & Divinitate sub speciebus tantùm seu accidentibus panis & vini. Adeóque datur vera Transsubstantiatio.

Probatur 1. solidissimè ex verbis Consecrationis, quæ sunt ista: *Hoc est Corpus meum: hic est calix Sanguinis mei* (vel) *hic est Sanguis meus.* Jam sic: in omni propositione affirmativa vera debet subjectum & prædicatum esse realiter idem, & termini supponere pro eadem re: ergo etiam in hac propositione, *hoc est Corpus meum*, subjectum & prædicatum debent esse realiter & objectivè idem, ac terminus *hoc* supponere pro eadem re, pro qua supponit terminus *Corpus meum*: ergo finita hac propositione (si vera sit, uti veram esse fatentur Adversarij) non ampliùs adest substantia panis; aliàs per tò *hoc* deberet intelligi panis, ita ut sensus esset: *Hic panis est Corpus meum*; quæ propositio evidenter est falsa, quia affirmat identitatem inter panem triticeum & Corpus Christi, prædicat disparatum de disparato &c. nec minùs implicat, panem esse, & cum veritate dici Corpus Christi, ac implicat hircum esse cervum, vel hircum cum veritate dici cervum. Itaque per tò *hoc* intelligitur Corpus Christi, licèt clarè non exprimatur Corpus Christi ex parte subjecti per tò *hoc*; illud enim debet intelligi, quod in fine propositionis accidentibus his subest, & subjectum debet supponere pro eo, pro quo supponit prædicatum, ut apud Philosophos est extra controversiam.

Confirmatur. Evidenter falsum est, quòd panis sit corpus *pro nobis traditum*, & vinum sit sanguis *pro nobis effusus*; de cujusmodi tamen corpore & sanguine intelligi debent verba Consecrationis; ergo pronomina demonstrativa *hoc hic* non denotant panem & vinum, sed aliam substantiam sub eorum accidentibus.

Regerit Gerardus, & cum eo multi Lutherani. Ista propositio, *panis est Corpus Christi*, est vera, quia subintelligitur *Sacramentaliter*, ferè sicut hæc propositio est vera, *homo est Deus*, quia subintelligitur *personaliter*, licèt natura humana maneat cum natura Divina, & illa non convertatur in hanc. Quamvis enim panis non sit Corpus Christi essentialiter (nec figuratè & significatè tantùm, ut volunt Sacramentarij) est tamen Corpus Christi *Sacramentaliter*, propter unionem Sacramentalem, sicut per unionem personalem homo dicitur DEUS personaliter; panis enim & Corpus Christi fiunt unum Sacramentale in Evchariſtia, sicut natura humana & Divina in Christo sunt unum personale. Hæc unio *Sacramentalis*, per quam panis & Corpus Christi fiunt unum Sacramentale, est soli DEO cognita, piè à nobis credenda, nequaquam verò curiosè investiganda, ut ait §. 112. de Cœna; facit tamen, ut manducato pane consecrato manducetur etiam Corpus Domini. 7.

R. 1. istud Sacramentaliter vox est, prætereaque nihil; nihil enim ad captum explicat; panis enim & Corpus Christi non sunt unum suppositum, nec habent communem subsistentiam, vi cujus Recta identificentur, uti tamen *hic homo subsistens* & *Deus* secundùm Rectum identificantur, quippe tam ex parte subjecti in Recto importatur *subsistentia* quàm ex parte præ-

prædicati, ita ut sensus sit: *Subsistentia Divina, terminans hanc naturam humanam, est subsistentia & natura Divina.* Ubi enim non datur identitas realis inter Rectum subjecti & prædicati, unum de altero affirmari cum veritate nequit; unio enim non sufficit, qualiscunque sit. At illa unio *Sacramentalis* sicut est inexplicabilis, ita nullam facit identitatem nisi imperceptibilem & chymericam inter panem & Corpus Christi: ergo non est paritas cum illa propositione: *homo est Deus.* R. 2. Cur Gerardus admittit hanc propositionem, *homo est Deus*, cùm tamen aliunde ejus veritatem probare nequeat, nisi ex declaratione Ecclesiæ, unam in Christo personam & duplicem naturam admittentis? Et cur non rejicit ut falsam hanc, *panis est Corpus Christi*, quam ut falsam rejicit eadem Ecclesia, docens Transsubstantiationem? R. 3. Pari jure nugabor ego, & dicam, rectè affirmari, *hircus est cervus*, subintelligendo *phantasticè*, quia inter hircum & cervum datur unio phantastica. Vel, *corpus est anima*, subintelligendo *essentialiter*, quia inter corpus & animam hominis datur unio essentialis. Aut, *pes est caput*, subintelligendo *integraliter*, quia uniuntur unione integrali. Dum Gerardus dicit, officium unionis Sacramentalis esse, ut faciat manducato pane manducari etiam Corpus Christi, supponit, quod est in quæstione; de hoc enim quæritur, an panis maneat: cum Christi Corpore uniatur, & manducetur. Ferè ac si quis diceret, officium unionis inter hircum & cervum esse, ut faciat hircocervum, vel ut cum hirco capiatur simul & cervus.

Urget ex Luthero. Qui alteri ostendit dolium vel vitrum vino plenum, rectè dicit, *hoc est vinum*: ergo etiam de pane, in quo est Corpus Christi, rectè dicitur, *hoc est Corpus Christi.* R. Liquida hæc comparatio, ex cella Lutheri hausta, multùm descendit ab illa priore, quam instituit Gerardus de Personalitate Christi, vi cujus homo dicitur DEUS. An fortassis etiam inter vinum & vitrum videt Gerardus aliquam admirabilem & inexplicabilem unionem, personalem vel Sacramentalem? Satis apparet, & Lutherum & Gerardum, dum hanc comparationem instituunt, non ampliùs fuisse sobrios, nec satis vidisse, quòd deserant proprietatem verborum Christi, *hoc est corpus meum*, quam priùs adeò fervidè tueri volebant contra Carolstadium, Zwinglium, Oecolampadium &c. quos Lutherus, quia tropicè exponebant prædicta verba, ut Hæreticos & Sacramentarios persecutus est, solitâ modestiâ eos compellans Schwermer / Bolder / Rumpf / Lugen / Geister / Ketzer / Meister / Bibelverwiester &c. Nunc verò incipit ululare cum lupis; nam si paritas tenet, tunc sensus verborum Christi erit iste: *In hoc pane continetur Corpus meum*; sicut altera propositio habet hunc sensum: *in hoc vitro est vinum.* Igitur Pronomen *hoc* Luthero & Gerardo idem significabit, quod significat adverbium *hic* (*in hoc loco*) ut exposuit Carolstadius &c. Estne

8.

hoc ſervare proprietatem verborum ? Debet igitur ſubſtantia panis cedere, ut per *hoc* intelligatur illa ſubſtantia, quæ in fine propoſitionis ſubeſt accidentibus : aliàs propoſitio non erit vera, vel non erit propria acceptio pronominis *hoc*.

9. Replic. Si propterea debet fieri Transſubſtantiatio, ne per tò *hoc* intelligatur ſubſtantia panis, etiam fieri debebit transaccidentatio, ne per tò *hoc* intelligantur accidentia, & ne ſenſus verborum ſit : *Hoc album rotundum eſt corpus meum* : Conſequens non poteſt admitti : ergo. R. N. ſequelam ; quia ſi per pronomen *hoc* demonſtramus aliquam rem, nunquam ſolet intelligi accidens, ſed ſubſtantia ſemper, niſi expreſsè determinetur à loquente accidens. Poſſunt igitur verba Chriſti accipi in ſenſu proprio ; & ſunt adhuc vera, etiamſi accidentia permaneant ; quia eorum ſenſus eſt iſte : *Subſtantia ſub his accidentibus exiſtens eſt Corpus meum.* Ratio autem, cur Chriſtus voluerit permanere accidentia panis, & non mutari in accidentia carnis, poteſt eſſe 1. ut hoc auguſtiſſimum myſterium abſcondatur à ſenſibus, & ſic majus ſit meritum fidei. 2. quia horror eſſet carnem humanam in propria ſpecie manducare.

Prob. nunc aſſertio 2. ex Traditione perpetua, & ſenſu Eccleſiæ. S. Irenæus l. 5. c. 2. adv. hæreſ. Valentini &c. dicit : *Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Euchariſtia Sanguinis & Corporis Chriſti.* S. Cypr. ſerm. de Cœna Dom. *Panis iſte, quem Dominus Diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi factus eſt caro.* Theophyl. in c. 6. Joan. *Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Et quomodo non appareret nobis caro, ſed panis ? ut non abhorreamus ab ejus eſu.* S. Cyrill. Jeroſol. Cat. Myſtag. 3. *Panis Euchariſtiæ poſt S. Spiritûs invocationem non ampliùs eſt panis communis, ſed eſt Corpus Chriſti.* Et Catech. 4. *Sic enim corpus & ſanguinem ſuum fruenda nobis donâſſe perſuaſum firmiter habebimus, ut ea cum omni certitudine tanquam Corpus ipſius & Sanguinem ſumamus. Nam in ſpecie panis dat nobis corpus, & in ſpecie vini dat nobis ſanguinem, ut cùm ſumpſeris, guſtes Corpus & Sanguinim Chriſti, factus ejusdem Corporis & Sanguinis particeps.* S. Ambr. l. 4. de Sacram. c. 4. *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti*, & c. 5. *antequam conſecretur, panis eſt : ubi autem verba Chriſti acceſſerint, Corpus eſt Chriſti.* S. Auguſt. ut citatur à Gratiano Diſt. 2. de Conſecrat. can. nos autem. *Nos autem in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inviſibiles, id eſt, carnem & ſanguinem honoramus &c. Cùm fideliter fateàmur, ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formavit, poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & Sanguinem, quod benedictio conſecravit.* S. Damaſc. l. 4. Orthod. fidei c. 14. *Ipſe panis ac vinum in Corpus & Sanguinem DEI immutantur.* Sufficiant hæc aperti-

ſſima

sima Antiquitatis testimonia pro Transsubstantiatione seu conversione substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, quam operantur verba Consecrationis. Quid enim est *panem fieri Corpus Christi*, *naturâ mutari*, *in carnem mutari*, *immutari* &c. nisi fieri *conversionem* panis in Corpus Christi, sicut lignum dicimus *converti* in ignem, dum videmus lignum & de ligno fieri ignem? Quid est, *panem non amplius esse panem*, *apparere panem*, *non esse*, *relinqui tantùm speciem*, *formam*, *effigiem*, *non naturam* &c. nisi substantiam panis non amplius adesse, sed sola accidentia? Datur nempe *terminus à quo*, scilicet panis, *terminus ad quem*, scilicet Corpus Christi, *& medium commune*, in quo fit transitus, scilicet accidentia panis: ergo omnia ad conversionem substantialem requisita. Sive dein substantia omnino destruatur, quod verius est, sive alibi asservetur.

10. Ob. 1. Paulus Panem Evchariſticum etiam post Consecrationem ad minimum sexies vocat panem: ergo adhuc panis est etiam post Consecrationem. Idem Paulus 1. Cor. 10. dicit: *Panis*, *quem frangimus*, *nonne participatio Corporis Domini est*? hoc est, communicatio, communio: atqui non datur duarum rerum communio, nisi utraque res maneat in sua natura: ergo ut sit communio panis & Corporis Christi, debet manere substantia panis cum Corpore Christi, nec potest panis converti in Corpus Christi. Hæc sunt præcipua argumenta contra Transsubstantiationem, ut fatetur ipse Gerardus §. 126. Sed facilè R. Paulus post Consecrationem vocat adhuc panem 1. ampliativè, quia fuit panis, sicut in Evangelio dicitur: cæci vident. 2. Quia figuram panis adhuc retinet, & externam speciem; Scriptura enim solet res vocare taliter, qualiter apparent exteriùs: sic serpentem æneum vocat serpentem. 3. Quia est panis spiritualis, supersubstantialis, verus animæ cibus. 4. Quia ex pane materiali factus. 5. Quia apud Hebræos quilibet cibus vocari solebat panis. Minimè autem dixit, quòd substantia panis tritici permaneat, quia contradixisset verbis Christi: *Hoc est Corpus meum*. Ad 2. Panis iterum non sumitur substantialiter, sed accidentaliter, ampliativè, vel pro cibo spirituali &c. Si urgeas *communionem* rerum duarum, reperies eam in accidentibus & in Corpore Christi; nam istud latet in illis, & cum accidentibus participatur & communicatur tibi Corpus Christi.

Dices. Juxta historiam Evangelicam Christus accepit *panem*, benedixit, fregit, deditque Discipulis, dicens: Hoc est Corpus meum: ergo per tò *hoc* intelligitur panis. 2. Quando Christus Joan. 6. dixit: *Ego sum panis*, panis non fuit mutatus in Corpus Christi. R. ad 1. N. Cons. panis enim per verba Consecrationis fuit immutatus. Argumentum videtur simile huic: Petrus in macello emit carnes crudas: ergo comedit carnes crudas; quia illud comedit, quod emit. Ad 2. N. paritatem, quia in priori textu

tu Christus non loquitur de pane materiali, sed de cœlesti & vivo, ut patet ex verbis subsequentibus: in posteriore autem Christus adhibet locutionem propriam, quia nec ex antecedentibus nec subsequentibus colligitur tropus vel figurata locutio. Hanc responsionem.

Urgebunt Lutherani & Calvinistæ. Lutherani dicent: ergo Joan. 6. non agitur de reali manducatione carnis Christi, sed tantùm de spirituali, quod tamen Catholici communiter negant. Calvinistæ inferent: si Jo. 6. panis sumitur figurarè, & spirituali tantùm manducatione dicitur sumi caro Christi, etiam in institione Eucharistiæ sumitur tantùm figuratè pro signo Corporis Christi, & istud solummodo spiritualiter manducabitur. Confirmant suam opinionem ex PP. qui Eucharistiam subinde vocant figuram, symbolum, signum Corporis Christi. Et S. August. ut refertur Can. ut quid Dist. 2. de Consecr. dicit: *Ut quid paras dentem & ventrem, crede & manducâsti.* Alij vocant cibum *mentis, non ventris*, & manducare jubent *corde & spiritualiter.*

R. 1. *Lutheranis.* Christum Joan. 6. loqui de sua carne vera & physica, eáque realiter manducanda, patet tum ex communi Ecclesiæ interpretatione (quidquid in contrarium dixerint Biel, Cusanus, & Cajetanus, qui propterea graviter vapulant ab alijs Catholicis DD.) tum ex eo, quia Christus rotundè asseveravit ibidem, *caro mea VERE est cibus*, & insuper potiùs voluit permittere discessionem quorundam discipulorum, & scandalum Judæorum, qui de reali manducatione sermonem Christi intelligentes novitate insolitæ rei offensi sunt, quàm sermonem suum mitigare, dicendo, suam carnem tantùm manducati spiritualiter per fidem, quod facillimè potuisset facere; non tamen fecit, imò magis & iterum inculcavit, dicens: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis* &c. Igitur Christus in cit. c. 6. à pane corporali transitum fecit ad panem spiritualem, qui est *caro* Christi *vera, realiter* manducata. R. 2. *Calvinistis.* Ex contextu clarum est, Christum Joan. 6. se vocare panem, non materialem, sed *vivum, de cœlo descendentem* &c. adeóque spiritualem. Econtra in historia institutionis nullum reperitur vestigium tropi, figuratæ, & impropriæ locutionis circa hæc verba: *Hoc est Corpus meum.* Patres Eucharistiam rectè vocant symbolum, signum &c. Corporis Christi, quia species Eucharisticæ sunt verè signa panis spiritualis, qui est Corpus Christi latens; at non sunt pura signa, sed simul etiam continent signatum suum, nempe Corpus Christi, quod Patres etiam testantur. Quin totum hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi simul est signum & memoriale Passionis mortisque Christi. Quando PP. nominatim S. August. dicunt, Christum in Eucharistia spiritualiter, & per fidem manducari, esse cibum mentis &c. non excludunt præsentiam & manducationem realem, sed indicare volunt, ad *fructuosam* sumptionem non sufficere, si Corpus Christi corporaliter & realiter tan-

tantùm, sine fide viva & animi devotione, recipiatur; proinde non de essentia, sed de fructu Cœnæ Eucharisticæ loquuntur.

II. Ob. 2. Scriptura nec quoad vocem, nec quoad rem meminit quidquam de Transsubstantiatione. 2. Patres aliqui eam expresè negant. Aliqui Scholastici Pontificij de ea dubitant : ergo. Quippe Gelasius Papa l. adv. Eutych. & Nestorium p. 689. edit. Basil. anno 1556. dicit : *esse non desinit substantia vel natura panis & vini*, scilicet in Sacramento Eucharistiæ. Theodoretus antiquior dial. 1. *Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura, manent enim in priori suæ substantia, forma, & specie, & videri, & tangi possunt, sicut & priùs.* Scotus & Cameracensis dicunt, non exstare Scripturæ locum, unde satis probetur Transsubstantiatio, & ante Concil. Lateran. IV. eam non fuisse dogma fidei.

R. ad 1. Vocem non moramur; quoad rem probavimus ex verbis Consecrationis. Ad 2. N. utrumque membrum. De Gelasio hujus libri auctore res incerta est, an fuerit Papa, an Episcopus Cæsariensis, an Cyzicenus, an non Gennadius quidam: dein liber ipse est valde mutilus & depravatus, ut vix versus dicatur purus restare. Theodoretus fortè non fuit satis purus à fermento Nestorianismi, cujus publicè fuit accusatus. Deinde etsi unus, vel alter, etiam Papa (ut Doctor privatus) in hoc puncto aliter sensisset; nihil privatus error præjudicaret causæ Catholicæ. Demum Theodoretus seipsum videtur explicare; nam postquam dixit, signorum mysticorum naturam manere in sua substantia &c. addit, *ea videri & tangi posse sicut priùs* : ergo loquitur de natura accidentium, quam vocat substantiam, non prout hæc opponitur accidentibus, sed quatenus idem significat ac essentia. Id quod etiam dici potest de verbis Gelasii, nempe quòd per *substantiam* panis intellexerit solùm accidentia & species panis: quia in ep. ad Episcopos Piceni ait, *substantiam* hominis peccato originali esse depravatam: utique autem non ipsa hominis substantia, quæ remansit integra, intelligi potest, sed accidentia, quæ homini inerant, sunt deperdita. Vid. Baron. ad an. Chr. 496. Scotus & Cameracensis docuerunt, Transsubstantiationem non clarè probari ex Scriptura, nisi ut declarata ab Ecclesia. Si dicunt, eam non fuisse de fide ante cit. Concil. Lateran. errârunt; si enim legissent Concil. Rom. VI. sub Gregorio VII. deprehendissent satis clarè definitam.

§. III.

Quando Christus sit præsens in Eucharistia? An etiam extra usum? Ubi de asservatione, & adoratione Panis Eucharistici.

12. SCiendum, Sectarios non esse contentos, quòd verba Consecrationis, ***hoc est Corpus meum***, variè & multipliciter torqueant, ne cogantur admittere Transsubstantiationem (siquidem ducentas eorum diversas interpretationes à Lutheranis & Calvinistis excogitatas jam anno 1570. speciali libello vulgavit nonnemo) verùm etiam novum errorem sibi fabricare ex sequentibus Christi verbis, *accipite, manducate, bibite*, asserentes, Christi Corpus & Sanguinem non adesse extra usum, seu sine actuali manducatione, & bibitione. Quo autem determinato tempore Corpus & Sanguis Christi ponatur *Sacramentaliter* in hostia, variè divinant, & nullus certum tempus designare potest: quamvis enim aliqui dicant, Corpus Christi primùm fieri præsens, dum actualiter comeditur, & deglutitur hostia, adeóque in gutture, vel etiam in ventriculo comedentis: alij tamen melioris apud ipsos notæ, uti Chemnitius & Gerardus, nolunt determinare ullum temporis instans, dictitantes, Christianam simplicitatem non debere esse sollicitam de momento, quo Christus incipiat esse præsens, cùm illud sit inexplicabile, & nullo modo assignabile: sed ipsi sufficere, quòd ex institutione Christi cognoscat, Christum esse verè præsentem durante *actione Sacramentali*, quæ tres partes involvit, *consecrationem, distributionem, manducationem & bibitionem.* Gerardus hanc actionem extendit etiam ad communionem ægrorum, si benedictus panis sine magna interposita mora ad eos deferatur. *Non igitur*, ait §. 194. *præsentiam Christi acceptam ferimus initio, nec medio, nec fini actionis Sacramentalis, multò minùs soli pronuntiationi verborum, HOC EST CORPUS MEUM, minimè pronuntiationi ultimæ Syllabæ UM, sed toti actioni à Christo institutæ, id est, consecrationi, distributioni, manducationi, quæ simul, & in uno instanti, peragi non possunt.* Econtra Catholici constanter docuerunt, pronuntiatâ ultimâ Syllabâ verborum Consecrationis mox adesse Corpus & Sanguinem Christi, sive dein distribuatur & manducetur consecrata hostia statim, vel post aliquod tempus, vel reponatur in Sacrario, circumgestetur in Processionibus, vel proponatur adoranda in S. hierotheca. Quam repositionem, & circumgestationem, præsertim in festo Corporis Christi, extremè abominantur Sectarij, sicut dia-

diabolus. Adorationem aliquam Christo in Evchariſtia tempore actionis Sacramentalis deberi, non negat Gerardus §. 204. & dicit, *eum tunc interiori & aliqua etiam exteriori reverentia adorandum esse : nullo tamen modo adorari posse panem, ut faciunt Papistæ* (mentiris in collum tuum ! nunquid enim negant Catholici adesse panem? quomodo igitur panem adorant ?) *& extra actionem Sacramentalem in Processionibus, in plateis, dum portatur ad ægros* &c. Rationem dat hanc, quia Christus extra actionem Sacramentalem totalem non est præsens *Sacramentaliter*. Quippe scire debes, Gerardum esse *Ubiquistam*, & sectari librum Concordiæ, ubi docetur, Christum etiam quoad humanitatem suam totam, adeóque etiam quoad corpus & animam, esse prorsus ubique (sicut ipsa Divinitas est) *personaliter*, adeóque etiam in pane & vino ante actionem Sacramentalem, quia humanitas Christi personaliter unita est Verbo Divino : *Sacramentaliter* tamen fit præsens per actionem Sacramentalem.

13. Dicendum 1. Corpus & Sanguis Christi in Evchariſtia præsens est, quamprimum verba Consecrationis legitimè sunt prolata, adeóque etiam extra usum, seu actualem distributionem & manducationem. Prob. 1. Verba Christi, *hoc est Corpus meum*, necessariò sunt vera pro illo instanti, quo sunt prolata, adeóque statim pro ultimo instanti prolationis : ergo quamprimum prolata sunt, adest Corpus & Sanguis Christi, secus enim verba non essent vera. Neque Christus dixit, *hoc erit*, sed *EST Corpus meum*, de præsenti : neque addidit conditionem, *si manducabitis statim* &c. sed absolutè dixit. Et quæso, si Apostoli noluissent manducare & bibere, quod Christus ipsis porrexit pronuntians illa verba, *hoc est Corpus meum*, vel tali casu fuisset sub illo pane aut speciebus Corpus Christi, vel non ? Si fuisset ; habemus intentum, nec ad præsentiam Corporis Christi requiritur actualis manducatio : si non fuisset, Christus falsum dixisset, quod repugnat.

Confirmatur 1. Verba Domini, *hoc est Corpus meum*, fuerunt prolata ante actualem manducationem ; ut fatetur Gerardus §. 195. ergo Corpus Christi fuit in illa buccella ante actualem manducationem. 2. Christus porrigendo calicem expressè addidit particulam causalem *enim* Mat. 26. quæ indicat rationem & causam, cur biberint ; quia nempe jam ante bibitionem erat Sanguis Christi : *Hic est ENIM Sanguis meus*. 3. Cibus est cibus, sive manducetur statim, sive post aliquod tempus, sive nunquam : ergo panis Evchariſticus, qui est Christus sub specie panis, est & manet panis animæ, sive manducetur statim, sive post aliquod tempus, sive fortè nunquam, ut per accidens fieri potest. 4. Si Corpus Christi fit primùm præsens in actuali manducatione, tunc Sacramentum conficit non Sacerdos, sed manducans : quod est præposterum. 5. Vel Corpus Christi fit præsens, quando ponitur ultima pars *Actionis*

Sacramentalis, scilicet manducatio ? & sic falsum est, quòd præsens sit tempore totius actionis Sacramentalis : vel quando successivè ponuntur omnes ejus partes ? (simul enim non ponuntur consecratio, distributio, & manducatio) atque sic Christus successivè ponitur & formatur, ferè sicut embrio in utero matris : quod absurdissimum est. 6. Vel tempore illo intermedio, quod intercedit inter consecrationem & manducationem (subinde satis notabile intercedere potest, præsertim quando Cœna defertur ad ædes ægroti) Corpus Christi est præsens, vel non ? Si est : ergo Sacramentum Eucharistiæ est permanens saltem aliquo tempore, & sic est extra usum, nec consistit in ipso usu, ut contendunt Adversarij : si non est præsens : ergo non in tota actione Sacramentali, sed solùm in ultima ejus parte est præsens : quod iterum est contra ipsos.

14. Respondet Gerardus, has esse argutias, quibus moveri non debeat Christiana simplicitas, etiamsi explicare & capere nequeat, quo tempore incipiat Corpus Christi esse præsens in hoc Sacramento, cùm Christus in Cœna sit præsens sicut illocaliter, ita *intemporaliter*. Sed quid est hoc aliud, quàm fateri, se non posse solvere argumentum ? Cur igitur non candidè & apertè fatetur, quod res est ? Quid est hoc aliud, quàm admittere chymæras ? Cùm juxta Philosophos evidens sit, nullum creaturam posse existere *illocaliter* & *intemporaliter*, ut ita cum Gerardo loquar, seu sine loco & sine tempore.

Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu Ecclesiæ, ac ejusdem praxi ; semper enim sacerdos in Missa statim post verba Consecrationis prolata adorare hostiam, & populo adorandam elevare consuevit : de quo usu jam loquitur S. Dionys. Areop. Eccl. Hierarch. c. 3. *Pontifex cùm Divina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ antè laudaverat, venerandis operta & abdita signis, in conspectum agit, Divináque munera ostendit.* Deinde summi Pontifices soliti sunt hostiam consecratam mittere alijs Episcopis in signum pacis & communionis, ut habet S. Irenæus epist. ad Victorem P. Et teste Evagrio Hist. Eccl. l. 4. c. 36. *Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, ut si quando multæ particulæ puri & immaculati Corporis Christi supercessent, pueri impuberes accerserentur, eásque manducarent.* Ubi simul ingens narrat miraculum, cum puero Hebræo factum, qui cum Catholicis pueris sacras micas absumpserat. Item communis Doctorum Ecclesiæ sententia semper fuit, quòd Sacramentum Eucharistiæ ab alijs Sacramentis differat etiam in hoc, quòd cætera consistant in usu & actuali consectione, Eucharistia verò sit permanens, & detur etiam extra actualem usum. *Insaniunt igitur*, ait Cyrill. Alex. ep. ad Calosyrium Episc. apud Canis. *dicentes, mysticam benedictionem a sanctificatione cessare, siqua reliquiæ remanserint ejus in diem subsequen-*

quentèm &c. Demum ex S. Greg. Nyssen. serm. Catechet. de transmut. Dominici Corporis dicit Euthym. in Panoplia tit. 21. *Sic etiam hic panis, ut ait Apostolus, per verbum DEI & orationem sanctificatur, NON QUIA COMEDITUR, eò progrediens, ut Verbi* (Christi) *Corpus evadat, sed statim per verbum in Corpus mutatur, ut dictum est, quoniam hoc est Corpus meum.* Quid efficacius in rem nostram dici possit?

15. Dicendum 2. Sacramentum Evchariſtiæ, seu panis consecratus, rectè reponitur & asservatur in Sacrario, Hierotheca, Ciborio &c. scilicet ut vel in promptu sit ad communicandos moribundos, vel ut Christus in humanitate sua præsens, visitatus, honoratus, & invocatus solatio nobis sit & auxilio. Probatur 1. ex perpetua praxi Ecclesiæ, cujus nescitur initium. Jam tempore Apostolorum scripsit Clemens l. 8. Const. Apost. ut citat Glos. epist. act Victorem Papam à S. Irenæo scriptæ: *Postquam omnes communicaverint, inferant Diaconi reliquias, quæ supersunt, in pastophorion.* Prob. 2. Sacramentum Evchariſtiæ est quid permanens, & datur etiam extra usum, ut vidimus in conclusione præcedente, ac insuper asservatur ob honestissimos & optimos fines, quos paulò antè indicavi, nec est prohibitum à Scriptura aut à Christo: ergo rectè asservatur.

16. Dicendum 3. Christus in Evchariſtia rectè adoratur, & publicè in Processionibus circumgestatur inter publicos honores & applausus, atque inter varia venerationis signa, utì sunt genuflexio, tunsio pectoris, sonitus campanarum, scloporum, & accensa lumina &c. Prob. 1. ex Scriptura, quæ sic jubet: *Dominum Deum tuum adorabis.* Matth. 4. sed Christus, in Evchariſtia existens, est Deus noster: ergo. Prob. 2. ex perpetua praxi Ecclesiæ, Christum in Evchariſtia semadorantis, utì partim vidimus, partim nunc audiamus ex PP. testimonijs. S. Chrysost. hom. 24. in 1. Cor. ait: *Hoc corpus, etiam jacens in præsepi, reveriti sunt Magi &c. Tu autem non in præsepi vides, sed in altari &c. Nos ergo longè majorem, quàm illi barbari, ostendamus reverentiam.* S. August. in Ps. 98. *Nemo autem illam carnem manducat, nisi PRIUS adoraverit. Non solùm non peccamus adorando, sed peccamus non adorando.* Prob. 3. specialiter quoad Processiones & solemnitates publicas; quia sic rudiores faciliùs & meliùs discunt præsentiam realem Christi in hoc Sacramento, sicut alia mysteria v. g. Passionis, Redemptionis, Ascensionis Christi &c. meliùs addiscunt ex festis, processionibus, & apparatu his mysterijs accommodato. Confirmatur. Habetur in Scriptura 2. Reg. 6. & 7. ac 3. Reg. 8. &c. placuisse Deo circumgestationem Arcæ: an igitur non magis placeat adoratio & venerabunda circumgestatio hujus Diviniſsimi Sacramenti, in quo latet Corpus vivum Christi Divinitati hypostaticè unitum?

17. Quæres. An totum Sacramentum Evchariſtiæ (quod constat ex Corpore &c. Christi & speciebus panis &c.) adoran-

randum sit, & quomodo? R. 1. Christus totus, in Eucharistia præsens, est adorandus latriâ per modum unius suppositi. Et hoc non negant Adversarij, qui aliquam adorationem Christo deberi fatentur. R. 2. Totum hoc Sacramentum, quatenus nempe tam Corpus & Sanguis Christi quàm species panis & vini apprehenduntur ut unum quid, rectè adoratur (ferè sicut Christus in terris adhuc existens adorabatur in & cum vestibus) sed diversa ratione; nam Corpus & Sanguis Christi seu ipse Christus adoratur per & propter se, propriè, absolutè, & quidem cultu latriæ: species verò, si præcisivè considerentur, adorantur improprie, respectivè, propter Christum aliquo modo ipsis unitum, & eo ipso non cultu latriæ, sed alio minore, religioso tamen; ferè sicut diximus colendas esse Reliquias attactu Christi sacratas, vel Imagines Christi: implicat enim, ut cultus respectivus sit cultus latriæ, quia cultus respectivus est, qui debetur alicui propter alterum, quod respicit: ergo eo ipso non defertur tanquam primo rerum omnium principio, quod est solus DEUS.

18. Ob. 1. Cùm Christus hoc Sacramentum instituit, *accepit panem, benedixit, deditque Discipulis suis, & ait: accipite & comedite, hoc est Corpus meum.* Mat. 16. v. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. v. 19. ergo Christus instituit in eum finem, ut statim sequatur manducatio, & sine ea non voluit esse præsens. Confirmatur: Christus pronuntiavit verba, *hoc est Corpus meum*, inter actualem manducationem: ergo Corpus Christi non fuit præsens extra actualem manducationem. R. 1. retorquendo argumentum: in cit. c. & v. 26. additur etiam, *fregit*, quod objiciens nequiter dissimulat: ergo Christus non est præsens, nisi panis frangatur, quod contra Lutheranos acriter urgent Calvinistæ: Gerardus autem ipsis respondet, fractionem non esse ceremoniam necessariam, sed arbitrariam. At contra: distributio & manducatio non sunt arbitariæ, quia Christus *dedit* hunc panem *manducandum*, quando instituit hoc Sacramentum: atqui etiam *fregit*: ergo. Unde

R. 2. & adverto, discrimen esse faciendum inter ea, quæ spectant ad essentiam, & quæ ad usum hujus Sacramenti: ad essentiam spectat consecratio materiæ aptæ, quia prolatis verbis, *hoc est Corpus meum*, mox ponitur Corpus Christi sub speciebus panis, ut vidimus suprà, in quo consistit essentia hujus Sacramenti. Ad usum spectat manducatio, quia institutum est ad refectionem animæ per modum & symbolizationem cibi. Sicut igitur cibus materialis est cibus, etiamsi illum non statim vel etiam nunquam manducemus, ita etiam iste cibus spiritualis est talis etiam extra usum actualis manducationis. Quamvis enim Christus hunc cibum instituerit ad hoc, ut manducetur, non tamen præcepit, ut statim, dum actualiter consecratur, manducetur, multò minùs præcepit, ut statim absumatur totus, & omnes particulæ; igitur satisfit volun-

luntati Christi, si reliquæ hostiæ, quæ interim asservantur vel pro moribundis, vel ut publicæ venerationi exponantur &c. post aliquod tempus manducentur. Imò etiamsi Christus præcepisset statim omnes hostias absumi, non tamen sequeretur, quòd præsens non esset ante absumptionem. Dein à Lutheranis libenter scirem, quantum temporis spatium intercedere debeat inter consecrationem & manducationem? an quadrans, an media hora, an integra hora? Si integra hora non est spatium nimium, cur admitti nequeat sesquihora, si hæc, cur non duæ integræ horæ, si istæ, cur non medius, & integer dies? Quidquid determinaverint, gratis, arbitrariè, & sine Scriptura determinant.

Ad Confir. N. A. quamvis enim ordo verborum Scripturæ sit talis, ut simul videantur esse prolata verba, & manducatio secuta, tamen id nec ab Adversarijs observatur, imò observari nequit, & ipsimet, uti Gerardus, non negant, verba priùs à Christo fuisse prolata. Adde, quòd Christus non fuerit alligatus ad verba, licèt probabiliter ijsdem consecraverit, quibus modò consecratur juxta ejus voluntatem. Certè si ordo verborum strictè deberet attendi, sequeretur, Apostolos bibisse vinum non consecratum; quia S. Marcus sic recitat historiam: *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes, & ait illis: hic est Sanguis meus &c.*

19. Ob. 2. Omne Sacramentum consistit in usu: ergo etiam Sacramentum Evchariſtiæ, quia etiam institutum est ad hoc, ut per ejus usum sanctificemur. Ant. patet ex inductione Baptismi, qui consistit in actione transeunte, scilicet in actuali ablutione, qua finita simul cessat Sacramentum. R. N. Ant. inductio de Baptismo est argumentatio à particulari ad universale. Et pari jure inferam: ergo etiam in Evchariſtia pro materia debet assignari aqua, quia omne Sacramentum, ut patet in Baptismo, pro materia habet aquam. Quòd Evchariſtia habeat aliquid speciale, & detur etiam extra usum, atque sit permanens, satis ostensum est. Etiamsi, quando conficitur, distribuitur, & sumitur, interveniat aliqua actio, tamen permanet etiam extra has actiones. Quis unquam Evchariſtiam vel Corpus Domini vocavit consecrationem, distributionem, manducationem, quæ sunt actiones transeuntes? Bene tamen à Patribus vocatur cibus, panis, quæ sonant aliquid permanens. *Cibus à nobis vocatur Evchariſtia*, ait Justinus M. Apol. 2. *Panis* (post consecrationem) *est Evchariſtia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti.* Irenæus l. 4. c. 34.

Ob. 3. Asservatio, circumgestatio, 20.
adoratio Evchariſtiæ pugnant cum prima institutione; quia Christus instituens post consecrationem *dedit*, & dixit, *accipite, manducate, bibite*, non verò dixit, *asservate, circumgestate, adorate* &c. vel *manducate post longum tempus.* R. 1. retorq. argum. Christus etiam lavit pedes Discipulorum, & dixit: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Joan. 13. Deinde etiam

fregit

fregit panem. Mat. 26. ergo etiam requiritur lotio pedũ, & fractio panis, nec sine his erit tota actio Sacramentalis, consequenter nec præsens Corpus Christi. R. 2. N. A. quamvis enim dixerit Christus, *manducate* &c. non tamen dixit, *manducate statim totum*, neque dixit conditionatè, *si non manducetis, non est Corpus meum*, sed absolutè, *hoc est Corpus meum*, abstrahendo, utrùm totus panis consecratus statim, vel post aliquod tempus absumatur, vel aliquæ particulæ aliquamdiu asserventur, adorentur &c. Adorationem non negat Gerardus deberi Christo tempore actionis Sacramentalis, non obstante, quòd Christus non dixerit, *adorate*. De asservatione Eucharistiæ jam tertio sæculo sic scripsit Tertull. *Accepto Corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio Sacrificij, & executio Officij.* l. de Orat. in fine. En! Eucharistia & Sacramentum, quia sumebatur, & Sacrificium esse jam olim credebatur, & sub una specie asservabatur, *reservato corpore*. Unde sit

§. IV.

Impugnantur specialiter Lutherani UBIQUISTÆ.

21. SCiendum 1. Lutherum, cùm ejus antea discipuli Zwinglius & Oecolampadius realem Corporis Christi in Cœna præsentiam oppugnarent, ijs velut scutum Ajacis objecisse *Omnipræsentiam* Corporis Christi, unionémque Hypostaticam duarum naturarum, & docuisse, etiam *Humanitatem* Christi esse in omni loco. Successu temporis & Lutherus, & alij ejus asseclæ de hac ubiquitate Christi secundùm Humanitatem penitus silnere, Philippo Melanchthone hanc doctrinam potissimùm supprimente: quare etiam nihil de ea insertum Augustanæ Confessioni, nec Apologiæ ejusdem legimus. Post mortem Philippi audentior factus Brenzius eam rursus & quidem apertè defendit: secuti sunt Schmidelinus, Andreas Musculus, Martinus Chemnitius, & postmodum alij plures, sed non eodem omnes modo: aliqui enim ubiquitatem Humanitatis Christi admiserunt in statu tam *Exinanitionis* seu *Humiliationis*, ut loquuntur, quàm *Exaltationis*; alij tantùm in statu *Exaltationis* & Gloriæ, nimirum postquam Christus ascendit in cœlum, & ad dexteram Patris sedere cœpit, negantes, Humanitatem Christi fuisse ubique ante Resurrectionem & Ascensionem, quem statum *Exinanitionis* vocant & Humiliationis. His omnibus opposuit se magna aliorum Lutheranorum pars, & utrinque magnis studijs diu multúmque acriter dimicatum. Quam discordiam ut componeret Elector Saxoniæ anno 1575. 12. Malj senos Ubiquitatis Didascalos, nempe Schmidelinum, Chemnitium, Musculum, Selnecce-

neccerum, Chytræum, & Cornerum convocavit in Monasterium *Bergense* propè Magdeburgum, qui ibi *Formulam Concordiæ* exasciârunt, dedolârunt, & Electori tradiderunt mittendam ad Principes & Civitates Augustanæ Confessionis. Sed finem, quem spectabat, non obtinuit, nimirum concordiam & pacem inter Lutheranos, famosus iste *Liber Concordiæ*; quamvis enim eidem subscripserint variorum Principum & Civitatum Ministri, Professores, Concionatores, Ludimagistri, Hypodidascali &c. octies mille, seu scientes & volentes, seu dolo & metu inducti: nihilominus tamen acriter se opposuere Dania, Halsatia, plures integræ Universitates, ac Civitates celebres, præsertim Norimberga, Magdeburgum, Francofurtum &c. præcipuè propter Articulum de *Ubiquitate* Corporis Christi, ferè præcipuum in hoc Concordiæ libro; quia, ut aiebant Norimbergenses, in Articulis de Persona Christi, & Personali Unione duarum Naturarum, Ecclesiæ Protestantium nunquam dissenserunt à Romana Ecclesia, ac ideo in omnibus Colloquijs cum Pontificijs hi Articuli fuerunt excepti. Proinde ubiquitatem seu præsentiam Humanitatis Christi in omni eo loco, in quo præsens existit Divinitas Christi, admittunt solùm illi, qui subscripserunt Libro Concordiæ, inter quos etiam sunt *Augustani* nostri (nisi interea mentem mutaverint) proptrea *UBIQUISTÆ* dicti, vel *UBIQUIETARII*. Vid. Forer. in Bello *Ubiquistico*.

Sc. 2. manifestè falsum sacrísque Litteris contrarium esse, quòd Christus in hac vita degens, & in statu *Exinanitionis* ac Inclinationis, nempe ante Resurrectionem & Ascensionem suam, fuerit ubique præsens secundùm Humanitatem suam. Siquidem hæc omnipræsentia, sive eam visibilem sive invisibilem dixerint, tolleret manifestè Nativitatem Christi, Mortem Christi, Descensum ad inferos, Resurrectionem, Ascensionem &c. Quæ tamen Mysteria clarè in Scripturis continentur, atque ab Adversarijs tanquam necessaria creditu indubitatâ fide tenentur; quid enim est nasci aliud, quàm priùs fuisse in utero, & nunc non ampliùs esse? quid mori, nisi animam separari à corpore, & in eo non ampliùs esse? quid descendere ad inferos, nisi locum superiorem deserere, & occupare inferiorem, in quo priùs non erat? quid resurgere à mortuis, quàm animam iterum uniri corpori, & relinquere sepulchrum, in quo priùs jacebat? quid ascendere, quàm sursum ire de loco in locum, seu unum locum deserere, & ferri in alium, in quo priùs non erat? Ergo manifestè falsum est, Christum in statu Humiliationis fuisse ubique ac semper in omni loco (sive visibiliter sive invisibiliter) in quo fuit ejus Divinitas. Confirmatur ex clarissimis Scripturæ textibus, qui nulla ratione patiuntur interpretationem alienam. Sic Jo. 11. v. 15. ait ipse Christus de se (non utique quà DEO, sed quà homine) *quoniam non eram ibi*. Et S. Matthæus c. ult. v. 6. de ipso: *non est hic, surrexit*. Atqui *non esse ibi, non esse hic*, excludunt omni-præ-

sentiam, tam invisibilem quàm visibilem: non autem excludunt omnipræsentiam *Deitatis*, cùm clarum sit, hanc ratione Immensitatis suæ necessariò esse ubique: ergo *Humanitatis*, ne textus sint falsi.

S. 3. æquè falsum & Scripturis adversum esse, quòd Humanitas Christi nunc, & in statu *Exaltationis* suæ sit ubique, ac in omni loco, in quo est Verbum Divinum, seu Divinitas Christi. Siquidem ex hac Ubiquitate sequitur etiam illa prior in statu *Exinanitionis*, quam evidenter non datam fuisse ostendimus; ideo enim per Adversarios Humanitas Christi nunc est ubique, quia per Unionem Hypostaticam cum Verbo Divino, quod ubique est, unitur in unam Personam: sed hæc unio jam dabatur in statu Exinanitionis: ergo. Deinde juxta Adversarios ideo datur nunc Ubiquitas Humanitatis Christi, quia propter dictam Unionem Hypostaticam datur Communicatio idiomatum inter Naturam utramque Christi, Divinam & Humanam, vi cujus juxta ipsos realiter prædicari possunt omnes proprietates Divinæ de Natura Humana (quod, quamvis falsissimum sit; cùm utique Humanitas Christi dici nequeat *increata*, *aterna &c. nec Omnipotens*, quia non potuit producere omnes creaturas, cùm utique seipsam producere non potuerit; transmittamus tamen, ut etiam ex hoc capite impugnare liceat) ergo etiam propter eandem Unionem, & eandem Communicationem idiomatum Natura Humana Christi realiter & rectè dicitur *Immensa*, & existit ubique *Immensitate Divina*: atqui hæc Unio, & resultans indè Communicatio idiomatum, jam dabatur in statu Exinanitionis: ergo. Confirmatur rursus ex claro textu Scripturæ; nam Act. 1. v. 11. dicitur: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*: ergo, sicut in cœlum ivit transeundo è loco in locum, pariter veniet de cœlo, eundo de loco in locum: ergo non est in omni loco; si enim quoad Humanitatem suam esset immensus ac in omni loco, non posset moveri de loco in locum, uti Divinitas moveri non potest juxta omnes. Supereſt adhuc aliud efficax argumentum, ex Mysterio Eucharistiæ petitum, contra Ubiquitatem in statu Exaltationis; quod mihi nunc serviet ad oppugnandam illorum Lutheranorum doctrinam circa Eucharistiam, qui Ubiquistas se profitentur. Itaque

Dico. Lutherani *Ubiquistæ* tollunt Eucharistiæ Mysterium & usum, adeóque Cœnam Domini, qua tamen multùm gloriantur. Probatur. In Mysterio Eucharistiæ juxta ipsos ponitur Corpus est Sanguis Christi in pane & vino (quamvis non conveniant, quando ponatur, an ante sumptionem, vel in ipsa actuali manducatione, an in ore, an in gutture &c.) item manducatur corpus, & bibitur Sanguis Christi: sed suppositâ ubiquitate non potest poni Corpus & Sanguis Christi in pane & vino; neque Corpus manducari & Sanguis bibi: ergo. Min. Prob. *poni* in pane & vino est priùs non fuisse in pane & vino, esse autem nunc: atqui suppositâ ubiquitate jam priùs erat Corpus

pus & Sanguis Christi in pane & vino, utpote jam priùs in omni loco. Rursus: *manducare* est aliquid accipere in os, de ore deglutire, & in stomachum demittere: sed supposita ubiquitate non potest Corpus Christi accipi in os, deglutiri, ac in stomachum demitti; quia priùs jam est ibi, utpote in omni loco; nam aliquid accipere in os, deglutire, in stomachum transmittere, nihil est aliud, quàm illud priùs non fuisse in ore, in gutture, in stomacho: ergo juxta principia Ubiquistarum non potest manducari Corpus Christi, consequenter nec bibi Sanguis. Vel si manducent Corpus Christi in Eucharistia (quod tamen impossibile est in ipsorum principijs, ut vidimus) id etiam in omni pane, in omni cibo manducant, ac proin etiam in farcimine, ut ipsis nonnemo nuper objecit; & Sanguinem Christi bibunt in omni potu, in vino & cereviſia &c. Nec sufficit dicere, Christum in Eucharistia poni & manducari Sacramentaliter; nam imprimis non possunt explicare aut ipsi capere istud *Sacramentaliter*, ut vidimus p. 572. ac rursus videbimus p. 590. Deinde saltem hoc admittere coguntur, Christum in Eucharistia non poni *verè, realiter, & substantialiter*, quod tamen mordicus tenent contra Calvinistas: item nec *verè, realiter, & substantialiter* manducari vel bibi Corpus & Sanguinem Christi, quod tamen à se fieri conrendunt contra eosdem: item admittere debent, Corpus & Sanguinem Christi manducari & bibi *verè, realiter, & substantialiter* in omni cibo, in omni potu, in farcimine æquè ac pane, in cereviſia æquè ac vino.

Dices. Etiam juxta Catholicos datur propter Unionem Hypostaticam Communicatio idiomatum non tantùm verbalis, sed etiam vera & realis, vi cujus in Supposito Christi verum est dicere: *homo est Deus: Deus est homo*: ergo etiam omnia prædicata Divinæ Naturæ realiter juxta ipsos dici poterunt de Natura Humana: ergo & Immensitas seu Ubiquitas. Quo admisso omnia, quæ ipsis objicimus, absurda admittere debemus circa Eucharistiam &c. Confirmatur 1. Humanitas Christi per subsistentiam Divinam Verbi sibi unitam denominatur *subsistens & sancta*: ergo etiam potest denominari *immensa* &c. Confirmatur 2. Sicut per unionem animæ cum corpore corpus realiter fit & denominatur *animatum*, ita per Unionem Hypostaticam Naturæ Divinæ cum Humana fit & denominatur rectè *Deificata* Natura Humana. 22.

R. C. Ant. N. Consequam Suppositum in Christo est quidem realiter & verè Deus, & realiter ac verè est homo; quare etiam rectè dicitur: *homo est Deus*, &c: *Deus est homo*: Catholici tamen cautè adhibent hos modos loquendi, nimirum solum *in concreto*, non *in abstracto*, hoc est, veras esse has propositiones dicunt de homine ut involvente Suppositum; non verò de Natura Humana & divina à Supposito præcisa; has enim propositiones: *Natura Divina est Humana Natura, & Humana Natura est Divina Na-*

tura, tanquam Hæreticas & falsas damnant, utì pariter & istas: *Natura Humana est increata, Omnipotens, immensa, æterna*, præsertim per immensitatem vel æternitatem Divinam. Item istas: *Natura Divina est mortalis, creata, infirma, passa, mortua* &c. Priores propositiones, *Deus est homo, homo est Deus*, ut veræ sint, debet sola Subsistentia Divina (quæ constituit *Suppositum* Christi, & in eo unica est sine subsistentia Humana) importari in recto, & propositiones habere hunc sensum: *Subsistentia* (seu Persona) *habens seu terminans Naturam Divinam est subsistentia habens seu terminans Naturam Humanam.* Et: *Subsistentia habens seu terminans Naturam Humanam est subsistentia habens seu terminans Naturam Divinam.* Ut adeò hoc suppositum sit Divinum & Humanum, Deus & homo. Hinc etiam ista propositio, *Christus est ubique*, debet sic exponi: *Persona Divina Verbi habens seu terminans Naturam Humanam est ubique*: non verò sic: *& persona Divina & Natura Humana est ubique.* Pariter hæc propositio, *Christus ubique est homo*, debet sic explicari: *Persona Divina ubique existens habet humanitatem*: non verò sic: *Persona Divina & Natura Humana ubique existentes habent humanitatem.* Ad Confirmationem 1. N. Conf. & parit. Disparitas desumitur ex diversis essentijs denominationum & rerum: nam unius denominationis capax, alterius autem incapax est sæpe eadem res alteri unita: sic idem humanum corpus unitum eidem animæ sit quidem & rectè dicitur *animatum*, non tamen *spirituale.* Ita etiam Humanitas Christi unita Verbo Divino fit verè & rectè dicitur *subsistens* atque *Sancta*, non verò *immensa*, *omnipotens* &c. cùm illarum, non verò istarum denominationum sit capax; nam Naturam Humanam *subsistere* per subsistentiam Divinam nihil est aliud, quàm esse unitam Verbo Divino, & *esse sanctam* nihil est aliud, quàm eam esse amabilem Deo: utique autem fit amabilis Deo per unitam sibi Sanctitatem Increatam. Econtra repugnat naturam creatam fieri increatam, omnipotentem, immensam &c. consequenter harum denominationum incapax est Natura Humana Christi, utpote creata. Ad 2. patet responsio ex primùm dictis.

§. V.

De Communione sub una vel utraque specie.

23. Sciendum 1. vix aliam controversiam plausibiliorem esse, præsertim apud vulgus, plurésque dementâsse, quàm hanc de Communione sub utraque specie, scilicet tam vini quàm panis: sed immeritò, partim quia non advertunt miseri, dum pro utraque specie litigant, se toto Sacramento

mento privari apud Lutheranos & Calviniſtas, eò quòd propter defectum legitimorum Sacerdotum apud ipſos non niſi panis & vinum, ſine mica Corporis & ſine gutta Sanguinis Chriſti, diſtribuantur: partim quia Lutherus ipſe paſſim agnovit, nullum eſſe Divinum præceptum aut neceſſitatem utriusque ſpeciei; ait enim: *Quamvis pulchrum eſſet utraque ſpecie in Euchariſtia uti, & Chriſtus hac in re nihil tanquam neceſſarium præcepit, præſtaret pacem & unitatem, quam Chriſtus utique præcepit, ſectari, quam de ſpeciebus contendere.* epiſt. ad Bohemos. Cauſam verò, cur ipſe urſerit utramque ſpeciem, reddidit de formula Miſſæ, ubi (ſi quo caſu Concilij alicujus auctoritate ſtatueretur aut permitteretur utraque ſpecies) dicit: *Tunc minimè omnium nos velle utraque ſpecie potiri: imò tunc primùm in deſpectum tam Concilij quam ſtatuti ſui vellemus aut alterutra, aut neutra potiri.* En! contumacia & libido contradicendi Eccleſiæ unica Luthero cauſa exſtitit urgendi calicem. Primus, qui neceſſarium eſſe dixit, tum neceſſitate præcepti Divini tum neceſſitate Sacramenti, Euchariſtiam ſuſcipi ſub utraque ſpecie ab omnibus, fuiſſe ſcribitur Petrus Dresdenſis anno 1412. & Jacobellus Miſnenſis, quos ſecuti ſunt Huſſitæ, in Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi damnati, poſtea Lutherus & Calvinus, & cum his ſeducti Germani, de quibus ille verſus: *Da calicem, calicem, ſitiens Germania clamat.*

Sc. 2. & bene notandum, totum Chriſtum contineri ſub qualibet ſpecie, hoc eſt, ſub ſpecie panis non contineri ſolummodo Corpus, ſed etiam Sanguinem, Animam, & Divinitatem Chriſti, & viciſſim ſub ſpecie vini conſecrati contineri totum Chriſtum, Corpus, Sanguinem, Humanitatem totam, & Divinitatem, eò quòd iſta omnia ſint phyſicè inter ſe unita, & Corpus Chriſti ſit vivum; vivum autem corpus ſine ſanguine & anima non exiſtat. Neque Chriſtus poſt Reſurrectionem ampliùs moritur. Rom. 6. *& qui ſolvit JESUM, ex DEO non eſt.* 1. Joan. 4. Atque hoc fatentur ultrò Lutherani cum Gerardo de Cœna § 51. & apud M. Lomer p. 279. **Saur, Brunnen, Cur.** Sed iſtud ſimul notant Catholici, quòd ſub ſpecie panis *vi verborum* præcisè Corpus, & ſub ſpecie vini præcisè Sanguis *vi verborum* ponatur, cætera verò *per concomitantiam*, hoc eſt, propter unionem & naturalem connexionem, quam partes unitæ habent. Et quia verba conſecratoria panis explicitè & formaliter exprimunt ſolum *Corpus*, & verba conſecratoria calicis ſolum *Sanguinem*, ideo *vi verborum* dicitur ibi ſolum corpus, hìc ſolus ſanguis poni. Hanc diſtinctionem Lutherani rident, & aliam prorſus imperceptibilem excogitant, vel potiùs fingunt, ut neceſſitatem utriusque ſpeciei tueri aliquatenus valeant. Quippe

Sciendum 3. Quamvis à Lutheranis in Euchariſtia admittatur Chriſtus *realiter & perſonaliter* indiviſus, ita ut, ubi reperitur Corpus, etiam ſit San-

Sanguis, Anima, & Divinitas &c. atque cum Corpore *realiter* sumatur & Sanguis &c. tamen *Sacramentaliter* sub specie panis (juxta ipsos cum pane benedicto) solum corpus, non sanguinem, non animam, non Divinitatem; & sub specie vini solum sanguinem, & nihil aliud, de Christo sumi; eò quòd detur unio *Sacramentalis* solius corporis cum pane, & solius sanguinis cum vino. Quam unionem *Sacramentalem* paulò ante §. 2. p. 572. explosam dedi. Dicunt itaque, mediante pane benedicto manducari solum Corpus *Sacramentaliter*, & mediante vino bibi solum Sanguinem Christi *Sacramentaliter*, quia sic Christus instituit, & ordinavit. Gerard. de Cœna §. 31. seqq. Quam unionem *Sacramentalem*, & manducationem *Sacramentalem* dicunt esse incomprehensibilem (meliùs dicerent *impossibilem*, & fictam, nihil enim nisi verba sunt, quibus dementant plebem, & ad captum nihil explicant) & *Christi Corpus non esse localiter in Eucharistia, nec localiter dispensari, sed Sacramentaliter & mysticè, hoc est, ut neque intelligi neque sentiri possit.* Gerard. §. 185.

Sciendum 4. sequentia quæri 1. An sub una specie contineatur totum Sacramentum Eucharistiæ. 2. An sit præceptum Divinum, Eucharistiæ Sacramentum suscipi sub utraque specie ab omnibus, qui non actu sacrificant. 3. An Ecclesia possit præscribere unam speciem, vel utramque, prout illi visum fuerit. 4. An defacto rectè præscripserit pro Laicis, & Clericis etiam, qui non actu sacrificant, unam speciem, scilicet panis.

Dicendum 1. Sub una specie continetur, & suscipitur totum Eucharistiæ Sacramentum. 24
Ratio desumitur ex essentia & natura Sacramenti, quæ consistit in hoc, ut significet & causet gratiam sanctificantem, & quidem in Eucharistia per modum refectionis: atqui una species (panis) jam significat & causat gratiam sanctificantem per modum refectionis, seu est signum practicum refectionis spiritualis animæ: ergo. Quòd *significet*, clarum est; nam panis materialis reficit hominem, sicut aqua abluit physicè: ergo sicut aqua significat gratiam internam per modum ablutionis, ita species panis significat gratiam internam per modum refectionis. Quòd *causet*, probatur indè, quia sub una specie continetur totus Christus, à quo tota habetur causalitas & efficientia gratiæ in Eucharistia. Neque tamen hinc sequitur, quòd ambæ species simul sumptæ constituant duo Sacramenta diversa; quia utraque species panis & vini refertur ad unam refectionem; quam quidem pleniùs & cumulatiùs significat, quàm una species, non tamen nisi unam refectionem significat & causat utraque simul: ferè sicut plura fercula in uno corporali convivio sumpta non faciunt duo, sed unum convivium, unam refectionem corporalem.

Dicendum 2. Nullum exstat mandatum Divinum, obligans omnes fideles ad Communionem sub utraque specie sumendam. 25
Prob. 1. negativè, quia nul-

nullum potest ostendi tale mandatum Divinum.

Prob. 2. ex S. Scriptura, ut explicata ab Ecclesia. Jo. 6. Christus, quamvis etiam utriusque speciei mentionem faciat, tamen quater promittit vitam æternam sub una specie communicantibus: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* ibid. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* v. 59. *Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* v. 50. Ergo præceptum Divinum non est, ut sumatur ab omnibus utraque species, alias enim non potuisset promitti vita æterna sumentibus unam speciem. Quòd autem hoc cap. 6. S. Joannes agatur de Eucharistiæ Sacramento, communis est sensus Ecclesiæ, Patrum, & Doctorum Catholicorum. Nec audiendi Novatores in contrarium.

Prob. 3. ab exemplo Christi, & Apostolorum. Christus duobus Discipulis in Emaus Luc. 24. dedit Eucharistiam sub una specie; quia textus tantùm *panis* facit mentionem: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum.* v. 30. Ex quo effectu colligunt Patres, non fuisse panem communem, sed Eucharisticum. Nominatim de Eucharistia intelligunt hunc locum S. Chrysost. homil. 17. operis imperfecti in Matthæum, S. August. de consensu Evangel. l. 3. c. 25. Theophyl. ad c. 24. Luc. Beda ad idem c. 24. Lucæ. Pari modo Apostoli (ut legere est in Actis, & Patres interpretantur) fidelibus distribuebant Eucharistiam sub specie panis tantùm: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Act. 2. v. 42. per *fractionem* intelligitur hic distributio Eucharistici panis juxta illud: *Panis, quem frangimus, nónne participatio Corporis Domini est?* Item: *Una autem Sabbathi, cùm convenissemus ad frangendum panem.* Act. 20. v. 7. His in textibus fit mentio solius panis, adeòque unius tantùm speciei, in qua Apostoli distribuebant SS. Eucharistiam.

Prob. 4. ex sensu & praxi Ecclesiæ, de qua aliquid dicemus in assertione sequente. Interim advertо: si exstaret mandatum Divinum de utraque specie omnibus sumenda, utique illud novisset, & semper observâsset Ecclesia; quis enim credat, Deum posse permittere, ut Ecclesia non agnoscat tanto tempore aliquod præceptum sui Sponsi necessarium ad salutem?

Confirmatur ex figuris Antiqui Testamenti, sumptionem Eucharistiæ significantibus: uti erat esus Mannæ, & Agni Paschalis, item participatio de sacrificijs animalium, de quibus, quamquam comederetur caro, sanguis tamen effundebatur. Igitur sumptio Eucharistiæ sub uno sæpe symbolo figurabatur. Et quamquam Theologia Mystica vel Symbolica dicatur esse *non argumentativa*, & ex figuris non semper

per desumantur argumenta convincentia ad probandum fidei articulum: sufficiens tamen robur habent, quando vel per se sunt valde clara, uti sunt istæ, vel accedit communis interpretum sensus.

26. Dicendum 3. Potest Ecclesia vel unam vel utramque speciem præcipere, prout ipsi consideratis circumstantijs visum fuerit. Prob. 1. Quamvis enim Ecclesia non possit instituere Sacramenta quoad substantiam, potest tamen aliquid ordinare, hoc vel illud præscribere observandū in *dispensatione* Sacramentorum, ubi Christus nihil determinatè præscripsit seu præcepit: atqui Christus de modo dispensandi Evchariſtiam, utrùm nempe debeat dispensari sub una vel utraque specie, nihil determinatè præscripsit, & nullum super hac re dedit mandatum, ut vidimus: ergo. Ma. constat partim ex ratione, quæ dictat, Ecclesiam in ijs rebus posse ordinare & determinare aliquid, ubi Christus nihil determinavit, cùm sortita sit *vicariam* Christi potestatem, partim ex Scri tura, quæ sic dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. qua potestate ordinandi circa hoc ipsum mysterium usus esse creditur S. Paulus 1. ad Cor. 11. sic scribens: *Cætera, cùm venero, disponam.*

Prob. 2. ex praxi Ecclesiæ; scimus enim tum ex PP. tum ex Historijs Ecclesiasticis, ab Ecclesia aliquando fuisse permissum fidelibus, ut pro ratione temporis vel loci sumerent utramque speciem, vel unam, ut contigit primis sæculis: aliquando fuisse præceptum (pro districtu Romano ad aliquod tempus à Gelasio P. imitante exemplum S. Leonis M. ut docet Baron. ad annum Ch. 496.) ut sumerent utramque speciem, etiam vini; cujus rei ratio erat, ut dignoscerentur Manichæi, qui sub specie vini communicare nolebant, eò quòd vinum abominarentur tanquam creaturam malam à diabolo productam; nam apud Catholicos tum moris erat, sub una specie panis communicare, & Manichæi inter illos latentes accedebant cum ipsis non sine gravissima injuria Sacramenti. Demum aliquando fuisse præceptum, ut ubique sumerent sub una duntaxat specie panis, uti in Conc. Constantiensi S. 13. & Trident. S. 21. Posteriora duo membra non negantur à Sectarijs, bene tamen primum, quòd primis sæculis liberum fuerit pro circumstantia temporis & loci unam sumere speciem, atque fideles sub una se susciperе verum Evchariſtiæ Sacramentum crediderint.

Id quod nunc ostenditur 1. quia primis sæculis consuetum erat in gravi persecutione, in navigatione longa, imò etiam extra has circumstantias Evchariſtiam deportare domum, in navem, domi suæ retinere, ut pro opportunitate & devotione illam sumerent: item Eremitæ passim deportabant ad suas eremos, ut suo tempore se illâ reficerent, ut testantur Tertull. l. 2. ad uxorem c. 15. S. Cypr. de lapsis in orat. funebr. de excessu Satyri, S. Basil. in ep. ad Cæsariam Patriti-

tritiam apud Canis. ubi sic loquitur : *Persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam non præsente Sacerdote aut Ministro Communionem propria manu sumere &c. longa consuetudine confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes, ubi non est Sacerdos, communionem domi servantes, à se ipsis communicant. In Alexandria verò & in Ægypto unusquisque eorum, qui sunt de populo, ut plurimum habet communionem in domo sua. Semel enim Sacrificium Sacerdote consecrante & distribuente meritò participare & suscipere credere oportet. Etenim & in Ecclesia Sacerdos dat partem, & ipsam admovet ori propria manu. Idem igitur est virtute, sive unam partem accipiet quisquam à Sacerdote, sive plures partes simul.* Atqui species vini non poterat diu asservari in ædibus, in eremis, in navigijs, quia fuissent corruptæ. 2. Quia constat, Patres sæpe loqui tantùm de pane, quando loquuntur de Evchariſtia, nulla mentione facta vini, uti S. Augustinus l. 50. homiliarum homil. 26. & serm. 252. de tempore. S. Ign. M. ep. ad Eph. *Siquis non fuerit intra altare, fraudabitur pane Dei.* Taceo alios. 3. Quia olim Evchariſtia fuit præbita infantibus, ut nemo negat : atqui dabatur sub una tantùm specie, scilicet vini, teste S. Cypr. serm. de lapsis, sub qua sacer Sanguis instillabatur, cùm nondum possent solidum cibum comedere. 4. Quia moribundos una tantùm specie, saltem subinde, cummunicabant, ut Serapionem quendam apud Euseb. Cæsar. l. 6. histor. Eccl. c. 36. puerum ægrotantem apud Bedam l. 4. Anglican. histor. c. 14. S. Ambrosium apud Paulinum &c. 5. Quia vescebantur *præsanctificatis*, hoc est, illis hostijs, quæ jam alio die fuerant consecratæ, uti hodiedum adhuc fit à Sacerdote in die Paraſceves, quo die non consecratur, quia sacrificare non licet; & Græci per Quadragesimam totam, excepto die Dominico & Sabbatho, communicabant ex præsanctificatis, ubi solam hostiam alio die jam consecratam, sine vino consecrato, sumebant. Vide de hoc usu Conc. Laodic. Can. 49. Conc. Trull. Can. 51. Innocent. l. in ep. 1. c. 4. &c.

Confirmatur. Potest Ecclesia aliquid ordinare, & immutare circa personas, quibus hoc Sacramentum sit dispensandum (sic olim permisit infantibus præberi Evchariſtiam, quod nunc non amplius permittit ex justis causis) item circa tempus, quo suscipi debeat; nam primis temporibus quotidie dabat Evchariſtiam fidelibus : postea circa annum Christi 250. præcipiebat, ut quilibet saltem ter in anno, scilicet in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste, sumeret : nunc verò refrigescente fidelium devotione obligat ad unicam in Paschate Communionem c. utriusque sexûs de pœnit. & remiss. Cur igitur non possit etiam ordinare aliquid & præscribere circa modum sumendi Evchariſtiam, ad quem modum (non ad essentiam) spectat una vel utraque species?

Dicendum 4. Ecclesia defacto recte præcipit non actu sacrificantibus 27.

communionem ſub una ſpecie panis, interdicens uſum calicis. Probatur facilè; quia ex una parte poteſt id præcipere Eccleſia, ut ex præcedentibus patet; continetur enim in una ſpecie totus Chriſtus, totum & eſſentialiter integrum Sacramentum, atque realiter etiam ſuſcipitur ſanguis &c. Nullũ exſtat mandatum Divinum de utraque ſpecie: ubi autem nullum exſtat mandatum Divinum, poteſt ordinare & præſcribere Eccleſia, Chriſti vicaria. Ex altera verò parte ſunt juſtæ cauſæ, quibus Eccleſia permota præcipiat unam ſpeciem panis, & prohibeat dari laicis calicem. Cujusmodi cauſæ ſunt quidem complures, compendij tamen loco ad tres reduci poſſunt. 1. eſt, ut Eccleſia ſe opponat hæreticis, eorúmque duplicem errorem manifeſtiùs damnet; nimirum eorum, qui docere cœperunt, in una ſpecie non contineri totum Chriſtum, & totum Sacramentum: & aliorum, qui contendunt, eſſe mandatum Divinum omnes obligans ad communionem ſub utraque ſpecie. 2. Ut multiplex irreverentia tanti Sacramenti caveatur; nam compertum eſt facilè contingere, ut ſacratiſſimus Chriſti ſanguis, ſub ſpecie vini datus, adhæreat barbæ virorum, vel effundatur ſuper veſtes, vel in corporis partes, vel etiam omnino in terram, præſertim in magna compreſſione communicantium, vel in communione ſenum, tremulorum, puerorum, infirmorum &c. Propter ejusmodi irreverentias Eccleſia defacto prohibuit infantibus S. Evchariſtiam, magis conſulendum rata reverentiæ auguſtiſſimi hujus Myſterij, quàm parvulorum utilitati, quam perciperent ex hoc Sacramento. 3. Ut ſervetur conformitas per totam Eccleſiam in diſpenſanda laicis Evchariſtia, & ubique facilitetur ejus uſus; ſunt enim plures provinciæ, in quibus difficillimè haberi poſſet vinum in tanta copia, ut ſufficeret communicantibus; præterea inveniuntur aliqui abſtemij, qui vinum ne quidem guſtare poſſunt propter naturalem horrorem; alij horrent ex eodem calice bibere poſt alios, fortè morbis infectos, poſt barbatos & ſordidos ruſticos, poſt edentulas vetulas de naribus ſtillantes &c.

Ob. 1. Eo modo ſuſcipienda ſunt Sacramenta, quo modo Chriſtus inſtituit: ſed Chriſtus inſtituit Sacramentum Evchariſtiæ ſub utraque ſpecie: ergo. 2. Eo modo debemus diſtribuere Evchariſtiam fidelibus, quo ipſe diſtribuit ſuis Apoſtolis: ſed diſtribuit ſub utraque ſpecie: ergo. R. ad 1. Diſt. Ma. eo modo ſuſcipienda ſunt Sacramenta quoad ſubſtantialia, quo modo Chriſtus inſtituit C. Ma. quoad accidentalia N. Ma. ſubſtantia Sacramenti jam datur in una ſpecie: igitur altera, in qua nihil novi nobis datur, ſed tantùm in nova & alia ſpecie, ſpectat ad accidentalia. Vel aliter Diſt. Ma. quo modo Chriſtus inſtituit ſub præcepto C. Ma. ſine præcepto N. Ma. Unde ad 2. Exemplum Chriſti facit quidem, ut aliqua res ſit licita, non tamen facit, ut ſit præcepta, quia recitatur tantùm hiſtoricè, non proponitur ut præceptum: aliàs enim Lutherani deberent communicare in pane fracto (quia Chriſtus fregit) veſperi, non jejuni, & præſertim lotis priùs pedibus, quia Chriſtus lavit priùs

28.

as Discipulorum pedes, & insuper dixit: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis* &c. Adde, quòd Min. non sit omnimodè vera; nam Christus Discipulis in Emaus distribuit Evchariſtiam ſub una ſpecie panis.

Dices 1. Christus subjunxit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. quæ verba continent præceptum. R. hæc verba Christus non dixit post consecrationem calicis, sed tantùm post consecrationem panis, ut patet ex historia Evangelica. Dein, si presè attendatur textus, deprehenditur Christus Discipulis in ultima Cœna præbuisse tantùm unam speciem, scilicet panis: *COENANTIBUS illis accepit JESUS panem* &c. Matth. 26. calicem verò primùm post Cœnam: *Similiter & calicem, POSTQUAM CŒNATUM EST* &c. Luc. 22.

Dices 2. S. Paulus referens historiam institutionis Evchariſtiæ perpetuò conjungit manducationem & bibitionem, adeóque communionem ſub utraque ſpecie. Sic enim scribit 1. Cor. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus JESUS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: accipite & manducate: hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: hic calix Novum Testamentum est in meo Sanguine: hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini* &c. Ubi signanter notandum etiam est, quòd Paulus bis dicat, *hoc facite in meam commemorationem*, etiam post consecrationem calicis. R. 1. Sicut Christus instituendo non dedit mandatum sumendi utramque speciem, obligans omnes; ita nec Paulus, præcisè referens institutionem Christi, dedit mandatum. Solummodo *tradidit*, quod accepit, hoc est, retulit, non præcepit, sicut nihil præcepit, dum dixit 1. Cor. 15. *Tradidi vobis, quoniam Christus mortuus est.* R. 2. Duo esse in his Pauli verbis, quæ favent uni speciei; nam 1. post consecrationem panis *absolutè* additur, *hoc facite in meam commemorationem*, post consecrationem calicis verò tantùm *conditionatè* & limitatè, *quotiescunque bibetis*, hoc est, si & quando bibetis. 2. Adhibet Paulus particulam disjunctivam *vel*; ait enim: *Quicunque manducaverit panem hunc, Vel biberit calicem* &c. ergo falsum est, quòd Paulus perpetuò conjungat manducationem & bibitionem; sed etiam disjungit per disjunctivam *vel*, qua indicat, etiam alterutram speciem seorsim sufficere.

Dices 3. Idem Paulus 1. Cor. 10. v. 16. scribit: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio Sanguinis Christi est? & panis, quem fran-*

frangimus, nónne participatio Corporis Domini est? & v. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Ergo utraque species sumenda, aliàs non sumitur Sacramentaliter Corpus & Sanguis; nam panem vocat κοινωνίαν Corporis, & calicem κοινωνίαν Sanguinis, seu *communicationem.* R. 1. Sensus textûs est, quòd sub specie panis communicet nobis Corpus Christi (utique vivum &c.) & sub specie vini (si præbeatur, quòd hìc æquè parùm præcipitur omnibus, ac alibi) communicetur Sanguis &c. quod non est contra Catholicos. R. 2. iterum duo ex his verbis favere uni speciei; nam 1. tò *frangimus* etiam juxta Lutheranos idem est ac *distribuimus*, & per illud innuitur, quòd panis semper distributus fuerit à Paulo, similem verò vocem non adhibuit apud calicem, sed solùm addidit, *cui benedicimus*, non verò *distribuimus* &c. ut innueret, calicem non semper fuisse distributum. 2. Quia v. 17. seq. statim fit mentio solius panis, *qui de uno pane participamus.*

Dices 4. Christus ipse præbens calicem jussit omnes bibere, quia dixit: *Bibite ex hoc omnes.* Mat. 26. ergo exstat mandatum calicis, obligans omnes, R. illud *omnes* respicit solos Apostolos, tunc præsentes, quod colligitur clarè tum ex eo, quòd S. Marcus c. 14. dicat: *Biberunt ex eo omnes*, utique non omnes omnino fideles; nam B. Virgo, Joseph ab Arimathea &c. non biberunt, sed solùm illi, qui assidebant mensæ, & quos v. 31. iterum allocutus est, dicens: *Vos OMNES scandalum patiemini in me*: tum ex eo, quia aliàs defacto deberent etiam bibere infantes, abstemij &c. si absolutè jussisset omnes bibere. Cæterùm quòd tò bibite fit *Imperativi modi*, non infert mandatum, aliàs etiam mandatum esset illud Christi: *Vade, vende omnia, & da pauperibus.* Mat. 19. Aut illud Davidis Psal. 50. *Amplius lava me* &c. *Miserere mei Deus* &c.

Dices 5. Quibus dicitur *manducate*, ijsdem etiam dicitur *bibite*: ergo vel utrumque spectat ad solos Apostolos, & sic cessat institutio Evchariſtiæ, ac nullum datur mandatum Divinum post tempora Apostolorum omnes obligans ad usum hujus Sacramenti: vel utrumque spectat ad omnes fideles, & habetur intentum. R. 1. N. A. quòd enim tò *manducate* spectet etiam ad alios fideles, indicat subnexum illi mandatum, *hoc facite in meam commemorationem.* R. 2. T. A. N. C. vel potiùs id, quod ex prima parte consequentis infertur; quia tamen salva est institutio, & præceptum omnibus datum suscipiendi hoc Sacramentum, scilicet Joan. 6. *Nisi manducaveritis* &c. & dum Sacerdotes jubentur distribuere Panem Evchariſticum, *hoc facite* &c.

Dices 6. illud præceptum Joan. 6. est pro utraque specie, quia sic sonat: *Nisi manducaveritis carnem Filij Hominis, & biberitis ejus Sanguinem* &c. *non habebitis vitam in vobis.* R. N. sequelam 1. quia sensus est, nisi *sumpseritis* carnem & sanguinem

&c.

&c. atqui sub una specie etiam sumitur caro & sanguis ; adeóque vis præcepti est de re sumenda, non de modo sumendi : quod indè colligitur, quia ibidem statim etiam promittitur vita æterna sumentibus unam speciem : *Qui manducat me, vivet propter me.* v. 58. adeóque realiter & in virtute etiam bibitur sanguis (licèt non *formaliter* bibatur) propter concomitantiam seu connexionem sanguinis cum carne. 2. Quia particula & potest sumi disjunctivè pro *vel*, uti nonnunquam sumitur. 3. Quia multa in Scripturis præcipiuntur quidem toti Ecclesiæ, non tamen à singulis implenda, sed tantùm ab aliquibus, uti v.g. *hoc facite in meam commemorationem, euntes docete omnes gentes &c.* sic istud præceptum, *nisi biberitis*, satis observatur, si aliqui sumant Evchatistiam sub utraque specie, scilicet actu sacrificantes.

Dices 7. Ergo aliquoties, aut semel saltem, necesse erit in vita communicare sub utraque specie, quia Scriptura subinde utriusque, subinde unius speciei mentionem facit. R. N. illatum: eo ipso enim, quòd Scriptura nunc uni nunc utrique speciei promittat vitam æternam, ipsa determinatè non obligat vel ad unam vel ad utramq; : reliquit igitur Ecclesiæ determinandum. Dein, si non semper opus est Evchatistiam sumere sub utraque, jam agnoscitur, sub una specie contineri & suscipi totum Sacramentum. Ad quid ergo necessaria est etiam altera species ? Demum jam aliqui obligantur, nempe qui actu sacrificant, ad sumendam utramque speciem. Sed quare hi ? R. ideo, quia in Sacrificio repræsentatur passio & mors Christi, & mysticè occiditur Christus, quod fit per separationem mysticam sanguinis à corpore ; nam *vi verborum* corpus sine sanguine sub specie panis ponitur, & vicissim : ergo Sacerdotes debent consecrare utrumque symbolum, &, ut Sacrificium sit integraliter totum, etiam sumere.

Ob. 2. Evchatistia est *Testamentum* 29.
Christi, in quo nobis reliquit non modò Corpus sub specie panis, sed & Sanguinem sub specie vini : ergo qui unam solummodo speciem porrigunt, mutilant Testamentum, & defraudant fideles parte hæreditatis, scilicet Sanguine Christi. R. est quidem Testamentum, sed tota hæreditas, nempe Corpus simul & Sanguis Christi, datur fidelibus sub una specie, quia Christus indivisus ; licèt non detur sub duplici symbolo, tam bibili quàm comestibili. Quid quæso interest, an mille aureos ex hæreditate capias in uno vel in duplici marsupio ? modò capias. Fideles, qui unam speciem accipiunt, non privantur Sanguine Christi, sed tantùm privantur altera specie bibili, scilicet specie vini : quid ergo tot jurgiis opus est ? cur litigant pro re sensibili, & vili specie, cùm totum Christum recipiant ? cur de cortice multùm sunt solliciti, cùm habeant nucleum ?

Dices. Quamvis Corpus Christi non sit sine Sanguine ; tamen Sanguis non sumitur sub specie panis *Sacramentaliter*, quia Christus tantùm vo-

luit sumi Corpus mediante pane & vinum mediante Sanguine. R. Huc denique, & ad has latebras se denique recipiunt fugitivi Adversarij : voco *latebras*, scilicet ignorantiæ, quia nihil dant nisi verba, & ipsi fatentur, hanc manducationem Corporis sine Sanguine (quamvis realiter unito cum corpore) *Sacramentalem* esse inexplicabilem, & humanæ rationi imperceptibilem, rectiùs dicerent chymericam. Meliùs igitur cum Catholicis sentitur, qui Sacramentalem manducationem explicare possunt facilè, dicendo, *Sacramentalem* vocari ideo, quia anima per hanc sensibilem specierum, & latentis Christi, manducationem acquirit gratiam sanctificantem, & spiritualiter reficitur : quippe Sacramentum est *signum sensibile practicum gratiæ sanctificantis*. Christus voluit hoc ipso sumi tam Corpus quàm Sanguinem cum Anima & Divinitate sub una specie, quia voluit totus esse realiter sub una specie.

30. Ob. 3. Communio sub utraque specie majorem confert gratiam suscipientibus, quàm sub una : ergo sine injuria non possunt privari Laici hoc excessu per subtractionem calicis. R. 1. T. A. quod à plurimis negatur, N. C. Injuria enim non est, si subtrahitur id, quod nec Jure Divino nec Humano debetur : calix non debetur ; quia totum Sacramentum suscipitur sub una specie. R. 2. D. A. confert majorem gratiam, & iste excessus est necessarius ad salutem. N. A. non est necessarius C. A. & N. C. Meliùs esse judicat Ecclesia, fideles carere fructu non necessario, quàm Sacramentum exponi periculo multiplicis irreverentiæ : & ob hanc causam nunc prohibet dari Eucharistiam infantibus, & tantùm semel in die hoc Sacramentum sumi permittit ab adultis.

Dices. Signum externum est materia Sacramenti : ergo est pars essentialis Sacramenti : atqui vinum vel species vini est signum externum in Eucharistia : ergo. 2. Symbolum in Sacramentis efficit, quod significat : ergo ubi est duplex symbolum & perfectius, plus efficitur gratiæ. 3. Alius est effectus cibi, alius potûs ; nam potus sitim, cibus famem sedat : atqui panis est tantùm symbolum cibi spiritualis, & vinum est symbolum potûs : ergo effectus Eucharistiæ, nempe refectio spiritualis, non perfectè significatur per unam speciem, adeóque nec causatur. R. ad 1. Signum externum tanquam materia jam datur in Eucharistia in una specie, quia per unam jam significatur refectio spiritualis, licèt pleniùs significaretur per utramque speciem. Unde etiam sine speciebus vini datur Eucharistiæ Sacramentum essentialiter integrum, quamvis non detur accidentaliter integrum ; consequenter altera species vini non est pars essentialis, sed tantùm integralis accidentalis, seu pars materiæ pleniùs significativæ, sive *symboli externi* : secùs sicut *trina* immersio, quæ olim adhibebatur in Baptismo, non fuit pars essentialis, cùm ad essentiam Baptismi sufficerit *una* immersio, & hodie adhibeatur solùm *aspersio* ; potuit tamen illa terna repetitio dici pars integralis accidentalis.

dentalis, vel pars materiæ seu symboli externi, pleniùs significantis mundationem internam. Ad 2. Etsi transmitteretur totum, quòd nempe utraque species propter pleniorem symbolizationem conferat plus gratiæ, non tamen rectè inferretur indè obligatio sumendi utramque speciem, cùm iste excessus gratiæ ad salutem necessarius non sit, neque sub præcepto. Adde, quòd valde incertum sit, plus conferri gratiæ per utramque speciem, partim quia utrumque symbolum non significat res diversas, sed unam, scilicet refectionem spiritualem, partim quia hoc, quòd significet eam cumulatiùs & pleniùs, nihil facit; moneta enim, in qua perfectiùs expressa proponitur imago Cæsaris, non propterea plùs valet quàm alia, in qua symbolum est minùs perfectum. Ad 3. patet satis ex modò dictis. In Eucharistia cibus simul realiter est potus, nempe Christus vivus, qui non est sine Sanguine: item fames & sitis spiritualis realiter non distinguuntur.

Ob. 4. Plures ex SS. PP. apertè adstruunt necessitatem communionis sub utraque: ergo. R. SS. PP. vel loquuntur de Sacerdotibus actu sacrificantibus, vel de re sumenda, non de modo sumendi, vel de illis temporibus, quibus utraque species erat in usu aut etiam sub præcepto. Atque sic non sunt contra nos. 32

§. VI.

De Sacrificio Missæ.

32. SCiendum 1. Sacrificium propriè dictum in genere definiri communiter in hunc sensum: *Est oblatio externa facta soli Deo, per quam à legitimo Ministro res aliqua sensibilis per immutationem ritu mystico consecratur in recognitionem supremi Dominij, quod Deus habet in vitam & necem.* Dicitur 1 *oblatio*, per quam vocem Sacrificium differt ab alijs actibus ad virtutem Religionis spectantibus. 2. *Soli Deo facta*, est enim præcipuus DEI cultus, & ferè solus DEO proprius; quare nulli creaturæ sacrificari immediatè & principaliter potest. 3. *A legitimo Ministro*, qui in Lege Naturæ erat Paterfamilias, in Lege Moysis & Christi Sacerdotes ritè ordinati. 4. *Per immutationem*, scilicet vel physicam, vel moralem & mysticam. 5. *In cognitionem supremi dominij* &c. cujus publica testificatio est Sacrificium, scilicet Deum posse pro libitu circa vitam & mortem nostram perfectè disponere, id quod indicat hostiæ immutatio. 6. *Ritu mystico*, hoc est, certis ceremoniis, quas in Antiqua Lege præscripsit Deus, nunc Ecclesiæ determinandas reliquit. 7. *Consecratur*; nam res sensibilis, quæ offertur, debet ex profana fieri sacra; sacrificare siquidem secundùm etymo-

etymologiam dicit *sacrum facere*. Unde vel maximè requiritur intentio cultûs Divini in Sacrificio. Atque hunc conceptum Doctores abstraxerunt ab illis rebus, quæ communiter habitæ sunt, & adhuc habentur pro veris & propriè dictis Sacrificijs.

Sciendum 2. Sacrificium in Veteri Lege fuisse variè divisum tam ratione materiæ quàm ratione formæ. Ratione materiæ aliud Sacrificium vocabatur *Hostia* vel *Victima*, quando scilicet animalia, utì agnus, taurus &c. mactabantur Deo: aliud *Immolatio*, quando offerebantur res inanimatæ, sed solidæ, utì fruges, panis, thura &c. aliud *Libamen*, quando offerebantur res inanimatæ, sed liquidæ, utì vinum, oleum, sanguis &c. per effusionem in terram. Ratione formæ aliud Sacrificium appellabatur *Holocaustum*, quando nempe res oblata destruebatur tota per ignem, ut resoluta in fumum ascenderet ad Deum: aliud *Hostia pro peccato*, quod offerebatur pro peccatis, externis tantùm & legalibus; res oblata autem partim cremabatur, partim cedebat in usus Sacerdotum: aliud *Hostia pacifica*, quod offerebatur DEO in gratiarum actionem pro beneficijs tum acceptis tum accipiendis, ac una ejus pars comburebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum, tertia in usum eorum, qui talem rem donabant. Atqui hæc Sacrificia fuerunt figuræ magni illius Sacrificij, quod Christus Dominus Æterno Patri obtulit in cruce, atque alterius, quod in Nova Lege continuò & ubique repetitur, scilicet Sacrificij Missæ, quod in substantia (scilicet ratione Offerentis principalis & Hostiæ) est idem cum Sacrificio crucis; differt tamen in modo; nam istud cruentò modò fuit oblatum, illud verò offertur in pane & vino, modò incruentò. Unde Sacrificium Novæ Legis dividitur in *Cruentum & Incruentum*. Utrumque (vel potiùs unicum Novæ Legis Sacrificium) eas dotes in se continet, quas singulas Sacrificia Antiquæ Legis, quæ nunc præsente figurato cessârunt omnia, habebant singula. Unde est 1. *Latreuticum*, seu supremum Deo honorem & Divinum defert, profitendo supremum ejus dominium. 2. *Eucharisticum*, quia gratias rependit Æterno Patri pro beneficijs humano generi collatis. 3. *Propitiatorium*, quia dimittit peccata, & hominem reconciliat DEO. 4. *Satisfactorium*, quia delet pœnas peccatorum; & ideo etiam prodest Defunctis. 5. *Impetratorium*, quia impetrat varia & summa beneficia à DEO. Sectarij nostri has prærogativas omnes agnoscunt in Sacrificio Crucis Cruento, negant & pernegant tamen, eas reperiri in Sacrificio Missæ Incruento, quam negant esse Sacrificium; imò dicunt, Missam esse abominandam Idololatriam, & notam Antichristi. Igitur

Dicendum 2. Missa est verum & propriè dictum Sacrificium. Prob. 1. ex Scriptura, ritè explicata. Christus à Davide & Paulo appellatur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*. Psal. 109. Hebr. 5. ergo

ergo Christus aliquando sacrificavit, sicut Melchisedech, scilicet in pane & vino: *Melchisedech enim protulit* (id est, *obtulit* juxta meliores interpretes) *panem & vinum, erat enim SACERDOS Altissimi*; quæ mentio *sacerdotij* cum particula causali *enim* clarè indicat, panem & vinum fuisse *oblatum*, non merè materialiter appositum. Atqui ostendi non potest aliud tempus, quo Christus sacrificâsset in pane & vino, nisi in ultima Cœna, ubi panem, quem in suum Corpus convertit, priùs *benedixit*, *fregit* (non frustra ponuntur hæc ab Evangelistis) & dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur*, & accepto calice, *hic est Sanguis meus, qui pro multis effunditur*: sed tò *datur*, tò *effunditur* (nam Græcus textus utitur præsenti, id est, nunc in ultima Cœna, & postea in cruce) idem est ac immolatur, sacrificatur, quod indè etiam colligitur, quia textus dicit: *pro vobis*: *pro multis*; si enim Christus tantùm distribuisset Discipulis Corpus suum & Sanguinem ad sumendum, debuisset præcisè dicere *vobis*, *multis*, omissa præpositione *pro*. Ergo Christus in ultima Cœna sacrificavit modo incruento, in pane & vino. Atqui hoc Sacrificio, quod ipse ibi obtulit celebrando primam Missam (nam essentia Missæ consistit in immolatione Christi per consecrationem panis & vini) non fuit contentus, sed illum ipsum repeti voluit à suis Discipulis, atque horum Successoribus, dicens *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22. idque usque ad finem mundi, aliàs enim non esset *Sacerdos in æternum*; nam post mortem suam utique non amplius sacrificat visibiliter per se, sed per sacerdotes, Vicarios suos; qui Christum nec possunt nec debent imitari in Sacrificio *cruento*, hoc enim *Christus semel fecit*. Hebr. 1. ergo debent imitari *in æternum* (hoc est, usque ad finem mundi) in Sacrificio *incruento*, quod Christus obtulit in ultima Cœna in pane & vino *secundùm ordinem Melchisedech*, non secundùm ordinem Aaronis, qui sacrificavit mactando animalia &c. Cæterùm Melchisedechum, in pane & vino sacrificantem, fuisse typum Christi, in pane & vino sacrificaturi, docent Patres communiter, nominatim S. Hieron. in c. 26. Mat. S. Aug. de Civ. l. 16. c. 22. S. Cypr. l. 2. ep 3. ad Cæcilium. Imò ipse S. Paulus Hebr. 7. v. 11. quod bene notetur.

Confirmatur 1. ex eadem ep. ad Hebr. 13. ubi Christiani dicuntur *habere altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt*, scilicet sacerdotes Antiqui Testamenti: ergo Christiani etiam habent Sacrificium propriè dictum; quia *Sacrificium, Altare, Sacerdos* &c. sunt correlativa, nec unum datur sine altero. Atqui aliud Sacrificium propriè dictum apud Christianos assignari nequit, nisi Sacrificium Missæ: ergo.

Confirmatur 2. ex vaticinio Malachiæ c. 1. ubi DEUS dicit ad Judæos: *Non est mihi voluntas in vobis: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offer-*

offertur nomini meo oblatio munda. &c. Per istam oblationem non potest intelligi aliquod Sacrificium Judæorum. 1. Quia repudiatur expressè Sacrificium Judæorum, eique opponitur novum. 2. Quia appellatur signatè *munda*, cujusmodi prædicatum specialiter non merebantur Sacrificia Judæorum. 3. Quia dicitur offerri *in omni loco*, Judæi autem sacrificabant tantùm in Judæa, & quidem in unico templo Jerosolymitano. Ergo intelligitur aliquod Sacrificium Novæ Legis, quod offeratur ubique per totum orbem, & sit mundissimum propter Hostiam & principalem Offerentem (Christum) nempe Sacrificium Missæ; cùm aliud assignari nequeat.

Prob. 7. ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ, quam in re tanti momenti, ubi agitur de præcipuo Dei cultu, errare impossibile est; ut scilicet tota, in omni loco, & omni tempore frustillum panis &c. adoret tanquam sponsum suum, ac offerat Deo tanquam Filium & Hostiam dilectissimam sœdissimâ idololatriâ. Atqui est innegabile, quòd Ecclesia semper ab ipsis incunabulis, & temporibus Apostolorum Missam habuerit pro vero Sacrificio, & constanter hoc Sacrificium obtulerit. Ita enim testantur imprimis Liturgiæ (quod Græcis est *Liturgia* hoc Latinis est *Missa*) Apostolorum Petri, Jacobi, Matthæi, & Marci Evangelistæ, de quibus vid. Cocc. de Euch. art. 4. tom. 2. l. 6. Testantur Presbyteri Achaiæ, qui in vita S. Andreæ referunt verba hujus morituri Apostoli: *Ego omnipotenti Deo omni die sacrificio, non taurorum carnes, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnes, postquam omnis populus credentium manducaverit, & ejus sanguinem biberit, agnus, qui immolatus est, integer perseverat & vivus &c.* S. Clemens Petri Discipulus Can. 3. Apostol. *Siquis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, quam de Sacrificio instituit, alia quædam, puta aut mel aut lac aut siceram pro vino supra altare obtulerit, deponiter.* Ep. 3. de Officio Sacerd. *Quoniam in alijs locis sacrificare & Missas* (en! nomen *Missæ* jam posuit Versor in Ecclesiæ exordio) *celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius jusserit, aut ab Episcopo consecratus fuerit. Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, vobisque mandamus.* Et l. 6. Const. Apost. c. 25. *Pro Sacrificio cruento rationale & incruentum, ac mysticum Sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola Corporis & Sanguinis sui celebratur.* S. Justinus M. in Dial. cum Tryph. apud Canis. *Neque verò à quoquam hostias Deus accipit, nisi à suis Sacerdotibus. Itaque omnia Sacrificia, quæ suo nomine facienda JESUS Christus tradidit, id est, in Eucharistia panis & poculi, quæ in omni loco à Christianis fiunt, præoccupatione usus Deus, sibi grata esse testatur Malach.* 1. S. Cyprianus. l. 2. ep. 3. ad Cæcilium: *Sacerdos vice Christi vere fungitur, quod id, quod Christus fecit, imitatur: & Sacrificium verum & plenum tunc offert in Eccle-*

Ecclesia Deo Patri &c. Similia passim occurrunt in antiquissimis Patribus ferè omnibus, Dionys. Areop. Ignat. M. Alexandro P. Telesphoro P. Chrysost. Ambr. August. & alijs, in quibus apertè describitur doctrina & praxis moderna Catholicorum circa Missæ Sacrificium. Longè plura reperiuntur in recentioribus Scriptoribus, quod negare nequeunt Adversarij. Quos proin interrogo, an hos viros sanctissimos (quales esse censentur recitati PP. & alij plures, ferè omnium sæculorum, etiam ab ipsis) damnare prudenter & sine enormi flagitio possint idololatriæ, impietatis, & sacrilegij, quòd Missas celebraverint, audiverint &c? Judicet æquus Lector.

Prob. 3. Nulla fuit unquam Religio, quæ non putaverit sibi necessarium esse Sacrificium propriè dictum (eò quòd Religio sit modus DEUM colendi, Sacrificium verò sit optimus, & præcipuus DEUM colendi modus, ut patet ex ejus definitione superiùs data p. 599.) ergo ex sensu universali hominum in vera Religione debet dari Sacrificium propriè dictum: atqui in Religione Christiana nullum esset Sacrificium propriè dictum, nisi tale sit Missa: ergo. Ant. constat, quia non modò Gentiles & Pagani habebant semper sua Sacrificia, verùm etiã cultores veræ Religionis, ita docente eos partim lumine naturali, uti in Lege Naturæ docuit Abelem, Abraham, Jacob, Noë, partim explicitè mandante DEO, ut in Lege Moysis, in qua DEUS varia præcepit Sacrificia, quæ obtulit Moyses, Aaron, Heli, Samuel &c. Jam verò translatâ Lege, & mutatâ, debet mutari & Sacrificium, sicut vicissim, juxta illud Hebr. 7. *Translato Sacerdotio necesse est, ut & Legis translatio fiat.* Quid ergo dicemus de illis *Christianis*, qui non habent Sacrificium propriè dictum, uti sunt Sectarij nostri? An non rectè infertur, penes ipsos non esse veram Religionem Christianam?

Excipiunt, & dicunt, etiam apud se esse Sacrificia, scilicet preces, pia opera, & actiones alias spirituales. Sed contra est 1. Quia ista non sunt Sacrificia propriè dicta, & simpliciter, sed solùm cum addito, *Sacrificia laudis, justitiæ, vituli labiorum, hostiæ spirituales &c.* 2. Quia sic Sacrificia Antiquæ Legis non essent abrogata, nec translatum sacerdotium (contra Paulum Heb. 7. & Patres communiter, qui dicunt, Sacrificia Antiqua, utpote figuras novi Sacrificij, cessâsse) nam preces & pia opera etiam offerebantur in Antiqua Lege. 3. Quia sic vera Religio non differret ab infidelibus & hæreticis; nam in præcipuo actu suo non differret ab ipsis, quia etiam orant &c. 4. Preces & bona opera non requirunt altare, & sacerdotem: Sacrificia autem propriè dicta non possunt offerri nisi in altari & à sacerdote. 5. Sacrificium est oblatio rei sensibilis: sed actiones spirituales, pia vota, preces &c. non sunt aliquid sensibile per se. 6 Ipsa Scriptura opponit opera bona & Sacrificia: ergo non omne bonum opus est Sacrificium propriè dictum: sic Oseæ 6. dicit: *Misericordiam volo, non Sacrificium.* & 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quàm victimæ.* 7. Juxta Adversarios omnia opera bona sunt immun-

munda, & *quasi pannus menstruatæ* &c. quale igitur Sacrificium ?

Prob. 4. In celebratione Missæ reperiuntur omnia, quæ spectant & necessaria sunt ad essentiam Sacrificij propriè dicti : nimirum adest sacerdos, altare, res oblata sensibilis, oblatio Deo facta, rei oblatæ quædam immutatio & destructio ; nam *physicè* destruitur substantia panis & vini, *moraliter* destruitur Hostia seu Christus, quatenus ponitur quidem vivus, modo tamen mortuo & in statu ad operandum inepto, quia ponitur penetratis inter se partibus definitivè ; item occîditur *mysticè* per verba consecrationis ; nam *vi verborum* sanguis separatur à corpore.

Prob. 5. ad hominem ex Confessione Augustana, quæ art. de Missa sic dicit : *Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summâ reverentiâ celebratur, servantur & usitatæ ceremoniæ ferè omnes.* Jam verò nomine *Missæ* illo tempore nihil aliud intelligebatur ab Ecclesia, & à Statibus Imperij, quàm Sacrificium Missæ, quod Catholici semper, & hodiedum adhuc celebrant. Nunc autem Lutherani contra proprietatem vocabuli, & contra usum totius Ecclesiæ, ac Romani Imperij volunt nomine *Missæ* intellectam fuisse *Cœnam*, seu Evchariſtiam, quà Sacramentum est. Quo pacto non solùm torquent textum suæ Confessionis, verùm etiam gravissimæ fraudis in re summi momenti eandem arguunt, aliud voce eloquentem, & aliud mente intelligentem.

Dicend. 2. Missa est Sacrificium *Propitiatorium* (quòd sit *Latreuticum & Evchariſticum*, facilè concedit, quisquis eam Sacrificium esse agnoscit) hoc est, dimittit peccata tam mortalia quàm venialia, non tamen immediatè, sed mediatè, seu impetrat gratias actuales peccatoribus (pro quibus offertur) quibus excitantur & promoventur ad pœnitentiam, per quam immediatè dimittuntur peccata : hæ tamen gratiæ actuales, quas impetrat, non semper sunt efficaces ; quod mirum non est, cùm neque per Sacrificium Crucis impetratæ sint omnibus peccatoribus gratiæ efficaces ad agendam pœnitentiam. Itaque rectè offertur Sacrificium Missæ pro vivis ad obtinendam remissionem peccatorum. Prob. 1. ex Scriptura. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. Prob. 2. ex perpetuo sensu Ecclesiæ. Audiatur unicus testis antiquissimus, Alexander P. & M. anno 109. ep. 1. c. 4. *Ipsa veritas nos instruit calicem & panem in Sacramento offerre, quando ait : accepit JESUS panem &c. crimina enim atque peccata oblatis his Domino Sacrificijs delentur &c. Talibus hostijs delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia.* 34.

Dicend. 3. Missa est Sacrificium *Satisfactorium*, hoc est, delet pœnas pro peccatis quoad culpam jam dimissis, & quidem infallibiliter, nisi adsit 35.

obex

obex in eo, pro quo offertur : obex autem est peccatum mortale. Adeóque rectè offertur *pro Defunctis*, ùsque prodest, qui adhuc hærent in Purgatorio, *ex opere operato* (quo modo etiam impetrantur vivis gratiæ actuales ad obtinendam pœnitentiam) Prob. 1. ex Scriptura ; nam 2. Machab. 12. Judas Machabæus jussit *offerri Sacrificia pro Defunctis, ut à peccatis*, hoc est, peccatorum pœnis, *solvantur*, ejúsque factum approbatur ibidem : ergo multò magis potest offerri Sacrificium Missæ pro defunctis, ut à peccatis solvantur, cùm habeat virtutem ex opere operato : atqui Defuncti non aliter solvuntur à peccatis, nisi quatenus satisfit pro pœnis, post culpam dimissam reliquis ; ut hic supponendum est : ergo Sacrificium Missæ est etiam satisfactorium. Prob. 2. ex perpetua praxi Ecclesiæ ; jam enim in Liturgijs S. Jacobi, & S. Clementis invenitur memoria ac deprecatio pro Defunctis, & damnata pridem est hæresis Aërij, qui negabat, pro mortuis esse sacrificandum, teste Epiph. & August. Audiatur unicus S. Chrysost. qui homil. 3. in epist. ad Philipp. ait: *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverunt, illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis.*

36. Dicend. 4. Missa est Sacrificium *Impetratorium*, hoc est, per id obtinentur varia beneficia, corporalia & spiritualia, imò & augmentum gratiæ sanctificantis ; sed hoc postremum nonnisi mediatè, scilicet mediantibus virtutum actibus, ad quos eliciendos gratiæ actuales (licèt non semper efficaces) immediatè impetrantur : nam gratiæ sanctificantis augmentum, non Sacrificio, sed Sacramentis promissum est. Quòd impetretur semper (ex opere operato) aliqua beneficia, sed pro loco & tempore competenti, prout Deus novit esse utile, probatur præcipuè ex sensu, & praxi perpetua Ecclesiæ, Sacrificium Missæ offerentis pro quibuscunque hominum necessitatibus. Sit unicus testis ex antiquis S. August. qui l. 22. de Civit. Dei c. 8. ait: *Rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium Corporis Christi, orans, ut cessaret illa vexatio : Deo protinus miserante cessavit*, scilicet infestatio malignorum spirituum. Dein confirmatur ex eo : si Sacrificium impetrat remissionem peccatorum saltem mediatè, & pœnarum immediatè, cur non impetret alias gratias & beneficia? Si non illa, quæ petuntur, certè substituet Deus alia, prout ipsi melius videbitur, sicut fit in orationibus Justorum. Nihil jam dicam de fructibus, qui redundant ex Sacrificio Missæ ex opere operantis.

Dicendum 5. Retinenda est *Missa privata*. Nomine Missæ privatæ potest intelligi, quæ celebratur vel in loco privato, in ædibus, oratorijs &c. vel in templo quidem, sed sine cantu, nec in altari summo, vel quæ fit sine conventu populi, vel extra diem Dominicam & festa, vel denique talis Mis- 37.

sa, in qua solus sacerdos communicat sine communione populi. Et in hac ultima acceptione potissimùm sumit Lutherus, quando impugnat Missam privatam: atque in hoc sensu acceptam retinendam esse, Prob. 1. quia in ea reperitur tota essentia & integritas Sacrificij à Christo instituti. 2. Quia sacerdos, etiam privatim celebrans, & solus Sacramentaliter communicans, agit publicum Ecclesiæ ministrum, nec pro se tantùm, sed etiam pro tota Ecclesia offert: major autem publicitas gratis requiritur. 3. Quia Sacrificium non offertur populo, sed DEO pro populo; quod fieri potest, etiamsi populus non communicet. 4. Quia nec in Antiqua Lege de rebus oblatis manducabat semper populus. 5. Neque in Ecclesia Christi id semper observatum fuit; quippe jam olim Missa offerebatur quotidie, non tamen populus (post tempora Apostolorum) communicabat quotidie. 6. Quia præceptum audiendi Missam diebus festis & Dominicis, omnibus fidelibus impositum, est antiquissimum: at nullum fuit unquam præceptum omnibus diebus Dominicis & festis communicandi, sed olim tantùm ter in anno, nunc à longo tempore tantùm semel. Neque dicas, Christum, dum sacrificavit (si tamen sacrificavit) in pane & vino, distribuisse hostiam suis Discipulis manducandam &c. Nam exemplum Christi facit quidem rem licitam, sed non præceptam. Christum in ultima Cœna sacrificâsse, patet ex dictis.

38. Dicend. 6. Necesse non est, imò nec decet, Missam celebrari linguâ vulgari, scilicet Germanicâ in Germania, Gallicâ in Gallia &c. Prob. 1. Quia Sacrificium Missæ non offertur ad instruendum populum, sed ad colendum Deum, & aliquid ab ipso impetrandum: Deus autem utique intelligit linguam Latinam. 2. Quia tolleretur commercium Ecclesiarum particularium; Germanus enim sæpe non posset dicere Sacrum, existens in Gallia, & vicissim; Italus in Polonia, & vicissim &c. 3. Quia Ecclesia semper consuevit in Officijs Divinis adhibere unam ex tribus linguis sacris, nempe vel Latinam, vel Græcam, vel Hebraicam, nisi fortè per indulgentiam, ad cavendum majus malum, quibusdam Provincijs ad aliquod tempus linguæ vernaculæ usus concessus sit. 4. Quia est ad majestatem & reverentiam majorem, si adhibeatur lingua sacra, & vulgo non usitata; quam ob causam etiam multa dicuntur secretò in Canone. Cæterùm ceremoniæ & vestes sacræ, in Missa adhiberi solitæ, utì & ea, quæ ex verbis, si intelligerentur, populo prodesse creduntur, illi explicantur à Catechistis & Concionatoribus, quantùm opus est.

Opponunt. Ad Hebr. 9. v. 28. dicitur: *Christus semel oblatus est.* & c. 10. v. 14. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*: ergo opus non est tot Missarum oblationibus, cùm sufficerit abunde una oblatio Christi. Confirmatur. Sacrificium Christi, in Cruce peractum, fuit infiniti valoris: ergo à Christianis repeti non debet, quin non possit sine ejus injuria: ergo Missa non est Sacrificium, quo 39.

quo remittuntur peccata, & alia beneficia nobis conferuntur. R. Omnino Christus semel oblatus est modo cruento, & in Cruce &c. hoc tamen non obstante potest renovari hoc Sacrificium modo incruento, partim in memoriam Passionis, partim ut nobis applicetur fructus Sacrificij Crucis: legant Adversarij verba antecedentia cit. c. 9. ubi v. 11. dicitur: *Omnis sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias.* Equidem propter pactum initum inter Deum & hominem non habet Redemptionis fructum illud, quod in Missa offertur, Sacrificium, nisi quatenus est repræsentativum & applicativum Sacrificij cruenti, quo solo voluit Deus & Christus ex speciali pacto satisfieri pro mundi peccatis &c. uti nec illud, quod Christus in ultima Cœna obtulit in pane & vino, quod erat significativum Sacrificij, mox in Cruce peragendi. Quamvis enim & Sacrificium Cœnæ, & Sacrificium Missæ (idem intellige de omnibus Christi actionibus, utpote Theandricis) fuerit & sit infiniti valoris in actu primo & quoad sufficientiam, non minùs quàm Sacrificium Crucis; redemptio tamen mundi & satisfactio pro peccatis &c. ex decreto DEI fuit alligata soli Sacrificio Crucis; applicatio tamen fructûs fuit data ejus memoriali, scilicet Sacrificio Missæ, uti & data est Sacramentis, fidei, spei, charitati, pœnitentiæ &c. Unde patet responsio ad alterum textum. Ad Confirmationem D. A. Sacrificium Christi in Cruce peracti fuit infiniti valoris in actu primo & quoad sufficientiam C. in actu secundo & quoad actualem applicationem. N. A. & C. Christus noluit nobis prodesse Sacrificium, etiam Crucis, nisi nobis applicetur per illa media, quæ ipse instituit & præscripsit, uti sunt Sacramenta, Sacrificium Missæ, opera virtutum: voluit enim Sacrificium incruentum perpetuò renovari, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.*

ARTICULUS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

1. *Quamvis Pœnitentia etiam sit virtus, de ea tamen, ut Sacramentum est, hic agitur.*
2. *De Absolutione & Confessione peccatorum quid sentiant tum Calvinistæ, tum Lutherani.*
3. *Juxta Catholicos Sacerdos verè remittit peccata authoritate Judiciali, dum absolvit.*
4. *Sine qua Absolutione, vel in re vel in voto suscepta, impossibile est salvari eum, qui post Baptismum lapsus est in peccatum mortale.*
5. *Quia Lutherani, & nominatim Gerar-*

Gerardus opponat contra potestatem Judicialem absolventis à peccatis.

6. An Christus & Apostoli absolverint à peccatis Sacramentaliter.
7. Quid opponant contra necessitatem Absolutionis.
8. Quid sit contritio, perfecta & imperfecta.
9. Quid sit juxta Lutheranos contritio, & pœnittntia.
10. De Contritione perfecta nihil sciunt, & silent; quod dolendum.
11. Contritio imperfecta, seu Attritio, est actus honestus.
12. Terrores conscientiæ incussi, in quibus juxta Lutheranos partialiter consistit Pœnitentia, non sunt pars Pœnitentiæ.
13. Neque fides, etiam fiducialis, in qua tamen juxta Adversarios consistit præcipua Pœnitentiæ portio.
14. Attritio quomodo non plùs detestetur infernum quàm peccatum.
15. Contritio quomodo sit sensibilis, & Confessio quomodo signum gratiæ.
16. Quid sit DEUM diligere super omnia, seu charitas perfecta, qua tanquam motivo niti debet contritio perfecta.
17. Quid sit Confessio Sacramentalis, quæ dicitur Auricularis.
18. Quid de ea sentiant Sectarij.
19. Non sufficit sua peccata confiteri soli DEO.
20. Neque Sacerdoti tantùm in genere, sed oportet omnia mortalia, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, distinctè exprimere quoad speciem & numerum.
21. Idq; necessarium est Jure Divino.
22. Nec Scriptura, nec exemplum Christi & Apostolorum adversantur Confessioni Auriculari & Absolutioni Sacerdotis.
23. 24. Hæc Confessio non est introducta & instituta ab Ecclesia.
25. 26. Nec nimiùm est difficilis, multò minùs impossibilis.
27. Satisfactio est pars integralis Pœnitentiæ.
28. Quid illa sit, præsertim de condigno & propriè dicta.
29. Pœnam temporalem, quæ, dimissâ quoad culpam peccatò, sæpè remanet
30. Delet Satisfactio, ab homine justo præstita per opera bona pœnalia.
31. Talia opera rectè injunguntur propterea pœnitentibus à Confessario.
32. Item utiliter assumuntur sponte à fidelibus ad satisfaciendum pro reatu pœnæ temporalis adhuc residuæ.
33. 34. Diluuntur objecta.
35. 36 Nec obstat infinitas Satisfactionis a Christo positæ; nec opera pœnalia præcisè imponi debent pro medicina &c.
37. Indulgentiæ fuerunt occasio Apostasiæ Lutheri.
38. Quid sint; nam multi laborant erroneis persuasionibus in hac materia.

39. *Eas concedendi potestas datur in Ecclesiâ Christi.*
40. *Principaliter tamen & immediatè illa est penes summum Pontificem.*
41. *Utiliter conceduntur etiam pro Defunctis in Purgatorio adhuc hærentibus,*
42. *Nempe per modum Suffragij.*
43. 44. *Solvuntur Objectiuncula.*

1. Pœnitentia quidem *virtus* est, quæ essentialiter consistit in dolore animi de commisso peccato cum proposito vitæ in melius commutandæ, & spe veniæ. Nos tamen, postquam probavimus suprà art. 3. Pœnitentiam in Nova Lege etiam *Sacramentum* esse, quamvis sine actu virtutis Pœnitentiæ (scilicet sine dolore de peccato) administrari nequeat, præcisè de Pœnitentia, ut Sacramentum est, agemus, ad quam ex parte Ministri requiritur Absolutio tanquam forma, consistens in verbis, *ego te absolvo* &c. ex parte Suscipientis autem Contritio, Confessio, & Satisfactio, quæ sunt quasi materia. Satisfactioni subjungemus Indulgentias, quia plurimùm serviunt ad perfectè satisfaciendum pro pœnis peccatorum.

§. I.

De Absolutione.

2. SCiendum, Calvinistas tam Absolutionem quàm Confessionem peccatorum penitùs sustulisse, ut olim fecerunt Novatiani hæretici sæculo III. Lutheranos verò retinuisse quidem utriusque (mutilatæ tamen) usum, imò umbram potiùs, partim quia non habent legitimos sacerdotes, quibus solis à Christo data est potestas verè absolvendi, partim quia docent, peccata unicè dimitti per fidem, Ministrum verò Ecclesiæ remissionem peccatorum solummodo *denuntiare*, & consolari pœnitentem. Dicunt enim, Christum, dum Mat. 18. & Joan. 20. dedit potestatem remittendi peccata, non aliam Apostolis & eorum successoribus potestatem dedisse, quàm verè pœnitentibus *in specie* annuntiandi remissionem peccatorum, & eandem *in genere* omnibus prædicandi: quamvis promissio Evangelij (de remissione peccatorum) in genere pertineat ad omnes verè contritos, interim tamen (dicunt) teneræ conscientiæ non possunt semper firmâ fide statuere, ad se quoque Evangelicam promissionem pertinere. Gerard. in LL. Theol. de Pœnit. §. 100. Qui præterea §. 111. ait, Ministros Ecclesiæ non habere potestatem *Judiciariam* reconciliandi Deo peccatores, sed præcisè alienum beneficium, nempe Christi, ijsdem impertire, *prædicando* remissionem peccatorum in omnes gentes, eò quòd solius veri Dei sit remittere peccata. Non aliam igitur potestatem Judicialem, qua æstiment quantitatem & qualitatem peccatorum in

ordine ad solvendum vel ligandum sacerdotibus concedunt Lutherani, nisi merè ministerialem, qua annuncient & declarent contritis, à Deo ipsis esse remissa peccata propter Christum fide apprehensum. Contrà

3. Dicendum. Sacerdos ritè absolvens verè remittit peccata, & quidem authoritate judiciali (acceptâ tamen à Christo, cujus Vicarius & Minister est, quo modo Baptizans verè abluit & remittit peccata ut Christi Vicarius & causa instrumentalis) Proinde quamvis Absolutio sacerdotis sit alieni beneficij dispensatio, non tamen est nudum tantùm ministerium annuntiandi Evangelij promissionem, vel declarandi, peccata esse à Deo remissa, sed est actus judicialis, quo Sacerdos tanquam judex pronuntiat sententiam, & cum Deo tanquam causa principali verè absolvit à peccatis. Ita Catholici omnes cum Tridentino Sess. 14. c. 6.

Prob. 1. ex potestate clavium, Apostolis eorúmque successoribus promissâ Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*: collatâ autem Jo. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ubi notanda sunt verba *remiseritis, solveritis, retinueritis* &c. Non enim Christus dixit: quibus *denuntiaveritis*, peccata esse remissa. Et sicut sanare vulnus non dicitur, aut solvere vincula, aut donare centum aureos &c. qui præcisè denuntiat alteri, vulnus esse sanatum, vincula soluta, & aureos ei donatos: ita nec potest dici *remittere* peccata, qui præcisè denuntiat, ea esse remissa.

Prob. 2. ex perpetua Ecclesiæ Traditione & sensu. Audi testes Ambrosium & Chrysost. prior l. 1. de Pœnit. c. 2. ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. quis est ergo, qui magis honorat Dominum JESUM? utrùm qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet: hæresis in altero immitis, in altero inobediens* &c. Et l. 2. de Pœnit. c. 2. *Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti. Concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* Posterior l. 3. c. 6. de Sacerdotio: *Corporis lepram haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat: at verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

Prob. 3. ad hominem. Quando Minister Ecclesiæ denuntiat pœnitenti, remissa ipsi esse peccata, vel hoc facit absolutè, vel sub conditione, si ritè credat Pœnitens? Si absolutè, tunc prorsus temere denuntiat, quia nescit statum pœnitentis, utrùm non sit hypocrita &c. Si sub conditione, tunc opus non est hac denuntiatione, cùm pœnitens longè meliùs sciat, an habeat fidem, consequenter an sibi remissa peccata, quàm Minister. Ad quid ergo servit hæc denuntiatio, quæ unicè adhibetur, ut in specie certificentur peccato-

catores de obtenta remissione peccatorum? Ubi illa decantata certitudo, quam sibi fingunt Lutherani de statu gratiæ & salute? cùm eam certitudinem habere à Ministro debeant contritæ conscientiæ, ut loquitur Gerardus; Minister autem nesciat, utrùm pœnitentes ritè credant fide salvifica, sine qua obtinere remissionem peccatorum & salutem impossibile est. Taceo quòd opus non sit, ut is, qui ita denuntiat, sit Minister Ecclesiæ vel Præco, cùm denuntiare quilibet possit, etiam laicus, fœmina, infidelis, & præsertim nuntij v. g. Norimbergensis, Ulmensis &c. Quid enim obstat, cùm juxta Adversarios nulla requiratur specialis potestas & auctoritas Judicialis? Quod pro casu necessitatis quidem admittunt Lutherani, sed quàm ridiculum id sit, nemo non videt. Et quare solùm pro casu necessitatis? Ubi fundamentum in Scriptura, quòd extra talem casum debeat esse Minister Ecclesiæ necessariò &c?

4. Dicendum 2. Defactò omnibus, post Baptismum mortaliter lapsis, ad salutem omnino necessaria est Absolutio Sacramentalis, vel in re vel in voto susceptæ. Prob. 1. ex Scriptura, quæ ex una parte dicit, pœnitentiam esse simpliciter necessariam, *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Luc. 13. ex altera verò parte modum agendi pœnitentiam præscipsit talem, ut judicali Sacerdotum sententia dimittantur peccata, & non aliter, *quorum remiseritis peccata, remittentur, quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. Prob. 2. ex Traditione & sensu Ecclesiæ, qui non solùm declaratur in Conc. Trid. sed etiam manifestè colligitur ex necessitate Confessionis auricularis, de qua postea: ad quid enim hæc adhibita semper est, nisi ut impetretur Sacerdotalis Absolutio? Cæterùm dixi, *vel in re vel in voto*, ut insinuarem, casu quo non posset haberi Absolutio in re v. g. ob Sacerdotis defectum, sufficere desiderium Absolutionis, quod includitur in Contritione perfecta, vel in actu amoris Dei super omnia: talis enim saltem virtualiter vult observare omnia mandata: inter cætera autem mandata est etiam Absolutio à peccatis à Sacerdote danda. Ratio est, quia Deus, qui omnes homines vult salvos fieri, omnibus dat medium ad salutem necessarium: sed non daret omnibus tale medium, nisi sufficeret desiderium Absolutionis, quam sæpe in re habere nequeunt morituri.

Itaque Absolutio Sacramentalis graviter lapsis, in hoc rerum ordine à Deo decreto, necessaria est ad salutem necessitate *medij*, & consequenter etiam necessitate *præcepti* Divini, quia quæcunq; necessaria sunt necessitate medij, tenemur facere, si pendeant à libera hominis potestate. Dicuntur autem illa esse necessaria *necessitate medij*, quæ imprimis positivè & directè influunt in salutem, ac insuper talia sunt, ut sine illis, etiam inculpabiliter omissis, juxta præsentem Dei ordinationem salus haberi non possit. 5.

Ob. 1. Si Sacerdos auctoritate judiciali potest absolvere, tunc verum est dicere: Sacerdos verè condonat peccata, remittit pœnam inferni, dat vi-

tam & beatitudinem æternam &c. sed hæc pessimè sonant, & Deo injuriosa sunt, qui solus hæc potest. R. Verum est, quòd hæc faciat Sacerdos ut Christi Minister, & Judex vicarius, potestate sibi communicata, delegata, subordinata, & dependente à Christo: non autem quòd hæc faciat ut Salvator, & Judex principalis, potestate summa ac independente à Christo. Christus est absolvens principalis, Sacerdos est vicarius, legatus, & instrumentum Christi, per quem Christus absolvit, non tamen solus, sicut baptizat per Ministrum; nam & Sacerdotibus dedit claves & potestatem solvendi, ligandi, remittendi peccata, sicut dedit potestatem baptizandi.

Regerit Gerardus §. 112. Absolutionem Sacerdotis non esse tantùm declarationem ejus, quod jam antè intus in pœnitente factum est, sed esse simul efficax medium, per quod Christus verè pœnitentibus confert, quod promisit. *Absolutio*, inquit, *est talis annuntiatio remissionis peccatorum, quæ efficax sit virtute Spiritûs S. qui per illam effert, applicat, & obsignat remissionem peccatorum agentibus pœnitentiam & credentibus.* R. hæc imprimis non cohærent cum ijs, quæ ex eodem Gerardo adduximus pag. 609. Dein probarent, Pœnitentiam esse verè Sacramentum, cùm esset signum *practicum* & collativum gratiæ, seu remissionis peccatorum: quod iterum est contra Gerardum. Demum quæro: vel Sacerdos absolvendo verè remittit instrumentaliter peccata? vel non, sed solus Deus totaliter? si prius; habemus Catholici intentum: si posterius; falsa sunt verba Christi ad Sacerdotes dicentis: quorum *remiseritis* peccata &c.

Ob. 2. Christus non remisit peccata per Absolutionem. 2. Nec Apostoli, tum quia nihil legitur de hoc in Scripturis, tum quia Christus dixit ad Discipulos: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Joan. 20. Ergo neque nunc Sacerdotes debent aut possunt dimittere peccata per Absolutionem. R. ad 1. Christus etiam non baptizavit, & sine Baptismo remisit peccata: ergo nec Adversarij alligabuntur ad Baptismum, & poterunt regenerare sine hoc medio filios DEI. Christus utpote plenus Dominus in remissione peccatorum non erat alligatus illis medijs, quæ instituit, & observari voluit à suis Discipulis: alligati tamen sunt ejus Ministri, quorum in potestate non est alio modo conferre gratiam, quàm quo modo concessit Christus, à quo habent, quidquid habent. Ad 2. Etiamsi de Apostolis non legeretur, eos per Absolutionem Sacramentalem dimisisse peccata (sicut nec legitur eos absolvisse *denuntiando* tantùm, remissa esse peccata) non tamen sequeretur, eos non absolvisse verè. Dein satis legitur 2. Cor. 5. ubi v. 18. dicitur: *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis*, & v. 20. *Legatione fungimur pro Christo.* Adde, quòd Apostoli converterint Judæos & Gentiles, quibus peccata remittuntur per Baptismum, non per Absolutionem Sacramentalem; non ergo mirum

mirum est, quòd explicitè non multum inveniatur scriptum de data ab Apostolis Absolutione.

7. Ob. 3. Possunt remitti peccata per contritionem perfectam, ut fatentur Catholici. 2. Et defacto remittuntur per fidem, ut docent Sectarij: ergo Absolutio non est necessaria ad salutem. R. ad 1. In contritione continetur votum seu desiderium Absolutionis, ut tenent Catholici. Dein Absolutio prodesset saltem attritis, & imperfectè pœnitentibus; quippe Christus in Nova Lege voluit per Sacramentalem Absolutionem etiam illis suppeditare remedium salutis, qui non perfectè conteruntur, & solùm imperfectæ pœnitentiæ virtutem habent; quod in Antiqua Lege non erat concessum, sed debebant semper perfectam contritionem elicere. Imò Absolutio potest etiam prodesse perfectè contritis; cur enim Deus non possit de eadem re bis ferre sententiam, semel apud semetipsum, remittens peccatum propter contritionem perfectam, & semel per suum Ministrum absolvens, præsertim cùm per ejusmodi Absolutionem augeatur gratia sanctificans, quæ de se est remissiva peccati. Adde, quòd incertum sit sæpe, utrùm pœnitens habeat contritionem perfectam, vel tantùm imperfectam. Quare Absolutio prodest plurimùm ad majorem spem & certitudinem de remissis peccatis. Ad 2. N. absolutissimè Ant. quod per fidem solam dimittantur peccata.

§. II.

De Contritione. Ubi etiam de partibus Pœnitentiæ Lutheranorum.

8. SCiendum 1. Contritio in genere est dolor animi ac detestatio peccati commissi propter Deum offensum, conjuncta cum proposito vitæ in melius commutandæ. Est duplex, perfecta & imperfecta: perfecta, quæ absolutè dicitur *Contritio*, & ordinatiè intelligitur audita hac voce, est dolor de peccato, procedens ex motivo amoris Dei, super omnia dilecti. Imperfecta est dolor de peccato procedens ex motivo imperfecto v. g. ex metu inferni, turpitudine peccati &c. atque dici consuevit *Attritio*. Cæterùm metus inferni, & pœnarum timor, alius est filialis, alius servilis, & alius serviliter servilis. *Filialis* timor est, quo quidem timetur Deus quà pœnam intentans, magis tamen propter offensam ipsius Dei: *Servilis*, quo timetur Deus puniens, solius pœnæ fugiendæ causâ: *Serviliter servilis*, quo ita timetur Deus, ut, nisi puniret, peccatum non displiceret, neque caveretur. Ultimus timor malus est, quia pœnam plùs timet & curat quàm Deum. Filialis ab omnibus admittitur esse bonus. Servilis cul-

patur à Lutheranis, qui dicunt, eo peccari, & hominem fieri hypocritam, de quo postea. Porro tam contritio quàm attritio, ut prosit ad vitam æternam, debet esse supernaturalis, qualis erit, si procedat ex fide, qua Deus creditur esse auctor supernaturalium, & ordinans hominem ad beatitudinem supernaturalem.

9. Sc. 2. Contritionem à Lutheranis apud Gerardum §. 613. sic definit: *Est verus ac serius dolor ex agnitione peccati & sensu iræ Divinæ adversus illa exortus, cum conscientiæ pavoribus & peccati detestatione conjunctus.* Et §. 41. *Est vera peccati cognitio, serius de illo dolor, & interiores conscientiæ angores, eum externis quibusdam signis ut plurimùm conjuncti.* Isti autem pavores & angores conscientiæ (dicunt) incutiuntur à Lege; nam *ex Lege est cognitio peccati, Lex iram DEI denunciat*; quò etiam calamitates tum publicæ tum privatæ, quas Deus infligit propter peccata, item passio Christi conducit, quæ vel maximè ostendit iram Dei adversus peccata. Postquam verò *Lex* incussit terrores conscientijs, easque propositâ irâ Dei contrivit, succedit *Evangelium*, quod mentes consternatas iterum erigit, monstrando Christum Mediatorem, & fidem in ipsum accendendo, qua apprehenditur justitia Christi, remittuntur peccata, & anima de ijs remissis certa redditur. Unde apud Lutheranos duæ statuuntur propriæ & essentiales partes Pœnitentiæ, Contritio & Fides: *Contritio sunt terrores conscientiæ incussi à Lege agnitò peccatò & irâ Dei; Fides conscientiam iterum consolatur, dum territus firmiter credit, sibi remitti peccata propter Christum.* Aliqui cum Philippo Melanch. addunt pro tertia parte novam obedientiam seu meliorem vitam subsequentem: Gerardus verò §. 54. negat propriè esse partem, quamvis dicat, meliorem vitam & opera bona indissolubili nexu conjungi cum vera pœnitentia. Catholici pro requisitis aut partibus Sacramenti Pœnitentiæ præter Absolutionem, de qua dictum, admittunt Dolorem de peccato cum Proposito melioris vitæ conjunctum, Confessionem peccatorum, & Satisfactionem; quia his positis habetur plena & integra remissio peccatorum quoad culpam & pœnam. De quibus singulis agendum: priùs tamen

Sc. 3. Contritionem (quod dolendum est) à Lutheranis non dividi in perfectam & imperfectam; de perfecta enim, quæ ex solo amore Dei super omnia dilecti oritur, apud ipsos ingens est silentium; & densa ignorantia. Ipsus namque propriâ edoctus experientiâ sanctè testari possum, nullum ex omnibus Sectarijs, qui mihi sat magno numero, variæque conditionis, etiam ex litteratis, obvenerunt instruendi in fide Orthodoxa, quidquam sciviſſe de contritione perfecta ejúsque motivo. Quæ fraus diaboli est, sanguineis lacrymis deploranda, nec levis culpa Præconum; sic enim plerosque in interitum pertrahi necesse est. Quippe quamvis censeam, multos inculpabiliter ignorare falsitatem suæ sectæ, atque 10.

que adeò propter peccatum infidelitatis non damnari; rari tamen sunt ex adultioribus, qui nunquam in tanta morum licentia apud ipsos in aliud peccatum mortale labantur. Jam verò si semel graviter lapsi sunt contra præceptum aliquod Decalogi &c. nullum ipsis superest resurgendi medium; non absolutio, quam non habent validam ob defectum sacerdotis, non contritio, quæ unica posset eripere inferno destitutos remedio absolutionis, utpote de qua nihil sciunt. Et quamquam Gerardo §. 68. exciderint hæc verba: *Pij in serijs conscientia pavoribus Deum ipsum inuentur, & propter ejus (utpote summi boni) offensam unicè dolent*; & fortè in eorum libellis precatorijs occurrant talia, quæ videntur sonare perfectam contritionem: valde tamen timeo, ne hæc à legentibus non apprehendantur satis, eò quòd istud *motivum amoris Dei*, quando ipsis explicatur contritio, vel penitus negligatur, vel obiter tantùm perstringatur; econtra identidem inculcentur *timores, angores, terrores* conscientiæ incussi à Lege propter *iram Dei*, peccata gravissimè punientis: qui timores sunt serviles (quamvis Gerardus dicat, eos fieri filiales accedente fide §. 96. sed sine ullo fundamento) Et motivum dolendi propter Deum *iratum* nequaquam est motivum perfectum, scilicet amoris Dei super omnia, quo niti debet contritio perfecta, quæ extra absolutionem Sacramentalem potens est hominem justificare juxta illud: *Ego diligentes me diligo.* Prov. 8. v. 17. Præter hos errores alij duo repe-

riuntur in hac materia apud Adversarios. 1. Quòd apud ipsos contritio nec sit meritum de congruo, nec medium obtinendi remissionem peccatorum, sed præcisè pars ordinis, quem Deus in convertendis observat: fide autem sola apprehendatur justitia. 2. Quòd totum opus conversionis soli Deo in solidum tribui debeat, & homo ex liberi arbitrij naturalibus viribus non cooperetur, quamvis in conversione acquirat novas vires ad cooperandū Deo in bonis operibus subsequentibus. Gerard. §. 73. & 79. Sed error prior confutatus est de Justificatione, posterior de Libertate. Hic

Dicendum 1. Attritio, seu contritio imperfecta (qua quis dolet de peccatis commissis solius pœnæ vitandæ causâ, vel ex metu inferni) si voluntatem peccandi excludat, est actus honestus. Prob. 1. ex Scriptura, in qua Deus & Christus laudant, approbant, & suadent timorem Domini, pœnas intentantis, tanquam utilem ad vitanda & delenda peccata. *Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis? dicit Dominus.* Malach. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Eccl. 1. *Timete eum, quia venit hora judicij.* Apoc. 14. *Timete eum, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam.* Mat. 10. Prob. 2. ex communi sensu Ecclesiæ & Patrum. Vide can. 68. 89. &c. de pœnit. dist. 1. & Trident Sess. 14. c. 4. Prob. 3. ex ratione. Qui utitur medio honesto ad finem honestum, agit honestè & licitè: sed hoc facit attritus; nam ordinat detestationem & fugam peccati ad vitandum infernum aliasque 11.

pœnas

pœnas &c. quod utrumque honeſtum eſt, imò præceptum; tenemur enim deteſtari ac fugere peccatum, & vitare infernum, impœnitentibus à Deo intentatum. Item attritus (ſi placet attendere alium ejus modum tendendi) infernum, quem timet, adhibet pro motivo & medio ad deteſtandum & fugiendum peccatum.

12. Dicend. 2. Terrores & pavores conſcientiæ incuſſi, quamvis plurimùm ſervire poſſint ad converſionem peccatoris, nondum tamen ſunt deteſtatio peccati, adeóque nec pars Pœnitentiæ, ſed tantùm aliqua præparatio. Prob. 1. ex Scriptura. Paulus 2. Cor. 7. ait: *Quæ ſecundùm Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*: ergo triſtitia (pavores conſcientiæ incuſſi) nondum eſt ipſa pœnitentia vel inadæquatè tantùm, ſeu pars eſſentialis pœnitentiæ, quæ eſt deteſtatio & odium peccati; ſed potiùs eſt cauſa vel præparatio pœnitentiam præcedens, non conſtituens. Confirmatur 1. Terrores inveniuntur etiam in impœnitentibus, utì dæmonibus, qui *credunt & contremiſcunt*. Jac. 2. & fuerunt etiam in Juda proditore: ſi igitur apud Lutheranos pœnitentia conſiſtit in terroribus conſcientiæ, & in fide, ipſorum pœnitentia erit diabolica, adeóque non vera. Confirm. 2. Poteſt dari vera pœnitentia, in quibus nulli terrores reperiuntur, ſed præcisè deteſtatio peccatorum ex mero amore profecta: ergo terrores iſti non ſunt pars conſtitutiva pœnitentiæ. Ant. conſtat ex c. 7. Lucæ, ubi dicitur: *Remittuntur ei* (Magdalenæ) *peccata multa, quoniam dilexit multùm*. Ubi notanda eſt particula cauſalis *quoniam*, per quam indicatur, deteſtationem peccatorum, ex motivo amoris ortam, fuiſſe pœnitentiam, quia *cauſa* fuit remiſſionis peccatorum. Prob. 2. ex perpetua Traditione & ſenſu Patrum communi, qui nunquam iſtos terrores numerârunt inter partes Pœnitentiæ. Prob 3. ex ratione. Poteſt aliquis timere pœnas, & pavere ab ira Judicis, quin tamen doleat de admiſſo crimine. v. g. qui occîdit hoſtem ſuum; imò poteſt gaudere de commiſſo homicidio, & ſimul timere mortem abirato Judice inferendam: ergo terrores conſcientiæ incuſſi nondum ſunt dolor ſeu deteſtatio peccati, adeóque nec contritio, conſequenter nec pars Pœnitentiæ.

Dicend. 3. Fides (utì & ſpes) requiritur quidem ad pœnitentiam ritè agendam, non tamen eſt illius pars eſſentialis. 2. Imò nec fides illa fiducialis, ſeu ſpecialis, qua Sectarij credere ſe dicunt, ſibi remitti peccata, eſt pars pœnitentiæ, multò minùs pars præcipua, ut volunt ipſi. Primum membrum aſſertionis non negatur à Sectarijs, cùm per ſe clarum ſit, fidem & ſpem debere præcedere pœnitentiam, quam utique nemo poteſt agere ſeriò, niſi credat, vera eſſe, quæ DEUS peccatoribus minatur, & pœnitentibus promittit, quam fidem Lutherani vocant *hiſtorialem* tantùm & *generalem*: item niſi ſperet, ſibi pœnitentiam agenti remittenda peccata. 13.

Alte-

Alterum membrum, quòd fides, etiam *specialis*, non sit pars, probatur 1. ex Scriptura tum *negativè*, quia nullibi promittitur & revelatur alicui in particulari & absolutè, sibi hic & nunc remitti peccata: ergo fide speciali & absoluta à nullo in particulari id credi potest, scilicet fide Divina: ergo nulla datur ejusmodi fides specialis, qualem exigunt Lutherani; cùm nihil absolutè & in particulari credi possit fide Divina, nisi absolutè & in particulari revelatum à Deo. Tum *positivè*, quia Scriptura pœnitentiam expressè distinguit à fide in Evangelium & in Christum, quæ juxta ipsos est fides justificans & specialis: dicit enim Marc. 1. v. 15. *Pœnitemini, & credite Evangelio*, scilicet promissionibus Evangelij. Et Act. 20. v. 21. *Testificans in Deum pœnitentiam & fidem in Dominum nostrum JESUM Christum.* Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu Ecclesiæ, quæ de hac fide speciali Sectariorum nihil scivit unquam, multò minùs pro parte pœnitentiæ agnovit. Prob. 3. ex ratione, quia ista fides specialis de remissis peccatis supponit pro priori pœnitentiam totam (quia sine pœnitentia adæquata non remittuntur peccata) ergo non est pars pœnitentiæ; aliàs dicam, etiam consolationem conscientiæ, novam obedientiam, & bona opera, quæ necessariò juxta Adversarios consequuntur ad veram pœnitentiam nexu indissolubili, esse partem constitutivam pœnitentiæ: & utique id, quod alterum in suo esse constitutum consequitur, non potest esse pars illius, sive dein tempore, sive naturâ tantùm posterius sit. Prob. 4. ijs argumentis, quibus impugnavimus fidem justificantem in materia de Justificatione à p. 479.

Regerit Gerardus §. 49. & dicit, in ijs locis Scripturæ, ubi pœnitentia distinguitur à fide, pœnitentiam accipi μερικῶς pro parte priore nempe contritione solâ: quando verò pœnitentia accipitur ὁλικῶς, tunc fidem esse partem. R. & noto imprimis vanitatem Gerardi, qui passim ad ostentationem suæ peritiæ (nam plerumque nulla prorsus est necessitas, aut alia prudens ratio, nisi fortè dum inquiritur in fontes Hebraicos aut Græcos) immiscet suis libris Latinis (quod alij Sectarij adhuc ineptiùs faciunt etiam in Germanicis) phrases & vocabula Græca aut Hebraica; cùm optimè proferri res tota posset Latinis, quo idiomate scribit: cur non dixit *partialiter*, *totaliter*, qui termini apud Theologos usitati sunt, & idem significant ac illa Græca? Dein prorsus gratis dicit, Scripturam inibi accipere pœnitentiam tantùm partialiter & mutilatè, nullóque argumento probat. Scriptura, quando nominat Baptismum, intelligit totum Baptismum, non partem, v. g. aquam tantùm: ergo etiam quando nominat pœnitentiam, intelligit totam, non partem tantùm.

Porro ad ritè suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ ex parte Pœnitentis requiri tres actus, nimirum Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem (ad culpæ & pœnæ remissionem) certa est Catholicorum doctrina,

quam pulchrè expressit S. Augustt. tr. in Psal. 146. *Sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes.* Et cur Deus peccatorem sine his actibus recipiat in gratiam, cùm sine ijs parentes læsi non recipiant filios, nec Dominus servum ? Deus enim vel maximè noster Pater & Dominus est.

14. Ob. 1. Attritio ex timore inferni concepta plùs detestatur infernum, quàm peccatum : ergo non est actus honestus. Ant. prob. attritus sic dicit : si non foret infernus, non detestarer peccatum. Confirmatur : attritus magis vult evitare pœnam quàm culpam, & si culpa non puniretur, eam non fugeret, non detestaretur ; quæ affectio mala est. R. Dist. Ant. plùs detestatur infernum in hoc sensu, quòd detestationem & fugam peccati eligat tanquam medium ad evitandum infernum C. A. in hoc sensu, quòd practicè eligat peccatum præ inferno, & peccare malit, quàm ire ad infernum N. Ant. Peccatum ab attrito non eligitur, sed potiùs odio habetur propter ingens malum, quod exinde imminet. Neque attritus dicit : si non esset infernus, non detestarer, non fugerem peccatum propter infernum ; quid autem esset facturus, si infernus, seu motivum inferni non impelleret, abstrahit. Ad Confirmationem eadem est responsio.

Dices. Qui plùs timet infernum, quàm peccatum, ille retinet affectum saltem conditionatum ad peccandum, scilicet si infernus non esset : sed attritus infernum plùs timet, quàm peccatum, quia virtualiter sic est constitutus : si infernus non esset, non doleret de peccato, non fugeret peccatum : ergo. R. N. M. vel Dist. qui plùs timet, hoc est, timorem inferni assumit pro motivo ad dolendum de peccato, & ad illud fugiendum. N. M. qui plùs timet, hoc est, practicè eligit peccatum præ inferno, vel peccat, ut evitet infernum. C. M. Attritus solummodo timorem inferni assumit pro motivo & medio ad evitandum infernum, & neutiquam practicè eligit peccatum præ inferno. Neque ejus dolor & detestatio peccati est conditionata, hoc modo : *Si infernus non esset*, vel, *si peccatum non esset causa inferni, non detestarer, non fugerem peccatum.* Sed est absoluta ; nam attritus æquivalenter dicit hoc modo : *Ego detestor, & doleo de peccato, quia peccatum est causa inferni*, abstrahendo interim, quid esset facturus in alijs circumstantijs, & absente motivo de inferno. In exemplo res clariùs patebit. Sit, qui dicat : *Ego proficiscar Romam, ut videam summum Pontificem.* Talis non dicit : si summus Pontifex non esset Romæ, non proficiscerer Romam, sed abstrahit, an esset profecturus, nec ne, propter aliud motivum, si Pontifex interea moreretur. Hic & nunc quidem ejus motivum est videre Pontificem ; hoc tamen sublato posset succedere aliud motivum, à quo ipse abstrahit.

Ob. 2. Neque Contritio, neque Confessio potest esse pars vel requisi- 15.
tum Sacramenti Pœnitentiæ : non illa, quia non est sensibilis, utpote dolor animi : non ista, quia

quia Confessio non est signum gratiæ, sed signum peccati: ergo R. N. Ant. Licèt enim Contritio non sit sensibilis in se, est tamen sensibilis per Confessionem, sicut anima sit sensibilis per corpus. Confessio, licèt seorsim & sine Absolutione sumpta non sit signum gratiæ; est tamen, si sumatur cum Absolutione, *ego te absolvo* &c. quæ est forma Sacramenti Pœnitentiæ. Etiam in Baptismo materia seorsim, scilicet aqua sine forma, *ego te baptizo* &c. non significat gratiam. Sufficit itaque, si materia & forma simul sumptæ gratiam significent.

16. Quæres, quid sit diligere Deum super omnia propter se, seu quid sit charitas perfecta, quæ est motivum formale contritionis perfectæ, quæ extra Sacramentum, re ipsa susceptum, Deo reconciliat hominem? Dico, *re ipsa susceptum*; nam neque contritio perfecta *sine voto* Sacramenti reconciliat. R. est præferre Deum tanquam finem ultimum, omni amore dignissimum, omnibus alijs rebus, adeò ut quis paratus sit omne aliud bonum, quod separat à Deo, relinquere ac odio habere, vicissim verò amare omne id, quod separat à peccato, eò quòd peccatum displiceat Deo, summo Bono, super omnia amabili. Qui sic est constitutus, amat Deum super omnia, & detestatur super omnia, adeóque amat Deum summè, non quidem *intensivè*, quod nobis impossibile est, sed *appretiativè*, hoc est, Deum æstimat tali voluntatis adhæsione, ut vellet potiùs omni alio bono, quod Deus non est, carere, quàm à Deo separari, quod fit per peccatum; quippe major *appretiatio* consistit in majore æstimatione & voluntatis adhæsione: major autem *intensio* amoris consistit in majori teneritudine, conatu, impetu, applicatione animi &c. Unde fieri potest, ut quis intensivè plùs amet parentes, amicos, imò & catellos subinde, quàm Deum, absque peccato; præsertim cùm illa animi teneritudo, qua cuperemus Deum diligere, non sit in nostra potestate, bene tamen appretiatio super omnia.

§. III.

De Confessione.

17. SCiendum 1. per Confessionem Sacramentalem à Catholicis intelligi distinctam enumerationem peccatorum post Baptisma commissorum Sacerdoti factam in ordine ad obtinendam absolutionem. Debent autem enumerari omnia peccata mortalia, quæ post diligens examen conscientiæ occurrunt memoriæ, quoad numerum & speciem, quantùm fieri moraliter potest, etiamsi sola mente & sine opere externo patrata sint. Peccata venialia confitendi nulla est per se obligatio, quamvis laudabile sit etiam ista confiteri.

fiteri. Dicitur hæc Confessio *Auricularis*, quia fit in aures solius sacerdotis; alio nomine olim appellabatur *Privata*, ad distinctionem illius, quæ priscis temporibus publicè fiebat coram populo audiente, & appellabatur *Publica*: at ista ob gravissimas causas, quamvis olim ob graviora & publica scelera fuerit permissa vel etiam injuncta, modò sublata est.

18. Sciendum 2. Sectarios aliquos, nempe Calvinistas, penitus abominari hanc peccatorum coram Sacerdote Confessionem, Calv. l. 3. Inst. c. 4. §. 19. alios verò, nempe Lutheranos eam retinere quidem sed valde mutilatam: docent enim 1. Absolutè sufficere, si quis soli Deo confiteatur sua peccata, adeóque confiteri Ecclesiæ Ministro non esse absolutæ necessitatis, quamvis plurimas præstet utilitates. 2. Sufficere, si quis Ecclesiæ Ministro confiteatur peccata *in genere*. 3. Distinctam & specialem omnium peccatorum enumerationem coram Sacerdote esse juris tantùm Ecclesiastici, non Divini, cùm Deus & Christus eam nullibi præcipiat. 4. Eandem esse impossibilem. Vid. August. Confess. art. 11. & 25. Gerard. de Pœnit. §. 99. &c. Quibus non obstantibus volunt 1. Confessionem auricularem propter plurimas utilitates, quas habet, retinendam esse, quamvis non habeat expressum & speciale Dei mandatum; nec deesse exempla eorum, qui non solùm coram DEO, sed & coram Ministro peccata sua confessi sunt, uti Num. 14. v. 40. 1. Reg. 8. v. 47. 2. Paral. 6. v. 37. 4. Reg. 12. v. 13. Mat. 3. v. 6. Vid. Gerard. loc. cit. & §§. seqq. Volunt 2. eam præcipuè retinendam esse propter absolutionem. 3. Coram Confessario omnia peccata esse aperienda, quæ quis scit & sentit in corde. Für GOtt soll man aller Sünden sich schuldig geben / auch die wir nicht erkennen / wie wir im Vatter unser thun. Aber für dem Beichtiger sollen wir allein die Sünden bekennen / die wir wissen und fühlen im Hertzen / ait Lutheri Catechismus minor, qui insertus est Libro Concordiæ, & inter Libros Symbolicos receptus. Quàm vellent Præcones Lutherani, ut sibi distinctè & in specie confiterentur suæ oves, satis indicat libellus quinquennio abhinc editus Oettingæ in Rhætia sub hoc titulo, Beicht-Büchlein / qui plenus est interrogationibus distinctis ad elicienda peccata pœnitentis in specie. Sed frustra obtinere id speraut sublata Juris Divini obligatione; quis enim eò adigat homines, ut intima quæque & pudenda aperiant homini, nisi crediderint, à Deo, qui scrutator est Cordium & falli nequit, id esse præceptum?

Dicend. 1. Ad obtinendam Absolutionem non sufficit sua peccata confiteri soli Deo, sed necesse est ea aperire Sacerdoti. Prob. 1. ex Scriptura. Joan. 20. Christus dedit Apostolis potestatem judicialem remittendi vel retinendi peccata fidelibus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: atqui hanc potestatem judicialem frustra dedisset, si sibi soli, & non etiam Sacerdotibus, Apostolorum successoribus. 19.

nibus, voluisset fieri confessionem peccatorum; quomodo enim Sacerdotes judicabunt de peccatis vel dimittendis vel retinendis, nisi cognoverint quantitatem vel qualitatem peccatorum? Quomodo autem cognoscent, nisi pœnitentes ipsimet syncerè confiteantur, eisque aperiant peccata sua? 2. Expressè præcipitur Jac. 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra*: ergo non soli Deo, sed & homini confitendum: non utique cuivis homini, sed illis tantùm, de quibus immediatè antè loquebatur S. Jacobus, scilicet *Presbyteris*, quibus dictum est, quorum *remiseritis peccata* &c. Jo. 20. quibus *datum est ministerium reconciliationis*, & qui *pro Christo legatione funguntur* 2. Cor. 5. 3. Accedit exemplum primorum fidelium, de quibus legitur in Actis c. 19. v. 18. *Veniebant multi credentium* (ad Paulum) *confitentes & annuntiantes actus suos*, hoc est, *offensas* seu peccata sua juxta editionem Syriacam, & interpretationem S. Chrysost. hom. 41. in Acta. Hic nota temeritatem Lutheri, qui pro *actus suos* ponit *miracula sua*, & perfidiam Gerardi ac Lomeri, qui audent asserere, Lutherum in hoc secutum esse S. Chrysostomum hom. 41. in Acta, quæ fraus omnino palpabilis est & evidens legenti S. Chrysostomum loc. cit.

Prob. 2. ex perpetua Traditione, sensu, & praxi Universalis Ecclesiæ, optimæ Scripturarum interpretis. S. Clemens D. Petri discipulus & successor sequentia commisit fidelibus: *Si forte alicujus cor vel livor vel infidelitas vel aliquod malum latenter irrepsit, non erubescat confiteri hæc huic, qui præest* &c. *Instruebat B. Petrus actus suæ vitæ omni hora custodire: firmiter scire, cogitationes malas mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Domini manifestare.* ep. 1. ad frat. Dom. Origenes hom. 2. in Psal. 37. *Vide, quid edocet nos Scriptura Divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecùs* &c. *tantummodo circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum.* S. Cyprianus serm. 5. de lapsis: *Quod malè cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt* &c. *Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* S. Hieron. ad c. 16. Matth. *Sacerdos pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit, qui sit ligandus, quive solvendus.* S. Basil. in Reg. Monachorum c. 21. *iis, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei, confitenda esse peccata* ait. S. Leo ep. 80. ad Episc. Campaniæ: *Cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta &c. sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti.* Taceo Irenæum, Tertullianum, Lactantium, Athanasium, Pacianum, & alios plures, qui vixerunt primis sæculis: taceo Patres Concilij Generalis sexti: taceo innumeros Doctores alios, nobis viciniores. Loco omnium audiamus

adhuc S. Augustinum, qui l. 2. de Visit. infirm. c. 4. sic scribit: *Ergo ad te venire roges sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem. Non seducat te somniantium illa superstitio, quæ in visitando confirmat, quia salvat sacerdote inconsulto ad Deum peccatorum confessio. Nos autem non abnegamus, quin sit ad Deum frequenter referenda confessio peccatorum &c. sed testamur, & testatur illud sana doctrina, quoniam priùs eges Sacerdotis, qui mediator sit apud Deum tuum, salubri judicio: alioquin & sub Lege & sub Gratia, ITE ET OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS, responsum Divinum quomodo consummaretur? CONFITEMINI ALTERUTRUM PECCATA VESTRA, quomodo compleretur?* Et c. 5. *Adstantem coram te Sacerdotem Angelum Dei existima &c. aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula, conscientiarum verecundarum penitiora revela repagula. Non te pudeat coram uno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis & cum multis facere &c. revela ei vias tuas, & ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis.*

Prob. 3. ex congruentia & utilitate. Summopere decet, ut peccator, qui superbè spernendo mandata Dei se per peccata avertit à Deo, iterum redeat ad Deum humili confessione, confundendo & accusando seipsum coram homine; siquidem soli Deo, qui omnia jam priùs novit, confiteri nihil habet difficultatis, nihil confusionis. Cujus confusionis, coram Sacerdote subeundæ, metus etiam ingens est frœnum, valde retrahens à nefandis criminibus perpetrandis; unde & utilitas confessionis coram Sacerdote apparet. Et sanè longè licentiosiùs se homines effundunt in gravissima & pudenda scelera (modò coram hominibus occultare possint) qui ea Sacerdoti non retegenda putant, quàm alij; ut patet in infidelibus omnibus. Unde Norimbergenses, post apostasiam suam hoc advertentes, missis Legatis à Carolo V. Imper. petierunt, ut per Edictum Cæsareum restitueret ipsis Auricularem Confessionem, eò quòd post illam abrogatam eorum civitas occultis & nefandis criminibus fuerit repleta. Ita Dominic. Sotus in l. 4. Sent. dist. 18. q. 1. a. 1. qui fuit Caroli Confessarius. Sed nil nisi risum tulere; quis enim parebit Edicto Cæsaris aut alterius hominis, qui scire non potest, an quis syncerè confiteatur, si interim non credatur, id à Deo Omniscio esse mandatum?

Dicend. 2. Non sufficit sua peccata confiteri Sacerdoti tantùm *in genere*, sed opus est omnia mortalia, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, quoad speciem & numerum distinctè exprimere. Probatur ferè ijsdem argumentis, quibus assertio præcedens; nam 1. Scriptura tribuens Apostolis & eorum successoribus potestatem judicandi, an & quomodo peccata remitti vel retineri debeant, quid & quomodo solvi aut ligari, hoc ipso imposuit pœnitentibus præceptum sua peccata graviora distinctè exprimendi; si enim sufficeret confessio in genere, v. g. dicendo, 20.

cendo, se esse peccatorem, tunc omnes æqualiter essent judicandi, ac vel omnes absolvendi, vel omnes ligandi. Adde, quòd in illo textu Act. 19. *confitentes & annuntiantes actus suos*, Syriaca editio habeat *numerantes*, quo verbo insinuatur, expressum fuisse numerum & speciem peccatorum.

Prob. 2. ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ; non enim id in Concilio Tridentino tantùm clarè definitum est, sed etiam ab Antiquis Concilijs & PP. satis indicatum. Testem adduco ferè unicum Chrysost. quem Adversarij pro se citare non verentur. Is hom. 30. in Genes. *Facienda est diligens & pura peccatorum confessio.* Et hom. 42. in Matth. *Peccata tua per singulas species recole &c. quas ob res justitiam Deus huic pœnitentiæ in præmium proposuit, dicens: DIC TU PRIUS PECCATA TUA, UT JUSTIFICERIS.* Item hom. 20. in Genes. *Qui hæc fecit, si voluerit ad confessionem facinorum festinare, & medico ostendere ulcus, qui curet, & non exprobret, & soli ei loqui, & omnia dicere cum diligentia, facilè sua peccata emendabit.* S. Greg. hom. 40. in Evang. *Quid est ergo peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente.* Similia habent alij Patres, præsertim S. August. cujus verba clarissima recitabo paulò pòst, quæ omnem de hac re dubitationem tollent. Et sanè quicunque peccata in confessione aperienda dicunt, hoc ipso docent aperienda esse *omnia*, quæ memoriæ occurrunt; cur enim hæc potiùs exprimantur, quàm alia?

Dices: ergo & aperienda erunt peccata venialia. R. N. illatum; nam venialia non separant à Deo, nec tollunt amicitiam cum Deo: Sacramentalis verò Absolutio, ad quam ordinatur Confessio, per se instituta est ad peccatores *Deo reconciliandos*; est enim *ministerium reconciliationis.* 2. Cor. 5. Dein à fidelibus nunquam agnita est obligatio confitendi venialia. Audiatur iterum S. August. loc. cit. c. 5. *Quæ mentem gravius exacerbant facinora, Dei Angelo* (Sacerdoti) *manifesta, nihil obscurum dicens &c. Designanda etiam sunt, in quibus peccâsti, loca, si recordaris, & tempora, cum quibus peccâsti personis, non nomina ipsarum &c. utrùm semel, an ex consuetudine &c. Hæc autem omnia, si taceantur, vel dicta callidè pallientur, animam jugulant, si denudentur, cum pœnitentia evanescunt &c. Confitere igitur chare mi nomine tenus, quæ te remordent flagitia, detege specialiter, quæ scis specialia, quotidiana, de quibus non fuisti mundus, saltem cogitatione in collecta generali appone.*

Prob. 3. ratione Theologica: non remittitur unum peccatum mortale sine altero: ergo necesse est omnia & singula peccata mortalia confiteri. Cons. est clara, quia præceptum de confessione facienda *in ordine ad remissionem peccatorum* non restringitur ad unum vel plura tantùm peccata, sed indefinitè

tè ad omnia, quæ scilicet cognoscuntur à pœnitente. Ant. pariter est certum apud Theologos; quia planè indignus est tanto beneficio, quale est remissio peccatorum, qui voluntariè perseverat esse inimicus Dei, qualem constituit quodlibet peccatum mortale, voluntariè retentum. Dein defacto non remittitur ullum peccatum mortale sine infusione gratiæ sanctificantis, quæ est incompossibilis cum peccato mortali: talis enim homo, in quo esset peccatum mortale & simul gratia sanctificans, esset simul inimicus & amicus Dei.

Confirmatur. Finis Sacramentalis Confessionis est emendatio morum obtinenda per erubescentiam: atqui hæc erubescentia non reperitur in confessione *generali*, quam omnes indiscriminatim facere possunt, sed in *distincta* commissorum scelerum enarratione. Et sanè, nisi obligatio esset confitendi omnia ac singula, facilè quis taceret potiora, & turpiora peccata, atque sic improbis laxaretur habena licentiosæ vitæ, cum magna Dei, Christique meritorum injuria.

21. Dicend. 5. Distincta peccatorum coram Sacerdote Confessio est necessaria Jure Divino. Prob. 1. ex Scriptura, quæ sic jubet: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Jac. 5. Et Christus Sacerdotibus potestatem dedit absolvendi à peccatis, vel ea ligandi Joan. 20. & Matth. 18. prout scilicet fuerint peccata pœnitentium, & dispositio eorundem: ergo eo ipso præcepit distinctam peccatorum omnium confessionem, sine qua Sacerdos scire non potest, an peccata remitti vel retineri, quomodo pœnitens solvi vel ligari debeat. Quod autem præcipit Scriptura, præcipit Deus, qui loquitur nobis per Scripturas: ergo Deus præcipit distinctam peccatorum confessionem Sacerdoti faciendam: ergo necessaria est Jure Divino.

Prob. 2. ex Traditione Apostolica & sensu perpetuo totius Ecclesiæ. Nam imprimis constat, distinctam peccatorum confessionem fuisse in usu per prima sæcula, uti jam vidimus: & ex altera parte non invenitur ullum decretum alicujus Concilij vel Pontificis, quo hæc confessio fuisset primitus introducta: ergo censendum est, eam à Christo & Apostolis provenire, juxta receptam regulam S. Augustini l. 4. de Bapt. c. 24. Dein quòd perpetuus fuerit sensus Ecclesiæ, evidenter colligitur ex eo, quia ab Ecclesiâ nunquam fuisse dispensatum legitur in obligatione *distinctè* confitendi, etiam cum summis Principibus Ecclesiasticis & Politicis. Quis enim credat, quòd Papa nunquam dispensâsset in onere, magnis personis tam difficili, vel secum ipso, vel cum Cardinalibus, Episcopis &c. vel cum Imperatoribus, Regibus &c. Si obligatio distinctè confitendi esset introducta à Papa & Jure Humano, aut nisi judicâsset Ecclesia, hanc obligationem esse Juris Divini?

Confirmatur ex praxi summorum Principum & Sapientum hujus mundi, qui ex Gentilitate conversi, quamvis repugnante naturali superbia, tamen prorsus heroica fortitudine, humiliter hoc onus subierunt, hominique Christi loco sua peccata, etiam pudenda,

& intima cordis, aperuere. Ubi certè locum habet illud dilemma S. Augustini, quo ipse veritatem Religionis Christianæ comprobâsse legitur: vel miraculis persuasa est hæc tanta & tam indispensabilis obligatio confitendi, vel non? si miraculis persuasa est, certè à Deo est, adeóque non inventum humanum, sed præceptum Divinum: si non; hoc ipsum est maximum miraculum, quòd tot & tam potentes mundi Principes &c. tot ac adeò celebrati Sapientes contra naturalem fastum, & erubescentiam, adeò se humiliaverint, nullo miraculo persuasi. Unde Lactantius l. 4. Instit. c. 30. rectè inter notas veræ Ecclesiæ posuit distinctam peccatorum confessionem tam universaliter receptam, & summis quibusque viris, etiam recens ex Gentilitate conversis, persuasam & usitatam.

Accedat denique unius ex Adversarijs, nempe M. Lomer testimonium, qui p. 438. seines Außgangs ita scribit: **Die Beichten / wo es recht eingericht ist nach Gutbefinden der Kirchen / ist 1. ein Göttliche Verordnung 2. ein Göttlicher Befehl. 3. GOttes Wille / &c.** Atqui (subsumo) quod est ordinatio, voluntas, & mandatum Divinum, evidenter est Juris Divini: ergo. Excipiet 1. Confessionem homini faciendam non esse necessariam Jure Divino ante sumptionem Eucharistiæ. R. quamvis hoc ita esset (quod tamen falsum esse docent Moralistæ cum S. Cyp. l. 3. epist. 15. ubi queritur contra quosdam Presbyteros: *Qui contra Evangelij Legem ante actam pœnitentiam, ante EXOMOLOGESIM GRAVISSIMI DELICTI factam quibusdam Eucharistiam dabant, & sanctum Domini Corpus profanabant: cùm scriptum sit: QUI EDERIT PANEM, AUT BIBERIT CALICEM DOMINI INDIGNE, REUS ERIT CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI.* 1. Cor. 11.) tamen haberem intentum, quia plùs non volo, quàm Confessionem coram homine esse Jure Divino præceptam, abstrahendò à tempore, quo præceptum hoc obliget, quod non ad Polemicos, sed ad Morales Theologos spectat. Excipiet 2. *distinctam* confessionem omnium peccatorum non esse necessariam Jure Divino. R. Si aliqua peccata tenemur confiteri Jure Divino, eo ipso tenemur omnia, quorum habemus conscientiam; non enim est ratio, cur hæc potiùs, quàm alia teneamur confiteri: imò est ratio obligans ad confitendum omnia; quia aliàs Minister Ecclesiæ non potest ferre judicium, an peccata remittenda, an retinenda, an & quomodo confitens solvendus vel ligandus sit, ad quod accepit potestatem clavium à Christo. Si enim Confessio tantùm fit in genere, tunc vel omnes debent absolvi, vel nullus.

Ob. 1. Christus in Scripturis non dedit Sacerdotibus potestatem & officium Judicis, sed solùm demandavit executionem, ut eos absolvant à peccatis, qui petunt: ergo. 2. Absolvi possunt pœnitentes à peccatis, etiam memoriæ non occurrentibus: ergo necesse non est, ut Sacerdos priùs cog- 22.

noſcat peccata in ſpecie. 3. Chriſtus & Apoſtoli non audierunt diſtinctè confitentes. 4. Scriptura promittit remiſſionem peccatorum perfectè contritis, & Deum diligentibus: ergo non eſt neceſſaria Confeſſio. R. ad 1. N. Ant. non enim præcisè dedit poteſtatem abſolvendi, ſed etiam ligandi: ergo debent priùs authoritate judiciali cognoſcere ſacerdotes, an pœnitens abſolvendus vel ligandus ſit, & quomodo. Si quilibet abſolvi debet, qui petit, etiam abſolvendus erit, qui peccata non deteſtatur, qui non credit &c. quod utique non dicent Adverſarij. Ad 2. poſſunt abſolvi indirectè, nimirum permanente obligatione conditionata confitendi, ſi memoriæ aliquando occurrerint. Utique non eſt obligatio abſoluta confitendi illa peccata, quorum non recordamur, quia nullum præceptum obligat ad impoſſibile: interim tamen obligat ad aperienda ea, quæ quis cognoſcit. Unde N. Conſ. Ad 3. Chriſtus etiam dimiſit peccata ſine Abſolutione & Baptiſmo; ſed hanc abſolutam poteſtatem nunquam conceſſit ſuis Miniſtris, ſed alligatam ad certa media, ſcilicet ad Baptiſmum, & Abſolutionem prævia Confeſſione. Apoſtolos non audiviſſe confitentes peccata, negatur; audivit enim Paulus *confitentes & annuntiantes actus ſuos.* Act. 19. Dein etiamſi nihil legeretur de hoc, ſufficienter tamen conſtaret ex perpetua Traditione, & praxi confeſſiones audiendi, cujus neſcitur initium. Adde, quòd Apoſtoli utique exercuerint munus & poteſtatem clavium ſibi creditam; quod fieri ritè non potuit ſine prævia cognitione, adeóque nec ſine confeſſione peccatorum. Ad 4. promiſſa eſt eatenus, quatenus in contritione perfecta, & dilectione Dei ſuper omnia, includitur propoſitum ſervandi omnia mandata; hæc enim conditio additur Ezech. 18. v. 21. *Si cuſtodierit omnia præcepta mea*: atqui inter alia Dei præcepta etiam eſt Confeſſio diſtincta peccatorum, ut vidimus, quia eſt Juris Divini: adeóque perfectè contritus habet confeſſionem *in voto*, quam ſuo tempore, ſi poſſit, debet etiam peragere *in opere*: quod ſi non faciat, facit novum peccatum transgrediendo præceptum Confeſſionis.

Ob. 2. Confeſſio auricularis in Eccleſia Latina ſeu Occidentali primùm fuit introducta in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. anno 1215. In Eccleſia Græca autem ſeu Orientali, quamvis jam fuerit aliqua Confeſſio tempore Decij, à Nectario tamen Patriarcha Conſtantinopolitano fuit iterum ſublata: ergo. 2. S. Chryſoſt. multis in locis clarè inſinuat, Confeſſionem ſoli Deo, non Sacerdoti, eſſe faciendam: *Cave homini dixeris*, inquit homil. 4. de Lazaro, *ne tibi exprobret: neque enim conſervo tuo eſt confitendum, qui in publicum proferat, ſed Domino, qui tui curam gerat.* Similia habet alibi, uti & Caſſianus. R. ad 1. Ibi nequaquam primùm inſtituta eſt confeſſio ſpecialis peccatorum, ſed ſolummodo determinatum eſt tempus Paſchale, quo fieri debeat propter ſacram Communionem, hoc tempore præſcriptam. Nectarius non ſuſtulit. 23.

stulit Confessionem privatam, sed publicam (quæ tunc erat in usu) propter aliquod scandalum, quod dedit mulier quædam impudens & imprudens, quæ lapsum suum carnalem cum Diacono publicè confessa fuerat: propter cujusmodi incommoda passim sublata est ubique Confessio publica, & notorijs etiam peccatoribus potestas data privatim confitendi, nec obligati sunt ampliùs se sistere *Pœnitentiario*, ut antè fieri debebat. Ad 2. S. Chrysost. exemplo Nectarij Antecessoris sui solùm improbat Confessionem *Publicam*, ubi *exprobratur* delictum, & quæ ordinatur ad confusionem & erubescentiam publicam, non ad absolutionem sacerdotis. Dein S. Chrysost. in suis homilijs, uti v. g. hom. 2. in Ps. 50. valde commendat quotidianum conscientiæ examen, in quo fit soli Deo confessio peccatorum cum animi dolore; propterea tamen non negat, eam suo tempore faciendam esse etiam coram sacerdote, præsertim cùm hom. 1. in Ps. 32. dicat, quòd Christus sacerdotibus tanquam *Medicis curandorum vulnerum commiserit disciplinam.* Et homil. de pœnit, quæ incipit, *provida mente*, doceat ad veram pœnitentiam requiri contritionem in corde, *confessionem in ore*, in opere humilitatem. S. Greg in 1. Reg. c. 15. pœnitentiam vocat conversionem cordis, *confessionem oris*, & vindictam peccati. Quando igitur Patres videntur dicere, Confessionem esse faciendam *Deo*, intelligunt *Ministrum* Dei, tum propter rationes allatas, tum quia urgent confessionem *superatâ verecundiâ*: coram Deo autem confiteri nemo erubescit, utpote qui peccata omnia novit antecedenter, Idem dic ad ea, quæ objiciuntur ex Cassiano.

Ob. 3. Multi ex Catholicis docuerunt, Confessionem specialem peccatorum esse introductam ab Ecclesia, uti Gratianus Compilator Decreti, Glossator ejusdem Decreti, Felinus, & alij Juris Interpretes: ergo non est Juris Divini. R. Siqui ex Catholicis ita docuere, tanquam Doctores privati errore lapsi fecerunt, quod apud Gratianum & Glossatorem nihil est novi, unde & eorum verba præcisè eatenus habent auctoritatem, quatenus concordant cum fontibus, ex quibus adducta sunt: hìc autem non convenire cum fontibus, ac utrumque errâsse ostendit Valentia to. 4. d. 7. q. 9. pu. 2. Eos tamen fuisse hæreticos hoc dicendo, nolim dicere, quia ante Florent. & Trident. Conc. res hæc non ita clarè fuit proposita. Aliud sentiendum nunc, postquam Tridentinum Sess. 14. c. 5. ita docuit: *Universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Jure Divino necessariam existere.* 24.

Ob. 4. Si necessaria est Jure Divino distincta peccatorum confessio, tunc Lex Evangelica est durior quàm Judaica, quia apud Judæos non opus erat confessione, sed justificabantur per contritionem perfectam: atqui hoc admitti non potest; quomodo enim aliàs verum esset illud Matth. 11. *Jugum* 25.

gum meum suave est? R. N. M. Non enim mox tota Lex debet dici durior alterâ, si fortè unum vel alterum præceptum habeat difficilius, sed debet spectari totum complexum omnium legum, & earum stricta obligatio. Atqui in Antiqua Lege erant præcepta Cæremonialia & Judicialia, graviter obligantia, ferè sine numero, quæ omnia nunc sublata sunt. Adde, quòd non sit difficilius præceptum obligans ad confessionem, cum qua sufficit contritio imperfecta, quàm præceptum determinatè obligans ad contritionem perfectam, quæ rudibus & magnis peccatoribus admodum difficilis est, & difficilior confessione; præsertim cùm confessio multùm mitigetur 1. ubertimâ Christi gratiâ. 2. interna animi consolatione ac pace, si virus peccatorum evomatur. 3. silentio strictissimo Sacerdotis, quod nullo casu violari potest. 4. exemplo quotidiano aliorum fidelium. 5. frequentiore usu &c. Dein falsum probabiliter est, in Lege Antiqua non fuisse obligationem confitendi; nam Num. 5. sic præcipitur: *Vir, sive mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Et Galatinus l. 10. c. 3. multis Rabbinorum testimonijs probare dicitur, apud Judæos necesse fuisse peccatum in specie cum suis circumstantijs confiteri. Et Mat. 3. v. 6. plurimi ad Joannem veniebant *confitentes peccata sua.*

Ob. 5. Specifica & numerica peccatorum enumeratio est impossibilis; quia nemo cognoscere potest omnia peccata juxta illud Davidis: *Delicta quis intelligit*? Psal. 18. ergo. R. N. Ant. Impossibile enim esse nequit, quod præcipitur à Deo, & à fidelibus quotidie exercetur. Neque Catholici docent, omnia peccata venialia (quæ sunt subinde sine numero) vel mortalia, quæ post diligens examen memoriæ non occurrunt, esse aperienda necessariò, ut ipsis affingunt Sectarij; sed dicunt, peccata mortalia tantùm, quæ ob gravitatem suam non facilè fugiunt diligentem inquisitorem, & eorum numerum, qui morali diligentia investigari potest, exprimi debere: quod minimè est impossibile, licèt aliqua sit superanda difficultas: quæ tamen plurimùm mitigatur, si quis cogitet, se hoc pacto liberari à gravissimis peccatis, & æternis, quæ meritus est, supplicijs. Cui ægro difficile accidat, si sola confessione morbi sanitatem obtinere valeat? Deus confitenti peccata (ut oportet) nimirum verè pœnitenti *peccata abolet, unà cum sanitate eximium etiam confert formæ decus, donat & justitiam*, ait S. Chrysost. hom. 3. de Pœnit. hoc est, non tantùm remittit peccata, sed & justitiam, seu gratiam sanctificantem largitur, ornamentum pulcherrimum animæ. Cui igitur confessio accidat gravis? 26.

§. IV.

§. IV.

De Satisfactione.

27. SCiendum 1. Sicut Contritio & Confessio requiruntur, vel etiam constituunt essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, & faciunt ad remissionem peccatorum quoad culpam, ita Satisfactio constituit integritatem ejusdem, seu pars integralis est, facitque ad delendam pœnam temporalem, ex peccatis quoad culpam dimissis sæpe adhuc residuam. Proin videndum hic est 1. an dimisso peccato quoad culpam & pœnam æternam remaneat (saltem subinde) aliqua pœna temporalis sustinenda vel in hac vel in altera vita. 2. An pro hac pœna temporali possit homo justificatus verè ac propriè satisfacere Deo de condigno per opera pia pœnalia v. g. per orationes, jejunia, eleëmosynas &c. 3. An ejusmodi opera rectè injungantur à Confessarijs in administrando Sacramento Pœnitentiæ. 4. An etiam rectè assumantur sponte à fidelibus.

28. Sc. 2. Per Satisfactionem intelligitur actio, qua is, qui alterum læsit, facit tantum, quantum justè exigit læsus, vel ad restaurandam amicitiam, vel ad compensandam injuriam. In confesso quidem est, hominem purum non posse satisfacere Deo perfectè in ordine ad restaurandam amicitiam, & remissionem culpæ mortalis atque pœnæ æternæ; hanc enim obtinemus gratis ex meritis Christi infinitis: controversum tamen est, an homo ad statum amicitiæ cum Deo jam receptus, seu homo justus, Deique filius adoptivus, per opera pia possit verè & condignè ad æqualitatem justitiæ satisfacere pro pœnis temporalibus, post peccata quoad culpam dimissa remanentibus, non quidem secundùm rigorem justitiæ, ubi excluditur omnis gratuita Dei acceptatio, & liberalis promissio, sed tali satisfactione, quæ, quamvis nitatur aliquâ gratiâ Dei prævià & liberali promissione (sicut diximus de merito bonorum operum) talis tamen est, ut ipsi jure negari nequeat remissio pœnæ temporalis. Unde

Sc. 3. Satisfactio propriè dicta & de condigno pro pœnis temporalibus censetur esse à Doctoribus communiter tunc, quando habet sequentes conditiones. 1. Si est actio hominis justi, seu amici & filij Dei; nam sub hac ratione habet aliquam æqualitatem cum offensa, propter quam decreta est pœna temporalis; opera enim, quæ procedunt *à filio adoptivo Dei*, acquirunt aliquam infinitatem moralem ex parte principij satisfacientis, sicut offensa habuit aliquam infinitatem moralem ex parte termini offensi. 2. Si est actio viatoris. 3. Si est actio libera, saltem denominativè. 4. Actio supernaturalis. 5. Actio pœnalis seu laboriosa; Satisfactio enim vindicare & punire in-

tendit injuriam Deo illatam. 6. Si intervenit acceptatio, seu decretum, vel promissio Dei, se volentis obligare ad remittendam pœnam posita tali actione.

29. Dicend. 1. Dimisso peccato quoad culpam non semper remittitur statim omnis pœna; sed Deus ex justis causis sæpe illi, quem propter pœnitentiam recepit in gratiam, ex infinita misericordia remittens ei culpam & pœnam æternam, dictat aliquam pœnam corporalem (vel in hac vel in altera vita exsolvendam) ut aliquo modo satisfiat Justitiæ Divinæ, proinde redintegratâ *amicitiâ* obligationem imponit satisfaciendi *justitiæ*: ferè sicut Princeps, cui Aulicus quidam magnam pecuniæ summam abstulit, illum recipere potest in gratiam, ac restituere loco & honori pristino, ea tamen lege, ut per aliquot annos careat aliqua portione stipendij, vel per aliquod tempus abstineat vino &c. Siquidem in omni peccato reperitur, tanquam gemina proprietas, reatus culpæ & reatus pœnæ: *reatus culpæ* est dignitas ad odium & aversionem Divinam; *reatus pœnæ* verò est dignitas ad supplicium seu pœnam, qua peccatum meretur puniri. Sic explicata assertio

Prob. 1. ex Scriptura, in qua Deus post dimissum peccatum sæpius inflixisse legitur aliquam pœnam temporalem. Sic David, postquam audivit à Propheta: *Dominus transtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. punitus adhuc est morte filij: *Veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Sic Moyses & Aaron in pœnam peccati (utique quoad culpam jam dimissi) nempe infidelitatis, *ad aquas contradictionis in Cades deserti* Num. 20. & Deut. 32. prohibiti sunt ab ingressu in terram promissam. Sic Num. 14. de populo murmurante dicitur: *Dimisi peccatum populi: attamen nullus videbit terram* &c. Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu Ecclesiæ, fidelibus ultroneas pœnitentias & suadentis & imponentis post impertitam absolutionem, ut postea videbimus. Prob. 3. ex aliqua congruentia. Sicut Misericordiam Dei decet, ut, supposito præcepto Divino procurandi amicitiam cum Deo, facilè remittat peccatum mortale propter contritionem, in quocunque gradu intensionis illa sit; ita decet Divinam Justitiam, ut non facile remittat totam pœnam, & ut exigat opera ardua, per quæ ipsi aliquo modo satisfiat, ad homines magis absterrendos à peccatis committendis. Prob. 4. ab experientia, quia videmus baptizatos, quibus per Baptismum remissa est omnis culpa originalis (& personalis in adultis, unà cum pœnis *personalibus*, seu contractis ex peccato personali) esse adhuc obnoxios varijs miserijs, morbis, morti ipsi, quæ vocantur *pœnalitates*, humanæ naturæ communes, intuitu peccati originalis sustinendæ. Confirmatur ex Gerardo Adversario, qui de Pœnit. §. 125. fatetur, *post etiam post impetratam peccatorum remissionem non solùm communibus hujus vitæ calamitatibus* (Scriptura & experientia teste) *obnoxios esse.*

esse, sed etiam quibusdam singulares calamitates in hac vita imponi, licèt nec omnibus, nec semper, has pœnas singulares Deus illis imponit.

30. Dicend. 2. Potest homo justus per bona opera pœnalia verè & de condigno satisfacere pro pœna temporali, ex peccatis quoad culpam dimissis remanente. Prob. 1. ex Scriptura, in qua Deus promittit hujusmodi pœnam remittere, si homines ad Deum conversi exercuerint bona opera pœnalia: atqui (suppositâ tali promissione gratuitâ sub conditione certorum operum) Deus tenetur remittere pœnam ex justitia positis hujusmodi operibus: ergo. Ma. prob. Jerem. 18. dicit Deus: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Danielis c. 4. suasit Nabuchodonosori Regi: *peccata tua eleëmosynis redime.* Et Christus Luc. 11. *Quod superest, date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*: atqui per eleëmosynam, quantacunque illa sit, sine dolore de peccato &c. peccata non redimuntur, non tolluntur *quoad culpam*, ut fatentur omnes: ergo *quoad pœnam* culpâ dimissâ resíduam. His adde monitum S. Joan. Bapt. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Luc. 3. hoc est, de condigno compensate injuriam, Deo illatam, per austeritatem vitæ, quam ipse exemplo suo docuit; nam *de condigno* non tollitur peccatum quoad culpam: ergo quoad pœnam; dein *fructus* pœnitentiæ non est ipsa pœnitentia, per quam quoad culpam jam remissa sunt peccata.

Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu Ecclesiæ, quem ita testantur Patres antiquissimi, ut Calvinus, Chemnitius, Centuriatores, & alij Lutherani fateri cogantur, eos stare pro nostra assertione; quamvis cum Luthero & nomen *Satisfactionis*, & rem ipsam extremè oderint. S. Cyprianus serm. de lapsis ita scribit: *Qui sic Deo satisfecerit* (per opera pœnalia) *non jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* S. Ambr. ad Virginem lapsam c. 8. *Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.* S. Chrysost. hom. 10. in Matthæum: *Delicijs antea & temulentiâ diffluebas? jejunio & aquæ potu utrumque compensa.* S. Aug homil. 50. c. 5. in homilijs 50. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per humilitatis gemitum* &c. Et in Enchiridio ad Laurent. c. 71. *De quotidianis autem, brevibus, levibúsque peccatis, sine quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit &c. Delet hæc oratio* (dimitte nobis debita nostra) *minima & quotidiana peccata. Delet & illa, à quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in meliùs mutata, discedit.* En & nomen *Satisfactionis*, & rem ipsam; quid enim est *mereri veniam, delere peccata, compensare*, quibus verbis utuntur Patres, quàm verè & condignè satisfacere?

Prob. 3. Opera bona pœnalia ab homine justo liberè exercita habent omnia ad condignam satisfactionem requisi-

quisita: ergo sunt satisfactoria de condigno. Quod confirmatur: sunt de condigno meritoria augmenti gratiæ sanctificantis & vitæ æternæ, ut vidimus suprà: ergo etiam sunt satisfactoria pro pœnis temporalibus; cùm istud sit longè minus illo.

31. Dicend. 3. Bona opera pœnalia rectè injunguntur pœnitentibus in satisfactionem pro pœnis temporalibus in Sacramenti Pœnitentiæ administratione. Prob. 1. ex Scriptura, in qua Christus Sacerdotibus dedit potestatem non tantùm *solvendi*, sed etiam *ligandi*: *Quæcunque alligaveritis* &c. Matth. 18. *Quorum remiseritis* &c. Jo. 20. ergo sicut possunt solvere seu absolvere à peccatis, ita possunt ligare, seu obligare absolvendos ad certa pœnitentiæ opera, ut pœnitentes *faciant fructus dignos pœnitentiæ*. Sicut enim possunt absolutè ligare, quem judicant absolutionis incapacem, ita possunt à fortiori ligare secundùm quid, quem judicant esse capacem, obligatum tamen ad aliquam satisfactionem adhuc DEO præstandam. Prob. 2. ex perpetua praxi Ecclesiæ. Jam tempore Apostolorum vivens S. Clemens Const. Apost. l. 2. c. 26. sic scripsit: *Facta examinatione, an pœniteat, sitque dignus, qui in Ecclesiam ex toto admittatur: castiga illum jejuniis duarum aut trium &c. hebdomadarum, ut delicti genus & ratio poposcerit.* S. Gregor. M. egregiè: *Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata idonea est, cùm Sacerdotis fuerit judicio imperata, cùm ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis onus eis discernitur afflictionis.* S. Leo adhuc antiquior ep. 91. ad Theodorum: *Mediator Dei & hominum homo Christus JESUS hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus satisfactionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Idem confirmant Concilia, Nicænum I. Ancyranum, Arausi. & Canones Pœnitentiales. Prob. 4. ejusmodi opera pia per se sunt apta ad satisfaciendum, ut constat ex dictis, & varias insuper habent utilitates; ergo rectè injunguntur pœnitentibus ab eo, qui jurisdictionem spiritualem habet in illos, utì est legitimus Confessarius.

32. Dicend. 4. Bona opera pœnalia etiam rectè assumuntur sponte à fidelibus in ordine ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus. Prob. 1. ex Scriptura, in qua Deus ipse ad hoc hortatur Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, & fletu & planctu.* Item exstant exempla peccatorum pœnitentiam agentium: sic David jejunabat 2. Reg. 12. cubabat humi Psal. 68. Rex Ninivitarum indutus est sacco, sedit in cinere, & jejunium toti populo indixit, non jussus à Deo, & tamen placavit Deum. Jon. 3. Paulus de se dicit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* 1. Cor. 9. & de omnibus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentijs.* Gal. 5. Quomodo Præcones castigant corpus & carnem suam? & quando? fortè tum, quando

do castigant petulantes uxores suas: nam maritus & uxor unum corpus sunt & una caro teste Scriptura. Prob. 2. ex perpetua praxi Ecclesiæ, in qua semper fuerunt viri sanctissimi, quod nec Adversarij negare queunt; qui tamen plerique omnes duxerunt vitam rigidam, austeram, orationibus, jejunijs, flagellationibus, hispido vestitu, humicubationibus &c. asperam. Sic S. Magdalena, postquam ab ipso Christo impetravit remissionem peccatorum, rigidam pœnitentiam per 33. annos sponte suscepit. Idem fecit Antonius, Paulus, Stylites &c. Eremitæ: Bernardus, Dominicus, Franciscus, Ignatius &c. Ordinum Religiosorum Fundatores &c. Audi SS. PP. S. Cypr. l. 3. ep. 14. ad Clerum: *Qui possunt, agentes pœnitentiam veram, Deo Patri misericordi precibus & operibus suis satisfacere* &c. S. August. in Ps. 44. *Converte te ad punienda peccata tua, quia impunita peccata esse non possunt: puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipso: tu agnosce, ut ille ignoscat.* Et in Psal. 50. *Confitenti ignoscis, sed seipsum punienti. Ita servatur Misericordia & Veritas: Misericordia, quia homo liberatur: Veritas, quia peccatum punitur.*

33. Ob. 1. Ezech. 33. dicitur: *Impietas impij non ei nocebit, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Et c. 18. *Peccatorum ejus non recordabor*: atqui impietas adhuc noceret post conversionem, & Deus illius adhuc recordaretur, si non cum culpa dimitteretur semper omnis pœna: ergo. R. Dist. Min. noceret &c. in ordine ad aversandum adhuc peccatorem, vel ad pœnam æternam infligendam. N. Mi. in ordine ad pœnam temporalem, vel ad differendam felicitatem. C. Min. Nisi fortè peccator eliciat valde intensam contritionem, quæ sufficiat ad delendam simul omnem pœnam, etiam temporalem, ut absolutè fieri potest.

34. Ob. 2. Peccatum est causa totius pœnæ: sed sublatâ causâ tollitur effectus: ergo sublatô peccatô tollitur tota pœna. 2. Reatus culpæ, & reatus pœnæ sunt realiter idem: ergo sublato reatu culpæ tollitur etiam totus reatus pœnæ. 3. Sicut nemo est dignus pœnâ æternâ, qui non habet peccatum mortale, ita nemo potest esse dignus pœnâ temporali, nisi habeat peccatum veniale: atqui quando remittitur peccatum mortale, remittitur totum, nec fit ex mortali veniale: ergo. 4. Quod sufficit ad delendum id, quod est plus, etiam sufficit ad delendum id, quod est minus: sed pœnitentia sufficit ad delendam culpam & pœnam æternam, quæ sunt plus aliquid, quàm pœna temporalis: ergo.

R. ad 1. Dist. Min. si effectus pendet à causa tam in conservari, quàm in fieri C. Min. si tantùm dependet in fieri. N. Min. Filius, qui est effectus patris, utique non tollitur sublato patre. Ita pereunte actu peccaminoso, qui est causa transiens, permanet reatus pœnæ. Ad 2. Transf. Ant. quod contra Scotum & Nominales à plurimis negatur. N. Cons. nam supposita identitate, dimisso peccato mortali quoad culpam mortalem, remanet aliqua

aliqua culpa æquivalenter venialis, & propter hanc culpam remanet pœna temporalis. Id quod dicere videtur S. Augustin. l. 4. de vera & falsa pœnit. c. 18. ubi ait: *Quadam peccata sunt, quæ sunt mortalia, & in pœnitentia fiunt venialia, non tamen statim sanata*, propter quæ (ut antè dixerat) *purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis etsi æternus non sit, miro tamen modo est gravis.* Ad 3. Juxta immediatè dicta N. Mi. quamvis etiam negari possit Ma. quare enim Deus nequeat unam pœnam cum culpa tota dimittere, & obligare ad minorem, cùm id possit pater aut dominus creatus respectu filij aut servi, quem recipt in gratiam? licèt etiam hæc minor pœna infligatur intuitu peccati commissi, & remissi eatenus, quatenus peccator receptus est in gratiam & à graviore pœna liberatus. Ad 4. Dist. Ma. quod sufficit de condigno & independenter à libera alterius acceptatione. Trans. Ma. quod sufficit tantùm de congruo & ex libera alterius acceptatione, uti contritio ad delendum peccatum. N. Ma. Potuisset quidem Deus pœnitentiam semper acceptare, sicut ad delendam pœnam æternam, ita & ad temporalem, sed eum de facto noluisse, patet ex nostris probationibus.

35. Ob. 3. Satisfactio Christi est infinita, sufficiens ad delenda peccata tam quoad culpam quàm quoad omnem pœnam: ergo non opus est nostra satisfactione; & qui asserunt, injurij sunt in ipsum Christum, ejúsque gloriam minuunt. R. 1. retorq. argum. Satisfactio Christi fuit infinita, & sufficiens ad delenda peccata &c. ergo non opus est nostrâ pœnitentiâ, fide, Sacramentis, prædicatione Evangelij, bonis operibus &c. Item Christus oravit pro nobis Patrem: ergo nostra oratione nobis opus non est, & qui orat, injurius est in Christum &c. R. 2. Satisfactio Christi fuit utique infinita in se, & in actu primo sufficientissima ad omnem pœnam delendam, uti & culpam; in actu tamen secundo noluit eam Christus nobis prodesse ad pœnam temporalem delendam semper, nisi accedente nostra satisfactione, per quam voluit nobis applicari suam; sine qua quidem nostra sola nihil prodesset: sicut in ordine ad delendam culpam & pœnam æternam noluit nobis prodesse & applicari suam infinitam satisfactionem & merita, nisi accedente pœnitentiâ & Sacramentis. Egregiè hoc explicat S. Greg. M. in c. 9. l. 1. Reg. ubi ait: *Non omnia nostra Christus explevit. Per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, ut, qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat: si compatimur, & conregnabimus.* 2. Tim. 2. *Quasi dicat: quod explevit Christus, non valet, nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet &c. Hinc Paulus: adimpleo ea, quæ qua desunt passioni Christi, in corpore meo.* Coloss. 1. Honor Christi propterea non minuitur, sed potiùs augetur; quia sic non Christus tantùm posuit infinitam satisfactionem, sed etiam nobis gratiam

gratiam & vires satisfaciendi impetravit, ac insuper Justitiæ Divinæ sic melius consuluit.

86. Ob. 4. Deus quidem infligit etiam post peccata dimissa subinde pœnas temporales, atque etiam injungi possunt à Ministro Ecclesiastico opera pœnalia, sed non in satisfactionem, aut in vindictam & punitionem peccatorum jam remissorum, sed in medicinam, ad conservandam disciplinam, pro bono exemplo &c. ergo. Ita Gerardus. R. N. Ant. Ratio negandi patet tum ex nostris probationibus; tum quia Paulus inter fructus pœnitentiæ expressè ponit *vindictam*. 2. Cor. 7. v. 11. tum quia David punitus est morte filij, *quoniam blasphemare fecit* &c. ergo in pœnam peccati commissi, non in medicinam & cautelam; tum quia parvuli baptizati plectuntur varijs ærumnis, imò & morte ipsa: ergo non in cautelam de peccatis futuris, sed in vindictam peccati præteriti.

§. V.

De Indulgentijs.

87. SCiendum 1. Hanc materiam rectè dixeris *petram scandali, & lapidem offensionis*; cùm ex ea initium perversionis suæ sumpserit Lutherus. Cùm enim SS. Ordo Eremitarum S. Augustini, cujus membrum erat Lutherus, Indulgentias *Cruciatæ* per varia Germaniæ loca promulgare sæpius consuevisset; anno autem 1517. Albertus Brandenburg. Archiepiscopus Mogunt. & Cardinalis, promulgationem Indulgentiarum, quas Leo X. pro bello contra Turcas feliciter gerendo concesserat, demandâsset Ordini Prædicatorum, præcipuè P. Joanni Tezelio, id adeò sensit Lutherus, ut superbiâ, ambitione, invidiâ, avaritiâ, & irâ percitus cœperit publicè non tantùm abusus Indulgentiarum (in quo bene feciisset) sed & ipsas Indulgentias carpere, ac paulatim etiam alia Ecclesiæ dogmata & ritus sugillare ac spernere. Quia verò propter hanc temeritatem reprehensus, & ad revocandum citatus, ex superbia parére noluit, fretusque Saxonis favore insolentior factus, tandem à Leone X. excommunicationis sententiâ justissimè fulminatus est, simul omnem fidem & religionem abjecit, perfidus & contumax apostata, ac inexplicabili odio Papam Ecclesiamque Romano-Catholicam persequi statuit, eam è culmine, si potuisset, dejecturus. Hinc, cùm Germania tam grande malum ex paupere Monacho oriturum non pertimescens ociantiùs sibi invigilaverit, innumeras animas secum in perniciem traxit infelix hæresiarcha, aliaque infinita mala, quæ hodiedum lugent omnes boni, Germanis attraxit.

88. Sc. 2. A multis non satis intelligi, præsertim & passim à Sectarijs, quid sint Indulgentiæ. Gerardus, quem

tamen ut Semideum adorant, de Pœnit. §. 132. ita vel nugatur vel mentitur: *Fabrica Indulgentiarum talis est: statuunt, Christum satisfeciſſe quidem pro peccatis noſtris ac pœna eorum æterna, interim tamen pro temporali pœna nobis ipſis ſatisfaciendum eſſe. Ne autem pœnæ iſtæ exſolvendæ fiant intolerabiles, excogitârunt Indulgentias, quibus pœnas illas relaxari ſtatuunt, modò certâ pecuniæ ſummâ Indulgentiales litteræ ab Officialibus Romani Pontificis redimantur. Neque ſolùm pro relaxandis pœnis, ſed etiam pro peccatis, ac factis futuris, pro illicito gradu Matrimonij, pro eſu caſei & butyri tempore Quadrageſimali Indulgentiæ dabantur, præſertim in Jubilæo.* Quippe Catholici 1. non docent, Chriſtum *præcisè* pro peccatis, & non etiam pro omnibus pœnis, etiam temporalibus ſatisfeciſſe, ſed ſolùm dicunt, ſatisfactionem Chriſti ordinariè non applicari nobis in ordine ad pœnas temporales delendas, niſi accedente ſatisfactione noſtra, vel Indulgentijs à Chriſti Vicario conceſſis; ſicut noluit ſatisfactionem ſuam applicari nobis in ordine ad delendam pœnam æternam ſine contritione & Sacramentis. 2. Catholici non *excogitârunt* Indulgentias, ſed Chriſtus & Apoſtoli per continuam Traditionem eas docuere. 3. Non dicunt, ad delenda *peccata*, ſed ad *pœnas* peccatorum *temporales* exſolvendas poſt dimiſſam culpam, ſervire Indulgentias. 4. Non emunt Indulgentias & Litteras Indulgentiales; ſed in ſuſtentationem Officialium Curiæ Romanæ aliasque Eccleſiæ neceſſitates jure merito aliquid tribuunt, quia *dignus eſt operarius mercede ſua.* Mat. 10. & bene recipiunt à fidelibus temporalia, qui ipſis miniſtrant ſpiritualia, non quidem pro ipſis ſpiritualibus, ſed pro ſua ſuſtentatione. An non Prædicones etiam temporale ſalarium recipiunt? an ſine hoc fungerentur officio prædicandi, & cætera miniſterij ſui munia obirent? 5. Ineptè Indulgentias confundit Gerardus cum diſpenſationibus, & malè vocat *peccata* futura, ſi priùs Eccleſia legem ſuſtulerit per diſpenſationem in ijs, quæ ſunt Juris Eccleſiaſtici &c. Unde

Sc. 3. Per Indulgentias à Catholicis intelligi *remiſſionem pœnæ temporalis in foro conſcientiæ & coram Deo, aliàs adhuc reſiduæ ex peccatis actualibus quoad culpam jam dimiſſis, extra Sacramentum per applicationem ſatisfactionum Chriſti, quæ ſunt in theſauro Eccleſiæ, rationabili de cauſa conceſſam ab eo, qui poteſtatem habet.* Dixi, *quæ ſunt in theſauro Eccleſiæ*; qui theſaurus nihil eſt aliud, quàm paſſiones & ſatisfactiones Chriſti infinitæ; quibus quia Chriſtus non indiguit, utpote ad nullam pœnam obligatus, cùm omnis culpæ & peccati fuerit expers, eas reliquit in Eccleſia, à Vicario ſuo diſpenſandas fidelibus, prout expedire illi viſum fuerit. Quippe ſciendum, omne opus hominum continere in ſe duplicem bonitatem (ſicut peccatum continet duplicem malitiam, ſcilicet culpæ & pœnæ reatum) nimirum *vim merendi, & vim ſatisfaciendi*, hoc eſt, meretur vitam æternam,

ternam, & satisfacit pro pœnis ex peccato adhuc resíduis. Ubi igitur ab aliquo fiunt opera bona pœnalia, in quo nullus est reatus pœnæ, eò quòd vel nullum in eo fuerit unquam peccatum, utì in Christo & B. Virgine, vel delectus jam sit omnis reatus culpæ & pœnæ, utì in alijs insigniter sanctis contingit, vis satisfaciendi devenit ad thesaurum Ecclesiæ; non quòd satisfactiones Christi, quæ principaliter constituunt hunc thesaurum, non sint sufficientes, utpote infinitæ, sed ne ejusmodi satisfactiones Martyrum & aliorum Sanctorum, quibus ipsi pro se non indigent, sint inanes, & nihil prosint cæteris Ecclesiæ membris. Atque ex hoc thesauro Papa ex rationabili causa applicat fidelibus satisfactiones, cùm Indulgentias concedit; quippe opera bona, in quantum *satisfactoria* sunt, applicari alijs possunt; nam satisfacere est solvere debitum pro altero, ut patet etiam in humanis: quamvis opera bona, in quantum *meritoria* sunt vitæ æternæ, alijs applicari nequeant; *unusquisque enim propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* 1. Cor. 3. His præmissis triplex est quæstio. 1. An in Ecclesia sit potestas concedendi Indulgentias. 2. Penes quem. 3. An etiam Indulgentiæ concedi possint pro Defunctis.

39. Dicend. 1. Datur in Ecclesia Christi potestas concedendi Indulgentias. Prob. 1. ex Scriptura. Dum Christus ad Petrum, Ecclesiæ Caput, dixit: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis* &c. Mat. 16. v. 19. nihil prorsus excepit: ergo hæc potestas *clavium* & potestas *solvendi*, etiam coram Deo, seu *in cœlis*, non solùm se extendit ad remissionem culpæ, sed etiam ad remissionem omnis pœnæ; partim quia hoc indicat illimitatum signum *quodcunque*, partim quia præsumi debet de infiniro Christi in nos amore, quòd Ecclesiæ suæ dederit potestatem removendi omnia salutis impedimenta à suis electis: atqui inter impedimenta salutis & remoras est etiam vinculum seu reatus pœnæ temporalis. Prob. 2. ex Traditione Apostolica, & antiquissima Ecclesiæ praxi, cujus quia initium nescitur, ab ipsis Apostolis ad nos usque continuata esse credenda est; quin ipse Paulus dicitur, Indulgentiam concessisse Corinthio cuidam 2. Cor. 2. huic enim, postquam contritione & pœnitentiâ deleverat peccatum incestûs quoad culpam, Paulus etiam condonavit quoad pœnam temporalem nomine Christi; dixit enim v. 10. *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Quod Paulus *donationem* vocat, nos appellamus *Indulgentiam.* S. Gregorius, qui rexit Ecclesiam sæculo VI. citatus ab Altisiodor. & D. Thoma in 4. Dist. 20. dicitur jam concessisse Indulgentias, quas vocamus *Stationum.* S. Leo III. circa annum 800. ut refert S. Lugderus in epist. quadam apud Sur. in vita S. Swiberti, multas Indulgentias dedit cuidam Ecclesiæ, quam Aquisgrani dedicavit. Urbanus II. teste S. Antonino p. 2. Histor. tit. 16. c. 1. §. 23. Indulgentiam plenariam concessit pro-

ficiscentibus ad bellum sacrum &c. Vide plura apud Valent. l. de Indulg. c. 3. ubi dicit, hos Pontifices tanquam *ex veteri Ecclesiæ instituto* concessisse Indulgentias, nec ullum de ijs tanquam de re nova locutum fuisse. Sed cur Patres adeò silent de Indulgentijs ? R. partim quia tunc Indulgentias nemo impugnavit, partim quia in usu erat adhuc antiquus rigor in injungendis pœnitentiæ operibus per dies vel annos complures continuandis, quibus successu temporis propter infirmitatem humanam succedebant Indulgentiæ.

40. Dicend. 2. Potestas concedendi Indulgentias est penes summum Pontificem principaliter & immediatè. Prob. 1. ex Scriptura, quæ soli Petro (consequenter & ejus successoribus) dedit potestatem indefinitam solvendi: *Quodcunque solveris* &c. Mat. 16. Prob. 2. ex praxi Ecclesiæ, quia summi Pontifices præscribunt & moderantur Episcopis Indulgentias, ut habetur c. cùm ex eo. c. nostro de pœnit. & remiss. Prob. 3. ex ratione; quia in omni Republica bene instituta Magistratus & Princeps supremus habet jus ex communi thesauro providendi subditorum utilitati: ergo & in Republica Ecclesiastica.

41. Dicend. 3. Indulgentiæ etiam concedi possunt pro Defunctis, in Purgatorio existentibus. Scilicet non *per modum Absolutionis*, quæ est actus jurisdictionis, & respicit subditos; subditi autem Pontifici non amplius sunt, qui Ecclesiæ Militantis membra per mortem esse desierunt: sed *per modum Suffragij* Prob. 1. ex Scriptura, quæ sine restrictione ad vivos dedit Petro potestatem illimitatam solvendi Mat. 16. seu tollendi omne vinculum & impedimentum salutis: ergo etiam tollere potest vinculum pœnæ temporalis in demortuis. Dices. Christus tantùm dixit: *Quodcunque solveris SUPER TERRAM*: ergo restrinxit potestatem solvendi ad vivos. R. tò *super terram* referri debet ad Petrum & Ponticem solventem, non ad solvendos; sive igitur solvendus sit super sive infra terram, solvi potest à Pontifice super terram existente seu vivo adhuc, hoc tamen discrimine, quòd vivos solvat per modum *Absolutionis judicialis*, mortuos verò per modum *Solutionis* tantùm, seu per modum *Suffragij*, utpote non subditos. Prob. 2. ex praxi Ecclesiæ; nam Paschalis I. jam circa annum 812. dedisse legitur Indulgentias templo S. Praxedis ad liberandam animam è Purgatorio, qui utique non fuerit primus in hac concessione, licèt de Antecessoribus nihil annotatum inveniatur. Prob. 3. Possunt satisfactiones Christi applicari defunctis ad extinguendum Purgatorium per Sacrificium Missæ, ut suo loco ostendimus: cur igitur non etiam per Indulgentias ab eo, cui datæ sunt claves aperiendi cœlum ? Prob. 4. Animæ in Purgatorio existentes, quamvis non amplius sint subditæ Ecclesiæ Militanti, tamen capaces sunt indè participandi bona spiritualia orationis, eleemosynæ, jejunij, quatenus nempe hæc opera habent vim satisfaciendi; id

id enim sequitur clarè ex eo, quòd nostris precibus & bonis operibus juvari possint, uti docuimus de Purgatorio, & confirmatur ex Symbolo Apostolorum, ubi profitemur *Communionem Sanctorum*, scilicet Ecclesiæ Militantis, Purgantis, & Triumphantis, quæ se mutuò juvant suis meritis, precibus, & pijs officijs. Si igitur persona privata potest suas satisfactiones per modum Suffragij applicare Defunctis; cur id Ecclesia non possit ex communi thesauro, offerens pro ipsis satisfactiones Christi?

42. Quæres, quid sit concedere Indulgentias *per modum Suffragij*? R. omissis alijs expositionibus, hunc esse sensum, quòd nempe concedens Indulgentias *per modum Suffragij* non ipse immediatè remittat pœnam tanquam Judex, sicut remittit, quando concedit *per modum Absolutionis*, sed offerat Deo pretium æquivalens, scilicet satisfactionem Christi, ut ipse remittat. Ita Suarez apud Filliucium, qui hanc explicationem præ cæteris probat, quia ex una parte intervenit vera ratio justitiæ saltem per modum commutationis æquivalentis, fundatæ in promissione Divina, *quodcunque solveris* &c. ut adeò non sit mera *intercessio* & deprecatio: ex altera verò parte declaratur, quòd Pontifex recognoscat animas Purgatorij non tanquam suæ jurisdictioni subjectas, sed solùm ut charitate conjunctas.

43. Ob. 1. Christus, & multò magis Sancti jam receperunt cumulatissimum præmium & plenam mercedem pro suis laboribus per gloriam, quam consecuti sunt in cœlo & in terra: ergo nihil supereſt, quod reponatur in thesauro Ecclesiæ. 2. Per Indulgentias extenuatur peccati magnitudo, parvi æstimatur Justitia Dei peccata punientis, inducitur oscitantia in exercendis operibus laboriosis, & animis instillatur securitas noxia: ergo. R. Ad 1. Dist. Ant. receperunt mercedem, respondentem eorum laboribus *quà meritis*, C. *quà satisfactionibus*. N. Ant. & Conf. Ad 2. imprimis hæc omnia longè magis sequuntur in principijs Lutheranorum, juxta quos per solam fiduciam in meritis Christi, sine ullis proprijs operibus bonis & laboriosis, obtinetur justitia & salus. Dein N. Ant. vel Dist. Si Indulgentiæ concederentur sine justa causa, profusè, & sine alligatione ad certa opera bona, quæ ordinariè præscribuntur, uti sunt orationes, jejunia, eleemosynæ, Confessio, Communio &c. Tranſ. Ant. secùs N. Ant. & Conf.

44. Ob. 2. Si Pontifex possit concedere Indulgentias pro Defunctis, easque hoc modo liberare è gravissimis pœnis Purgatorij, tunc erit tyrannus, si non passim has Indulgentias largiatur, ac omnibus altaribus & sacerdotibus tribuat privilegium per quodlibet sacrum liberandi animas, si non evacuet totum Purgatorium, si non omnibus morituris eas concedat, ne deveniant ad hunc locum tormentorum &c. ergo. R. N. Ant. siquidem Pontifex non est *absolutus Dominus* thesauri Ecclesiæ, ut pro beneplacito eum dispensare, & quasi prodigere possit, sed solum-

solummodo est *Dispensator* rei alienæ, scilicet satisfactionum Christi: Dispensator autem non potest sine justa causa communem thesaurum erogare. Nunquam verò hactenus sufficiens adesse causa Pontifici & Ecclesiæ Doctoribus visa est, ut passim & tam liberaliter, vel potiùs profusè dispensentur Indulgentiæ mortuis & morituris. Imò sunt graves causæ, ut id non fiat; quia ejusmodi prodiga liberalitas induceret languorem & negligentiam in exercitio piorum operum &c. Dein Christus aut Deus neutiquam est tyrannus, quòd non omnes homines uno momento salvet; licèt id ut absolutus Dominus posset: cur igitur Papa dicatur tyrannus aut crudelis, quòd non omnes statim animas liberet è Purgatorio; cùm tamen non sit Dominus thesauri Ecclesiæ, nec adsit causa sufficiens pro Dispensatore fideli?

Petes adhuc, quotuplex sit Indulgentia? R. præcipuè esse duplicem, totalem & partialem, seu plenariam & non plenariã. *Plenaria*, quæ etiam plena, plenior, & plenissima subinde vocatur, tollit omnem Purgatorij pœnam, nec differt à *Jubilæo* nisi accidentaliter in quibusdam privilegijs v. g. dispensandi in votis, absolvendi à censuris, & peccatis reservatis &c. *Non plenaria* est varia, nempe v. g. unius anni, septem annorum, mille annorum, 40. dierum &c. Unde alia etiam vocatur *Quadragena*, quâ per se non remittitur omnis pœna, sed tantùm pars, scilicet tantum, quantum tolli posset per jejunium 40. *dierum*, quod pro certis olim peccatis sacri Canones injungebant: quando verò hoc jejunium 40. dierum imponebatur in pane solo & aqua, vocabatur *Carena*: quando autem injungebatur à memoratis Canonibus jejunium per 7. annos, *septenna* appellabatur. Unde & rectè conceduntur Indulgentiæ mille, bis mille annorum &c. licèt Purgatorium tam diu non duraturum sit; quia sensus est, per ejusmodi Indulgentias de pœna Purgatorij tolli tantum, quantum remitteretur, siquis per mille annos perageret illud pœnitentiæ opus, quod vel Confessarius, vel Antiqui Canones Pœnitentiales injungere solebant. Quantum autem illud sit, solus Deus novit. Porro alia Indulgentia vocatur *Realis*, alia *Localis*, alia *Personalis*, prout nempe vel certis rebus, utì numismatis, vel locis, utì templis, vel personis conceduntur.

ARTI-

ARTICULUS V.

De Extrema Unctione.

SUMMARIUM.

Quæsit Materia, Forma, Minister, Susceipiens, & Effectus Extremæ Unctionis.

SCiendum ex dictis de Sacramentis in genere, Extremam Unctionem esse verum & propriè dictum Novæ Legis Sacramentum. Dicitur *Extrema*, quia non nisi in extremo vitæ articulo gravitérque decumbentibus confertur. Ejus *materia remota* est oleum benedictum ab Episcopo, *proxima* verò est unctio certarum corporis partium. *Forma* est oratio deprecatoria, quam Ecclesia defacto his verbis exprimi jubet: per istam sanctam unctionem, & suam pijssimam Misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c. *Minister* est Sacerdos. *Susceipiens* debet esse Christianus graviter ægrotans; non tamen infans aut perpetuò amens; quia isti non habent reliquias peccatorum, ad quas tollendas præcipuè institutum est hoc Sacramentum. Quippe *Effectus* est duplex, unus conferre augmentum gratiæ sanctificantis & abstergere reliquias peccatorum, si adsit debita dispositio susceipientis, alter conferre gratias actuales, quibus confortatur æger ad ultimam luctam, eamque periculosissimam cum dæmone, in hoc rerum articulo, abstergere corporem & anxietatem animi, atque etiam si animæ expediat vita longior, conferre sanitatem corporis. Constant hæc ex epist. S. Jacobi c. 5. Præcipuus igitur effectus est, & infallibilis, ac absolutè promissus conferre *augmentum* gratiæ sanctificantis; nam Extrema Unctio est Sacramentum vivorum, jam supponens statum gratiæ in Susceipiente: per accidens tamen conferre etiam potest *primam* gratiam sanctificantem, & delere peccatum mortale, si nempe æger vel ignoret, se esse in peccato mortali, vel propter defectum virium aut rationis confiteri nequeat & absolvi; modò tamen præcesserit aliqua attritio, quæ præsumitur de Catholicis repentino periculo oppressis. Voluit igitur Deus per hoc Sacramentum specialiter consulere ad mortem decumbentibus, & corporis animique viribus destitutis.

ARTICULUS VI.

De Ordine.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Ordo passivè & activè sumptus, & quæ circa eum controversa.*
2. *Non omnes baptizati sunt sacerdotes propriè dicti.*
3. *Episcopi Jure Divino superiores sunt Sacerdotibus tam Ordinis quàm Jurisdictionis potestate.*
4. *Episcopi Sacerdotes &c. quoad suas personas sunt exempti à Jurisdictione seculari.*
5. 6. *Scriptura nec omnes baptizatos vocat verè Sacerdotes, nec Episcopos cum Presbyteris confundit.*
7. *S. Hieronymus non est contra nos.*
8. *Alia Lutheranorum replica ipsis Adversarijs nocet.*
9. *Quid sit Vocatio, seu Missio, & quæ circa illam controversa.*
10. *Potestas vocandi Ministros Ecclesiæ non est penes Magistratum Politicum, vel totum populum, ne partialiter quidem.*
11. *Lutherus, Calvinus, Zvvinglius &c. non fuerunt legitimè vocati.*
12. *Nec hodie Præcones Lutherani, Calviniani.*
13. *Quæ indè sequantur in perniciem istarum sectarum.*
14. *Ex eo, quòd populus possit sibi constituere Regem, Magistratum Politicum, non sequitur, quòd possit etiam Ecclesiasticum.*
15. *Nec fulcitur vocatio Lutheri per hoc, quòd dicatur habuisse vocationem generalem & internam.*
16. *Acriter impugnant Lutherani & Calvinistæ Cœlibatum Clericorum.*
17. *Cùm tamen sit status secundùm se perfectior Matrimoniô.*
18. *Ad eum rectè obligat Ecclesia omnes* Sacris *initiatos, seu in Majoribus Ordinibus constitutos.*
19. *Quamquam alia fuerit praxis, & adhuc toleretur in Ecclesia Græca.*
20. *Illud crescite & multiplicamini, similésque textus non omnibus præcipiunt connubium.*
21. *Cœlibatus non est impossibilis, nec per se causa flagitiorum carnis.*

1. SCiendum, Ordinem duplici modo sumi posse, activè & passivè. *Passivè* sumptus est certus gradus Ministrorum Ecclesiæ, cujusmodi septem enumerantur: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcismus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus seu Sacerdotiũ, ad quod refertur Episcopatus; nam Episcopi sunt Sacerdotes, sed *Majores*. *Activè* sumptus est ipsa actio,

ctio, qua alicui confertur potestas spiritualis, & sic definiri potest: est *cerimonia sacra, qua ordinato conceditur potestas ad aliquod altaris Officium stabiliter peragendum.* Atque sub hac ratione Ordinem superiùs docuimus esse Sacramentum, saltem Presbyteratum, cujus *materia* remota est illa res sensibilis, per quam significatur potestas tradita, nempe calix cum vino & patena cum hostia, & impositio manuum: *forma* sunt illa verba, quæ profert Episcopus tradens rem illam sensibilem, & manus imponens, nempe: *accipe potestatem offerendi Sacrificium &c. accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata &c. Minister* est Episcopus, quia Episcopus est Princeps Reipublicæ Christianæ: ad solum autem Principem Ecclesiasticum spectat dignitates & ministeria Ecclesiastica distribuere. *Suscipiens* debet esse vir & baptizatus &c. *Effectus* est augmentum gratiæ sanctificantis, gratiæ actuales ad functiones sacras ritè obeundas, & character indelebilis.

Circa hoc Sacramentum præcipuè quatuor adhuc controversa sunt cum Sectarijs. 1. An omnes baptizati sint Sacerdotes, ut volebat Lutherus & quidam assecl æ. Dico *quidam*, nam non desunt ex Lutheranis, ut M. Lomer, qui negant, ullum in Lege Nova dari propriè dictum Sacerdotem; eò quòd nullum detur propriè dictum Sacrificium (quod suppositum subruimus suprà de Sacrificio Missæ) non obstante, quòd ejus commilito *Horalector* eodem anno 1710. multis contenderit, etiam apud Lutheranos reperiri veros Sacerdotes. 2. An Episcopi sint majores Presbyteris seu Sacerdotibus Jure Divino. 3. An & à quo vocari debeant Ministri Ecclesiæ. 4. An Sacerdotes rectè obligentur ad vitam cœlibem, seu ad abstinendum à conjugio?

§. I.

An omnes baptizati sint Sacerdotes? & Episcopi sint superiores Presbyteris Jure Divino? & Ecclesiæ Ministri sint exempti à Jurisdictione Laicali?

2. Dicend. 1. Non omnes baptizati sunt Sacerdotes propriè dicti. Prob. 1. ex Scriptura. Christus non omnibus, sed solùm Apostolis eorúmque successoribus dedit potestatem sacrificandi & remittendi peccata, quia ad hos solos dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. *Quorum remiseritis peccata* &c. Joan. 20. ergo non omnes baptizati habent hanc utramque potestatem: ergo non omnes sunt Sacerdotes. Dein Paulus ordinavit Presbyteros: *Cùm constituisset per singulas Ecclesias Presbyteros.*

Act. 14. & 1. Tim. 5. Item distinxit Apostolos, Pastores &c. à cæteris fidelibus 1. Cor. 12. Eph. 4. ergo non omnes fideles sunt Presbyteri, & Apostolorum ac Pastorum in potestate successores; sed qui à legitima potestate ordinantur & constituuntur. Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu totius Ecclesiæ; nam ante Lutherum, imò vix post ipsum, qui ita insanierint, invenies. Prob. 3. ex ratione. Sicut in Republica Politica ritè ordinata debet dari distinctio graduum & dignitatũ, nec omnes sunt Judices, Prætores &c. ita vel maximè dari debet Hierarchia Ecclesiastica, & distinctio graduum &c. in Ecclesia.

3. Dicend. 2. Episcopi Sacerdotibus superiores sunt Jure Divino, tam potestate Ordinis, quàm Jurisdictione. Prob. 2. ex Scriptura. Act. 1. ex numero Discipulorum solenni quadam ceremonia in Apostolum assumptus est S. Mathias locò Judæ Proditoris: ergo judicabant Apostoli à Christo edocti, Episcopos esse superiores simplicibus Sacerdotibus *potestate Ordinis*; nam Episcopi succedunt Apostolis in potestate Ordinis, & dignitate; quin & jurisdictione: Sacerdores autem simplices succedunt cæteris Discipulis, qui fuerunt primitiæ Sacerdotum. Gerardus de Minist. Eccl. §. 235. ait: *Libenter concedimus quoad potestatem Ordinis Episcopos esse Presbyteris superiores.* Sed & *jurisdictione* superiores sunt Jure Divino; nam 1. Tim. 5. scribit Paulus Timotheo tanquam Episcopo: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*: ergo Episcopus est Judex respectu Presbyteri: ergo major jurisdictione: & quidem Jure Divino; quia Scriptura continet Jus Divinum. Confirm. Apoc. 1. & 2. per illos 7. Ecclesiarum Angelos intelliguntur illi, qui cum potestate præerant septem Ecclesijs tanquam capita, scilicet Episcopi: ergo ex ordinatione Apostolica & Divina Episcopi superiores sunt Presbyteris, seu reliquis omnibus particularium Ecclesiarum.

Prob. 2. ex Traditione Apostolica & sensu Ecclesiæ, quæ semper judicavit, Presbyteros ordinari & constitui debere ab Episcopis, ipsos verò nunquam validè ordinâsse alios, ut constat ex Conc. Ancyr. & Antioch. item ex S. Leone, S. Gregorio M. &c. S. Hieron. quem Adversarij pro se citant, in epist. ad Evagtium dicit: *Quid facit Episcopus, EXCEPTA ORDINATIONE, quod non etiam facit Presbyter?* ergo Episcopus est major Presbytero potestate *Ordinis*. Sed & *jurisdictione* major est, quia ex eadem Traditione constat, Episcopos judicâsse & puniviſſe Presbyteros, non viciſſim. Neque negavit ullus Christianorum ante Aërium, quem dolor repulsæ ab affectato Episcopatu præcipitem egit, ut diceret, Episcopum non differre à Presbytero, propterea inter hæreticos numeratus à S. Augustino de hæres. c. 53 & Epiphan. hæres. 75. Audiamus aliquos adhuc ex antiquissimis Patribus. S. Clemens ep. 1. ad Fratrem Domini ait: *Episcopos vicem Apostolorum gerere, sic Domino Petrum instruente, reliquorum verò Discipulorum vicem tenere Presbyteros.*

vos. Anacletus epist. 3. ad omnes Episc. & Sacerd. c. 1, *Sacerdotum Ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari &c. Episcopi verò Domini Apostolorum: Presbyteri quoque 72. Discipulorum locum tenent.* Similia habent Hieron. Cyprian. Ign. M. August. & alij. Epiph. hæres. 75. *Episcopum & Presbyterum æqualem esse quomodo erit possibile? Episcoporum enim Ordo patrum generator est; Patres enim generat Ecclesiæ: Presbyterorum verò non potens generare patres, generat filios Ecclesiæ, non tamen patres &c.* Pulcherrimè mentem Apostoli, adeóque Jus Divinum nobis explicat S. Ambros. in c. 3. ep. 1. ad Tim. dicens: *Post Episcopum Diaconi ordinationem subijt. Quare? Nisi quia Episcopi & Presbyteri una ordinatio est: SED EPISCOPUS PRIMUS est, ut omnis Episcopus Presbyter sit, NON TAMEN OMNIS Presbyter Episcopus. Denique Timotheum Presbyterum ordinatum significat, sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat*, non sine nova Ordinatione, quia subjungit: *Unde & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat aut licebat, ut inferior ordinaret majorem: nemo enim tribuit, quod non accepit.*

Prob. 3. ex ratione, quia id exigit Hierarchia & bonus ordo Ecclesiæ. Denique solidissimè confirmatur ex eo; quia utique summus Episcopus, nempe Pontifex Maximus, cui datæ sunt *claves Regni Cælorum.* Mat. 16. & *omnes Christi oves* commissæ. Jo. 21. major est quocunque Sacerdote, & quidem tam potestate Jurisdictionis quàm Ordinis, & Jure Divino: ergo jam aliquis Episcopus Jure Divino major est Sacerdotibus.

Dicend. 3. Episcopi, Sacerdotes, & 41
Ministri Ecclesiæ quoad suas personas sunt exempti à Jurisdictione Sæculari, idque conveniens est, & nullo modo contrarium Juri Divino, ut Juristæ Heterodoxi cavillantur cum Carpzovio Pract. Crim. p. 3. q. 110. n. 83. & Wissenbach ad Pandect. l. 2. Disp. 6. n. 38. secuti Petrum Vermilium, qui postea dictus est *Martyr*, celebrem olim Florentiæ Concionatorē, & demum celebrem Apostatam atque Calvinistam. Probatur 1. quia Concilia tum Generalia tum Particularia ferè ab initio Ecclesiæ, ut demonstrat Suarez in Defensione fidei l. 4. c. 3. à n. 20. ita docuerunt; ex ijs enim evidenter concluditur, datum esse in Ecclesia Christi privilegium Exemptionis à Potestate Sæculari; cùm impossibile sit, tot Pontifices sanctos & sapientes, & tot Concilia Ecclesiam in hoc decepisse: Ecclesiam enim in decretis morum errare non posse, satis superque ostensum est de Infallibilitate Ecclesiæ, & Romani Pontificis in prima parte controv. Gener. III, Prob. 2. ex ratione intrinseca; quia, ut per se patet, Sacerdotalis & Clericalis status est altioris ordinis ac gradûs, quàm laicorum, súntque Sacerdotes (etiam non Episcopi) fidelium Patres ac Magistri: ergo sicut conveniens est, Patrem filij, & Magistrum discipuli non subjici potestati, ita decet, laicos non exercere ju-

risdictionem in Sacerdotes, à quibus ligari non solùm in terris, sed & in cœlis se credunt. Unde etiamsi diceremus, hanc exemptionem non esse à Deo immediatè concessam Sacerdotibus & Clericis, tamen supposita Divina institutione Sacerdotalis & Clericalis Ordinis ex principijs naturalibus deducitur per illationem saltem moraliter necessariam, quòd supremus Ecclesiæ Prælatus obligetur illam communicare inferioribus Ecclesiæ Ministris, & sub certa lege ac modo eam constituere. Et eatenus rectè dicitur esse Juris Divini. Nec obstant Leges Civiles, à Justiniano in præjudicium Libertatis Cleticalis & Ecclesiasticæ latæ, uti l. 25. 33. & 37. Cod. de Episc. & Cler. & Nov. 83. quia in hoc arrogavit sibi potestatem, ipsi non competentem. Vid. P. Melch. Friderich. de Foro Comp. p. 3. c. 1.

§. Ob. 1. Scriptura omnes Christianos vocat sacerdotes: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* &c. 1. Petri 2. *Fecit nos regnum & sacerdotes DEO Patri suo.* Apoc. 1. ergo. Dein inter Christianos nullum est discrimen; etenim *in Christo JESU non est masculus & fœmina.* Gal. 3. R. vocantur sacerdotes impropriè tantùm, quia offerunt sacrificia impropriè dicta, nempe laudis, precum, bonorum operum. Bene etiam S. August. l. 20. de Civit. DEI c. 10. ait: *Episcopi & Presbyteri propriè vocantur in Ecclesia sacerdotes. Sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrisma: sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis, de quibus Apostolus dixit: Plebs sancta, Regale sacerdotium.* Sicut Christiani non nascuntur *Reges* in sensu proprio, nec verè *Sancti*, sed primùm fiunt, licèt vocentur à Petro *Regale* sacerdotium, & Gens *sancta*; ita nec omnes nascuntur *Sacerdotes*, sed tantùm aliqui fiunt. Ad alterum: Non est discrimen inter Christianos, hoc est, nulla personarum acceptatio, sed DEUS omnes, qui sunt in Christo, salvat, sive vir sive fœmina sit, Græcus vel Judæus. Aliud non voluit dicere Paulus.

Ob. 2. In Scriptura confunduntur Episcopi & Presbyteri: ergo sunt æquales. 2. Christus ordinavit qui dem Presbyteros in ultima cœna; Episcopos tamen ordinâsse non legitur. R. ad 1. T. A. N. C. vel D. C. sunt æquales in ordine ad certa ministeria, præcipuè consecrandi & offerendi Sacrificium C. C. in potestate Ordinis, vel quoad Jurisdictionem N. C. Ex ipsa Scriptura superiùs ostendimus, quòd Episcopus in his emineat supra Sacerdotes, quamvis alibi quoad nomen & respectu potestatis consecrandi Corpus Domini confundantur; quippe omnis Episcopus est Presbyter; non autem vicissim omnis Presbyter est Episcopus. Ad 2. Christus ordinavit S. Petrum in Episcopum & Pastorem Universalem, ei dicens: *Pasce oves meas.* Joan. 21. Petrus postea ordinavit in Episcopos S. Jacobum & S. Joannem, & cæteros Apostolos vel per se, vel per illos duos à se ordinatos. Vid. Joan. Turrecremata

mata l. summæ Eccles. c. 32. & Bellarm. l. 1. de Pontif. c. 23.

7. Dices 1. S. Hier. in c. 1. ep. ad Tit. ait: *Idem Presbyter, qui Episcopus*: ergo. R. 1. hunc textum in purioribus editionibus, nempe Romana & Colonienſi non reperiri, ſed in Baſileënſi, quam ſæpius corrupit Eraſmus Roterod. plurimùm Lutherizans. R. 2. omnino verum eſt, quòd idem, qui eſt Epiſcopus, etiam ſit Presbyter, ſed non viciſſim. R. 3. Presbyteris Antiquæ Eccleſiæ fuit olim conceſſa quidem æqualis jurisdictio *in actu ſecundo* cum Epiſcopis, & eatenus etiam Presbyter potuit vocari Epiſcopus: *at in actu primo* ſemper penes Epiſcopos fuit major jurisdictio ratione munetis Epiſcopalis, & juris huic à DEO annexi; ſicut poteſtate Ordinis ſunt Epiſcopi majores etiam juxta Adverſarios, & clarè indicat S. Hieron. loc. cit. ad Evagr. dum eam Presbyteris adimit, dicens expreſsè: *Excepta ordinatione*, Item Epiſcopum, Sacerdotes, & Diaconos eo loco eſſe ait, quo olim fuerunt Aaron, filij ejus, & Levitæ, quos Jure Divino fuiſſe inæquales, ex Scriptura novimus.

8. Dices 2. Decet & debet dari diſcrimen inter Eccleſiæ Miniſtros: utique in Eccleſia ſemper fuit inter illos obſervata ſubordinatio, & major poteſtas conceſſa Epiſcopis, quàm ſimplicibus Sacerdotibus: imò talis ſubordinatio etiam obſervatur inter Proteſtantium Miniſtros Eccleſiæ, dum ordinare alios, & cauſas Eccleſiaſticas graviores judicare &c. non permittitur ſimplici Parocho vel Paſtori, ſed reſervatur Specialibus, Superintendentibus &c. Verùm hæc major poteſtas non deſcendit à Jure & Ordinatione Divina, vi cujus nullum eſt inter iſtos diſcrimen, ſed eſt Juris Humani, & deſcendit ab ordinatione Eccleſiæ, ut omnia ordinatè & ritè fiant. R. hæc replica parùm juvat, ſed potiùs perimit cauſam Proteſtantium: ſi Jure Divino Eccleſiæ Miniſtri ſunt æquales, Jure autem Humano inæquales, ipſi neglecta ordinatione Divina ſequuntur ordinationem humanam Eccleſiæ, dum majorem poteſtatem ordinandi & jurisdictionem in alios exercendi tribuunt Specialibus, Superintendentibus, Archi-Superintendentibus &c. quàm Parochis, Diaconis, Paſtoribus ſimplicibus, Præconibus &c. & ſic ſcelus admittunt, quod toties Catholicis objiciunt ex Matth. c. 15. *ſine cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Aliud ordinavit Deus per ſuum Apoſtolum, aliud ordinant & ſequuntur ipſi. Quod Deus conceſſit cujlibet Sacerdoti (ſi tamen Sacerdotes habeant Lutherani: aliqui affirmant, alij ex ipſis negant, uti Lomerus) & Miniſtro Eccleſiæ, id iniquè adimunt, & tribuunt ſolis Superintendentibus &c. Certè ſi ego eſſem Lutheranus Præco vel Paſtor, etiam ruralis tantùm, non paterer mihi eripi poteſtatem ordinandi, & omnem jurisdictionem in Eccleſia Lutherana exercendi, quam exercet Superintendens vel quicunque alius, quam Deus mihi parem dedit, omnino æqualem cuilibet Superintendenti me efficiendo juxta Proteſtantium doctrinam.

§ II.

§. II.

De Vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ.

9. SCiendum 1. Sicut in Republica Politica nemini fas eſt uſurpare regimen, & functiones publicæ poteſtatis, niſi legitima auctoritate ad hujusmodi officium ritè deputatus ſit: ita neminem poſſe uſurpare regimen Eccleſiæ, & exercere functiones Eccleſiaſticæ poteſtatis, utì eſt prædicare Verbum Divinum, adminiſtrare Sacramenta, ſacrificare &c. niſi legitima auctoritate ad hæc munia deputatus, vocatus, & conſecratus ſit: quæ deputatio vocari ſolet *Miſſio* vel *Vocatio*. *Nec enim quisquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a DEO tanquam Aaron.* Hebr. 5. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Rom. 10. v. 15. Adeóque Miniſter legitimus Eccleſiæ debet eſſe vocatus à DEO, vel *immediatè*, & modo extraordinario, utì Moyſes, Prophetæ, & Apoſtoli: vel *mediatè* & modo ordinario, ſcilicet mediante conſenſu & cooperatione eorum hominum, quibus DEUS commiſit poteſtatem vocandi, utì commiſit S. Petro ejúsque in regimine Eccleſiæ ſucceſſoribus, à quibus vocantur, ordinantur, & inſtituuntur Epiſcopi, ab his Parochi &c.

Sciendum 2. Tria hìc controverti 1. penes quem ſit poteſtas vocandi (per conſequens & ordinandi, atque applicandi ad certa miniſteria aſſignatis ſubditis) nam Lutherani hanc poteſtatem tribuunt vel Magiſtratui Politico, vel toti populo, vel (ut M. Lomer p. 8. Andermahliger Abfertigung) triplici ſtatui, nimirum *Eccleſiaſtico*, cui competere dicit examen & ordinationem, quæ fit per impoſitionem manuum, *Politico*, cui tribuit vocationem, & electionem perſonæ, & demum *Plebi* (dem Haußſtand) cui relinquit approbationem. 2. An Lutherus (Calvinus, Zwinglius &c.) ſit legitimè vocatus ad docenda nova dogmata, iisque oppoſita, qua tum Univerſæ Eccleſiæ conſenſu erant recepta, ſeu ad reformandam in doctrina Eccleſiam. 3. An moderni Præcones Lutherani (Calviniani, Zwingliani &c.) ſint legitimè vocati, & ordinati, legitimique Sacerdotes & Eccleſiæ Miniſtri, qui validè abſolvant à peccatis, conficiant Evchariſtiam &c.

10. Dicendum 1. Poteſtas vocandi Miniſtros Eccleſiæ non eſt penes Magiſtratum Politicum, vel totum populum, ne partialiter quidem; ſed unicè penes Epiſcopos & Magiſtratum Eccleſiaſticum. Prob. 1. ex Scriptura. Neceſſe eſt eo modo mitti & vocari Eccleſiæ Miniſtros, quo modo Chriſtus, à Patre miſſus miſit & vocavit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Jo. 20. atqui Chriſtus miſit & vocavit Miniſtros, nempe Apoſtolos & 72. Diſcipulos ſine ſuffragio & conſenſu Magi-

Magistratûs Politici, aut totius populi: ergo. Præterea quotiescunque in Novo Testamento fit mentio *impositionis manuum*, per quam Ministri vocabantur, & ordinabantur Presbyteri, eam à solis Apostolis & Episcopis factam esse constat, uti Act. 6. & 14. 2. Tim. 1. Tit. 1. Imò Apostoli constituerunt Episcopos pro populis convertendis, ad quos mittebant: sed horum populorum consensus non requirebatur. Prob. 2. ex perpetua Traditione, & praxi Ecclesiæ, in qua nunquam legitur aliquem fuisse vocatum & ordinatum Episcopum à non Episcopis consecratos, fuisse agnitos pro veris & validè vocatis ac ordinatis. Jam S. Clemens Rom. Canone Apost. 2. sic scripsit: *Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & reliqui Clerici.* S. Ambr. in c. 3. ep. 1. ad Tim. *Neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinet majorem: nemo enim tribuit, quod non accepit.* Neque obest, quòd populus in Ecclesia Primitiva sæpe interfuerit *electionibus* Ministrorum Ecclesiæ; quia id gratuitò ei concessum erat à Magistratu Ecclesiastico, sicut nunc conceditur jus præsentandi, uti vocamus: sic contigit in electione S. Mathiæ Act. 1. & S. Stephani Act. 6. Neque populus semper ferebat suffragium, sed præcisè testimonium de aptitudine & bona vita ejus, qui vocabatur & eligebatur (Ordinatio & Institutio autem nunquam ei concessa est, aut concedi potuit, cùm sit actus potestatis spiritualis, cujus Laicus Magistratus in capax est) conformiter doctrinæ Pauli: *Oportet illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* 1. Tim. 3. v. 16. Unde apparet, discrimen esse inter electionem & vocationem: siquidem illa est tantùm designatio personæ, ista verò tribuit jurisdictionem spiritualem, & re ipsa facit Pastorem. Bellarm. l. de Clericis c. 2. Prob. 3. ex ratione. Nemo potest dare, quod non habet: sed nec Magistratus Politicus nec populus habet potestatem spiritualem conficiendi Evchariſtiam, absolvendi à peccatis, prædicandi publicè Verbum Dei &c. quia eam à Christo nullibi acceperunt, bene tamen Petrus & Magistratus Ecclesiasticus: ergo. Adde, quòd non deceat, ut oves sibi constituant Pastores suos.

Dicend. 2. Lutherus (Calvinus, Zwinglius &c.) non fuit legitimè vocatus ad reformandam Ecclesiam in doctrina fidei, & ad aliter docendum, quàm docuit Ecclesia, à qua & in qua fuit ordinatus Presbyter, & missus ad prædicandum. Prob. 1. ex Scriptura, juxta quam vera Christi Ecclesia nunquam potest errare & deficere in rebus fidei: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Mat. 16. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. *Ego ero vobiscum usque ad consummationem sæculi.* Mat. ult. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Jo. 16. Ergo nunquam indiget ullo Reformatore, nec ullo tempore reformari potest: ergo nec Lutherus, nec ullus alius potuit esse vocatus ad Ecclesiam reformandam. Prob. 2. Quidquid Lutherus 11.

proferre potest ad probandum, se esse legitimè vocatum ad reformandam Ecclesiam, vel ad aliter docendum, quàm Romana docuit, ex qua egressus est; illud omne pro sua vocatione adhibere potest Calvinus, Zwinglius, & omnes antiqui Hæretici potuerunt, nempe Arius, Nestorius, Pelagius &c. quia hi omnes pari jure dicere potuerunt, se prædicare purum Dei Verbum in S. Scriptura comprehensum &c. & propter necessitatem Ecclesiæ. Vel igitur hi omnes fuerunt legitimè vocati, quod est impossibile, utpote afferentes dogmata oppositа: vel nullus, adeoque nec Lutherus. Argumentum hoc est Adversarijs insolubile; sicut & præcedens, si bene sciantur ea, quæ præcedente anno de Infallibilitate & Indefectibilitate Ecclesiæ diximus. Prob. 3. Vel vocatio Lutheri fuit immediata vel mediata? Non *immediata*, quia nullum prorsus in Luthero apparuit signum vocationis immediatæ, nempe nec miracula, nec eximia quædam sanctitas vitæ, quæ tamen duo, tanquam manifestum sigillum voluntatis suæ, Deus semper dedit ijs, quos immediatè & extraordinariè vocavit ad insigne aliquod opus, ita ut nemo potuerit prudenter dubitare, eos esse missos à Deo: quo modo vocationem suam probârunt Prophetæ & Apostoli. Imò non tantùm nulla sanctitas extraordinaria in Luthero emicuit, sed potiùs gravissima scelera perfidiæ, perjurij, rebellionis, superbiæ, scurrilitatis, falsationum SS. Litterarum, blasphemiæ &c. in eo notata & clarè deprehensa sunt. Quid quòd ipse fateatur se non habuisse vocationem immediatam & extraordinariam? Nec habuit *mediatam*, & ordinariam 1. Quia nulla dari potest vocatio ad reformandam Ecclesiam in rebus fidei, in quibus nunquam potest deficere & errare. 2. Quia licèt per impossibile transmitteretur, eam errare posse, tamen opus reformationis esset tantum, ut exigeret immediatam vocationem, miraculis conspicuam; aliàs meritò quilibet posset esse suspectus tanquam impostor. 3. Quia nec à Magistratu Politico potuit vocari, uti dictum est antea, nec ab Ecclesiastico vocatus est ad aliter docendum, quàm ipse Magistratus docuit. Neque profuit ipsi Doctoratus Theologicus, cui tamen omnia tribuit to. 5. Jen. f. 492. & to 2. Witt. Germ. f. 211. ita scribens: *Dixi sæpe, & iterum dico, totum mundum me non acceptu-rum pro Doctoratu meo; quia aliàs desperare deberem, si tale ac tantum mihi incumbens negotium, sicut fur irrepens, absque vocatione & manda-to Dei cœpissem.* Miserum planè hoc est solatium; quippe in collatione Doctoratûs non datur potestas docendi quidlibet pro libitu, sed exigitur juramentum obligans ad nihil docendum, quod Ecclesiæ, in qua confertur Doctoratus, contrarium sit. 4. Quia Lutherus ad prædicandum fuit vocatus à Romano-Catholicis. Jam quæro: vel Catholici fuerunt tunc in vera Christi Ecclesia, vel non? si in vera; ergo Lutherus ei contraria docendo

cendo sparsit hæreses ; si in falsa : ergo ipse fuit vocatus ab hæreticis, consequenter ejus vocatio non fuit legitima.

12. Dicendum 3. Præcones Lutherani (Calviniani, Zwingliani &c.) non sunt legitimè vocati Ecclesiæ Ministri, multò minùs veri Sacerdotes. Prob. 1. Quia nullus apud Lutheranos habet potestatem vocandi & ordinandi : ergo nullus eorum Præco est legitimè vocatus, aut verus Sacerdos ; cùm nemo possit dare, quod non habet. Ant. P. Nemo hanc potestatem spiritualē habet àse, ut clarum est: nec potest habere populus, aut Magistratus Politicus, cùm Christus eam neutri dederit : Magistratus autem Ecclesiasticus apud Lutheranos &c. nullus est (quamvis aliquos homines vocent *Ministerium Ecclesiasticum*) partim quia apud ipsos vera *Ecclesia* non est, ut evidenter ostendimus in *Pugna Decretorta, & suprà de vera Christi Ecclesia*, partim quia hoc Ministerium potestatem Ecclesiasticam nec habet à se, nec immediatè accepit à Christo, nec mediatè, mediantibus scilicet Apostolis, & Episcopis continua serie propagatis à Divo Petro, cui soli datæ sunt *claves Regni cœlorum*, & munus spirituale *pascendi* & regendi omnes fideles commissum est. Ubi enim non datur continua Episcoporum, potestatem vocandi & ordinandi habentium, successio, sed interruptio, ibi nulla habetur potestatis derivatio, & mediata communicatio, ut clarum est : atqui apud Lutheranos nulla datur talis successio continua Episcoporum, sed hæc fuit in & à Luthero interrupta, qui, quia nunquam fuit Episcopus à legitima potestate ab Apostolis accepta ordinatus, nunquam legitimè vocare & ordinare alios potuit : consequenter nullus Præco (quia ultra Lutherum se non extendit successio Ministrorum, & à Luthero nulli ex ipsis dari potuit potestas vocandi & ordinandi) erit legitimè vocatus Ecclesiæ Minister, aut legitimè ordinatus Sacerdos.

Prob. 2. Vel modus vocandi & ordinandi, quem Catholici ante & sub tempora Lutheri tenuerunt, fuit legitimus vel non ? si fuit legitimus ; modus vocandi & ordinandi apud Lutheranos non est legitimus, quia est illi oppositus. Si non fuit legitimus, tunc tota Ecclesia ante Lutherum per multa, imò omnia sæcula, non habuit veros Ministros, veros Sacerdotes, proin nec vera Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ &c. sine quibus Christi vera Ecclesia consistere non potest, adeóque ante Lutherum nulla fuisset vera Christi Ecclesia ; quod apertè falsum est. Si autem ante Lutherum in Ecclesia Romana fuit modus legitimus, adhuc est, quia modernus non differt substantialiter ab illo.

15. Ex quibus evidenter colligitur, apud Lutheranos & alios Sectarios non dari veram Absolutionem à peccatis, nec veram Eucharistiam ; quia scilicet nullus apud hos est verus Minister Ecclesiæ, aut Sacerdos, potestate absolvendi, aut consecrandi præditus, nisi fortè aliquis transfuga à Catholicis ordinatus Sacerdos. Accidit nempe id ipsis, quod olim S. Hieron. dial. contra Luciferianos accidisse scribit Hilario Diacono Apostatæ: *Qui neque Eucharistiam*

conficere potest, Episcopos & Presbyteros non habens &c. quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habet Sacerdotes. Simile quid habet S. Cypr. l. 1. ep. 6. ad Magnum : *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelica & Apostolica Traditione contempta, nemini succedens, à se ipso ordinatus est : habere enim & tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est.*

14. Ob. 1. Populus potest sibi eligere & constituere Regem & Magistratum Politicum : ergo & Ecclesiasticum, atque Pastorem animarum. R. N. Cons. disparitas est, quòd in populo resideat potestas *Politica*, quæ est necessaria ad bonum naturale tranquillitatis &c. procurandum : ergo debent posse dominatum tribuere uni vel pluribus, quia sine hoc non potest obtinere suam felicitatem naturalem. Econtra potestas *Spiritualis* non residet in populo, sed Deus, postquam hominem elevavit ad felicitatem spiritualem & supernaturalem, atque Rempublicam Christianam instituit, eam gratuitò concessit, non populo, sed Petro, atque in ipso omnibus successoribus, ut hac potestate utantur, aliisque communicent in bonum spirituale fidelium.

15. Ob. 2. Etiamsi Lutherus caruisset omni alia vocatione speciali & externa ad reformandam Ecclesiam, habuit tamen vocationem *generalem & internam*, communem omnibus Christianis, vi cujus, dum vident Ecclesiam corruptam falsis doctrinis, & in necessitatibus magnis constitutam, possunt, imò charitatis lege tenentur succurrere, Verbum Dei purum prædicando, mores emendando &c. si quis habeat vires & occasionem, etiamsi nulla adsit vocatio specialis & externa ; cùm Ecclesiæ necessitas sit sufficiens vocatio. Ferè sicut omnis, qui potest, tenetur extinguere ortum incendium, etiamsi specialiter ad id non vocetur. R. 1. Deum nunquam posse permittere, ut tota Ecclesia erret in rebus fidei, ut alibi demonstratum est. R. 2. Etsi posset permittere, tamen nullus privata auctoritate & sine speciali vocatione Dei novam doctrinam prædicare posset sub quocunque prætextu puri Verbi Dei, partim quia priùs probare deberet, se esse infallibilem, & non decipi, nec decipere ; aliàs enim nemo tenetur ipsi credere & obedire : partim quia indè sequeretur ingens confusio, & innumeræ contradictiones mutuæ ; cùm quilibet posset prætendere, purum Dei Verbum à se prædicari, ut reformet Ecclesiam perturbatam, uti revera contigit tempore Lutheri ; hunc enim mox secuti sunt Calvinus, Zwinglius, Carolstadius, Oecolampadius, Bucerus, ac alij ferè sine numero, qui Lutheri exemplo irruerunt in munus prædicandi novam doctrinam, specialiter non vocati asserentes, satis se esse vocatos vocatione generali, & manifesta Ecclesiæ necessitate : quod equidem eodem, quo Lutherus, jure dicere potuerunt. R. 3. Paulus universaliter dicit : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur ?* Rom. 10. nec excipit statum

tum perturbatum Ecclesiæ. R. 4. Hoc ipsum potuisset pro sua vocatione afferre Arius, Nestorius, Pelagius, & Calvinus &c.

§. III.

De Cœlibatu Ministrorum Ecclesiæ, vel de Conjugio Sacerdotum.

16. SCiendum, omnes Clericos in *Sacris* seu *Majoribus* Ordinibus constitutos, nempe Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos in Ecclesia Latina ex peculiari lege obligari ad castitatem perpetuam, & vitam cœlibem, seu ducendam extra conjugium. Quam legem, ab Ecclesia latam annexo his Ordinibus voto continentiæ, statim initio defectionis suæ acriter impugnârunt Lutherus, Calvinus, & cæteri Apostatæ, dictitantes Matrimonium omnibus esse necessarium, & plùs quàm præceptum, continentiam homini sano esse impossibilem, ac cœlibatum portentosæ libidinis & nefandorum criminum causam. *Nisi Deus miraculum faciat*, inquit Eusebicus sus in epist. ad Albertum Arch. Mogunt. *& ex viro Angelum, non video, quomodo sine offensa & ira Dei possit manere sine conjuge. Et horribile, si absque uxore inveniatur in morte* &c. to. Jen. f. 138. Nec cæteri asseclæ vix pro alia re fusiùs & calidiùs disputârunt, quàm pro uxoribus, partim ut suæ patrocinarentur lasciviæ, partim ut suæ defectionis causam præcipuam (amorem mulierum & carnis petulantiam) aliquo modo cohonestarent sacrilega Veneris mancipia; nam plerique ex primis Præconibus erant vel Religiosi vel Sacerdotes Catholici, scelerate viventes. Mitiùs de Cœlibatu sentiunt recentiores & moderni Sectarij, ex quibus Gerardus tit. de Conjugio §. 490. sic pronuntiat: *Cœlibatus purus & castus in personis ad eum idoneis nequaquam est improbandus.* Personas autem idoneas §. 494. dicit esse eas, quæ dono continentiæ sunt instructæ, nec sentiunt interiores ustiones & flammas; non enim omnes sunt apti ad perpetuam continentiam: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*, Mat. 19. v. 11. Imò in certis circumstantijs (non tamen absolutè) Cœlibatum Matrimonio præferendum esse fatetur §. 499. Itaque duo nobis hìc sunt stabilienda. 1. Cœlibatum quoad se & absolutè esse præferendum statui Matrimoniali, licèt non temerè propter arduitatem suam suscipiendus sit. 2. Ecclesiam rectè adstringere ad Cœlibatum illos, qui *libere* suscipiunt *sacros* Ordines, quibus sciunt ex dispositione Ecclesiæ annexum esse votum & obligationem castitatis perpetuæ.

17. Dicendum 1. Cœlibatus secundùm se est status perfectior, quàm Matrimonium. Prob. 1. ex Scriptura, in qua Paulus 1. Cor. 7. clarè asserit: *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit*

jungit, melius facit v. 38. *Cui vult, nubat tantùm in Domino: beatior autem erit, si sic permanserit.* v. 39. 40. *Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* v. 8. *Bonum est homini mulierem non tangere.* v. 2. Suadet igitur Paulus ijs, qui putant, se posse continenter vivere cum Divina gratia, Cœlibatum tanquam rem meliorem. Illis autem, qui putant, se non restituros tentationibus carnis, indulget Matrimonium & ejus usum, tanquam rem bonam; ijs enim per indulgentiam dicit: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.* v. 2. *Quòd si se non continent, nubant: melius est enim nubere quàm uri.* v. 9. *Si acceperis uxorem, non peccâsti: & si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* v. 28. Eandem continentiam præ Matrimonio suadet (non præcipit) Christus Matt. 19. dicens: *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum: qui potest capere, capiat.* v. 12. Prob. 2. ex Traditione & sensu Ecclesiæ, cujus testes passim occurrunt, etiam apud Gerardum §. 501. Ego tantùm duos adduco ex antiquis PP. S. Chrysost. l. de Virginit. c. 10. ait: *Mihi ipse persuadeo, Virginitatem conjugio multo esse præstantiorem: neque tamen propterea connubium in malis pono: quin etiam ipsum magnis laudibus afficio.* S. Aug. itidem l. de Sancta Virg. c. 21. *Nos secundùm Scripturarum sanctarum fidem sanámque doctrinam nec peccatum esse dicimus nuptias, & earum tamen bonum non solùm infra Virginalem, verum etiam infra vidualem continentiam constituimus.* Prob. 3. exemplò Christi, ferè omnium Apostolorum, & aliorum sine numero, qui prodigiosa & admirabili vitæ sanctitate fuerunt conspicui in utroque sexu. Confirmatur confessione Adversariorum; nam in Apologia August. Conf. tit. de Conjugio Sacerdotum ita pronuntiant: *Virginitas donum est præstantius conjugio.*

Dicendum 2. Ecclesia rectè obligat 18.
suos Ministros, *Sacris* initiatos, ad cœlibatum & continentiam perpetuam. Prob. 1. Ad id Ecclesia rectè oblgat, quod est honestum & laudabile: sed cœlibatus est honestus & laudabilis, imò in se præstantior vitâ conjugali, ut patet ex assertione præcedente: ergo. Quin & Paulus cœlibatum & continentiam in præcipuis Ecclesiæ Ministris requisivit, dum dixit: *Oportet Episcopum esse hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, CONTINENTEM.* Tit. 1. v. 8. *Oportet Diaconos PUDICOS esse.* 1. Tim. 3. v. 8. Prob. 2. ex perpetua praxi tum Apostolorum, tum subsequentis Ecclesiæ usque ad nostra tempora. Ex Apostolis pauci habuerunt uxores, imò sunt, qui putent, Petrum solum fuisse maritum. De posterioribus temporibus jam S. Clemens Can. 27. Apost. sic scripsit: *Innuptis, qui ad Clerum profecti sunt, præcipimus, ut solis Lectoribus & Cantoribus liceat, si voluerint, uxores ducere.* S.

Hie-

Hieron. Apol. pro libris contra Jovin. ad Pamachium in fine. *Apostoli vel Virgines fuerunt, vel post nuptias continentes Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur aut vidui, aut certè post sacerdotium in aternum pudici.* Conc. Carthag. II. circa tempora Cœlestini c. 2. Sic statuit: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstineant.* Et præmittitur: *ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Conc. Nicænum I. c. 3. noluit, ut Clerici ullam fœminam in suis ædibus tolerarent præter *matrem, sororem, amitam*: ergo nullam uxorem. Similia statuerunt Concilia in Germania habita ante 800. & plures annos, uti Aquisgranense, Moguntinum, & Wormatiense: istud sub annum 868. celebratum Can. 9. ita habet: *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi abstineant se ab uxoribus.* Hinc patet mendacium Augustanæ Confessionis, & Centuriatorum, qui dicebant, primùm ante 400 annos in Germania introductum esse cœlibatum Sacerdotum, valde resistente Clero. Si tum aliqui petulantes Sacerdotes ad nuptias convolârint, contra Canones & non sine gravi scelere id fecerunt, nec sine inflicta pœna sedatis turbis. Prob. 3. ex ratione. Munia Ministrorum Ecclesiæ sunt sacrificare & administrare Sacramenta, orare & docere alios, pauperum habere curam &c. Sed ad hæc munia ritè obeunda necessarius vel saltem valde utilis est cœlibatus; quippe sacrificare & administrare Sacramenta requirunt eximiam puritatem; in actu autem conjugij, quamvis peccaminosus per se non sit, aliquam impuritatem reperiri innegabile est: orare & docere alios requirunt mentem à curis sæcularibus liberam: cura pauperum requirit charitatem, liberalitatem &c. quæ non ita reperiuntur in uxoratis, qui ordinariè toti sunt in alenda familia, in curandis & ditandis filijs carnalibus &c.

Alia tamen praxis fuit, & adhuc 19
toleratur in Ecclesia Græca, ubi, quamvis *Episcopi* ab omni Matrimonio abstinere debeant tam contracto, quàm contrahendo, *Sacerdotes* tamen, qui ante susceptos SS. Ordines illud contraxerunt, Matrimoniô uti possunt, licèt post semel susceptos SS. Ordines id contrahere nec ipsis liceat ampliùs. Imò teste Socrate l. 5. c. 22. quibusdam in locis Orientalibus olim etiam Episcopi utebantur Matrimoniô ante suam ordinationem contractô.

Ob. 1. ex Scriptura. *Crescite &* 20
multiplicamini. Gen. 1. ergo omnibus præcipitur Matrimonium. 2. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, 1. Tim. 3. *Diaconi sint uniu uxoris viri.* ibid. ergo Episcopi debent esse uxorati. 3. Paulus vocat *doctrinam dæmoniorum*, quæ prohibet nubere. 1. Tim. 4. sed hoc facit Ecclesia Romana obligans ad Cœlibatum. 4. *Honorabile connubium in omnibus.* Hebr. 13. ergo etiam in Clericis. 5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem* soro-

sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? ergo idem licebit Sacerdotibus. R. ad 1. id vel præceptum non esse, sed benedictionem, quia etiam ad pisces & aves dixit pariter DEUS, *crescite & multiplicamini*: vel si fuit præceptum, fuit tantùm pro illo tempore, quo terra erat adhuc vacua hominibus: vel si etiam nunc esset præceptum, non obligaret singulos in particulari, sed solùm genus humanum in communi, & à sat multis observaretur; aliàs Elias, Hieremias, uterque S. Joannes, & ipse Christus, violâssent hoc præceptum. A. 2. illi duo textus non volunt positivè, ut Episcopus vel Diaconus habeat unam uxorem, sed ut non eligatur uxoratus (ut initio Ecclesiæ sæpius fiebat propter penuriam aptorum hominum) nisi tantùm talis, qui nec successivè nec simul habuerit plures uxores quàm unam; à qua tamen quoad thorum fieri debebat separatio susceptis SS. Ordinibus. Vid. S. Chrys. in 1. Tim. 3. & in c. 1. ad Titum. Ad 3. Rectè appellatur doctrina dœmoniorum, quæ *absolutè, & non liberè volentes*, obligat ad Cœlibatum, & nubere prohibet: hoc autem Ecclesia Romana non facit; sed illos tantùm, qui sponte & libere eligunt statum Sacerdotalem &c. vult esse cœlibes & continentes propter excellentiam statûs & sanctitatem functionum. Ad 4. tò *in omnibus* non denotat personas omnes indiscriminatim, sed eas tantùm, in quibus nullum reperitur impedimentum; vel solùm denotat, Matrimonium *omni ex parte* esse honorabile, sive ratio Sacramenti, sive proles, sive alij fines illius spectentur. Ad 5. Apostoli non circumduxerunt uxores, sed alias pias fœminas discipulas, quasi famulas, & victum subministrantes, sicut de ipso Christo legitur Luc. 8. Dein etiamsi fuissent uxores, tamen observabant continentiam, quod indicant verba *mulierem sororem*, ita ut uxor fuerit habita ut soror.

Ob. 2. Cœlibatus est res difficillima, plerisque impossibilis, ac horrenda contra naturam parit flagitia, & scandala, ut patet à posteriori. Et jam tempore S. Gregorij M. inventa sunt in piscina quadam sex millia capitum de occisis infantibus, qui omnes erant prognati à Sacerdotibus in Sicilia, ubi rigidè urgebatur Cœlibatus: ut deplorat S. Udalricus Episc. August. in epist. ad Nicolaum Papam, R. Status Clericalis & cœlebs, nulli difficilis accidit, non facilè ab his suscipiatur sine prævia consultatione & virium suarum disquisitione. Cæterùm si semel susceptus est, etiam observari potest à quolibet cum Divina gratia, sine qua nemo potest esse continens, & quam DEUS nulli denegat, præsertim post liberè susceptam obligationem continenter vivendi; modò adhibeantur media, quæ ex parte hominis requiruntur, uti sunt preces ardentes, sobrietas, fuga otij & occasionum pravarum, memoria mortis, & inferni, mortificatio corporis, custodia sensuum &c. Quæ media adhiberi debent etiam à conjugatis, quando alter con-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

conjunx est absens diu, vel ægrotat, vel quando urget tentatio ad concupiscendam alienam &c. Ad eadem tenentur Juvenes ante Matrimonium initum, si velint vitare peccatum. De reliquo tentari, sentire motus contra castitatem, absque consensu voluntatis, peccatum non est; cohibere autem consensum voluntatis in nostra libertate & potestate positum semper est. Horrenda flagitia non parit Cœlibatus, sed abusus illius, sicut adulteria non parit Matrimoniũ, sed abusus Matrimonij. Et sanè vix minora, & pauciora peccata contra castitatẽ reperies in conjugatis, quàm in cœlibatũ profitentibus. An lex obligans uxoratum, ut sit contentus una uxore, & alienam neque concupiscat neque tangat, vituperari & solvi debet, si uxorati multoties eam violent, & gravissimam difficultatem propter vitæ suæ licentiam experiantur in ea observanda? Utique hoc non dixeris. Cur ergo reprehendis & solvi cupis legem cœlibatûs, si fortè à quibusdam perversis sæpius violetur, vel aliqui, qui omnia indulgent sensualitati suæ, gravissimè contra castitatem tententur? De illis 6000. infantum fabula est & gravissima calumnia; quomodo enim verisimile sit, paucis illis annis, quibus Ecclesiam rexit S. Gregorius M. paucos illius viciniæ Clericos genuisse tot infantes? & eorum omnium capita saltâsse in unam piscinam? Unde cognitum est, horum infantum omnium patres fuisse Clericos, & non potiùs alios, etiam maritos? Quare de re tam memorabili altùm silent omnes Historici? etiam auctor vitæ S. Udalrici Episcopi Augustani? (nam de alio hujus nominis Sancto nihil constat) cur hæc epistola primùm post tot annos, & solis Sectarijs nostris innotuit? Quid quòd nullus Papa, Nicolaus nomine, vixerit cum S. Udalrico? Mendacijs nempe opus habet iniquitas ad oppugnandam veritatem.

ARTICULUS VII.

De Matrimonio.

SUMMARIUM.

1. *Quid & quotuplex sit Matrimonium.*
2. *Quæ circa illud controversa cum Sectarijs.*
3. *In potestate Ecclesiæ est constituere impedimenta Matrimonij alia-*
4. *mentia, quin tamen mutet materiam hujus Sacramenti à Christo determinatam.*
   Si semel est validè à Christianis contractum Matrimonium, & consummatum, insolubile est quoad vinculum.

5. *Quid ad illud S. Matthæi*: qui dimiserit uxorem suam exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari &c.
6. *An Ratio ad Consummatum non rectè formatur argumentum.*
7. *Nec adulterium ita repugnat substantiæ Matrimonij, ut illud dissolvat.*

1. SCiendum 1. Matrimonium dupliciter considerari posse, prout est contractus merè Civilis, & prout est Sacramentum. Prout est *Contractus merè Civilis*, qualis erat ante Christi adventum, & hodiedum est inter Paganos, seu non Christianos, sic definiri potest: *est mutua corporum traditio ad generandam prolem*, seu obligatio (remota & radicalis) quam personæ habiles mutuò ineunt ad usum generationis. Prout *Sacramentum* est, ad quam dignitatem Christus in Lege Nova illud elevavit, ut tradidimus de numero Sacramentorum, reperitur inter Christianos, & sic describitur: *Est Sacramentum inter baptizatos, quo vir & mulier, nullo impedimento laborantes* (sive impedimentum sit Juris Naturalis aut Divini, sive Ecclesiastici) *mutuò sua corpora tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum prolis generandæ, & remedium concupiscentiæ.* Illius *materia remota* sunt corpora contrahentium, *proxima* est mutuus consensus signo sensibili expressus, quatenus habet rationem *traditionis*: *Forma* autem est idem consensus, quatenus habet rationem *acceptationis*, expressus v. g. per verba similia: *accipio te in meam &c.* quamquam non omnes conveniant in modo loquendi circa materiam & formam Matrimonij. *Minister* sunt ipsi contrahentes, non Parochus assistens; hic enim solummodo benedicit, & agit testem qualificatum. Porro Matrimonium *Ratum* dicitur, quòd à fidelibus mutuo quidem consensu validè contractum est, & ideirco Ecclesiæ ratificatione approbatum, nondum tamen secutâ copulâ carnali. *Consummatum*, quando & hæc subsecuta est. Ratum significat conjunctionem Christi cum anima fideli per charitatem, & ideo absolutè dissolvi potest, sicut conjunctio Christi, cum singulis membris Ecclesiæ in charitate consistens, dissolvi potest. Consummatum verò simul significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptam carnem humanam, quæ unio est indissolubilis. Matrimonium verò Legis Mosaicæ significabat conjunctionem DEI cum Synagoga, quæ fuit postea repudiata; & ideo fortè Judæis fuit permissum dimittere uxores & dare libellum repudij.

Sciendum 2. Duo præcipuè hoc loco controverti cum nostris Sectarijs. 1. An Ecclesia possit statuere impedimenta Matrimonij *dirimentia*, seu talia, quæ contractum Matrimonialem non modò illicitum, sed etiam invalidum seu nullum faciunt, cujusmodi esse censentur votum solemne castitatis,

tis, absentia Parochi & duorum testium, certi gradus consanguinitatis &c. 2. An Matrimonium semel validè contractum, & consummatum, sit indissolubile, ita ut quoad vinculum nullo casu dissolvi queat, nisi per alterutrius conjugis mortem? Quippe in Antiquo Testamento vir poterat dare libellum repudij propter certas causas Deut. 4. seu dimissa uxore aliam ducere. 2. Leges Imperiales marito quidem dabant olim licentiam deserendi uxorem & ducendi aliam propter adulterium uxoris, non tamen uxori propter adulterium mariti. Sectarij autem & viro & mulieri, si alterutra pars fornicetur seu adulterium committat, potestatem faciunt Matrimonium penitus dissolvendi, seu dimissa altera parte novum contrahendi cum alia. Id quod non tantùm permittunt propter causam adulterij (quam quidem unicam esse vult Gerardus de Conjugio §. 602.) verùm etiam propter alias causas, puta graves rixas, molestam cohabitationem, metum mortis, affectatam absentiam alterius, apostasiam à fide suæ sectæ, inobedientiam in reddendo debito &c. In qua re valde infamis est Lutherus, cujus scurrile dictum omnibus notum est: *Si nolit uxor, veniat ancilla.*

5. Dicendum 1. Ecclesia potest impedimenta Matrimonij dirimentia statuere. Prob. 1. ex Scriptura. Christus dedit D. Petro (ejúsque successoribus) potestatem illimitatam solvendi & ligandi Mat. 16. ergo potest etiam aliquas personas, si adsit justa causa, & ad bonum publicum ac spirituale expedire videatur, *ligare*, seu reddere inhabiles ad contrahendum Matrimonium. Prob. 2. ex sensu & praxi Ecclesiæ, ut videre est apud Coccium in Thesauro to. 2. l. 9. a. 4. & 5.

Regeres. Ecclesia constituendo impedimenta dirimentia mutat materiam Sacramenti Matrimonij à Christo determinatam, quia illas personas, quæ Jure Divino sunt habiles, reddit inhabiles ad Matrimonium. R. mutat materialiter, mediatè, & solùm indirectè, vel potiùs omnino non mutat; nam Christus & Jus Divinum pro materia designavit contractum juxta Leges Divinas & Humanas validum, & inter personas habiles initum: hoc Ecclesia statuendo impedimentum dirimens non mutat, sed solùm facit, ut contractus, inter personas v. g. usque ad quartum gradum consanguineas, vel voto castitatis solenni obstrictas, vel sine præsentia Parochi &c. initus, non sit *validus*, & sic solùm materialiter & indirectè mutat materiam Matrimonij, non formaliter & directè. Ferè sicut materialiter & indirectè solummodo mutat materiam Sacramenti Pœnitentiæ, dum certis sacerdotibus negat potestatem absolvendi à certis peccatis, quæ reservat altiori potestati; quippe reservando certa peccata subtrahit certis sacerdotibus aliquos subditos: materia autem Sacramenti Pœnitentiæ, à Christo determinata, sunt peccata hominis *subditi*, quia Christus illud instituit per modum Judicij.

4. Dicendum 2. Matrimonium inter Christianos semel validè contractum,

& consummatum, est insolubile quoad vinculum; licèt ex justis causis quoad thorum & cohabitationem institui divortium possit. Prob. quoad primam partem, quæ maximè & ferè unicè controversa est. 1. ex Scriptura, in qua Christus Matrimonium reduxit iterum ad eum rigorem, in quo fuit in primæva sui institutione ac ex ordinatione Divina Gen. 2. v. 24. atque iterum sustulit libellum repudij, Judæis permissum per Moysen propter duritiam ipsorum, absolutè etiam pronuntians, Matrimonium esse insolubile. Audiamus textus: *Moyses permisit libellum repudij scribere, & dimittere.* Marci. 10. v. 4. *Quod ergo DEUS conjunxit, homo non separet.* v. 9. *Quicunque dimiserit uxorem, & aliam duxerit, adulterium committit super eam* v. 11. Item Luc. 16. v. 11. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* His duobus Evangelistis consentit Paulus: *Mulier alligata est legi* (vinculo Matrimoniali) *quanto tempore vir ejus vivit.* 1. Cor. 7. v. 39. *Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòdsi discesserit* (haud dubiè propter justam causam, inter quas præcipua est adulterium) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari, Et vir uxorem non dimittat.* v. 11. Hi omnes absolutè & sine ulla exceptione (etiam fornicationis seu adulterij ab altera parte commissi) pronuntiant, Matrimonium esse insolubile: ergo. Quòd autem Christus sustulerit libellum repudij in Novo Testamento, & ad primævam insolubilitatem reduxerit Matrimonium, quam habet tum ex natura sua, tum ex ordinatione Divina, *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Gen. 2. v. 24. adhuc clariùs patet ex S. Matthæo, qui c. 5. v. 32. ait: *Dictum est* (Judæis) *quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Et c. 19. v. 8. *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia, quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Et v. 6. *Quod ergo DEUS conjunxit, homo non separet.* Hìc insurgunt [Adversarij, &

Replicant per modum triumphantium. En! inquiunt, Matthæus clarissimè excipit fornicationem conjugis, seu adulterium: ergo *propter causam fornicationis* potest dimitti uxor, & alia duci, adeoque Matrimonium dissolvi quoad vinculum; id enim rectè infertur à contrario. Sed ne triumphum canant ante victoriam.

ctoriam. R. 1. & quæro ex Adversarijs, cur ergo ipsi, nominatim hìc Augustæ, tam frequenter dissolvant ob alias, quàm fornicationis, causas? R. 2. ex textibus S. Matthæi fortè rectè inferri, *propter fornicationem* posse *dimitti* perpetuò conjugem, non tamen *aliam duci*; siquidem tò *mœchatur*, & *adulterat* ponuntur solùm post verba, *aliam duxerit*, *dimissam duxerit*, non verò post verbum, *dimiserit*. Quamquam enim Matth. 5. post tò *dimiserit exceptâ fornicationis causâ*, statim ponantur verba, *facit eam mœchari*; hoc tamen aliud non indicat, quàm *occasionem fornicandi* præbere maritum uxori, si eam dimittat perpetuò sine justa causa fornicationis. Itaque Christus apud S. Matth. permisit *dimissionem*, etiam *perpetuam*, conjugis propter solius fornicationis causam, non verò permisit *novas nuptias cum alia*, aut ab alio *cum dimissa* contrahi. Et sic satisfecit interrogantibus Pharisæis, an liceat dimittere uxorem *quacunque ex causa?* Respondit enim cum distinctione, & dimissionem imperfectam, ubi aliud Matrimonium non contrahitur vel à dimittente vel à dimissa, *propter causam fornicationis* permisit innocenti; dimissionem verò perfectam, ubi soluto priore Matrimonio aliud contrahitur, non permisit etiam propter causam fornicationis, sed mœchiæ criminis reos edixit, qui id attentarent. Quod nihil aliud est, quàm solvi Matrimonium (seu potiùs divortium institui posse) *quoad thorum & cohabitationem*, non verò *quoad vinculum*. Atque hoc insinuavit etiam Paulus, dum 1. Cor. 7. mulierem dimissam jussit *manere innuptam*, aut *viro reconciliari*. Idem clarè expressit S. Augustinus varijs in locis, ut postea ostendam. R. 3. Christus haud dubiè apud S. Matthæum non voluerit aliud docere, quàm docuit per SS. Marcum, Lucam, & Paulum, per quos generaliter & absolutè, sine ulla exceptione fornicationis aut alterius causæ, pronuntiavit, Matrimonium esse insolubile. Apud S. Mat. dixit partem, nempe fornicari illum, qui sine causa fornicationis dimittit & aliam ducit; apud cæteros Apost. dixit totum, etiam fornicari illos, qui absolutè dimittunt, & aliam ducunt, adeóque etiam dimittentes propter causam fornicationis. Vid. S. August. de adult. conjug. l. 1. c. 11. Adde, quòd Christus Matrimonium apud S. Matthæum reduxerit ad primævam institutionem in Paradiso à Deo factam Gen. 2. quam de verbo ad verbum repetit Matth. 19. v. 5. dicens: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una*: atqui non reduxisset, si permisisset separationem quoad vinculum, & plenam dimissionem, ac solutionem Matrimonij etiam ex gravi causa, quia ex nulla causa potuit juxta primævam institutionem Matrimonium ab hominibus dissolvi quoad vinculum, ita ordinante Deo Gen. 2.

Prob. 2. ex Traditione, sensu, & praxi perpetua Ecclesiæ. Siquidem non modò Tridentinum Sess. 24. Can. 7. ita definivit, sed etiam jam pridem

tanquam *disciplinam Evangelicam & Apostolicam* tradidit Milevitanum II. c. 17. & Patres passim tam Græci quàm Latini. S. Chrysost. homil. 17. in Matth. *Nequaquam mihi referas, quia illam* (adulteram) *alter ejecit: nam EXPULSA quoque uxor esse ejus, qui eam expulit, PERSEVERAT.* S. Augustinus l. 2. de adulterinis conjugijs c. 5. *Manente in se vinculo fœderis conjugalis uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro.* Quid clariùs dici posset? Similia habet l. 1. c. 9. & 11. item l. de bono conjugali c. 7. & 15. &c. Demum l. 50. homiliar. hom. 49. dicit: *Solius fornicationis causâ licet uxorem adulteram dimittere, sed illa vivente non licet aliam ducere* (*non jure fori, sed jure cœli*) ut antè dixerat. Taceo Hieron. Clem. Alex. l. 2. strom. c. 12. & alios.

Prob. 3. ex significatione Matrimonij; nam Matrimonium Christianorum consummatum significat admirabilem illam conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis humanæ Eph. 5. quæ conjunctio est indissolubilis.

Prob. 4. ex ratione. Si propter adulterium posset dissolvi Matrimonium consummatum, sequeretur, quòd adulter vel adultera ex suo delicto posset ferre commodum, & sic valde alliceretur ad committenda adulteria, per quæ liberari se sciret à conjuge à se defforata, & jam non ampliùs amata &c. Solutô enim Matrimoniô quoad vinculum tam nocens quàm innocens pars liberatur ab obligatione prioris Matrimonij, consequenter aliud inire poterit.

Ob. ulteriùs 1. Matrimonium Christianorum *Ratum* potest dissolvi: ergo & *Consummatum.* R. 1. Neque Ratum dissolvi potest *propter fornicationem* alterius partis; eò quòd ex ordinatione Divina, & institutione primæva Matrimonium sit insolubile, nisi Deus dispensaverit: Christus autem etiam Matrimonium Ratum reduxit ad statum primævum. R. 2. N. Cons. partim quia Deus in institutione prima, postquam dixit, *adhærebit uxori suæ*, statim addidit, *erunt duo in carne una.* Gen. 2. sed hoc intelligendum est de Matrimonio *Consummato*: partim quia Matrimonium Christianorum *Ratum* tantùm significat conjunctionem Christi cum anima fideli per charitatem, quæ conjunctio dissolvi potest: partim quia sensus & praxis Ecclesiæ habet, quòd Matrimonium Christianorum Ratum dissolvi possit per Professionem Religiosam c. verùm 2. c. ex publico 7. de convers. Conjug. Trident. Sess. 24. Can. 6. item per dispensationem Pontificis; quamvis enim obligatio Matrimonij Rati sit Juris Divini, tamen ex valde magni momenti causis aliquo modo dispensari posse à Pontifice, qui accepit potestatem omnem, quæ ad bonam Ecclesiæ & animarum gubernationem necessaria aut valde proficua est, communiter docent Auctores: quam ob causam in Votis etiam & Juramentis, licèt sint Juris Divini, dispensat Pontifex. Cùm igitur ex dissolutione 6.

ne Matrimonij Rati gravia Ecclesiæ mala subinde impediri, aut animarum bonum promoveri valde possit, & insuper ex ea non sequantur talia incommoda, quæ sequerentur ex dissolutione Matrimonij Consummati; hæc potestas solvendi deneganda non est Pontifici. In Matrimonio Consummato autem dispensandi potestas ablata est Pontifici per textus Scripturæ suprà recitatos.

7. Ob. 2. Adulterium directè pugnat cum natura & substantia Matrimonij, quia facit, ut non *sint DUO in carne una*, cùm pars adultera se communicet tertio: ergo per adulterium destruitur & dissolvitur Matrimonium etiam Consummatum. R. 1. Cur igitur Lutherani dissolvunt Matrimonia etiam propter alias causas? R. 2. N. Ant. Nam substantia Matrimonij nec partialiter consistit in copula carnali, ut patet ex Matrimonio B. V. & D. Josephi, quod fuit verum Matrimonium sine actu conjugali, ut fatetur Gerard. §. 413. sed consistit in mutuo consensu & dato jure (remoto, radicali, & conditionato, si altera pars exigat) ad actus conjugales, ad generandum aptos: unde copula actualis est tantùm aliquid consequens, & usus dati juris.

COROL-

COROLLARIA,

Summum Lutheranis præjudicium afferentia, & ex proprijs eorum principijs, quæ explicata sunt in hac Parte posteriore, desumpta.

EX hactenus disputatis, & ipsorum Lutheranorum principijs fideliter adductis clarè

Colligitur 1. Lutheranos omnes constanter esse peccatores, pœnâ æternâ dignos, Deique inimicos. 1. Propter peccatum Originale, quod constanter in ipsis manet. 2. Quia constanter peccant in omni opere p. 440. 441. omne autem peccatum ex natura sua est mortale, æternâ pœnâ dignum &c. p. 428. Imò motus concupiscentiæ etiam involuntarij, in somno, in infantia, in amentia &c. orti, sunt ex se peccatum mortale p. 427. quibus tamen carere in hominis potestate non est. 3. Quia mandata DEI, quæ semper obligant, observare non possunt, præsertim mandatum dilectionis, & mandatum *non concupisces.* p. 421. seq. 4. Quia peccatum personale, semel commissum, apud ipsos nunquam verè tollitur, sed tantùm tegitur, ita ut non imputetur. Sed ne hinc excipiant,

Collig. 2. Lutheranos esse tales peccatores, quibus peccata imputentur. 1. Quia quodcunque peccatum, cum advertentia & scienter commissum, renatos facit similes non-renatis & infidelibus p. 428. Atqui non-renatis omnia peccata imputantur. ibid. Lutherani autem sæpe utique peccant cum advertentia, scienter &c. Imò, cùm omne opus, utut bonum videatur, sit ἁνομία seu peccatum p. 441. & utique sua opera Lutherani faciant scienter & cum advertentia &c. dum vigilant & sapiunt, fieri non potest, ut non peccent cum advertentia &c. 2. Quia DEUS non potest non imputare peccatum illi, in quo est peccatum. p. 431. 437. 442.

Collig. 3. Lutheranos esse gravissimos peccatores, quia (ut alia dissimulem) sunt blasphemi; dicunt enim 1. DEUM præcipere nobis aliqua, quæ tamen scit nobis esse observatu impossibilia; quod est imprudentis p. 416. 2. DEUM nihilominus transgressoribus horum præceptorum minitari & infligere pœnam æternam atrocissimam, saltem non-renatis; quod est tyranni. 3. Homini infideli ad credendum, peccatori ad resurgendum, deesse libertatem, eósque prorsus nihil posse cooperari oblatæ gratiæ Divinæ p. 406. & sic DEUM faciunt auctorem peccati infidelitatis & impœnitentiæ, cùm DEUS solus in causa sit, cur infidelis non credat,

dat, peccator non resurgat, & sic uterque æternùm damnetur &c.

Collig. 4. Lutheranos ex peccatoribus non posse fieri justos. 1. Quia non possunt habere illam fidem specialem seu fiducialem, per quam solam se dicunt justificari. p. 474. 2. Quia nemo potest ex peccatore fieri justus per peccatum, & quidem cum advertentia commissum: sed credere, sibi esse remissa peccata (quo actu se justificari dicunt) nullus potest sine peccato; cùm illa Fides nunquam tam firma & perfecta sit, ut non deberet esse perfectior & firmior. p. 441. Qui defectus ἀνομία seu peccatum est p. 421. Nam nullum DEI præceptum (cujusmodi utique etiam est mandatum Fidei) ita perfectè impleri potest, quantùm DEUS obligat p. 416. Quòd autem hoc peccatum & defectus imputari debeat, patet indè; quia Fides utique scienter, & cum advertentia elicitur. 3. Quia nulla potest dari Fides justificans sine bonis operibus, tanquam signis & effectibus veræ Fidei p. 469. Atqui apud Lutheranos non est possibile opus bonum. p. 441. 4. Quia Fides justificans Lutheranorum supponit, & non supponit remissionem peccatorum: ergo implicat. Supponit, quia remissio peccatorum est objectum hujus Fidei, cùm homo justificandus credat, *sibi remissa esse peccata*: non supponit, quia primùm obtinet remissionem peccatorum. 5. Quia nemo potest esse justus justitiâ alienâ sibi tantùm extrinsecè imputatâ, & æquè parùm, ac nemo pulcher esse queat pulchritudine aliena, in se non recepta, sed tantùm extrinsecùs imputatâ: atqui Lutherani dicunt se justificari Justitiâ Christi tantùm extrinsecùs imputatâ p. 463.

Collig. 5. Lutheranos à suis Ministris non absolvi à peccatis. 1. Quia non habent Ministros legitimè vocatos & ordinatos, adeóque potestate absolvendi præditos &c. p. 650. 2. Quia solùm *annuntiant* contritis & credentibus, peccata ipsis esse remissa. p. 609. 3. Quia ante absolutionem (vel potiùs annuntiationem) requiritur in pœnitente Fides, qua firmiter credat, sibi esse remissa peccata: vel igitur verè credit pœnitens, vel non? Si verè credit, per Fidem remissa sunt ipsi peccata, non per Absolutionem: si non verè credit, Absolutio nulla est, utpote data indispositò, & hypocritæ. 4. Quia absolvens deberet pœnitenti in specie (vel potiùs in individuo) annuntiare remissionem peccatorum, eúmque certum reddere de ea obtenta: atqui hoc non potest, quia absolvens nescit certò, an pœnitens rite credat, sibi esse remissa peccata: sine qua Fide non remittuntur peccata.

Collig. 6. Lutheranos infructuosè baptizari. 1. Quia remanet in ipsis peccatum originale per totam vitam, quod deberet tolli per baptismum. 2. Quia nullum remittitur peccatum sine actu Fidei specialis: sed actum Fidei non possunt elicere Lutherani, dum baptizantur; cùm baptizentur in infantia, ubi incapaces sunt eliciendi actum intellectûs, qualis ex natura sua est actus Fidei. p. 560.

Collig. 7. Lutheranos non habere verum Evchariſtiæ Sacramentum. 1. Quia non habent Sacerdotes legitimè ordinatos & vocatos &c. Sine Sacerdote autem legitimè ordinato & vocato non poteſt fieri valida conſecratio panis & vini, cùm ſolis Sacerdotibus data ſit poteſtas conſecrandi p. 643. Proinde panis, quem comedunt tanquam Sacramentum Evchariſtiæ, non magis eſt conſecratus, quàm farcimen, ſi ante hujus eſum preces fundant; ſicut enim farcimen eſt materia conſecrari impotens, utpote à Chriſto non deputata; ita Præco, aut quivis alius Lutheranus, eſt perſona conſecrare impotens, utpote à Chriſto ad conſecrandum non deputata, poteſtatem non habens &c. 2. Quia Chriſtus nunquam eſt Sacramentaliter præſens; non enim eſt præſens ſtatim poſt conſecrationem, neq; in actuali diſtributione, neq; primùm in actuali manducatione, ut fatentur p. 578. Neque in his ſimul ſumptis, cùm ſic Chriſtus deberet fieri præſens ſucceſſivè, & quaſi per fruſta, & partes formari inſtar embryonis vel fœtûs in utero; quo nihil abſurdius. 3. Quia verba, quibus confici debet Evchariſtiæ Sacramentum, habent ſenſum chymæricum, ſcilicet hunc, *hic Panis eſt Corpus Chriſti &c.* Utique enim implicat, panem eſſe Corpus Chriſti, ſi panis eſſe perſeveret. p. 572.

Collig. 8. Lutheranos non eſſe bonos bonitate ſupernaturali, DEO placente, & ad ſalutem æternam conducente. 1. Quia nullam habent juſtitiam ſibi intrinſecam p. 463. ſeq. 2. Quia perſeverant eſſe peccatores poſt baptismum & pœnitentiam, ut vidimus, licèt dicant ſua peccata regi umbraculô meritorum Chriſti. 3. Quia peccata, in quibus ſemper ſunt, ipſis imputantur, ut dictum ſuprà. 4. Quia nullum opus ſpiritualiter bonum internum poſſunt facere, propter quod eſſent laudabiles coram DEO, ex defectu libertatis indifferentiæ p. 406. 5. Quia in rebus omnibus peccant, conſequenter in multis ſaltem cum advertentia & ſcienter, atque ſic peccant mortaliter, proinde perpetuò ſunt ſimiles non-renatis: non-renati autem nullam habent in ſe bonitatem, vi cujus DEO placeant &c. 6. Quia non ſatis abſterrentur à peccatis, etiam majoribus; cùm prorſus facilem, & æqualem ſtatuant pœnitentiam pro parvis & magnis peccatis, ſcilicet Fidem (& fortè etiam terrores conſcientiæ pœnam æternam tam levibus quàm magnis peccatis juxta ipſos intentantis) 7. Quia nullum poſſunt facere opus verè bonum, Deóque placens: quippe opera ſupererogatoria non admittunt p. 443. Illa autem, quæ ſunt ſub præcepto, facere nequeunt; cùm nullum præceptum perfectè, ita ut peccatum non fiat, obſervare poſſint. p. 416. &c.

Collig. 9. Lutheranos non poſſe ſalvari. 1. Quia conſtanter peccatores ſunt, & quidem graves, talésque, quibus peccata imputentur &c. ut oſtenſum eſt. 2. Quia non poſſunt fieri juſti, verè abſolvi à peccatis, nec reddi intrinſecè boni, Deóque placentes &c. ut pariter dictum. 3. Quia nullum mandatum DEI (conſequenter nec Fidei, per quam

quam se ajunt justificari) perfectè & sine peccato observare possunt: qui autem non observant mandata DEI sub amissione æternæ salutis obligantia, utique non possunt salvari, eò quòd conditionem à DEO requisitam non impleant: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19. 4. Quia nullus potest salvari, nisi Fide speciali absoluta & in particulari se salvandum credat p. 479. Atqui hoc Lutheranis est impossibile, cùm nihil possit absolutè & in particulari credi Fide Divina, quod absolutè & in particulari revelatum non est. Jam afferant Lutherani particularem & absolutam revelationem Divinam, se singulos in particulari, vel aliquem in individuo esse salvandum &c.

Hæc sufficere puto ad evidenter demonstrandam Sectæ Lutheranæ tum absurditatem tum falsitatem. Sicui tamen necdum sufficerent, facile erit plura hujusmodi corollaria ex dictis deducere, cujusmodi v.g. esset etiam hoc: Quisquis tenet opiniones privatas contra Ecclesiam Catholicam, easque pertinaciter defendit pro dogmatis Christianis, ille verus Christianus non est: hoc faciunt Lutherani, ut ostensum est per totum librum: ergo veri Christiani non sunt. Major est ipsorum; nam Gerardus de Minist. Eccles. §. 370. in LL. Theol. Sic definit hæresim: *Hæresis est privata aliqua opinio, quam quis pro dogmate Christiano & Fide Catholica sibi amplectendam elegit, eámque pertinaciter defendit.*

APPENDIX,

IN QUA INSTITUITUR

EXAMEN POLEMICUM

SUPER

AUGUSTANA CONFESSIONE.

Videlicet

An illa sit infallibile Fidei Lutheranæ Symbolum, tantæque auctoritatis, ut homo Veritatis ac Salutis suæ amans possit prudenter ac tutò ei adhærere, Fidéque Divina credere, quæ in illa continentur.

Cui ad calcem adijcitur ipsa Confessionis Augustanæ formula authentica

Cum Observationibus notatu dignis.

PRÆFATIO.

Quamvis ea sit Lutheranorum inter se discordia, ut nulla Regio, nulla Civitas, nulla Academia, imò nulla propè Familia perfectè cum altera concordet in ijs, quæ credenda & facienda sunt: nihilominus tamen omnes omnino, quod scio, conspirant in hoc, quòd CONFESSIONI AUGUSTANÆ *addictos sese profiteantur. Tantæ apud omnes auctoritatis est hæc Fidei ipsorum brevis summa, seu* Symbolum, *ut vocant. Quare mearum partium, & simul operæ pretium esse duxi, inquirere, non solùm unde tanta auctoritas in hanc Confessionem derivata sit, ut omnes Lutherizantium Ecclesiæ se illius*

illius membra profiteantur, sed etiam, & quidem maximè, unde homo rerum peritus ex principijs Theologicis sufficiens motivum haurire possit ad prudenter imperandum sibi assensum firmissimum atque indubitatum, ijs rebus præstandum, quas Augustana Confessio complectitur, & (quod indè sequitur) quomodo homo salutis suæ amans ei tutò acquiescere valeat. Quòdsi enim assensum firmissimum prudenter eliciendi desit sufficiens ratio, pariter fides tantùm infirma, incerta, & merè humana, adeóque nulla erit. Proinde, si ostendero, quòd Confessio Augustana, ad judicij Theologici stateram appensa, inveniatur minus habens, & auctoritate sufficienti destituta, toti Lutheranismo præcipuum, cui propemodum unicè innititur, fulcrum subtrahetur: quo subtracto instar ruinosæ domûs nutare ipsum necesse erit.

ARTICULUS I.

Quid sit Confessio Augustana, & quis status quæstionis?

SUMMARIUM.

1. *Confessio Augustana periculosissimo propter Turcam, Romano Imperio imminentem, tempore in Comitijs Augustæ compilata,*
2. *Jussu Caroli V. Imperatoris,*
3. *Subscribentibus aliquot Principibus Imperij, ex quibus præcipuus, nempe Elector Saxoniæ, Catholicè obijt.*
4. *Facta est ex libris Lutheri, & à Melanchtone in 28. Articulos divisa, quorum 21. ad fidem,*
5. *Septem postremi ad mores pertinent, in quibus reprehenduntur aliqui abusus Catholicorum, ut volunt Protestantes.*
6. *Ex primis 21. octo sunt erronei & contra fidem, saltem latenter.*
7. *Quippe Confessio non fideliter fuit concinnata.*
8. *Nobis propositum est eam non per partes, sed totam simul impugnare.*
9. *Nam dicitur esse Symbolum fidei Lutheranæ.*
10. *Quid sit Symbolum?*
11. *Quid sit Confessio Augustana?*
12. *Quis status quæstionis?*
13. *Symbolum fidei debet esse infallibile,*
14. *Et fide divina credibile.*

1. SCiendum 1. Invictissimum Imperatorem Carolum V. cùm videret Lutheri ac Lutheranorum in defendendo suo Schismate pertinaciam, & natas indè totius Germaniæ turbas summáque pericula, anno M. D. XXX. indixisse Comitia Imperialia Augustam Vindelicorum, partim ut auxilia contra Turcam, qui priore primùm anno ad ipsam urbem Viennensem ingentem exercitum cum maximo Catholicorum terrore adduxerat, partim ut remedia quæreret ad reducendam in causa Religionis inter Germanos concordiam. Adeò infelici fato hæc per Germaniam in Religione dissidia inciderunt in isthæc tempora, quibus Orcus Ecclesiam atrociter infestabat per Turcam in finibus, per Lutherum verò in ipsis Teutoniæ visceribus, ut nempe alter ab altero juvaretur, & neuter debellari posset, quia Turca Lutheri & Lutherus Turcæ res & causam strenuè promovit. Lutheri fuit illud rebelle classicum: *qui habet aures audiendi, audiat, & à bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen sub cœlo valet.*

2. Sciendum 2. Eundem Carolum jussisse, ut in his Comitiis dissidentes Imperii Status suam mentem ac gravamina circa Religionem proponerent tum Latino tum Germanico idiomate. Quapropter Lutherani doctrinam suam in certos articulos redactam à Philippo Melanchtone (Germanicè **Schwartz-Erden**) in prædictis Comitiis exhibuerunt Carolo Imperatori, quæ postmodum dicebatur *Confessio Augustana*, non quòd Urbs Augustana eidem subscripserit, tum magis Zwinglio quàm Luthero secundùm aliquam sui partem addicta, sed quòd *Augustæ* compilata, & Cæsari oblata sit.

3. Sciendum 3. Confessioni Augustanæ Latinæ tum temporis subscripsisse 1. Joannem Ducem & Electorem Saxoniæ. 2. Georgium Marchionem Brandeburgensem. 3. Ernestũ Ducem Luneburgensem. 4. Philippum Landgravium Hassiæ. 5. Wolffgangum Principem Anhaltinum. 6. Duas Civitates Imperiales, nempe Norimbergam & Reutlingam.

Dux tamen Elector Saxoniæ Joannes præcipuus Lutheri Fautor & Augustanæ Confessionis Promotor, ac Protestantium primus, cùm ad agonem perveniisset, conscientiâ & metu severi Judicis stimulante, ad Romanam Ecclesiam rediit, Sacramenta Confessionis, Evchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Catholico ritu percepit, acinsuper Lutheranam fidem detestatus à filio suo Joanne Friderico in ditiones suas antiquam Religionem restitui seriò postulavit, ut constat ex Authenticis litteris, à Joanne Friderico mox post obitum Patris ad Duces Bavariæ Wilhelmum & Ludovicum datis, quæ legi possunt in libro Viennæ edito anno M. DC. LXXXI. cui titulus *Confessio & Anti-Confessio Augustana.*

4. Sciendum 4. Confessionem Augustanam ex illis 17. articulis, quos Lutherus ex suis libris desumptos ad Comitia in hunc finem miserat, fuisse collectam & in ordinem redactam à Melanchtone, ut dictum, Lutheri discipulo; qui tamen fuit homo tam inconstans, ut teste Jacobo Gaultero post ejus obitum sectæ complures eum sibi

sibi tanquam suum vendicaverint, præsertim Sacramentarij, ad quos à Confessione Augustana transijsse satis certum est. Cæterùm illi septendecim articuli, ex quibus Confessio compilata est, exstant in tom. 5. Germ. Jen. f. 14. 15. 16.

Sciendum. 5. Confessionem Augustanam, prout à Melanchtone distributa est, complecti articulos 28. quorum primi 21. ad fidei doctrinam, 7. verò ultimi ad mores pertinent, & inscribuntur de *Abusibus*.

Sciendum 6. Ex primis 21. articulis, qui ad fidei doctrinam spectant, omnino decem convenire cum doctrina Catholica, nempe 1. de Essentia Divina. 3. De Christo JESU & Verbo incarnato. 8. de administratione Sacramentorum. 9 de Baptismo. 10. de Cœna Domini. 24. de Vocatione Ministrorum. 16. de rebus Civilibus, quòd nempe Christianis liceat Magistratus gerere, & bella. 17. de extremo judicio, beatitudine, damnatione æterna. 18. de libero arbitrio. 19. de auctore peccati.

Sciendum 7. In ultimis 7. articulis sequentes abusus, ut vocant Protestantes, reprehendi, nimirum. 1. 5. Quòd Catholici præbeant Laicis Sacram Communionem tantùm sub una specie, & usum Calicis negent. 2. Quòd Sacerdotibus prohibeant conjugium. 3. Quòd Missam privatam celebrent sine Comunione populi, & ex ea, nimis frequenti, quæstū colligant; & in Missa publica nullas Cantiones Germanicas admisceant, quibus doceretur populus. 4. Quòd in Confessione onerent conscientias curâ enumerandi omnia delicta, cùm tamen recitare omnia impossibile sit. 5. Quòd quotidie instituant novas ceremonias, novos ordines, novas ferias, nova jejunia, quibus gravatur populus, cùm doceant, hæc opera esse necessaria ad promerendam gratiam. 6. Quòd vitam & vota Religiosa nimis extollant contra mandatum Dei, quod quemlibet jubet habere uxorem suam propter fornicationem: & contra gloriam Christi, quia votis tribuunt justificationem, non fidei in Christum: & contra infirmitatem naturæ humanæ, cui castitatis observatio sæpe est impossibilis, quæ tamen subinde inconsultò vovetur: propter quas & similes causas hæc vota esse irrita volunt Protestantes. 7. Quòd nimis amplam potestatem sibi arrogent Episcopi & Papa in condendis novis traditionibus & legibus humanis, quasi hæ essent necessariæ ad promerendam justificationem, quod est contra libertatem Christianam, & contra præceptum Divinum. Item quòd aliqui Episcopi non solùm usurpent potestatem Ecclesiasticam prædicandi Evangelii, remittendi & retinendi peccata, administrandi Sacramenta, rejciendi doctrinam ab Evangelio dissentientem, excludendi à communione Ecclesiæ, quæ potestas ipsis competit *jure Divino*; verùm etiam sibi arrogent potestatem Civilem & imperij, qua conati etiam sunt transferre Regna Mundi.

Sciendum 8. Reliquos undecim ar- 6.
ticulos ex 21. esse vel ex toto vel ex parte erroneos & hæreticos, si non apertè, saltem latenter, uti de justificatione,

catione, fide, bonis operibus &c.

Dico *saltem latenter*; nam plurimi articuli ita obscurè & nequiter sunt positi, ut mentem Lutheri & Lutheranorũ non clarè explicent, imò nonnunquam contrarium explicare videantur, ut nimirum Catholici Principes, qui unionem & concordiam cum Ecclesia Romano-Catholica ardenter urgebant, existimarent, Protestantes in plerisque mutatâ sententiâ consentire Catholicis.

7. Et quamvis Imperator Carolus præceperit totam doctrinam sibi proponi, & post oblatam Confessionem seriò scire petierit, utrùm non alios adhuc articulos haberent adversantes Catholicis; ut videre est apud Georgium Cœlestinum in hist. Com. Aug. to. 2. 13. Julij, Sleidanum l. 7. f. 213. & Chytræum in hist. Conf. f. 195. 196. 197. ubi recensentur etiam aliqui articuli controversi, quos Melanchton & ejus Socij (probabiliter tamen inscio Saxone & Principibus Lutheranis) studio dissimulârunt, tanquam *exosos & odiosos*, ut vocabant, nimirum 1. An omnia ita fieri debeant, ut fiunt. 2. An liberum arbitrium sit nihil. 3. An Deus etiam faciat mala. 4. An omnes Christiani sint Sacerdotes. 5. An Papa sit summus Episcopus jure Divino. 6. An Indulgentiæ sint admittendæ. 7. An quodlibet opus bonum sit peccatum mortale. 8. Utrùm Laicus possit conficere Sacramentum Altaris. 9. An Confessio Auricularis sit ad salutem necessaria. 10. Utrùm sint plus minus septem Sacramenta &c. Quæ dissimulatio fuit prorsus fraudulenta, contra mandatum Cæsaris, contra sponsionem Protestantium, non tamen contra voluntatem Lutheri, qui durantibus Comitiis ex eremo sua, id est, ex arce munitissima, in qua à Saxone detinebatur occultè, ne tradi deberet Cæsari plectendus, ita scripsit ad Melanchtonem: *si vim evaserimus, pace obtenta, dolos, mendacia, ac lapsus nostros facilè emendabimus.* Georg. Cœlestinus Auctor Lutheranarum partium in historia Comitiorum anno 1530. tom. 3. mihi f. 24. pag. 2. Ensynceritatem, qua Confessio Augustana primitus cusa est.

Sciendum 9. præter errores etiam reperiri aperta mendacia in Confessione Augustana, præsertim in ultimis ejus articulis de Abusibus, qualia sunt 1. Cùm dicitur, Catholicos docere, Christum præcisè pro peccato originali satisfeciisse, Missam autem satisfacere pro peccatis actualibus tam vivorum quàm mortuorum. 2. Nullum Episcopum recipi à Catholicis, nisi juret, se puram Evangelij doctrinam nolle docere, &c. Verùm quia nimis longum foret & contra propositum nostrum singulos speciatim referre, & in particulari refutare tum errores tum mendacia, qui in Confessione Augustana vel apertè exstant, vel facilè eruuntur, hoc labore supersedeo. Videri potest P. Adamus Tannerus, & Thomas Henrici, uterque in sua Anatomia Conf. Aug. & alij Auctores hinc indè hanc materiam attingentes.

8. Mihi constituendum est & sufficit impugnare simul & generatim totam Confessionem Augustanam; si enim tota nullius

nullius auctoritatis & valoris esse convincitur, quid partes valebunt?

9. Sciendum 10. Confessionem hanc Augustanam, seu formam & summam fidei Lutheranæ, à suis Cultoribus vocari *Symbolum* suæ Ecclesiæ ut testantur citatus Thomas Henrici initio suæ Anatom. & Conradus Dietericus Lutheranus, qui in suis institutionibus Catechet. ita scribit: Augustana Confessio est *Symbolum publicum quarundam Ecclesiarum Germaniæ de præcipuis Religionis capitibus ex Dei Verbo conscriptum.* Item libellus Germanicus, cui titulus: Letste Evangelische Gnaden-Posaun / primò Belgicè conscriptus ante paucos annos à Zachar. Webber Protestantium partibus addicto, hîc Augustæ notissimus. Liber Concordiæ, quamvis illam velit esse Symbolum, præmittit tamen verba *hujus temporis*, diser Zeit / quia nempe nunc staturi non posset, quid sequentibus annis crediturí essent Confessionistæ. Mylius verò in prologom. licèt vocet Symbolum, comparare tamen non audet Symbolis Catholicis, nimirum Apostolico, Nicæno, & S. Athanasij.

10. Sciendum 11. Symbolum fidei à Ioanne Dorscheo Professore Argentinensi in dissert. definiri: *est doctrina eorum, quorum Symbolum est, succincta summa, ex Verbo DEI, & Sacrosanctis Prophetarum, & Apostolorum scriptis collecta, ita ut per illud tanquam per indubitatam notam omnes Orthodoxi ubique terrarum agnosci, & in præcipuis ac substantialibus fidei articulis ab Adversarijs suis discerni possint.* Symbolum quippe omnes fidei articulos necessarios, in quibus una pars ab altera dissentit, continere debet, & esse omnino immutabile, & invariabile. His Præmissis

11. Dico 1. Confessio Augustana sic potest describi: *Est Symbolum fidei Lutheranæ, quod ex scriptis Lutheri per Philippum Melanchthonem collectum, & in ordinem redactum, in Comitijs Augustanis anno 1530. exhibitum est Invictissimo Imperatori Carolo V.* Patent omnia ex dictis.

12. Dico 2. Status quæstionis, quam ventilare aggredimur, consistit in hoc: utrùm Confessio Augustana sit fidei Symbolum *infallibile*, ac tantæ auctoritatis (undeunde acquisitæ) ut homo prudens ejus articulos, præsertim in quibus discrepat à doctrina Catholica, possit credere *fide divina*, eique salutem suam tutò committere?

13. Dixi 1. *Infallibile*; nam si fallibile tantùm sit, assensus ei præstitus nequit esse infallibilis, certissimus, firmissimus, sed necessariò erit pariter fallibilis, incertus, dubius, consequenter non actus fidei, sed meræ opinionis & conjecturæ; conjectura autem & mera opinio non est summum intellectûs nostri obsequium, quod præstare tenemur Veracitati Divinæ, ac DEO loquenti, & certos articulos nobis proponenti credendos. Unde sicut Symbola Apostolicum, Nicænum, Athanasij, etiam juxta Lutheranos sunt infallibilia, quia sunt Symbola fidei, seu quia complectuntur talia, quæ sunt à DEO revelata;

ita etiam Confessio Augustana, si est Symbolum *Fidei*, seu si complectitur talia, quæ à DEO sunt revelata, necessariò debet esse infallibile. Hinc non capio, quomodo Mylius, & alij quidam Lutherani Confessionem Augustanam vocare possint *Symbolum fidei* suæ, minoris tamen auctoritatis (quoad vim movendi ad firmissimum assensum) esse asserant, quàm sit Symbolum S. Athanasij, Nicænum, Apostolicum. Sic enim argumentor: vel Confessio Augustana complectitur meros articulos à DEO revelatos, vel non? Si primum, planè ejusdem auctoritatis esse & pari efficaciâ movere debet ad assensum, quàm prædicta tria Symbola, cùm prorsus sit idem motivum, nempe idem DEUS infinitè verax & revelans. Si secundum, nullo modo est *Symbolum fidei*; cùm Symbolum debeat continere res à DEO revelatas, *fidei* articulos, quos oportet *credere*. Secus si fiat, est scriptum erroribus obnoxium, nulla auctoritate nixum, & non nisi fide humana dignum. Quod utique de sua Confessione, quam purò DEI verbò niti jactitant, non fatebuntur Lutherani, nisi velint esse contenti fide merè humanâ, qua DEUS non colitur, nec salus obtinetur, cùm tamen juxta ipsos sola fides requiratur & sufficiat ad salutem obtinendam.

14. Dixi 2. *fide divina*, hoc est, tali, quæ nititur auctoritate DEI loquentis & revelantis. Quòd DEO (suppositò, quòd loquatur) credendum sit assensu firmissimo, ac nullatenus dubitandum, omnino evidens est. Utrùm autem hic & nunc loquatur, hoc vel illud revelaverit DEUS, non est evidens, sed probari debet ex certis signis, quæ vocari solent *motiva credibilitatis*, quibus ita fiat evidenter credibile, DEUM hic & nunc loqui, hoc vel illud revelare, aut revelâsse, ut de hoc prudenter dubitari non possit, minùs, sine injuria primæ Veritatis negari seu revelatio seu objectum revelatum. Quæstio nunc est, utrùm Lutherani habeant nullum tale signum, & motivum tantæ auctoritatis, per quod ipsis fiat evidenter credibile, articulos suæ Confessionis, præsertim eos, qui sunt contrarij Ecclesiæ Catholicæ, esse à DEO revelatos, qui fide divina, infallibili, ac certissima credi possint ac debeant? Ex discursu (DEO adjuvante conatus nostros) patebit, Confessionem Augustanam non modò non esse evidenter credibilem fide divina ex ullo capite, sed potiùs evidenter esse incredibilem, & omni divina auctoritate destitutam ex multis capitibus, imò tot, quot hoc opusculum complectitur articulos.

ARTI-

ARTICULUS II.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat à Luthero, ex cujus libris sumpta est?

SUMMARIUM.

1. *Lutherus est quasi proto-parens Confessionis Augustanæ.*
2. *Quem Lutheranorum aliqui multùm extollunt, ideo ejus quoque partum, nempe Conf. August. in magno honore habendum putant;*
3. *Sed malè, quia tam vita quàm doctrina ejus scelerata exstitit.*
4. *Fuit enim sacrilegus & perfidus Apostata.*
5. *Blasphemus in DEUM & Sanctos.*
6. *Obscœnus.*
7. *Et trivialis scurra.*
8. *Superbus Thraso.*
9. *Et maledicus enormiter.*
10. *Bibliorum falsarius.*
11. *Homo mendax.*
12. *Sibi ipsi contradicens.*
13. *Familiaris Diabolo.*
14. *Ejúsque discipulus.*
15. *Illius doctrina viam sternit sceleribus.*
16. *Quod & ipse fatetur.*
17. *Unde nulla prorsus auctoritas redundat à Luthero in Confessionem Augustanam, sed potiùs opprobrium.*
18. *Et quia Lutherus nec immediatè nec mediatè à DEO vocatus est ad novam fidem introducendam,*
19. *Videant Lutherani, cui salutem suam credant.*
20. *Nec prodest ipsis, si nobis objiciant improbos Prælatos & Sacerdotes Ecclesiæ Catholicæ.*
21. *Nec excusant Lutherum, si dicant, eum initiò non statim fuisse satis illuminatum.*

1. SCiendum 1. Lutherum, patriâ Saxonem, professione priùs Monachum, postea infamem apostatam, esse primum ac præcipuum inter homines auctorem seu architectum, & quasi protoparentem Confessionis Augustanæ. Hoc enim testatur non solùm ipse Lutherus, dum in præf. 1. Tom. Lat. ait: *primò solus eram*, hoc est, nullum ducem, nullum initiò habebam socium; sed & Melanchthon Confessionis Augustanæ faber secundarius, cæteríque Sectatores Lutherum pro Duce, ac fidei suæ Magistro agnoscunt. Quin res ista tam aperta est, ut nullus rerum peritus vocare possit in dubium, cùm palàm sit & in confesso apud omnes, ex libris Lutheri desumptam esse Confessionem Augustanam.

2. Sciendum 2. Multos (non tamen omnes) Lutheranos plurimùm extollere Lutherum, eúmque superbis titu-

lis appellare Prophetam, Evangelistam, Apostolum, Eliam, Joannem Baptistam &c. atque habere pro viro tam illuminato, ut SS. patres cum ipso comparati vilescant. Id nempe didicerunt ab hoc suo quinto Evangelista, qui (ex humilitate scilicet) arroganter hos sibi titulos attribuit, vix non Christum & Deum se appellans. Ab hoc igitur admirabili viro (si Superis placet) qui extinctam, ut ajunt, sanæ doctrinæ lucem reaccendit, Evangelium sub scamno delitescens iterum protraxit, afflictis conscientijs Christianam libertatem restituit, & Christi Ecclesiam multis erroribus fædatam reformavit, magnam Confessioni suæ authoritatem conciliari existimant.

3. Sciendum 3. Lutheranos ita sentientes vel decipi à suis Prædicantibus, vel ignorare Acta & Scripta Lutheri, vel etiam sponte cæcutire, dum petulantem linguam, turpissimum calamum, & sceleratos mores Patriarchæ sui nesciunt, aut nescire volunt. Unde meum esse duxi, *beatum & pretiosum*, ut vocant, hunc virum rudi saltem penicillo delineare (nam vivis coloribus exprimere nec brevitatis studium, nec intenti ratio, & omnium minimè honestas permittit (Nihilominus tamen ita obiter tantùm adumbratus haud dubiè adeò displicebit etiam Cultoribus suis, ut non solùm nihil auctoritatis pro sua Confessione ab hoc monstro deinceps emendicare pergant, sed potiùs protoplastis sui ipsos pudere incipiat. Imò futurum spero, ut quisquis in Lutheri effigiem solùm ruditer depictam oculos syncéros conjecerit, horrere ac detestari incipiat fidem, ab homine tam nefario in Mundum invectam. Breviter itaque vitam & doctrinam Lutheri describere propositum est. Priùs tamen veniam te rogo, Christiane Lector, si tuos quandoque oculos cogar offendere, & meum inquinare calamum referendo illius sermones & mores: quippe ejusmodi Novatorum & dogmatum referre turpitudinem refutare est.

De improba Lutheri vita.

Dico 1. Lutherus fuit homo sceleratissimæ vitæ. Ad hanc assertionem probandam tam ampla suppetit materia, ut pluribus integra volumina repleverit, uti Adamo Tannero, Laurentio Forero, Conrado Andreæ (vero cognomine Vôrter) Joanni Pistorio &c. ex quibus pauca quædam desumo, & claritatis ac brevitatis gratia ad quatuor capita restringo. 1. Quia Luther, fuit sacrilegus ac perfidus Apostata. 2. Quia fuit blasphemus in DEUM & Sanctos. 3. Quia fuit Scurra obscœnus & trivialis: 4. Quia fuit superbus Thraso & enormiter Maledicus. Adducam autem ordinariè verba ipsius Lutheri, prout reperiuntur in ejus libris, vel ab ipso vel saltem ab ejus asseclis (DEO ita disponente) ad propriam confusionem editis, & sæpius quidem adducam idiomate Germanico, quo Lutherus plurimùm delectabatur, & utebatur, ut etiam illiteratis ostendi possit pessimi hominis turpissima vita, & pervertsi Evangelistæ execrabilis doctrina. Itaque

4. Probatur assertio 1. Sacrilegum ac impium facinus est datam Deo fidem viola-

violare : sed Lutherus datam Deo fidem violavit : ergo commisit impium ac sacrilegum sacinus. Min. est omnibus nota, etiam lippis & tonsoribus, cùm nemo ignoret, Lutherum fuisse Monachum & Sacerdotem, adeóque emisisse tria vota, castitatis perpetuæ, paupertatis, & obedientiæ, quæ tamen vota omnia, adeóque datam Deo fidem, turpissimè violavit, dum desecto Ordine Religioso publicas nuptias celebravit cum Catharina de Bore, pariter votisraga Moniali, atque in hoc sacrilego Matrimonio (ante nuptias jam consummato, ut ipse Lutherus fatetur satis clarè in litteris ad D. Joannem Rühelium tom. 3. Germ. f. 150.) usque ad finem vitæ per summum scelus perstitit excucullatus Apostata.

Ma. probatur 1. ex Scriptura S. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum &c.* Deuteron. 23. *Siquid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed quodcunque voveris, redde* Ecclesiastis 5. *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Ps. 15. 2. Ex SS. PP. nominatim S. Augustino & Ambrosio : Augustinus, cujus degener filius exstitit Lutherus, circa annum Christi 400. ita scripsit in Psal. 25. *Quid autem ait (Apostolus Paulus) de quibusdam, quæ voverunt & non reddiderunt ? habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quid est primam fidem irritam fecerunt ? Voverunt & non reddiderunt.* Et paucis interjectis negat fas esse recedere à Monasterio post vota Deo nuncupata; Ambrosius in libro, quem scripsit ad Virginem Deo devotam, & postea corruptam, c. 5. postquam ei scelus hoc pluribus exaggerâsset, ita pergit : *dicit aliquis : melius est ergo nubere quàm uri : hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. (æterùm quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro, etiamsi noluerit nubere communi lege conjugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* In altero autem libro, quem ad corruptorem Virginis Deo sacratæ scripsit idem S. Doctor, ita incipit : *de te autem, fili serpentis, minister diaboli, violator templi Dei, qui uno duo crimina perpetrâsti, adulterium utique & sacrilegium &c.* 3. Ex Jure Cæsareo, quod capitis supplicium statuit in eos, *qui Virginem Deo consecratam attentâssent sibi Matrimonio jungere* L. 5. Imp. Jovin. Cod. de Episc. & Cler. sive volentibus sive nolentibus Sanctimonialibus tale sacinus fuerit perpetratum. 4. Demum ex ratione : quia pro gravi scelere reputatur, si fides, puro homini data, non servatur : quantum ergo crimen erit Deo aliquid promittere per vota, id tamen non reddere, non servare ? Nec excusat prætensa ab hujusmodi perfidis apostatis impossibilitas, cùm pateat, ab innumeris utriusque sexûs hominibus hæc vota Religiosa semper observata fuisse, & hodiedum observari accuratissimè. Utique Christus, & Paulus,

non suasit impossibilia, sed invitavit ad perfecta, dum dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus &c. Et veni, sequere me Mat. 19. Beatior autem erit, si sic* (sine conjugio) *permanserit secundùm meum consilium: qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* 1. Cor. 7. Lutherus itaque fuit homo perfidus Deo, sacrilegus, impius Apostata à Religione & Ordine, ac proinde vitæ sceleratissimæ. Id quod ulterius

5. Probatur 2. Gravissimum scelus est blasphemare Deum & Sanctos: sed Lutherus blasphemavit Deum & Sanctos: ergo Ma. est clara. Min. probo afferendo aliquas Lutheri blasphemias, in ejus Libris contentas, & à prædictis AA. notatas, præsertim à Conrado Audreæ, qui Lutherum festivè simul & graphicè descripsit in varijs tractatibus, ex quibus mihi tredecim ad manus sunt; quamvis enim multos excitandis textibus in ipsius Lutheri voluminibus egómet legerim, non tamen omnes reperire contigit, quos ex memoratis Auctoribus afferam, propter diversam scilicet, quæ illis & mihi fuit, editionem atque diversis annis impressos Lutheri libros, è quibus fideliores sunt, qui antiquiores; nam primi Collectores librorum Lutheri turpitudinem sui Magistri candidè satis expresserunt, Deo utique sic ordinante, ut se ipsos confunderent, & ut essent inexcusabiles, qui talem Propheram sequerentur. In subsequentibus verò editionibus plura, nimis probrosa, vel omissa, vel immutata sunt.

Deum ipsum varijs & indecoris omnino titulis compellat Lutherus, quorum ingentem catalogum refert dictus Conradus Andreæ in dem andächtigen Luther/ ubi legi possunt. *(christus est Diabolus meus contra Diabolum, ut sim filius Dei*, ait in c. 2. Gal. apud Tannerum in Anat. Et apud le Roy citantem colloquia Mensalia de operibus Dei sic blasphemat: *non semel Domino Deo nostro aliquot egregios articulos porrexi, & exhibui, eúmque docere volui. Sed optimus ille, ac bona frugis Deus belle mihi tergum suum* (turpiore voce usus est spurcus Propheta) *obvertit conspicandum.* Melanchthon in ejus vita scribit, quòd Deum suorum precibus comendaverit, dicens: Bittet für unsern HErr GOtt/ und sein Evangelium/ daß ihme wohl gehe. In der Kirchen Postil. f. 117. ait: GOtt ist keinem Orth so feind als denen Kirchen. Quæ quidem & similia, quocunque te vertas, & quemcunq; illis sensum asignes, à suprema quadam indignitate, irreverentia, & atroci in Deum contumelia nulla ex parte excusaveris. Sed pergamus ad Christum & Sanctos.

Christus ist der gröste Sünder/ dergleichen auf Erden nie kommen ist. Tisch-Reden f. 101. & tom. 1. Witt. f. 361. b. Omnes Propheræ viderunt hoc in spiritu, quòd Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus. Ita scribit exponens c. 3. [illegible] ad Gal. Ne autem excipias, & defendas Lutherum dicendo, quòd Christum non formaliter, sed objectivè tantùm peccatorem, & latronem

&c.

&c. maximum esse edixerit, nôsse debes, quòd se ipsum explicet tom. 2. Jen. Lat. p. 241. edit. 1557. ita scribens in Psal. 22. *Ita, ut jam non modò objectivè (ut dicunt) sit nostra Christi justitia, sed & formaliter: sicut non tantùm objectivè Christi sunt peccata nostra, sed & formaliter.* Verùm ista verba, *maximus latro &c.* item adverbia *objectivè & formaliter* omiserunt Lutherani in versionibus Germanicis posterioribus, advertentes turpitudinem & blasphemiæ horribilitatem. Vah, qualem sequuntur Doctorem, cujus doctrinam, utpote summè blasphemam, nec ipsi tolerare amplius potuerunt. Et in homilia 1. de baptis addit, Christum opus habuisse baptismo in remissionem peccatorum. In Ps. 22. ait: nisi hæc dixerimus (nempe Christum fuisse simul summè gloriantem, & summè desperantem, simul summè beatum, summè damnatum &c. (non video, quomodo à DEO sit derelictus. Item: non credo, quòd sola humana Natura prorsus passa sit: Christus ille vilis nec magni pretij Salvator est; imò ipse quoque Salvatore opus habet.

Wir seynd gleich so heilig als MARIA / und andere Heilige / wie groß sie seynd. Kirchen-Postill an unser Frauen Geburths-Tag. Item: wann die Mutter GOttes / Petrus und Paulus &c. noch heut auf Erden giengen / sie wurden sich mir (Luthero) unter die Fuß legen / und für einen Herrn halten. Ibidem. Die Apostel seynd auch grosse Sünder geweßt / und gute grobe / grosse Schälck. Tisch-Reden. f. 236. Paulus hat an seiner Lehr gezweiflet / und offt nicht gewußt / ob er recht predige oder nicht f. 106. St. Hieronymus ist ein Ketzer gewesen f. 478. St. Chrysostomus ist nur ein Wäscher. f. 474. De Hieronymo ait, se nulli alteri esse æquè infestum, quàm ipsi, quia tantùm scribit de jejunio, de delectu ciborum, de Virginitate &c. Gregorij concionos ait nihil valere, utì & Basilium, quia totus est Monachus. Juris Canonici libros, nempe Decretum & Decretales, magnam partem ex Sententijs SS. Patrum constantes, scurriliter vocat stercoreos, deß Pabsts Drecket / und Dreckrecht præf. 1 in 1. tom. Witt. Germ. Patrum auctoritas susque déque facienda est. tom. 2. lat. Witt. f. 466. Siquis autem scire cupiat, quos Sanctos colat & invocet Lutherus, audiat & obstupescat, quàm devotas Lytanias composuerit: Ich bitte dich lieber Teuffel / du wollest GOTT für mich bitten. Tisch Reden f. 259. lieber Teuffel bitt für mich. f. 262. heiliger Teuffel bitt für mich. f. 288. Domine Deus da uxorem & panem quotidianum. in cap. 24. Gen. Quasi Christus perperam omisisset petitionem pro uxore adeò necessariam.

Probatur 3. Lutherus fuit scurra prorsus obscœnus, & trivialis: ergo fuit insigniter sceleratus. Ant. quoad primam partem probatur, quia prorsus impudenter ac inverecundè res turpissimas & secretas corporis partes

tes, earúmque functiones, motus &c. In ore circumferre & effutire solitus est, etiam quando tractabat Scripturam sacram & res magni momenti. Idque adeò frequenter & & sine fronte, ut turpissimus quispiam leno hac in re haud facilè ipsum superaverit. Puduit me legere, & magis pudet ejus verba eloqui aut scribere; quia tamen interest improbi hominis mores nôsse, & subinde expedit, videri potest Joannes Pistorius in Anatomia Lutheri **in dem ersten bösen Geist Lutheri, nemblich dem Fleisch-Geist.** Item Vetterus **in seinem so genanten keuschen Luther.** Ne ego inquinare calamum, & verecundum Lectorem offendere cogar, præsertim teneram ætatem. Ubi hi auctores (dissimulatis tamen turpioribus & magis offensivis, præsertim quæ exstant in Colloquijs Mensalibus, & in 2. tom. Jenensi in explanatione c. 7. primæ ad Cor. &c. quæ terribiliter fætet (plurima ac adeò turpia Lutheri dicta & scripta adducunt, ut nemo, nisi tanti viri, ac ab ipsis Lutheranis impressi libri testarentur, ad credendum induci posse videatur. Volui quidem afferre saltem aliquos illius textus, sed parco honestis oculis & castis auribus. Hinc facilè erit colligere, quales fuerit Lutherus ipse; nam *qualia verba viri, talis & ipse vir est*, canit Andreas Delicanus in suo contra Stercorenm Prophetam epigrammate. Audiamus confessionem propriam Lutheri, qui tom. 1. Jen. epist. f. 434. & 335. in ep. ad Philippum ita de se scribit: *summa, qui fervere spiritu debeo, ferveo carne, libidine, pigritia, otio, somnolentia &c.*

Propositum quidem nunc erat, afferre quædam dicta scurrilia, contraria decentiæ & honestati naturali, quibus scurræ triviales & infimi stabularij oblectantur, haud aliter ac stercorei porci, utì sunt ista. **Wann man den Teuffel kennet / so kan man leichtlich zu ihm sagen / ihn zu beschämen / leck mich im A. oder schmeiß ins Hembde und hängs an Halß &c. Das Hosensch. ist kräfftiger den Teuffel zu verjagen / als die Heil. Schrifft &c.** Quid hodie hic egi? duabus horis comedi, & deinde quatuor horas otiosus exegi. Colloq. Eisl. f. 59. Sed honestas prohibet ea adducere: hinc illa relinquo hujus Epicuri affectis qui istis illecebris pascuntur; nam in omnibus tomis, imò vix non in omnibus paginis, præsertim ultimi tomi, postremis vitæ annis à Luthero conscripti, similia pascua abunde invenient: dum ubique porci, asini, diaboli, stercora, ventris crepitus, & adhuc turpiora occurrunt. Neque tu credere, Lector, neque ego salvâ erga te reverentiâ proferre possum; adeò turpia enim, scurrilia, & ab omni honestate aliena sunt, quæ stercoreus iste propheta effutijt. Vah! quàm sordidus igitur animus illi fuerit necesse est, si ex abundantia cordis os loquitur? *qualia verba viri, talis & ipse vir est.* 7.

Probatur 4. Lutherus fuit homo supra modum superbus, & maledicus: ergo hoc ipso admodum sceleratus, nam superbia solet esse radix gravis- 8.

mo-

simorum scelerum; & ipsius etiam hæresis mater. Ant. quoad utramque partem probant iterum dicta & acta Lutheri; nam superbia stimulante (fortè etiam invidiâ & avaritiâ) cùm infelix illa de Indulgentiarum prædicatione contentio exarsisset, in æmulos suos, præsertim Tezelium, acriter invectus ipsas Indulgentias & Sedem Apostolicam sugillare cæpit, ut adeò ambitio, ut Florimundus Ræmundus l. 1. c. 7. in fine asserit, præcipuus uncus fuerit, quo diabolus in rete suum pertraxit Lutherum. Sed magis se ipsum prodit in suis libris.

Hic sto, inquit thrasonicè, *hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum, quantumlibet sanctorum &c. Divina Majestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani &c. contra me starent.* Ich Martin Luther wil in disen Sachen (vom Glauben) anders nichts seyn noch gehalten werden / dann eigensinnig (hart / steiff / stoltz. Und soll diß mein Reimen seyn Cedo nulli tom. 1. Witt. f. 56. Ich bin ein Doctor über alle Doctor, und unsers HErrn JEsu Christi unwürdiger Evangelist. to. 8. Witt. f. 165. Ich Martin Luther von GOttes Gnaden Evangelist zu Wittenberg tom. 2. Witt. f. 169. Ich Doctor Martin Luther euer Apostel Tisch-Reden f. 406. Ich bin so gewiß ein Prophet, daß ich mir selber darum gram und feind bin. tom. 2. Jen. f. 446. Ich Doctor Martin Luther bin Esaias / auf daß ich mich auch rühme GOtt zu Ehren und dem Teufel zu Trutz. f. 482. Ein Mann / wie Joannes der Taufer. f. 492. Ich bin ein grosser Held. Tisch-Reden f. 492. Bin ich nit ein theurer edler Mann? In tausend Jahren ist kaum ein edler Blut gewesen. Ich bin ein GOttes Heiliger to. 2. Jen. f. 49. Mein Mund ist Christus Mund. f. 68. Ich bin Christus. to. 1. Witt. f. 96. Ich meyn / Luther sey GOtt. to. 4. Witt. f. 378. Jam sufficit; ulteriùs nec Lucifer aspiravit.

Ex superbiæ spiritu nata est inaudita maledicendi, & convitiandi licentia, qua omnes, quos sibi adversari adverterat, impotenter criminabatur, & insanientis instar impetebat, nulla personarum habita ratione. Summi Principes tam Ecclesiastici quàm Sæculares scopus erant præcipuus illius infernalis maledicentiæ, præsertim Papa, Cardinales, Episcopi, Imperator, Rex Angliæ Henricus, Duces Bavariæ Wilhelmus & Ludovicus, Georgius Dux Saxoniæ, Henricus Dux Brunsuicensis &c. Deß Teufels Mutter Schwester / und Hurren-Kinder / Pabst / Cardinäl / und was der höllischen Grund-Suppen zu Rom mehr ist ꝛc. Der verdammt Bößwicht / verlohrne verzweifelte Teufels-Kinder / die solle der Blitz und Donner erschlagen / das höllisch Feur verbrennen / Pestilentz / Frantzosen / Sant Veltin / St. Antoni Feur / Außsatz / Carbunckel / und alle Plag haben. to. 8. Jen. in libro contra Papatum.

GOtt wölle/ daß das Pabstum / und was daran hangt / in Abgrund der Höllen falle / Amen. tom. 6. Witt. f. 169. Regem Angliæ his titulis honorat: Juncker Heintz / Meister Heintz / Hanns Dölpel / Narr / Claß-Narr / Faßnacht-Narr / ungehobleter Narr / Mißgeburt von einem Narren ꝛc. Esel / Sau / Klotz / Stock / Block / Schwein / Gauckler / Bachant / Schelm / Teufel / Sathan / Bueb / Lotter / Bub ꝛc. Henricum verò Brunsuicensem sequentibus: Hanß Warst / Dölpel / Knöbel / Fritz. Der ist ein trefflicher Mann in der H. Schrifft wie ein Kuhe auf dem Nuß-Baum oder ein Sau auff der Härpffen ꝛc. Diser verzagte Schelm wäre besser ein Frauen-Huet ꝛc.

Toties pronuntiat diabolum, ut, siquis tot haberet milites, quot Lutheri calamus diabolorum millia catervatim in suis libris posuit, facili labore bis denos Turcarum exercitus profligare posset. In parvo libello, quem scripsit contra Ducem Brunsvicensem nomen diaboli occurrit centies quadragesies sexies. Et in libro de Conciliis f. 266. intra quatuor duntaxat linearum spatium diabolum quindecies nominat, egregius scilicet æmulator Pauli, qui in suis epistolis Sanctissimum Nomen JESU pissimè pronuntiare non cessat. Paucis rem dico: universum quinti (Lutherani) Evangelij Corpus his quatuor tanquam elementis compositum esse videtur. 1. insigni verborum spurcitia, & libidinosi amoris exaggerata commendatione. 2. Scurrili & scenica dicacitate. 3. Intolerandâ superbiâ. 4. Acerba mordacitate procacibúsque in quasvis personas contumelijs. Quis quæso (ad animum imperturbatum, & ad recti judicij tribunal appello) quis quæso talem linguam credat esse instrumentum Spiritûs Sancti? quis sibi persuadeat, *Sapientiam Divinam intrâsse in tam malevolam animam, & habitâsse in corpore subdito peccatis?* Sap. 1. Quis capiat, eloquia Dei purissima ex ore tam fœdo promanâsse in populum Christianum? quis vel suspicari possit, talem hominem fuisse à Deo electum ad reformandam Ecclesiam, ad emendandos abusus, ad extirpanda vitia? Ego planè evidenter hoc incredibile existimo. Verùm quia multi, cùm laudare nequeant vitam, deprædicant præclaram Lutheri doctrinam, licèt ex huc usque dictis etiam doctrina evidenter & meritò fiat suspecta; nihilominus tamen aliqua perstringam

De perversa Lutheri doctrina.

Dico. 2. Lutherus fuit homo pessimæ doctrinæ. Longum nimis foret omnia Lutheri dicta & scripta, Scripturis, Universali Ecclesiæ, Patribus, & rectæ rationi adversantia, in medium proferre. Unde aliqua solùm ex ejus libris placet excerpere, &, ut clariùs ordinatiúsque res fiat, ea ad quinque capita reducere. Ut igitur thesis propositæ veritatem demonstrem, ostendam. 1. Quòd Lutherus fuerit Bibliorum corruptor. 2. Homo mendax. 3. Sibi ipsi contradicens. 4. Familiaris diaboli disci-

discipulus. 5. Dogmata tradens, quæ viam ad omnem vitæ licentiam sternunt. Itaque

Probatur 1. Lutherus fuit audax & temerarius SS. Bibliorum falsarius & corrupptor: ergo ejus doctrina non est à Deo. Antec. Prob. Lutherus non tantùm integra volumina ex Canone librorum sacrorum pro libitu suo expunxit, nempe Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæos, epistolam ad Hebræos, epistolam Judæ, Apocalypsin Joannis; sed etiam, prout ejus vesaniæ placitum & rebus ipsius commodare visum fuerat, in variis locis falsificavit vel addendo vel demendo. Per *additionem* corrupit textum S. Pauli ad Rom. 3. v. 28. qui sic sonat: *arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Lutherus in sua versione Germanica addidit voculam allein solùm, ut sensus esset, allein durch den Glauben. Et cùm hujus temeritatis causam postularetur, ita à suis responderi voluit: Wenn euer Papist sich vil unnütz machen will mit dem Wort *solùm* allein / so sagt ihm flux also: Doctor Martin Luther wills also haben / und spricht / Papist und Esel seynd ein Ding: sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas &c. Luther wills also haben / und spricht / er sey Doctor über alle Doctor im gantzen Pabstum / da solls bleiben. tom. 5. Jen. f. 14. Per *detractionem* corrupit textum S. Petri in 2. ep. c. 1. v. 10. qui sic habet: *quapropter fratres magis sagagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Lutherus sic in Germanicum transtulit: Darum liebe Brüder thüt desto mehr Fleiß euren Beruff und Erwählung vest zu machen / omissis verbis *per bona opera*; durch gute Werck; quia nempe ipsius doctrinæ adversabantur. Tales falsitates, errores, & lapsus Lutheri in versione novi duntaxat Testamenti numerat Emserus ultra sexcentos. En! quàm purum Evangelium habeant hi Pseudo-Evangelici? Non minùs insolens ac effrons est Lutherus in interpretandis SS. Biblijs. Audi Regulam ipsius, quam tradit to. 3. Witt. f. 143. in Psalm. 5. Daß soll dir ein gewise Regl und Gesatz seyn / wann die Schrifft gebiethet / daß man ein gut Werck thun soll / solt du es also verstehen / daß sie verbiethet / daß du solt kein gut Werck thun / seytemahlen du diß nicht vermagst zu thun. *Vos estis lux Mundi*, Lutherus ita vertit: Ihr seyt der Dreck in der Latern. tom. 2. Jen. f. 440. *fac hoc*, Luthero significat glaube das. tom. 1. Witt. f. 153. Vel sunt ipsi dicta per ironiam, ut sensus sit: morgen frühe wirst du es thun. ja hinder sich f. 158.

Simile crimen falsi commisit Lutherus in Symbolo Apostolico, cui pariter nefario ausu violentas manus intulit, dum in Art. 9. in quo Fideles ex perpetua & Apostolica traditione profitentur, se credere *Sanctam Ecclesiam Catholicam* ein heilige Catholische (das ist / Allgemeine) Kirch / pro *Catholicam* supposuit *Christianam*, Christliche Kirch / probè gnarus, novitiam suam ac nimis angustam sectam nec esse

nec dici posse Catholicam seu universalem, quia vidit, eam non esse *ex omni tribu & lingua, & populo, & natione* Apoc. 5. licèt dici posset Christiana, eò quòd profiteatur Christum. Quomodo hos ausus temerarios excusare possit sacrilegus Bibliomastix? quomodo amoliri à se crimen falsi, quod in rebus humanis improbum, & gravissimis pœnis obnoxium, in Divinis autem omnino sacrilegum & abominandum? dum in causa controversa violavit publica documenta Scripturæ S. ut sibi potiùs quàm adversæ parti videantur favere. Sententiam ipse Lutherus jam sulit to. 4. f. 393. **Wer ein Theil oder Buchstaben (vom Wort GOttes) weg thut / oder ändert / der soll deß Teuffels seyn.**

32. Probatur 2. Lutherus fuit homo mendax, & sæpissime convictus mendacij: ergo ejus doctrina nullam meretur fidem, & ubique meritò suspecta redditur, vel ipso teste. **Wer einmahl lügt / der ist gewißlich nicht aus GOtt / und verdächtig in allen Dingen.** to. 7. f. 125. quis ergo sibi persuadeat, doctrinam Lutheri ex Deo, & non in omnibus esse suspectam, cùm Lutherus non semel, sed sæpissime mentitus fuerit? Id quod ostendo.

Unsere Juncker (inquit Lutherus) die Papisten halten Christum im Hertzen gar nichts anders / dann für ein Fabel und heydnischen Götzen. to. 1. Witt. præf. 3. Die Papisten sagen / wann man in Christum glaubt / wird man verdambt. to. 5. Witt. f. 84. So wahr Christus Christus ist / so wahr können Mönch und Nonnen nit Christen seyn. **Kirchen-Postill am Sonntag nach der Himmelfahrt** / Virginem Mariam Deum constituunt, omnipotentiam ei in cœlo & in terra tribuunt. *Ad Evangel. in Fest. Annunt.* Lutherum in his & similibus mendacijs, fabulis, fraudibus strenuè imitati sunt Prædicones, dum Catholicos infamant, quasi ligna & saxa non aliter adorarent, ac Ethnici sua Idola, quasi fiduciam suam non ponerent in Christi, sed in proprijs meritis, aliàque sexcenta simplici ac credulo populo proponunt, ut odium & aversionem à teneris annis concipiant seductæ animæ à Religione Catholica, ejúsque assectis, præsertim Religiosis. Ut adeò facilè adducar ad credendum, quod P. Georgius Gobat, rerum istarum expertus, scripsit tract. 5. Theologo-Juridico c. 23. n. 119. videlicet: *hæresim Lutheranam Calvinianámque mendacijs, sceleſtissimisque fabulis, quas de Pontificibus Romanis, Cardinalibus, Clero, Monachis, Jesuitis, commiscuntur Ministelli, quàm à falsa interpretatione divinarum paginarum.* Sed veniamus ad Prophetias Lutheri. **Die Welt wird nicht mehr stehen / wann man zehlt 1584. Jahr. Tisch-Reden.** f. 534. Wann man mein Evangelium noch zwey Jahr treiben werde / so wird weder Pabst / Bischoff / Pfaff / Mönch / Nonnen / Glocken / Thurn / Meß / und überal nichts vom Pabstum übrig seyn. to. 2. Jen. f. 69. Plures falsitates & aperta mendacia Lutheri videri possunt apud P. Conradum Vötter in dem **wahrhafften Luther** / ubi f. 73. addit.

dit, etiam Lutheranis ita displicuisse tam crassa mendacia, ut multa in posterioribus editionibus librorum Lutheri omiserint, imò ut plures Lutherani Professores & Prædicantes, inter quos etiam est Joannes Flaschius Præco Mansfeldicus, ad Papatum redierint, propter enormia mendacia Lutherum vocitantes *Lugnerum*. Hanc 2. probationem magis adhuc roborabit tertia de Contradictionibus Lutheri. Unde

12. Probatur 3. Lutherus sæpissime sibi ipsi contradixit: ergo sæpissime falsa docuit; ex contradictorijs enim alterutra pars necessariò falsa est. Antec. egregiè probat liber ille Ingolstadij editus anno 1617. cui titulus Evangelischer Wetter-Han / qui totus repletus est antilogijs, mit Ja und Nein Lutheri circa eadem objecta. Ex his ego paucas seligo.

Hominem fidelem posse peccare *affirmat* Lutherus to. 7. f. 128. dicens: Ein frum Mensch sündiget in allen Wercken. Et f. 129. Ein gut Werck aufs allerbeste gethan ist dannoch ein tägliche Sünd. Idem *negat* to. 6. f. 428. Wer glaubt / der mag nicht Ehebrechen / oder Sünd thun. 2. Hominem justificatum esse verè justum *affirmat* to. 3. f. 127. Das also gleich durch eine Gerechtigkeit / beyde / GOtt und wir / gerecht seynd. *Negat* autem to. 4. f. 321. Ich finde nichts reines / heiliges an mir / und allen Menschen / sondern alle unsere Werck nichts anders seynd dann eytel Läuse in einem alten unreinen Peltz &c. Da weder Haut noch Haar mehr gut ist. 3. Totum & indivisum Christum esse sub qualibet specie Eucharistica *affirmat* to. 7. f. 26. Christus seye nicht Stücklich / sondern gantz / und gäntzlich unter einer jeglichen Gestalt deß Sacraments, das glaube ich auch. Et to. 2. f. 220. Wie die Wort Christi klärlich lauten / nemmet esset / das ist mein Leib. Er spricht nicht / Petre, da friß du mein Finger / Andrea friß du mein Naß / Johannes friß du meine Ohren / &c. sonder es ist mein Leib / den nemmet und esset &c. ein jeglicher für sich unzerstucket. *Negat*, vel saltem dubitat to. 4. f. 391. Wer wills gewiß machen / daß / weil Christus Leib nicht ohne sein Seel seye / darum müsse sein Seel auch im Sacrament seyn? 4. Debere hominem confiteri omnia peccata mortalia, quæ certò cognoscit, *affirmat* to. 7. f. 11. Zum ersten ist vonnöthen / daß der Mensch alle Sünde, die offentlich Todt Sünde seynd / beichte / und und dieselbe bereue / dann die heimliche Sünd kan niemand wissen. Idem *negat* to. 4. f. 425. Die Erzehlung der Sünden soll frey seyn einem jeden / was er erzehlen oder nicht erzehlen will. 5. Matrimonium esse Sacramentum *affirmat* to. 5. f. 122. Der Eheliche Stand ist ein Sacrament, und geistliche Deutung Christi und der Christenheit. *Negat* to. 2. f. 206. Man darf auch kein Sacrament auß der Ehe und Priester-Ampt machen &c. daß die zwey Sacrament bleiben / Tauff und Abendmahl deß HErrn. licèt to. 2. Lat. Witt. f. 65. tria pro-

tempore ponenda esse asserat, Baptismum, Pœnitentiam, & Panem. Et to. 7. f. 34. etiam Confirmationem ac Extremam Unctionem vocet Sacramenta. 6. Matrimonium omnibus esse necessarium *affirmat* to. 6. 167. Als wenig in meiner Macht stehet / daß ich kein Manns-Bild seye / also wenig steht es auch bey mir / daß ich ohn Weib seye. Widerumb auch / also wenig als in deiner Macht stehet / daß du kein Weibs-Bild seyest / also wenig stehet es auch bey dir / daß du ohn Mann seyest. *Negat* to. 8. f. 90. Wer wolt einen zum Ehestand zwingen / der sein nicht bedarf? Wer nun so geschickt ist / daß er / wie Christus sagt / dises Wort fassen kan / die bleiben auß dem Ehestand / und rühmen sich in dem HErrn. 7. Sanctos esse invocandos tanquam intercessores *affirmat* to. 7. f. 7. Sage ich und halte fest mit der gantzen Christenheit / daß man die lieben Heiligen ehren und anruffen soll / dann wer mag das widerfechten / daß noch heutiges Tags sichtiglich bey der lieben Heiligen Cörper und Gräber GOtt durch seiner Heiligen Nahmen Wunder thut? *Negat* to. 4. f. 419. Anruffen der Heiligen ist auch der Anti-Christischen Mißbreuche einer / streitet wider den ersten Haupt Articul / und tilget die Erkandnuß Christi. 8. Purgatorium esse credendum *affirmat* to. 7. f. 7. Von dem Fegfeur soll man fest glauben / und ich weiß / daß wahr ist / daß die arme Seelen unsägliche Pein leyden / und man ihnen zu helffen schuldig ist mit Betten / Fasten / Allmosen / und was man vermag. *Negat* to. 4. f. 419. Das Fegfeur mit allen seinem Gepränge / GOttes-Dienst / und Gewerbe ist für ein lauter Teuffels-Gespenste zu achten: dann es ist auch wider den Haupt-Articul / daß allein Christus / und nicht Menschen-Werck / den Seelen helffen soll. 9. Indulgentias Pontificias admittendas esse *affirmat* to. 9. f. 12. Wer wider die Wahrheit deß Päbstlichen Ablaß redet / der sey ein Fluch und Vermaledeyung. *Negat* to. 2. f. 260. Das Ablaß / so die Päbstliche Kirche hat und gibt / ist eine lästerliche Trügerey. 10. Vota obligare, & servanda esse *affirmat* to. 6. f. 181. Es kan niemand läugnen / daß es von GOtt gebotten sey / daß man Gelübde halte / wie die Schrifft sagt: gelobt / und bezahlt. *Negat* de Captiv. Babyl. Wolte GOtt / daß ich möchte jederman darzu bereden / das ist / daß gäntzlich alle Gelübden hinweg gethan wurden / es seyen Gelübden der Geistlichkeiten / oder Wallfahrten / oder alle andere Werck / und daß wir bliben in der Allergeistlichisten und würcklichisten Freyheit deß Tauffs. Finem non faceremus, si omnes Lutheri contradictiones adducere vellem: videri potest Cochlæus, qui de his integrum volumen conscripsit. Imò de sola communione sub una vel utraque specie triginta sex contradictiones acervat Casparus Querhamer Saxo laicus vivente adhuc Luthero editas.

Ex ore suo jam condemnemus servum nequam. Ipse Lutherus l. de votis

votis Monasticis ait : *mendacia certiùs dignoscere non potes, nisi quando sibimet ipsis contraria sunt ; à Deo enim ita ordinatum est, ut impii semper se ipsos confundant, & quoad mendacia non consonent, sed semper contra semetipsos testentur.* Rursus ibidem Lutherus contra Emserum ita scripsit : *Qui in materia Religionis sibi ipsi adversatur, & vel in uno tantùm articulo mentitur, è Deo non est.* Jam tu Lector judica, an ex Deo sit, qui toties sibi contradicit ? an non mendax & impius, qui Deo permittente toties sibimet contrariatur ? Certè ab omnibus retro sæculis vix invenies Scriptorem adeò inconstantem, varium, ac toties sibimet adversantem, ac Lutherus fuerit.

13. Probatur 4. Lutherus fuit valde familiaris Diabolo, & ejus discipulus : ergo ejus doctrina est diabolica, consequenter pessima. Ant. quoad primam partem ex propria confessione Lutheri constat, asserentis 1. Se plus uno salis modio comedisse cum stygio lavernione. 2. Eum sibi sæpiùs condormisse quàm suam Catharinam. 3. Se, quando diabolum non habet collo affixum, nihil nisi speculativum Theologum esse, &c. uti videre est apud le Ruy in Labyrintho c. 13. & alios ; ille citat librum Lutheri de Missa Angulari, Colloquia Mensalia, & tom. 7. pag. 228. Quid igitur mirum, quòd Imperator Maximilianus in Comitiis Augustanis anno 1518. publicè prandens viderit dæmonem formâ corporeâ Lutheri, qui fortè triclinium cum aliis ingrediebatur, humeris incubantem, idque mox indicâsse Pincernæ suo, Baroni Schenck de Eibach. Addiditque Cæsar, hunc Monachum magnas in Imperio turbas, calamitates, & miserias gravissimas suscitaturum, ut refert Tilmannus Bredenbachius apud Catolum Stengelium in rerum Augustanarum Commentario p. 2. c. 64. Franciscus le Roy loco cit. & alij.

Altera pars Ant. constat ex illa historia, quam Lutherus ipse fusè & accuratè scribit Germanico idiomate, & habetur to. 7. VVitt. f. 480. & to. 6. Jen. postea verò hortante Luthero versâ in Latinum per justum Jonam : nimirum acrem disputationem sub medium noctis exstitisse inter Lutherum ac Diabolum de Missa privata (von der Winckel-Meß) in qua tandem Lutherus, Doctor ille Doctorum quinque argumentis convictus Diabolo manus dederit, & missam privatam (qua triumphata putabat totum Papatum triumphari in lib. contra Reg. Angl.) abrogaverit. Doctrina itaque Lutheri de Missa privata (præcipua aliqua parte Lutheranæ sectæ) non est Lutheri, sed Diaboli : nihilominus tamen ad alios Lutheri asseclas derivata, ac in ipsam quoque Confessionem Augustanam relata est unà cum argumentis à diabolo allatis, licèt non eodem servato ordine, quo ea descripsit Lutherus. Vid. Tanner. Anatom. p. 1. demonst. 6. 14.

Probatur 5. Lutherus docet talia, quæ viam sternunt ad omnem vitæ licentiam : ergo ejus doctrina est pessima. A. probatur afferendo ejus dogmata quà Latinè & quà Germanicè, quæ sunt hæc & similia 15.

similia 1. Hominem justificari per solam fidem to. 1. Lat. f. 54. Fidem, nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificare, imò non esse fidem. to. 1. f. 371. Hominem non damnari propter aliud peccatum, quàm propter infidelitatem: vides, inquit l. de Captiv. Babyl. quàm dives sit homo Christianus sive baptizatus, quia etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere; nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. 2. Præcepta Dei esse observatu impossibilia. 3. Nullam legem humanam ligare in conscientia. 4. Neminem teneri peccata sua specificè confiteri Sacerdoti, multò minùs debere opus pœnitentiæ suscipere ad delendum peccatum. 5. Omnia hominum, quantumvis laudabilia, opera esse vitiosa, & peccata mortalia. 6. Hominem carere libero arbitrio ad operandum bonum & omittendum malum. Nam ejus thesis 13. to. 1. Lat. f. 55. ita sonat: *liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, &, dum homo facit, quod in se est, peccat mortaliter. Contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem* f. 59. *Esto peccator & pecca fortiter, sed fortiùs fide & gaude in Christo &c. ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies uno die fornicemur aut occidamus.* to. 1. Lat. Epist. f. 345. Quàm sanctè quàm pudicè! Dissimulo hujus farinæ plura. Audiamus tamen adhuc aliqua idiomate vernaculo.

Erstlich ist zu wissen (inquit to. 5. f. 211. & 217. super caput 20. Exodi) daß uns Heyden und Christen die 10. Gebott nicht betreffen/ sondern allein die Juden. Sic omnem Dei & Naturæ legem à suis removet bipedum nequissimus: adeóque Lutheranis non sunt prohibitæ blasphemiæ, perjuria, adulteria, homicidia &c. quia Decalogus ad ipsos non pertinet. Ulteriùs: das menschliche Hertz muß dem Gesätz GOttes/ und GOtt selber/über die massen feind seyn. to. 1. witt. f. 189. 190. 200. Laßt uns hüten von den Sünden/ vilmehr aber von guten Wercken/ dann alle gute Werck seynd nichts anders/als eitle Läuß in einem alten Beltz to. 1. Jen. f. 339. Wir sagen also/ daß die recht n heiligen Christen müssen gute starcke Sünder seyn/ und solche verbleiben. to. 4. Witt. f. 305. Ists doch nicht möchlich/ daß wir uns der geringsten Sünd erwähren möchten/ leytemmahlen die Schrifft sagt/ daß wir deß Teufels Gefangene seynd/ als unsers Fürsten und Gottes/ daß wür thun müssen/ was er will/ und uns eingibt. to. 2. Witt. f. 266. Gelübd der Keuschheit ist ärger/ dann Ehebruch und Unkeuschheit. to. 6. Witt. f 252. 2. Es ist mein Meynung nit zu sagen/ wie man Keuschheit halten soll/ sonder wie man es nicht halten könte/ noch solle to. 6. Witt. f. 232. b. Spricht einer/ es sey ärgerlich geredt. Antwort: Aergernus hin/ Aergernus her/ es ärgere sich daran die gantze Welt: oder halbe Welt. Noth bricht Eisen. f. 247. b.

Quid opus est multis? ipse hic novus Evangelista de se & Doctrina sua fate-

fatetur sequentia 1. Diser Handl ist nicht umb unsers HErrn GOttes Willen angefangen worden / wird sich auch nit umb unsers HErrn GOttes Willen enden. In disputatione Lipsiensi cum D. Eckio. 2. Wann Huß einmahl ein Ketzer gewesen / so seye ich zehenmahl ein Ketzer. to. 9. f. 120. & 192. 3. Er Gedencke bißweilen / ich weiß schier nit / woran ich bin / ob ich recht predige oder nit. to. 2. Jen. f. 464. Tisch-Red. n. f. 96. 4. Er sey ein Sucht / ein Podagra / ein Fieber / ein Feur / ein Außsatz / to. 6. Witt. f. 475. Ein Heichler f. 451. Ein Schwärmer to. 2. Witt. f. 144. Ein General-Teuffel. to. 6. Jen. f. 360. Ein Mauß-Dreck / und daß er den Mauß-Dreck unter den Pfeffer menge. to. 1. Jen. In der Vor-Red. Es ist deß Teuffels Gespenst / der durch dise (Lutherische) Weiß die Leuth dahin führet / daß sie vom Pabst fallen. to. 2. Jen. f. 103. 5. Fatetur in Serm. Conviv. post revelatum Evangelium (Lutheranum) virtutem esse occisam, justitiam oppressam, temperantiam ligatam, veritatem à canibus dilaceratam, fidem claussam, nequitiam quotidianam, devotionem pulsam, hæresim relictam. Es wird die Welt aus diser Lehr nur je länger je ärger / jetzt seynd die Leuth mit siben Teuffel besessen / da sie zuvor mit einem Teuffel besessen waren / der Teuffel fahrt jetzt nit Haussen in die Leuth / daß sie nur unter dem hellen Liecht deß Evangelij seynd geitziger / listiger / frecher / und ärger dann zuvor unterm Pabstum. In der Hauß-Postill in der andern Predig deß ersten Sonntags im Advent. Similia habet etiam alibi, uti to. 1. Witt. f. 170. 289. &c. Idem advertit Erasmus, qui in quadam epistola ad Melanchthonem sic novos Evangelicos deprædicat: hic nobis hoc Evangelium gignit novum hominum genus, præfractos, impudentes, fucatos, maledicos, mendaces, sycophantas, inter se discordes, nulli commodos, omnibus incommodos, seditiosos, furiosos &c. Hæc ille.

Ex quibus omnibus hucusque allatis, quæ dixit, scripsit, & docuit Lutherus, sæpius ea mihi suborta est cogitatio, libros Lutheri (nisi spurca, impura, & obscæna passim continerent) non tam prohibendos, quàm omnibus quasi obtrudendos esse; quippe vix alio modo faciliùs fieri posse existimo, ut homines sani judicij magis aversari, contemnere, & odisse inciperent Sectam Lutheranam, quàm si viderent turpitudinem & levitatem Auctoris Lutheri, in ejusdem libris ubique promicantem; quis enim prudens sibi persuadeat, hominem adeò superbum, maledicum, scurrilem, mendacem, toties sibi ipsi adversantem, blasphemum &c. esse à Deo missum ad reformandam Ecclesiam, qui puram Evangelij doctrinam restauret? &c.

Assertio principalis.

17.

Dico 3. Confessio Augustana nullam prorsus auctoritatem obtinet à

Luthero, Protoparente suo, sed potiùs propterea omnem perdit, redditúrque evidenter incredibilis. Probatur: est evidenter incredibile, quòd Deus ad reformandos Ecclesiæ mores, & ad nova dogmata introducenda, toti Ecclesiæ Universali contraria, eligat hominem, qui non solùm Vocationis suæ nullum habet authenticum testimonium, sed potiùs contra se habet plurima, evidentissima, ac certissima signa, notas, characteres hominis profligatissimi, & impostoris pestilentissimi: cujusmodi notæ sunt, si eo ipso tempore, quo talis Reformationis officio fungitur, deprehendatur perfidus, perjurus, sacrilegus, blasphemus, superbus, obscænus scurra, Scripturæ S. & Symboli Apostolici falsarius, mendax, sibimet contradicens, familiaris diaboli discipulus, dogmata perversa tradens, quæ amplam sceleribus portam aperiunt. Sed Lutherus fuit talis, in quo reperiebantur hæ notæ & characteres, & insuper nullum Vocationis suæ authenticum testimonium habuit: ergo est evidenter incredibile, Lutherum fuisse à Deo ordinatum ad mores Ecclesiæ reformandos, & ad novam fidem introducendam: ergo Confessio Augustana & totus Lutheranismus est evidenter incredibilis. Ma. est per se clara, aliàs quilibet thraso, etiamsi sit extremè malitiosus, se jactare poterit Reformatorem Ecclesiæ, & à Deo missum ad novam Religionem cudendam. Mi. quoad primum membrum satis probata est hactenus: quoad secundum probatur nunc, quòd scilicet nullum vocationis suæ authenticum testimonium habuerit, quo se probaret à Deo missum.

Lutherus nec immediatam vocationem, qua extraordinariè & immediatè ab ipso Deo, nec mediatam, qua modo ordinario per legitimos Ecclesiæ Prælatos fuisset vocatus, probare potuit authenticè: ergo nullum habuit testimonium authenticum suæ vocationis, quod tamen requiritur; aliàs meritò contemnitur & rejicitur tanquam impostor; nec Deus Legatum ad tantum opus mittere potest, nisi legitimo charactere, ex quo dignosci possit, ipsum insigniat. Ant. prob. *immediatam* & extraordinariam vocationem, qualem habuit Moyses & alij Prophetæ, debuisset probare vel per miracula, vel per insignem vitæ sanctimoniam: sed Lutherus nec fecit miracula, nec insigni vitæ sanctimoniâ claruit: ergo. *Mediatā* & ordinariam probare non potuit, quia à legitimis Ecclesiæ Prælatis non tantùm non missus fuit ad munus taliter docendi & reformandi, sed etiam omnino à fidelium communione tanquam perduellis exclusus, & excommunicatus. Accedit, quòd nulla dari possit vocatio ad novam fidem introducendam repudiata veteri, cùm vera Christi Ecclesia debeat esse perpetua (ut fatetur Confessio Augustana) & indefectibilis in rebus fidei. Quin, etiam suppositò, quòd defectibilis esset, nulla dari posset vocatio humana ad eam reformandam, cùm talis reformatio esset opus omnem ordinariam potestatem, ab hominibus concedi solitam, longè transscendens. Unde non mirum, quòd ipse Lutherus, licèt aliàs non 18.

C mul-

multùm scrupulosus, de sua vocatione scrupulos passus sit. **Der Teuffel kan uns fein fürwerffen** (inquit to. 2. Jen. f. 49. & in Sympos. f. 256.) **und mit den Gedancken plagen: ja wahrlich ihr prediget das Evangelium / wer hats aber geheissen? Wer hat euch beruffen? Und sonderlich auf diſe Weiß / wie es kein Mensch in so vil hundert Jahren nit gelehrt hat. Wie wann es GOTT nicht befiehl / und ihr wäret also schuldig an so vieler Seelen Verdammnuß?** Sed & remorsum conscientiæ passus est propter sceleratam vitam suam, etiam inter pocula; auditus enim est aliquando, de convivio quodam paulisper abscedens, sic se ipsum alloqui, ventrem manu pulsitans: *Martine Martine, hic quidem sat bene sic agitur: sed quid post hæc futurum est?* Ita refert Joan. David in Verid. Christiano cap. 100.

Ex quibus omnibus ita fit manifestum, Lutherum non tradidisse doctrinam sanam, nec purum Evangelium suscitasse, ut coram Deo inexcusabiles sint omnes, qui Lutheranismo, aut alijs indè pullulantibus Sectis adhærent; cùm inauditum, Deóque insolitum sit, ac indecens, hominem adeò spurcum, insolentem, sceleratum eligere in Prophetam & Apostolum suum, per quem veritatis fundat oracula, Scripturæ mysteria hominibus aperiat, peccata populi corrigat, & totam Ecclesiam reformet. Deus siquidem prophetas suos priùs puros & sanctos efficit, imò in utero matris adhuc sanctificat, uti Hieremiam & Joannem Baptistam, quos mittit ad puram fidei doctrinam, & vitæ sanctitatem promovendam in alijs. Unde inane est solatium, quo aliqui se lactant doctrinâ Lutheri, quam bonam esse & in Scripturis fundatam asserunt, licèt ipsimet detestentur ejus vitam. Inane, inquam, hoc est solatium; quippe, præterquam quòd doctrina nec hilo melior sit vitâ Lutheri, ut palàm fecimus, eo ipso, quòd Auctor fuerit tam turpis, nec ullo divinæ Missionis charactere insignitus, etiam doctrina redditur meritò suspecta, & prudenter incredibilis saltem secundùm ea, quæ sunt contra SS. Patres & Universalem Ecclesiam.

Perpendant, quæso, Lutherani illum D. Pauli textum, in quo graphicè describit falsos prophetas & pseudo-apostolos, seu hæresiarchas. *Novissimis diebus*, inquit 2. Tim. 3. *instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus* (legitimis Superioribus) *non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, ineonstantes, immites, sine benignitate proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Perpendant, inquam, hunc textum, & dispiciant syncero oculo, utrùm non omnia verba quadrent Luthero, nisi fortè nec *speciem pietatis* ei velint reliquam. Perpendant quoque illud 1. Tim. 4. *in novissimis diebus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* An non Lutherus discessit à fide, & attendit doctrinæ diaboli? Et hujusmodi homo sit Reformator Ecclesiæ Dei, 19.

Dei, ac instaurator puri Evangelij? Credat Judæus Apella.

20. Objiciunt Lutherani 1. circa vitam Lutheri. Etiam apud Catholicos fuerunt multi improbi Papæ, scelesti Episcopi, & pessimi Sacerdotes: ergo si mala vita Doctorum obest sanæ doctrinæ, neque Catholici habent sanam & veram doctrinam. R. N. Conf. & paritatem: nam scelerati Pastores & Doctores Catholici non fuerunt auctores & primi fundatores Ecclesiæ Catholicæ, Lutherus autem fuit auctor & fundator Ecclesiæ Lutheranæ. Pastores & Prælati Catholici etiam scelerati possunt probare suam vocationem, quam habent, ordinariam & mediatam per continuam successionem Pontificum, Episcoporum, à quibus ordinantur ad munus docendi &c. Lutherus autem non potest probare suam vocationem, nec ordinariam & mediatam nec extraordinariâ & immediatam, quam neutram habuit. De Catholicis Doctoribus malis, qui persistunt in doctrina à Majoribus accepta, scriptum est: *super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia, quæcunque dixerint vobis, servate & facite, secundùm opera verò illorum nolite facere.* De Luthero hæc dici non possunt, quia probari non potest, quòd promotus sit ad Cathedram Moysis, vel potiùs Christi & Apostolorum tanquam verus successor, quòd sit vocatus ad aliter docendum, quàm Successores legitimi Apostolorum, & Doctores ritè vocati.

21. Objiciunt 2. Circa doctrinam Lutheri. Lutherus initiò fuit adhuc semi-Papista, adhuc imperfectus, necdum plenè illuminatus: ergo si aliqua perperam docuit primis suæ Reformationis annis, præjudicare ea non debent posterioribus ejus doctrinis, quando plus jam hausit luminis. Facilèque ipsi indulgendum, cùm Reformationis opus fuerit prorsus difficile, si sub tanto onere contigit quandoque fatiscere, antequam majores à Deo vires acceperit. R. hoc effugium esse omnino vanum & ridiculum. 1. Quia est contra morem Dei mittere Prophetam nondum satis illuminatum ad tollendos errores, & ab erroribus nondum liberatum. 2. Quia sic Lutherus saltem primis annis falsam ac damnabilem doctrinam tradidit, atque sic multa animarum millia pervertit, ac in exitium traxit. 3. Quia non constat, quo tempore Lutherus fuerit plenè illuminatus, & ab omni errore liberatus: quid si id nunquam factum esset? certè quamdiu vixit, sibi contradixit, & mutavit, probabiliter mutaturus diutiùs, si vita superstes fuisset. 4. Quia Lutherus ipse contra hanc excusationem protestatur to. 2. f. 106. ubi omnes arguit mendacij, qui prætendunt, eum initiò nimis faviisse Papatui, & docuisse errores, cùm sciat, sua dogmata se accepisse è cœlo, & nunquam fuisse immutata, nec unquam à se immutanda. Igitur Lutherus vel hìc mentitur, vel malè excusatur à suis. 5. Quem Deus mittit ad aliquem finem, ipsi dat etiam sufficientia media: consequenter quem mittit ad munus docendi alios & reformandi, hunc instruit sufficienti lumine, sufficienti sanctimonia, & viribus: cùm ergo Luthe-

therus his destitutus fuerit initiò, uti fatentur Lutherani, initiò non fuit missus & vocatus à Deo. Jam probare ipsis incumbit, an & quando deinceps à Deo illuminari & vocari cæptus sit; quod erit admodum difficile. 6. Aliud est à Deo non revelari simul omne verum, aliud revelari falsum: prius non est necesse, posterius est impossibile. Cùm igitur ex contradictorijs semper alterutrum necessariò sit falsum, cogita, quoties falsum docuerit Lutherus tanquam sibi revelatum à Deo. Quisquis igitur defendis Lutherum, dicendo, eum primis annis à Spiritu S. non satis exasciatum, dedolatum, & edoctum fuisse, ridiculum facis Evangelistam tuum, eúmque simul ac causam tuam penitus jugulas.

21. Ob. 3. Est contra Pacem Religionis ita traducere Lutherum; cùm in Romano Imperio tolerentur ejus Asseclæ: ergo. R. N. Ant. & ejus suppositum, quòd sit traducere Lutherum, si ipsius vita ac doctrina, à Luthero ipso & Lutheranis edita, & descripta, sinè dolo & falsitate referatur; præsertim si id fiat ex justa causa, ad detegendam falsitatem Sectæ, non animo stigillandi Sectatores illius: quippe si pateat, qualis fuerit Lutherus, quæ ejus doctrina, quàm sceleratus ille, quàm impia hæc & falsa, simul efficaciter refutatur Lutheranismus, quem refutare utique non est contra Pacem Religionis. Utique Carolus V. & Status Imperij non traduxernnt Lutherum, dum in Comitijs Wormatiensibus perversos illius mores & dogmata graphicè descripserunt, eúmque tanquam hæreticum damnârunt, ut videre est in Recessu referendo Art. seq. Utique Lutherani, dum in lucem edunt vel ediderunt vitam Lutheri ac illius doctrinam propugnant, non fatebuntur se traducere aut traduxisse Lutherum, & peccâsse contra Pacem Religionis. Viderint potiùs ipsi, quomodo à calumnijs & violatione Pacis se excusent, dum Romanum Pontificem, Pastorem summum, etiam Imperatoris & Principum, identidem vocitant Antichristum, ac Catholicos arguunt Idololatriæ, & nescio quæ falsa ipsis impingunt per enormia & aperta mendacia, per summam impudentiam. Utinam ipsi pari, qua ego per totum librum usus fui in eorum erroribus confutandis, uterentur modestiâ in opugnanda veritate Catholica. Lutherum oportuit talem depingere, qualis est, ne fortè imperiti putent, ab hoc viro *pretioso* (theuren Mann/ ut vocant) Confessioni Augustanæ auctoritatẽ conciliari, cujusmodi auctoritatẽ conciliant Ecclesiæ Catholicæ viri sanctitate eximia imò prodigiosa çonspicui,

ARTICULUS III.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat à Carolo V. Imperatore, cui fuit exhibita?

SUMMARIUM.

1. *Imperiti quidam Lutherani nescio quam auctoritatem tribuere volunt suæ Confessioni à Carolo V. à quo approbatam fuisse putant.*
2. & 3. *Sed vanè.*
4. *Quanta fidei sit Sleidanus Historicus?*
5. *Refertur origo Lutheranismi.*
6. *Et Lutheri ficta palinodia.*
7. *Carolus V. Lutherum & ejus doctrinam ex animo detestatus est, ut patet ex Edicto Wormatiensi, cujus præcipua puncta recitantur.*
8. *Pariter detestatus est doctrinam Confessionis Augustanæ, ut patet ex Edicto Augustano, quod totum recitatur.*
9. *Propter Lutheranum Schisma celebrati sunt.* 14. *Conventus Statuum Imperij.*
10. *Protestantes celebrârunt alios separatos, unde fœdus & bellum Smalcaldicum, in quo captus Elector Saxoniæ, & Landgravius Hassia à Carolo.*
11. *Prodit libellus* Interim, *& Mauritius Saxo post paucos annos conversis in Cæsarem armis Victor Pacem Religionis Passavij extorquet.*
12. *Ubi tamen non approbata, sed permissa est, & tolerari cœpta in Romano Imperio Confessio Augustana.*

1. SCiendum 1. haud paucos ex plebe Lutherana gloriari, Carolum V. Imperatorem approbâsse oblatam sibi Confessionem Augustanam, ratámque habuisse, sæpius se hìc loci audivisse testabatur vir quidam peregregius & toti Civitati notissimus, ante paucos annos defunctus. Quin eò impudentiæ Norimbergenses devenisse intellexi, ut Biblia ediderint, in quorum calce exhibetur Carolo Confessio Augustana cum hac ferè epigraphe: Hier übergibt Carolus der V. die Augspurgisch Confession, in welcher Er gelebt und abgetruckt hat. Quod factum quàm audax, impudens, tanto Principi totíque Domui Austriacæ injuriosum sit, nemo non videt, qui aliquid videt. Et quàm falsò hæc spargantur in vulgus, quantaque injuriâ, demonstratum nunc eo.

Sciendum 2. Carolum non minùs ob vitâ Religione, quàm rarâ fortitudine, verè invictissimum Principem, non solùm novitatibus Lutheri & affectarum se semper opposuisse, verùm etiam in Comi-

Comitijs Wormatiensibus publico decreto damnâsse Lutherum ejúsque doctrinam tanquam hæreticam & scandalosam, atque ex Romano Imperio proscripsisse, libris illius Vulcano adjudicatis. Verba hujus Edicti recitabo infrà in probatione, cùm eaSleidanus pro fidelitate sua nequiter dissimulaverit.

3. Sciendum 3. Simile Decretum in ipsis Comitijs, in quibus AugustanaConfessio cusa & oblata est, anno 1530. contra Lutherum & Protestantes factum, & 19. Nov. publicatum esse; licèt ante diem hujus Promulgationis, ne scilicet eam audire cogerentur, plerique Protestantium Principes Augustâ discesserint, vel pudore vel irâ stimulante, quòd causâ cecidissent. Quippe denuo nova Lutheri doctrina proscripta, & simul ipsa Confessio rejecta & damnata fuerat; atque hoc Edictum in suo vigore permansit usque ad annum 1548. imò 1552.

4. Sciendum 4. Ipsum Sleidanum, ut ut aliàs nimis faventem Protestantibus (non sine veritatis præjudicio, quæ tamen deberet esse prima dos Historici) fateri, in Comitijs Augustanis, quo tempore nata in mundum prodijt, adeóque quasi in primis incunabulis damnatam esse Confessionem. Utinam omnino extincta fuisset! De quo Sleidano, quia mentio incidit, notari velim, eum, licèt Lutheranis sit alterLivius, omniúmque manibus teratur, exiguæ tamen auctoritatis esse, præsertim in ijs, quæ circa Religionem narrat; cùm Historiam suam tot mendacijs repleverit, ut teste Florim. Ræmundo ab uno homine undecim corum millia notata sint. Quo factum, ut Carolus V. quo vivente scripta erat, quando Sleidani Historiam cupiebat inspicere, *Pseustem* suum sive *Mendacem* sibi porrigi juberet. Id præcipuè spectabat Sleidanus, ut hæresim pulchris & astutè quæsitis coloribus fucatam ita pingeret, ut imaculata Christi sponsa saltem simplicioribus videri posset. Qui igitur Lutherani Schismatis originem, & causas syncerè desiderat nôsse, non Sleidani, sed potiùs Henrici Regis Angliæ, Georgii Ducis Saxoniæ, Henrici Ducis Brunsvicensis, Thomæ Mori, Surij, Eckij, Hosij, Cochlæi, Gropperi, &aliorum, quorum vita probior, & fides integrior, libros consulat. Multùm sanè interest errorũ natales probè novisse; nam juxta Hieronymi effatum *hæresim refutat, quisquis originem ejus demonstrat.* Unde

Sciendum 5. Schismatis Lutherani originem à Florim. Ræm. ita narrari. Primis Sæculi decimi quinti Lustris Selimus Turcarum Imperator, non minùs felix continuis victorijs, quàm ferox feralibus minis, Orientem pariter & Occidentem ingenti terrore perculsum contremefecit, toti Christianitati extremam perniciem intentans. Quare Leo X. Romanus & Summus Ecclesiæ Antistes pro paterna sua sollicitudine precibus & publicis jejunijs DEI Misericordiâ ardenter implorata Legatos misit ad Christianos Principes (factionibus tum distractos) eósque ad pacem inter se, & ad sacram contra Turcas expeditionem totis viribus cohortatus est, & utrumque ab obsequentibus filijs feliciter obtinuit. Ne verò pecunia, belli nervus, deesset, idem Leo Imperatoris

5.

toris & aliorum Principum rogatu Jubileum per omnes Christianas Provincias promulgari voluit, ut nempe devoti fideles eleemosynis suis & quasi Contributione quadam, non Pontificis ærarium, ut hæretici mentiuntur, sed susceptum contra juratos Christianorum hostes bellum adjuvarent.

Hanc Indulgentiarum Bullam, quàm *Cruciatæ* appellant, prædicandi per Germaniam, populúmque ad sacram Contributionem exhortandi provincia 1517. demandata est Joanni Tezelio Dominicano ab Alberto Brandeburgico, Archiepiscopo Moguntino, cui hæc potestas à S. Sede facta fuerat. Verùm hanc spartam honorificam Dominicanis concessam non ad sui tantùm, sed etiam ad totius Ordinis contemptum, & injuriam pertinere interpretatus est Joannes Staupitius sanctissimi Ordinis Eremitatum S. Augustini Generalis Vicarius, vir nobili genere natus, & qui longo jam tempore id muneris in Germania obire consueverat. Proinde ex hac æmulatione quasi ex attritu lapidum primùm infaustæ illæ excutiebantur scintillæ, ex quibus postea tam lamentabile incendium Christianæ Reipublicæ exortum est. Quippe Lutherus à Staupitio ad munus concionandi destinatus (cujus postea Staupitium sæpiùs pænituit) ambitione tumidus, invidiâ percitus, suggestum conscendit, & instar feræ, caveâ emissæ, nunc huc nunc illuc discurrens, abusus Indulgentiarum, Prædicatorum fraudes, quarum ipsos insimulabat, pro concione quàm odiosissimè perstringere & exagitare cæpit, ridicula etiam, ut erat ingenio festivo & mordaci, nonnunquam intermiscens, ita tamen, ut non rarò verba aliqua ipsi exciderent, quibus non solùm S. Romanæ Sedis dignitas violabatur, verùm etiam supremi Ecclesiæ Capitis potestas vocabatur in dubium. Indulgentiarum Prædicatores passim avaritiæ & fœdi quæstûs, universum verò Ecclesiasticum Ordinem negligentiæ, desidiæ, & ignorantiæ arguit publicè. Inter alia scriptis ad Archiepiscopum Moguntinum deferebat Indulgentiarum Præcones, quòd ad populum profiteri non erubescerent, eodem momento, quo argenti in pelvim conjecti sonus audiretur, animas è Purgatorio evolare &c. Theses etiam publicas contra Indulgentias Wittenbergæ affixit. Ex adverso Tezelius suas & ipse theses publicavit, atque Luthero egregiè respondit, tam impiger ad se munusque suum defendendum, quàm audax fuerat Lutherus ad criminandum.

Primis his motibus statim sese immiscuit potentissimus Germaniæ Princeps Fridericus Dux Saxoniæ, tùm quòd Moguntino in Archiepicopatûs Magdeburgici petitione fuisset posthabitus, tum etiam quod Ecclesiasticorum magnitudini & opibus invideret. Is proinde Lutherum ejúsque partes fovens animos, & stimulos addidit sponte currenti Luthero, ut Indulgentiarum quæstoribus, ut dicebat, sese pergeret acriter opponere, etiam promisso suo favore & auxilio. Cúmq; Lutherus propter suas propositiones tum scandalosas tum hæreticas (quippe disputatio de Indulgentiarum abusu mox alias secum traxit,

traxit, in quibus Papæ reddebatur dubia Indulgentias dispensandi potestas, bonis operibus negabatur meritum & vis satisfactoria &c.) Romam citatus fuisset, hic ipse Fridericus scriptis ad Pontificem litteris pro eo interceſſit, tantúmque effecit, ut causâ illius Legato Pontificio Thomæ Cajetano Cardinali commissa fuerit ventilanda, ad quem Lutherus comitante Staupitio Augustam Vindelicorum anno 1518. profectus est, ubi longa oratione innocentiam suam Cardinali demonstrare aggressus protestabatur, se nunquam ab Ecclesiæ unitate seu communione discessurum. Imò coram Notario & quatuor Consiliarijs Imperatoris Maximiliani, qui tum in Comitijs aderat, sequentia verba è schedula legebat: *ego frater Martinus Lutherus Ord. S. Aug. protestor, quod revereor & sequor sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis factis & dictis præsentibus, præteritis, & futuris. Quod si mihi excidit, aut siquid contrarium dixi, volo & rogo id pro non dicto haberi.* Hanc palinodiam & revocationem licèt dissimulet Sleidanus, & Lutherani negent, facta tamen est, quamvis animo non syncero, ut effectus docuit mox secutus: nam Lutherus, cùm videret simulationem suam à Judicibus notari, veritus, ne posthabitis salvi-Conductûs litteris captivus detineretur, intempesta nocte clanculum per angustam portam urbe Augustana excessit, erupit, evasit. Sed brevi pòst iterum evòcatus est Romam, ut Sedi Apostolicæ responderet super sua doctrina; verùm, quia causæ suæ diffisus carceres timebat & rogos, nisi palinodiam caneret, ad futurum Concilium provocavit, Saxonis interea protectus tutelâ. Lentis interim remedijs utebatur Germania, imò vix utebatur ad arcenda, quæ tum satis æstimare non noverat, imminentia sibi damna & calamitates: nimirum nimis secura & quieti diuturnæ assueta, quid rebellio esset, ignorabat, contempto etiam periculo, quod inermis suíque impotens Monachus creare videbatur, Deo nempe gravissima Cleri populíque Christiani scelera, quæ tum grassabantur, hunc in modum severè quidem, sed justè tamen castigante. Sed quidquid sit, saltem Carolus V. Imperator & pijssimus Princeps seriò detestatus & persecutus est Lutherum ejúsque Sectam. Unde

Dico 1. Carolus V. Lutherum ejúsque doctrinam ex animo detestatus & acriter persecutus est. Optima hujus assertionis probatio est ipsum Edictum *Wormatiense*, jussu Caroli anno 1521. promulgatum, ex quo recitare placet sequentia. Sanè vestrûm, nemmem ignorare existimamus, quibus erroribus & hæresibus, ab Orthodoxa fide longè alienis, quidam frater Martinus Luther, Ordinis S. Augustini, Religionem Christianam in hac præsertim inclyta Germanica, natione, omnis infidelitatis & hæresum perpetua oppugnatrice, ita infacere conetur, ut nisi maturè occurratur, tota hæc Natio, & deinde, serpente contagione, universa Christiana Respublica, in abominandum Schisma, & bonorum morum, pacis- 7.

„que, ac tandem detestandam sui per-
„niciem, prolapsura videatur. Qua-
„propter non immeritò commotus
„Sanctissimus in Christo Pater Dominus
„Leo X. Sacrosanctæ Romanæ & Uni-
„versalis Ecclesiæ Summus Ponti-
„fex, ad quem Fidem Catholicam &
„Ecclesiæ Sacramenta curare spectat,
„prædictum Martinum à principio cle-
„menter & paternè monuit, & hor-
„tatus est, ut à nefandis hujusmodi
„inceptis desisteret, & jam sparsos er-
„rores revocaret. Quòd cùm ille ne-
„glexisset, & pejora super prioribus ad-
„deret: idem Beatissimus Pater ad op-
„portuna, neque tamen insueta, re-
„media procedere statuit. Itaque &c.
„Post quas quidem prædicto Martino
„factas à Summo Pontifice monitionem,
„vocationem, citationem, & ipsius
„tandem condemnationem, nec non
„præsentatas nobis ejusdem Beatissimi
„Patris litteras, Bullamque Apostoli-
„cam, per varia & diversa loca Ger-
„maniæ publicatam, & nostro jussu
„& mandato, non solùm Lovanij, in
„Inferioribus Dominijs nostris, verùm
„& Coloniæ, Treviris, Moguntiæ,
„Leodij, executioni demandatam, tan-
„tùm abfuit, ut idem Martinus resi-
„pisceret, erratáque sua revocaret,
„& petitâ Absolutionis veniâ, in gra-
„tiam cum Summo Pontifice & san-
„cta Ecclesia redire procuraret, ut e-
„tiam detestabiliores perversi ingenij
„sui fructus indies ederet, & perinde
„ac in manifestam Ecclesiæ perniciem
„furens rueret, complures acervatim
„libros, non modò navarum, sed e-
„tiam à sanctis Concilijs olim condem-
„natarum hæresum plenos, nec solùm
„Latino, verùm etiam, ut faciliùs vul-
„gus perverteret, Alemannico sermone,
„à se compositos, vel saltem suo no-
„mine editos, ferè quotidie divulga-
„ret. In quibus (bone Deus!) ob-
„servatum ab Ecclesia jam tot sæculis
„septem Sacramentorum numerum,
„ordinem, usum dissipat, confundit
„inviolatas Matrimonij leges miris mo-
„dis fœdissimè inficit: Extremam Un-
„ctionem cum Wicleffo fictionem di-
„cit: communicandæ sacratissimæ Eu-
„charistiæ ritum ad damnata Bohemo-
„rum revocat instituta &c. Obedi-
„entiam & regimen omne prorsus tol-
„lit. Unde populi ad defectionem &
„rebellionem à suis tam spiritualibus
„quàm temporalibus Dominis facien-
„dam, ad rapinas, cædes, incendia,
„eum magno & manifesto Christianæ
„Reipublicæ discrimine provocentur.
„Quin imò, quum vitam quandam
„solutam, licentiosam, atque ab omni
„lege explicitam, & verè ferinam in-
„ducere conetur, ita exlex homo le-
„ges ipsas omnes damnat & contem-
„nit, ut decreta SS. Patrum & sacros
„Canones publico igni comburere non
„formidaverit, facturus peiora Civili
„Juri, si non magis Sæculi gladium,
„quàm Pontificis ex communicationes
„& censuras metuisset &c. In tantam
„que prorupit mentis vesaniam, ut, si
„semel Joannes Huss fuerit hæreticus,
„se plùs decies hæreticum Martinus
„glorietur, homo usque adeò nova-
„rum rerum, ac potiùs perditionis hu-
„manæ cupidus, ut nihil ferè scripserit
„vel saltem suo nomine divulgaverit
„cui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

„cui non aliqua peſtis, aliquis lethalis „inſit aculeus: præter illos libros, ne „nominandos quidem ob execrandam „eorum materiam, ipſius tamen titu„lo editos, & ab eo cum reliquis ut „ſuos agnitos, quorum ſingula verba „ſingula venena meritò quis dicat. Et „ne omnia, quæ innumerabilia ſunt, „Lutheri errata ſingulatim percenſean„tur, tanquã ſi hic unus, non homo, ſed „diabolus ipſe, ſub hominis ſpecie, „ad perniciem humani generis, aſſum„tâ Monachi cuculiâ, quàm plurimo„rum damnatiſſimas hæreſes, jam diu „ſepultas, in unam ſententiam con„geſſerit, & aliquas etiam noviſſimè de „ſuo cogitavetit, ſub ſimulata præ„dicatione fidei, quam ad prætexendos „ſuos dolos tam ſæpe, tantóq; opere ob„jicit: fidem veram prorſus deſtruit ſub „libertatis, quam promittit, ſpecie: „diaboli jugum & ſervitutem inducit, „& ſub Evangelicæ profeſſionis nomi„ne omnem Evangelicam pacem & cha„ritatem, omnémque rerum ordinem, „& pulcherrimam denique totius Ec„cleſiæ faciem invertere, labefactare, & „penitus peſſundare molitur.

„Quibus omnibus per Nos & Con„cilia noſtra omnium nationum nobis „ſubditarum ſæpius & diligenter atten„tis & conſideratis, & præſertim in hac „parte ab eodem Beatiſſimo Patre re„quiſiti &c. convocatis ſæpius ad præ„ſentiam noſtram, propter hoc præci„puè, Electoribus, nec non univerſis „Sacri Romani Imperij Ordinibus & „Statibus, in hoc wormatienſi Con„ventu congregatis, de eorum omnium „& ſingulorum unanimi conſilio, ma„tura deliberatione & conſenſu in hanc„ tandem devenimus ſententiam & con„cluſionem. Ut quamvis hominem„ ita à Summo Pontifice & Sede Apo„ſtolica condemnatum, & in ſua ob„ſtinata perverſitate obduratum, atque„ ab uſu Catholicæ Eccleſiæ alienum, &„ Notorium hæreticum audire, omni„ jure exceptum eſſet: tamen ad tollen„dam omnem cavillandi anſam (id„ que quia nonnulli, plerosque libros„ Martino adſcriptos ipſius eſſe, aper„tiſſimè inficiabantur) compluries au„diendum à nobis priùs hominem &c.„ non ut nos de hoc negotio judicare „ mus, aut cognoſceremus (quum id„ dubio procul ad Romanum Pontifi„cem & Sedem Apoſtolicam pertineat)„ nec ut res ſacroſanctæ fidei noſtræ„ nunc tandem, poſt tot ſæcula per no „ vas altercationes, cum magno fide„lium ſcandalo & perturbatione, ac„ infidelium deriſione, in controver„ſiam revocari pateremur: ſed ut cum„ vulgi & plurimorum ita petentium ſa„tisfactione, hominis animum per„ contantes, eum bonis monitionibus &„ ſuaſionibus, ad rectam ſemitam, (ſi„ fieri poſſet) reduceremus. Itaque„ &c. Sed ne verbum quidem in ſuis„ libris mutaturum, impudentibus ver„bis, oriſque & corporis geſtu, quod„ vis potiùs, quàm Religioſum aut ſa„num hominem præ ſe ferente, aper„tiſſimè negavit. Quin imò in no„ſtram & ſacri Imperij faciem ſummo„rum Decreta Pontificum, & Conci„lia ipſa ſacroſancta errâſſe ſæpius, &„ ſibi ipſis contradixiſſe, & tandē nullius„ apud ſe momenti fore aſſeveravit &c. „

„ His omnibus & singulis sic o-
„mnino, ut præmittitur, se habenti-
„bus, quum prædictus Martinus, tam
„perversè & obstinatè in suis adeò
„manifestè hæreticis opinionibus per-
„sisteret, ut ab omnibus ijs, qui sa-
„piunt, partim demens, partim etiam
„malo aliquo obsessus spiritu judica-
„retur &c. in hunc, qui sequitur, mo-
„dum procedere decrevimus. Pri-
„mùm &c. exequendo Sanctissimi Do-
„mini nostri Papæ, veri in hac parte
„Judicis, sententiam, decretum, &
„condemnationem in litteris Apostо-
„licis, ad nos directis, contentam,
„Martinum Lutherum, ut membrum
„ab Ecclesia Dei abalienatum, ut ob-
„stinatum Schismaticum, & Notori-
„um hæreticum, à nobis haberi de-
„claramus, & ut talem à vobis omni-
„bus & singulis habendum decerni-
„mus, & edicimus, mandantes de
„eorundem Statuum consilio & con-
„sensu, sub criminis læsæ Majestatis,
„nostræque & Sacri Imperij gravissi-
„mæ indignationis, ac etiam amissio-
„nis feudorum, dominiorum, & bo-
„norum omnium, gratiarum quoque
„& omnium privilegiorum, à Nobis
„& Sacro Imperio dependentium &c.
„nec non Proscriptionis, ac Banni, &
„Interdicti imperialis pœnis, ne quis
„Vestrûm præfatum Martinum Luthe-
„rum receptare, defendere, susten-
„tare, fovere dicto, facto, aut scrip-
„to præsumat. Quinimo post elap-
„sum supradictum viginti dierum ter-
„minum contra eum, ubicunque
„deprehensus fuerit, & in manu aut
„facultate vestra erit, juxta formam
Imperalis Banni procedatis, vel saltem,
„personaliter captum tam diu custo-
„diatis, donec &c. Et nihilo minùs,
„ejusdem Martini complices, adhæren-
„tes, receptatores, & quomodolibet,
„fautores, & sectatores (nisi se ini
„quitatis semitam deseruisse, & aucto-
„ritate Apostolica absolutionis reme-
„dium consecutos esse fidem condig-
„nam fecerint) nec non eorum omnia,
„& singula bona mobilia & immobilia,
„juxta sacras constitutiones, ac Interdi-
„cti & Banni Imperialis legem & or-
„dinem, liberè & absque ulla contra-
„dictione prosequamini, illósq; & illa ca-
„piatis, & in usus vestros optimo & pleno
„jure convertatis. Mandamus insuper vo-
„bis omnibus & singulis præfatis sub
„ijsdem prænominatis pœnis, ne quis
„Martini Lutheri scripta à Summo Pon-
„tifice authoritate sua Apostolica dam-
„nata &c. aut alia ab eo hactenus com-
„posita, vel imposterum componenda,
„utpote mala, suspecta, & à Notorio,
„& pervicacissimo hæretico provenien-
„tia emere, vendere, tenere, legere,
„describere, imprimere, aut describi
„vel imprimi facere, asserere, susten-
„tare, prædicare, defendere, præsu-
„mat &c. hujuscemodi pestiferos
„Martini libros, tam Alemanni-
„cos quàm Latinos, impressos & impri-
„mendos, aut etiam manuscriptos, u-
„bicunque reperiantur (utpote magnæ
„seditionis, schismatis, & hæreseos in
„Ecclesia Dei fomites) diripiendos &
„publico igni consumendos, penitús-
„que abolendos cum effectu curetis
&c.

Ex quibus utique patet, quo animo fuerit Carolus erga Lutherum & Lutheranismum. Videamus nunc, quomodo affectus fuerit Confessioni Augustanæ, ut cessent rerum ignari auctoritatem illi arrogare ab Invictissimo Imperatore & Catholico Rege Carolo, pudore suæ temeritatis suffusi.

2. Dico 2. Carolus V. nunquam approbavit Confessionem Augustanam, sed potiùs damnavit in ijsdem Comitijs, in quibus nata, & sibi exhibita est, additis gravissimis minis in eos, qui ei adhærere pergerent. Claris verbis hoc fatetur ipse Melanchthon illius Compilator, dum l. Epist. ad Joannem Obenburger Imperatoris Caroli Secretarium ita lamentatur: *In Comitijs Augustanis tristi & atroci sententia damnati sumus.* Sed optima probatio erit ipsum Decretum finitis Comitijs publicatum, quod ex Georgio Cœlestino Confessionista de verbo ad verbum recito, audire:

„ Quinto pòst die, præsente Cæsa-
„re, Decretum recitatur in omnium
„Ordinum cætu, & post multam e-
„numerationem totius actionis Cæsar
„statuit, ne tolerentur, qui de Cœna
„Domini secus, quàm huc usque ser-
„vatum sit, docent, ne quid in Missis
„vel Communi vel Privata mutetur, ut
„Chrismate pueri confirmentur, & æg-
„rotantes oleo consecrato inungantur:
„imagines atque statuæ minimè remo-
„veantur, & quibus in locis ablatæ
„sunt, ibi restituantur. Eorum opi-
„nio, qui liberum esse negant hominis
„arbitrium, nequaquam recipiatur,
„quòd & pecuina sit & in Deum etiam
„contumeliosa, Nihil omnino docea-
„tur, quod ulla ratione Magistratûs
„imminuere possit dignitatem: dog-
„ma illud de sola fide justificante locum
„non habeat: Ecclesiæ Sacramenta sint
„eo loco & numero, quo antiquitus:
„cæremoniæ omnes Ecclesiæ, ritus,
„exequiæ Mortuorum, & id genus alia
„serventur: Sacerdotia, quæ vacant,
„conferantur idoneis: qui ante hoc
„tempus facti sunt mariti, Sacerdotes
„vel Ecclesiastici, priventur benefi-
„cijs, quæ statim ab hoc Conventu
„conferantur alijs: qui tamen relictis
„uxoribus ad pristinum institutum re-
„dire & absolvi cupiunt, eos, de vo-
„luntate Pontificis, cùm hoc ei Lega-
„tus nuntiârit, Episcopi restituant:
„cæteri verò nullum usquam habe-
„ant perfugium, sed exulent aut eti-
„am meritam pœnam luant. Sacer-
„dotum vita sit omnis honesta, vesti-
„tus etiam decorus, & vitetur omnis
„offensio; si quibus in locis Eccle-
„siastici redacti sint ad aliquam ini-
„quam conditionem atque pactum,
„si quid etiam bonorum sacrorum i-
„niqua ratione venditum sit, aut in ali-
„um usum profanum applicatum, id
„omne sit irritum: ad docendi mu-
„nus nemo recipiatur, nisi qui doctri-
„næ simul & vitæ probatum habeat ab
„Episcopo testimonium: in docendo
„sequantur omnes hanc præsentem for-
„mulam, nec illud pro concione dicant
„usitatum, quasi hoc nonnulli agant
„ut opprimatur Evangelij doctrina:
„temperent etiam à scommatis atque
„contumelijs; hortentur populum, ut

„Missam audiat, ut diligenter oret, ut „Virginem Mariam cæterósque Divos „imploret, ut dies festos peragat, ut „jejunet, ut à cibis vetitis abstineat, „ut subveniat egenis: Monachis autem „demonstrent, non licere Professio„nem ac Ordinem deserere. Breviter, „in ijs, quæ pertinent ad fidem atque „Dei cultum, nihil quidquam immu„tetur: qui contrà fecerint, corporis „atque vitæ suæ bonorum discrimen „subeant: quidquid ablatum est Eccle„siasticis, restituatur: quibus in locis „domicilia Monachorum, & id genus „alia ædificia facta diruta sunt, reædifi„centur, in ùsque cæremoniæ fiant at„que ritus usitati: qui sunt in adver„sariæ partis finibus antiquæ Religionis „atque fidei sectatores, & hoc decre„tum approbant, in Imperij tutelam „recipientur, eisque licebit, quò vo„lent, emigrare, nullo cum detrimen„to: de Concilio Pontifex appellabi„tur, ut intra sextum mensem illud ad „locum aliquem idoneum indicat, ut „deinde primo quoque tempore, & „ad summum intra spatium anni fiat „ejus initium: hæc omnia rata sint at„que firma: & siquæ sunt oppositæ, „vel opponentur etiam exceptiones, „aut appellationes, locum nullum ha„beant. Ut verò Decretum hoc va„leat & servetur, quantum quidem ad „finem atque Religionem pertinet, „quicquid omnino virium atque facul„tatis concessit Deus, id omne, vita „etiam atque sanguis, huc impende„tur &c. Tam clara sunt ista, ut nihil addi debeat, cùm tota Confessio, & alia, in quibus Catholicis adversabantur Lutherani, manifestè reprobentur & prohibeantur, ita ut vel cæcus videat, Confessionem Augustanam, vixdum natam, à Carolo & Imperij Statibus reprobatam fuisse. Subscripserunt huic Edicto ipse Carolus V. sex Electores, triginta Principes Ecclesiastici, triginta tres Sæculares, viginti duo Abbates, triginta duo Comites & Barones, & triginta novem Civitates Imperiales.

Objicient fortè Confessionistæ. Etiamsi approbata non sit Confessio Augustana à Carolo, cùm ipsi exhiberetur Augustæ in Comitijs anno 1530. approbata tamen fuit postea Passavij à Ferdinando Rege anno 1552. cùm iniretur pax Religionis, quæ transactio deinde in Comitijs Augustæ confirmata est anno 1555. vivente adhuc, & ad id potestatem faciente Carolo: ergo à Carolo Imperatore magna Confessioni Augustanæ conciliatur auctoritas. Pro responsione & eruditione

Sciendum 1. Ad extinguendum Lutherani Schismatis ignem à Carolo Imperatore & Ferdinando Fratre, Rege Bohemiæ, coacta fuisse Comitia seu Conventus Imperiales omnino quatuordecim, & octo Colloquia seu Disputationes publicas, intra 24. annorum spatium. 1. Conventus habitus est Wormatiæ anno 1521. cujus Edictum contra Lutherum ejúsque novam doctrinam recitavi suprà. 2. Norimbergæ anno 1523. ubi Edictum Wormatiense confirmatum. 3. Ratisbonæ anno 1524. 4. Spiræ anno 1526. 5. Iterum Spiræ anno 1529. ubi Edictum Wormatiense iterum partim confirmatum,

tum, partim mitigatum fuit usque ad definitionem Concilij Generalis. Contra id protestabantur quinque vel sex Principes Acatholici & duæ Urbes Imperiales, quibus postmodum accesserunt aliæ; à qua protestatione nomen *Protestantium* originem duxit. 6. Augustæ anno 1530. ubi Confessionem suam Melanchthon, & Zwinglius suam, qui posterior Argentoratum, Ulmam, Constantiam &c. dementaverat, obtulere Statibus Imperij: sed utraque fuit rejecta. 7. Ratisbonæ (sed Protestantes separatum Conventum celebrant Schweinfordij in Franconia, quæ fuit prima Scissio inter Status Imperij separatis congressibus distractos) anno 1532. 8. Spiræ anno 1540. sed propter lúem translatus est Hagenoviam. 9. Ratisbonæ anno 1541. 10. Spiræ anno 1542. 11. Eodem anno Norimbergæ: ubi præcipuè agebatur, quomodo occurendum Turcæ, qui Budâ, Strigonio &c. jam occupatis imminebat Germaniæ. 12. Spiræ anno 1544. 13. Wormatiæ. 1545. 14. Ratisbonæ anno 1546. quo anno Lutherus repentina morte extinctus infelicem animam efflavit. Post fata Lutheri celebrati sunt alij Conventus Imperij omnino septendecim in causa Spoliorum Ecclesiæ.

10. Sciendum 2. Eodem anno 1546. patuisse, quid in suis separatis conventibus, quos ab anno 1530. quo in Comitijs Augustanis damnati erant, celebrabant plures præsertim Smalcaldiæ in Thuringæ finibus, præeunte Saxoniæ Electore, moliti sint Protestantes, siquidem Smalcaldici fœderis membra sociatis viribus ingentem exercitum 80000. peditum & 10000. equitum eduxere contra Carolum, legitimum Dominum suum, tantæ perduellionis nihil suspicantem; sed Carolus, ut erat Princeps ingentis animi, nihil territus impigrè contractas copias, licèt numero impares, oppositit propè Ingolstadium, tanto cum terrore hostium, ut non exspectatô prælió fugâ dilapsi sint, Electore Heidelbergensi, Ulmâ, Francofurto, Augustâ veniam suppliciter à Cæsare deprecantibus. Electorem tamen Saxoniæ Joannes Fridericus, & Philippus Landgravius Hassiæ præcipui conspirationis duces, & Lutherani non solùm maximi Fautores, sed & Protectores Evangelij, arma non ante deposuere quàm Imperator mense Martio sequentis anni 1547. abruptis hybernis eos repente obruit ad fluvium Albim, ubi devictum & captum Saxonem certis conditionibus vitâ donavit, & postea quinquennio secum per Germaniam tanquam perduellionis reum circumduxit: Landgravium verò mitiore captivitate Mechlinij detineri jussit ad preces Mauritij Saxoniæ Ducis. Hæc duplex Caroli victoria, Deo auspice tam feliciter parta, magnam quidem Germaniæ, & Religioni præcipuè, quietem attulit, & restituendæ pacis omnimodæ spem: sed versa intra quadriennium alea iterum omnia evertit, Cæsare humiliatis hostibus connivente, nimiúmque eorum blanditijs fidente, nec cæptas, ut facillimum erat, prosequente victorias; quia

quia scilicet partim ex innata clementia, partim publicæ quetis studio rebus turbatis mitiori modo ac sine sanguinis profusione mederi cupiebat. Atque hunc in finem in Comitijs Augustanis anno 1548. mandavit formulam aliquam formari, interim ab omnibus observandam, donec Concilium Tridentinum (quod ob ingruentem luem contagiosam migraverat Bononiam) finitum suâ sententiâ lites terminaret. Quæ formula seu libellus nomen *Interim* sortitus est, eò quòd fuerit aliqua declaratio, quomodo in negotio Religionis per Imperium usque ad definitionem Concilij interim vivendum esset. Iste speratæ concordiæ libellus displicuit initiò Pontifici, eò quòd Cæsar sibi nimium tribuere visus esset in negotio Religionis, postea tamen toleratus est: neque placuit omnibus Lutheranis, licèt etiam ex his plurimi, imò plerique eum receperint saltem oretenus, illique subscripserint, quos inter fuere tres Electores Protestantium, nempe Fridericus Comes Palatinus, Mauritius Dux Saxoniæ, & Joachimus Marchio Brandeburgicus, cum aijs Principibus, Civitatibus Imperialibus, & Academijs Wittenbergensi, demum & Lipsiensi, non obstante, quòd iste libellus non nisi Catholicam doctrinam contineret, rejectâ Confessione Augustanæ, si Communionem sub utraque specie; & conjugium Sacerdotum excipias, quod utrumque permittebatur liberum usque ad definitionem Concilij, quam omnes Imperij Status exspectabant, & ad quam sæpius appellabant Protestantes, licèt fictè, ut interea tempus se armandi & rebus suis consulendi lucrarentur, utl patuit postea ex iniquis conditionibus, Papæ tanquam Capitis, & ipsius etiam Concilij auctoritati directè adversantibus, sub quibus se Concilio parituros asserebant.

II. Sciendum 3. Carolum pro suo avitæ Religionis Zelo acriter institisse, ut Protestantes hunc concordiæ libellum, *Interim* dictum, reciperent (nam vi hujus, & simul exspectatione decisionis ab Universali Concilio Tridentino ferendæ pacem & antiquam Religionem restituere sperabat Germaniæ atque idcirco non solùm in Comitijs Augustanis anno 1550. verùm etiam sequente anno multùm nitebatur exsequi Edicta Imperij Wormatiense, Norimbergense, Ratisbonense, & Augustanum, contra Lutherum ejúsque Sectam pridem publicata: & hinc Pæcones Lutheranos Augustâ, Memmingâ, aliisque ex civitatibns migrare jussit: ut adeò sancta Religio Romano-Catholica, ac unitas fidei postliminio amœnissimè florere cæperit, haud dubiè penitus restituenda, nisi Mauritius, prô dolor! recens Elector Saxoniæ, Imperatori Carolo priùs fœdere junctus, summéque obstrictus, contra eundem tumultuarus impia arma convertisset: namis, auctus Alberto Marchione Brandeburgico aliisque fœderibns, ipsas Cæsaris copias, quibus antè ex ejusdem mandato Magdeburgenses, Cæsari & libello *Interim* obsistentes, sub jugum redegit; non indicto bello contra Carolum, nihil tale metuentem, eduxit, multisque urbi-

urbibus occupatis etiam Augustam Vindelicorum quarto die deditione recepit : ubi clausis Catholicorum Ecclesijs, & ceremoniis, officiisque Divinis abrogatis, Prædicantes restituit. Mox captâ in faucibus Tyrolensibus Ehrenbergâ in Tyrolim penetrat, properat Oenipontum, ibique Caroli Imperatoris, qui cum fratre Ferdinando vix fugâ se proripuit, res omnes diripit. Causa hujus infelicissimi belli, in quo, quæ Dei erant & Cæsaris, fuere armis adempta, antiqua Religio profligata, Lutheranismus stabilitus, & semina perpetuarum in Germania turbarum copiosè sparsa ob introductam Religionum diversitatem, causa, inquam, hujus infelicissimi belli inter præcipuas erat prolongata diutiùs, quàm volebat Mauritius, Landgravij Hassiæ Soceri sui captivitas. Mauritius proinde tam prospera sorte usus non modò liberavit Landgravium (imò & Saxonem, quem Cæsar cognito Mauritij adventu, antequam fugeret Oeniponto, vinculis exemptum dimisit) sed etiam Concilij Tridentini Patres dispersit, &, quod pessimum erat, Passavij cum Ferdinando Rege paciscens, liberum Confessionis Augustanæ exercitium armis extorsit, quam transactionem Ferdinandus flentibus oculis signâsse perhibetur, utpote Deo, conscientiæ, & futuræ per Germaniam quieti summopere adversantem. Nihilominus tamen hæc Transactio, vel Pacificatio, Religionis, in Comitijs Augustanis anno 1555. Catholicis tandem, licèt ægerrimè, consentientibus, confirmata & publicata est. His pro notitia historica præmissis,

Resp. ad objectionem N. Ant. & N. Conf. Permissa fuit Passavij & Augustæ Confessio Augustana ad declinnandum majus malum, nunquam approbata : aliud autem longè est aliquid permittere, quod impediri per vires non potest, & aliud, illud approbare. Permitti possunt etiam scelera & publica lupanaria ad evitanda majora mala, nunquam tamen approbari. Sic hodie post Pacem Monasterienſem tolerantur in Imperio etiam Reformati seu Calviniſtæ, quorum tamen Religio utique non approbatur à Confessionistis. Transactio de Religione Passavij inita, Augustæ confirmata, non aliud fuit quàm pax merè politica, uti fatetur Theodorus Thummius Lutheranus c. 4. circa 4. præceptum de pace Religionis q. 17. n. 11. dicens : *Decretum illud de pace utriusque Religionis servanda politicum est, quandoquidem in eo nihil asseritur de veritate aut falsitate doctrinæ, sed reservatur id cognoscendum in Concilio generali.* Quippe in toto Confœderationis Passavienſis contextu præcipuè vel unicè insinuatur, neutri parti licere, ut alteri, intuitu Religionis, ullam in rebus externis creet molestiam. 12.

Per libellum *Interim* multò minùs approbata est Confessio Augustana, sed potiùs abrogata, & pacis publicæ gratiâ solùm permissa quoad duo puncta (ad mores, non ad fidem, spectantia) usque dum Concilium statueret,

quid tenendum. Deinde etiamsi (quod tamen verum non est) Carolus Imperator aut Ferdinandus Rex attentâsset approbare Confessionem Augustanam, nulla tamen & irrita fuisset hujusmodi approbatio, utpote profecta ab eo, cui nulla in rebus fidei & Religionis potestas. Ad Episcopos & Summum Pontificem res sacræ pertinent, non ad Principes Sæculares. *Si judicium est Episcoporum*, ait S. Athan. in ep. ad solitariam vitam agentes, *quid commune cum eo habeat Imperator? sin contrà ista minis Cæsaris constantur, quid opus est hominibus titulo Episcopis? quando à condito evo auditum est, judicium Ecclesiæ ab Imperatore suam auctoritatem accepisse, aut quando unquam hoc pro judicio agnitum est?*

Frustra igitur & inani labore nituntur Confessionistæ auctoritatem sibi emendicare à Carolo Imperatore. Sed ulteriùs.

ARTICULUS IV.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat à Libro Concordiæ, à quo dicitur restituta?

Summarium.

1. *Liber Concordiæ ad tollendas discordias ordinatus,*
2. *Quæ nimium quantum invaluerant inter Confessionistas.*
3. *Auctore Smidelino, & subscribentibus multis Protestantium millibus, in lucem prodijt;*
4. *Multis tamen etiam se opponentibus.*
5. *Nec immeritò, quia deficit à Confessione Augustana, quam tamen restituere intendit.*
6. *Quia continet novos errores.*
7. *Et plura mendacia.*
8. *Proinde Liber Concordiæ non attollit, sed potiùs deprimit auctoritatem Confessionis Augustanæ.*

1. Sciendum 1. à Lutheranis, cùm notarent maxima inter suos dissidia, ac innumeras discordias circa fidei suæ & Confessionis Augustanæ articulos, compositum esse *Librum*, ut vocant, *Concordiæ*, quo scilicet ad unionem & concordiam revocarentur omnes Confessionistæ; sed infelici eventu, ut postea videbimus. Porro disfidia & discordias, quibus inter se disfidebant Confessionis Augustanæ sectatores, & propterea Catholicis ludibrio, suis autem contemptui fiebant, huic libro ansam dedisse, certum est ex ipsorúmmet confessione; quippe

Sciendum 2. Ipsum librum Concordiæ Tubingæ in Wittenbergia anno 1580. impressum f. 253. b. in præfatione 1.

tione fateri, Theologos quosdam Confessionis Augustanæ ab hac in magni momenti articulis defeciſſe, genuinum illius ſenſum non aſſecutos, vel alienum inducere conatos; unde orta inter eos, qui ſe Confeſſionis Auguſtanæ membra aſſerebant, diſſidia non levis momenti aut ſolummodo de verbis fuiſſe, ſed de rebus tanti ponderis, ut opiniones Partis errantis in Eccleſia nec tolerari nec excuſari poſſent. Fatetur inſuper in prima præfat. Confeſſionem Auguſtanam à ſuis ſectatoribus multas & magnas mutationes & corruptiones paſſam eſſe: quibus proinde mederi cupiat reſtituendo puram & invariatam Confeſſionem Auguſtanam, prout nempe oblata eſt anno 1530. Carolo V. atque genuinum illius ſenſum declarando.

5. Sciendum 3. huic libro Concordiæ, quem juſſu Ludovici Ducis Wirtenbergiæ primùm cudere cæpit Smidelinus Tubingenſis Academiæ Cancellarius, promovente plurimùm Auguſto Saxoniæ Electore, poſtea ſubſcripſiſſe ad octo millia Proteſtantium, nimirum Profeſſores, Miniſtros, Concionatores, Ludimagiſtros, Hypodidaſcalos. Quæ ſubſcriptio, quamvis videatur numeroſa, & ad conciliandam ex numero auctoritatem apta, tamen argumentum eſt paucitatis. Nam ſi Catholica Eccleſia talem ſubſcriptionem requireret, non octo tantùm millia, ſed plùs quàm octingenta millia facili negotio ad obſequium ſtarent parata, imò innumerabiles Presbyteri, Diaconi, Paſtores, Rectores ſcholarum &c. non ſolùm in Germania, utì factum in libro Concordiæ, verùm etiam in Italia, Hiſpania, Gallia, Ametica, Braſilia, India &c. Verùm ab Apoſtolicis temporibus in nullo Concilio vel Generali, vel Nationali, aut Provinciali poteſtas ſubſcribendi facta eſt hominibus privatis, ſed ſolis Prælatis, jurisdictione Eccleſiaſtica præditis. Si addita ſunt etiam nomina Imperatorum, Regum, aut Principum, factum id eſt non ad ferendam ſententiam, ſed in ſignum conſenſûs.

4. Sciendum 4. Multos ex Confeſſioniſtis etiam huic libro Concordiæ non acquieviſſe, imò ſeſe oppoſuiſſe integras Regiones, Urbes, & Univerſitates, celebres, etiamſi ſe addictas profiterentur Confeſſioni Auguſtanæ; ſcilicet oppoſuit ſe Dania, Halſatia, Magdeburgum, Norimberga, Spira, Wormatia, Francofurtum, Argentina, Brema, urbs & Univerſitas Helmſtadienſis, Univerſitates Suecicæ, Theologi Anhaltini, Thuringienſes, Brunsvicenſes, qui aiunt, hoc libro deceptos fuiſſe Principes & Subditos, item Wittenbergenſes, qui eam unà cum Auctore, & filio Lutheri (qui Smidelinum comendare volebat) lapidibus impetebant. Rex Daniæ illam conſecrabat flammis: ut nihil dicam de alijs Principibus, Haſſis, Palatinis, Bipontinis, Saxonibus Mechelburgenſi & Lawenburgenſi, de Ducibus Pomeraniæ & Pruſſiæ &c. quorum plurimi recusârunt ſubſcriptionem hujus libri, utì refert Hoſpinianus in *Concordia diſcordiæ* c. 35. apud Forerum. q. vex. p. 2. l. 2. ſ. 3. Heshuſius Theologus Lutherus appellabat librum infelicem, quo Auctores Eccleſiam in-

ferioris Saxoniæ decepissent, alij his versibus exsibilabant.

In libro vitæ qui non potuere notari,
Nomen in hunc librum compositure suum.

Item

R. habet Ausonium liber hic, habet Rq; Pelasgum.
R. habet Hebræum, præterea que nihil.

Hoc est, nihil nisi *errores* habet. Denique bene notandum Protestantibus est judicium, quo Theologi Anhaltini contra Apologiam Doctorum Erfurdensium Concordistas arguunt, quòd scilicet deficiant à Lutheri doctrina & simul à Confessione Augustana, *cui tamen tota pax Religionis innititur.* Ex quibus palàm fit, hunc librum Concordiæ non *Concordiæ* inter Confessionistas, sed potiùs novarum *discordiarum* originem exstitisse, adeóque prorsus infelicem, parúmque aptam ad auctoritatem Confessioni Augustanæ faciendam, ut magis patebit ex sequentibus.

5. Dico 1. Liber Concordiæ plurimùm defecit à Confessione Augustana primæva, prout oblata est Carolo V. licèt sæpius profiteatur, se illam restituere, ac puram invariatámque propinare. Probatur 1. Confessio Augustana in præf. agnoscit Papam pro Capite Ecclesiæ Christianæ, cùm fateatur, eum posse convocare Episcopos & indicere Concilium Generale, ad quod Concilium in forma Juris appellavit. Econtra Liber Concordiæ non solùm negat superioritatem Papæ, sed etiam Antichristum eum appellat, cui resistendum: Man soll sich aus Noth wider ihn/ als den rechten Antichrist setzen. f. 159. edit. Tubing.

Probatur 2. Confessio Augustana nec verbulo docet, Humanitatem Christi esse *ubique*, sed potiùs contrarium, dum juxta interpretationem libri Concordiæ in 1. art. docet, *unum* esse immensum: dum docet Christi nativitatem, resurrectionem, descensum ad inferos, ingressum per januas clausas, ascensionem, adventum futurum in die judicij; nam si Christus etiam secundùm naturam humanam sit ubique, & in omni loco, in quo existit ejus Divinitas, quomodo verificantur hæc verba *venturus, ascendens, resurgens, nascens? &c.* Certè si Humanitas Christi est ubique, tunc Christus non solùm fuisset in utero Virginis, sed etiam in utero cujuslibet fœminæ, imò & viri. Econtra Liber Concordiæ docet apertè. Christum esse ubique etiam secundùm naturam humanam, & esse debere propter unitatem Personæ, quæ est in Christo. Fol. 312. edit. Tub. de Christo ita loquitur: Ist Er nun Natürlich und Persönlich / wo er ist / so muß Er daselbst auch Mensch seyn / dann es seynd nit zwo zertrennte Personen / sondern ein einige Person ꝛc. und wo du kanst sagen/ hier ist GOtt / da must du auch sagen/ so ist Christus der Mensch auch da/ und wo du einen Orth zei-

gen

gen würdest/ da GOtt wäre / und nicht der Mensch/ so wäre die Person schon zertrennet/ weil ich alsdann mit der Warheit könte sagen / hier ist GOtt/ der nicht Mensch ist / und noch nie Mensch worden/ ꝛc. Wo du mir GOtt hinsetzest / da muß du mir die Menschheit mit hinsetzen / sie lassen sich nit söndern/ ꝛc.

Confirmatur. Liber Concordiæ docet, nullum esse Purgatorium, pro defunctis non esse orandum, antiquum in Ecclesia Missæ ritum & officium esse abrogandum, in Sacramento Eucharistiæ permanere substantiam panis & vini cum Corpore & Sanguine Christi &c. sed hæc aliena sunt à Confessione Augustana: ergo Liber Concordiæ plurimùm defecit à Confessione Augustana.

6. Dico. 2. Liber Concordiæ multos continet errores, & mendacia: ergo est nullius auctoritatis. Ant. prob. docet 1. Quòd Christus non solùm ut homo, sed etiam ut Deus, fuerit obediens Patri. 2. Quòd Christus perfunctus sit munere Mediatoris non solùm per naturam humanam, sed etiam per divinam. 3. Quòd natura humana Christi sit ubique. 4. Quòd humanitati Christi verè & realiter collata sint multa attributa Divina, uti Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentia, atque adeò ipsa Divina Majestas. Sed hæc dogmata sunt errores. 1. quidem, quia sic Christus fuisset minor Patre etiam secundùm Divinitatem, nec ipsi coæqualis, consubstantialis, seu ὁμοούσιος, qui fuit error Arianorum. 2. Quia est contra S. Paulum, qui 1. Tim. 2. docet, Christum quà hominem fuisse Mediatorem inter Deum & homines, dicens: unus est Mediator Dei & hominum *homo* Christus JESUS: ubi Apostolus signanter addit terminum *homo*, ut scilicet indicet, secundùm quam naturam Christus sit Mediator. Deinde non potest dari medietas, ubi eadem est distantia: sed Christus quà Deus habet eandem distantiam à Deo Patre: ergo ipsi non quà Deo sed quà homini convenit medietas, & Mediatoris officium; nam *ut Deus* non est inferior Patre, sed *ut homo*: sub qua ratione est etiam superior nobis, quia sine labe peccati: igitur ut homo est Deo inferior, & nobis superior, & sic mediat inter Deum & nos homines. 3. Quia est contra Scripturam, quæ Mat. ult. dicit: *non est hic, surrexit*, item contra alia Mysteria fidei, ut vidimus, & contra rationem, quæ horret admittere creaturam immensam. 4. Quia est contra Symbolum S. Athanasij, quod docet *unum esse Omnipotentem, unum Omniscium, unum Immensum &c.* non plures.

Supersedeo speciatim referre singula mendacia, quæ continentur in Libro Concordiæ, & à Bellarmino sexaginta septem numerantur, quorum 1. est statim in præfatione, ubi dicitur Confessio Augustana in totum terrarum orbem sparsa ubique percrebuisse, & in ore omnium esse cæpisse: quod tamen evidenter est falsum; nam in Asia & Africa omnino exulat Confessio Augustana, in Europa 7a

in maximis Provincijs non est recepta, utì nec in America, & ferè nullam præter paucos Germaniæ & Septentrionis Provincias reperire est in Orbe, quæ Confessionem Augustanam publicè profiteatur. Alterum mendacium, apud Bellarminum in Judicio de Libro Concordiæ nono loco relatum, est, cùm dicit, nostros Concionatores olim parùm docuisse de operibus, quæ Deo placent, tantùm ursisse puerilia & non necessaria opera, nunc verò à Lutheranis admonitos hæc dedisscere, & incipere fidei mentionem facere &c. quæ omnia apertè sunt falsa, ut patet legenti Sermones S. Bernardi, Petri Damiani, Innocentij tertij, Thomæ Aquinatis, Vincentij, Bernardini, Laurentij Justiniani &c. in quibus de Symbolo, de Decalogo, de Oratione Dominica, de omnibus virtijs, omnibúsque virtutibus pulcherrimæ & copiosissimæ doctrinæ reperiuntur. Brevitatis gratiâ omitto reliqua, utì etiam contumeliosa verba, quibus Catholicos impetit Liber Concordiæ, Esel / grobe Esel / ungeschickte Esel illos vocitando.

Dico 3. Confessioni Augustanæ nulla accedit auctoritas à Libro Concordiæ, sed potiùs grave præjudicium. Prior pars patet ex assertione secunda, in qua ostenditur, multos crassos errores, & aperta mendacia contineri in Libro Concordiæ. Posterior pars ex assertione prima, in qua ostenditur, quantùm defecerit Liber Concordiæ à Confessione Augustana, eò quidem majori præjudicio, quò plures per Saxoniam, Sueviam &c. Libro Concordiæ subscripserunt. 8.

ARTICULUS V.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat à tota Ecclesia Lutherana, cujus est Symbolum?

SUMMARIUM.

1. *Lutherani æmulari fors volunt Catholicos.*
2. *Vera Christi Ecclesia debet habere notas & distinctiva signa a falsis sectis.*
3. *Inter quæ censentur etiam Perpetuitas & Visibilitas.*
4. *Ubi non sunt signa veræ Ecclesiæ, non est vera Ecclesia, & vicissim ubi sunt illa, debet esse & ista.*
5. *Lutherana Ecclesia non est vera Christi Ecclesia.*
6. *Quia non fuit perpetuò in Mundo à Christi temporibus.*
7. *Nec semper visibilis.*
8. *Unde nihil auctoritatis capit Confessio Augustana ab Ecclesia Lutherana tota.*
9. *Solvitur prima objectio.*
10. *Secunda.*
11. *Et tertia cum suis appendicibus.*

Scien-

1. SCiendum 1. Cùm Lutherani videant, Catholicos omnia facilè probare, ac solidè stabilire per auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ, id fortè etiam sibi fas esse putant. Hinc forsan à tota Ecclesia (Secta potiùs) Lutherana sufficientem auctoritatem conciliari arbitrantur Confessioni suæ. Nimirum sicut Diabolus dicitur simia Dei, ita Sectarij sunt æmuli Ecclesiæ.

2. Sciendum 2. Veram Christi Ecclesiam debere esse instructam certis signis & notis, per quas ab omni Ecclesia falsa & adultera discerni possit; hoc enim spectat ad providentiam Dei, ad prudentiam, imò ad æquitatem Christi, omnes omnino homines ad suam Ecclesiam invitantis, vocantis, quin & æternum supplicium minitantis, qui vocantem non audiunt: si enim tales notas ac signa distinctiva non haberet vera Ecclesia, quomodo Christus prudenter vocaret omnes, ac justè argueret, & condemnaret extra veram Ecclesiam existentes, cùm sine ejusmodi signis eam dignoscere ac invenire impossibile foret?

Sciendum 3. Talia signa referri complura ab Auctoribus. Potissima sunt illa, quæ comprehenduntur in Symbolo tum Apostolico, tum Nicæno, in quibus Ecclesia dicitur *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apostolica*, quas notas & proprietates nec ipsi adversarij negare possunt, aut solent, quia recipiunt hæc Symbola. Per has tamen notas ipsi probare non consueverunt Ecclesiam suam, non ignari, eas omnes sibi adversari. Unde alia duo signa veræ Ecclesiæ afferunt, quæ indicantur in Conf. August. art. 7. & dicunt, illam esse veram Ecclesiam, *in qua Evangelium purè docetur, & rectè administrantur Sacramenta.*

3. Sciendum 4. Ab eodem articulo citato Conf. August. improvidè insinuari duas alias notas, vel potiùs proprietates veræ Ecclesiæ, nimirum *Perpetuitatem & Visibilitatem*; nam ibidem docetur, *quod una Sancta Ecclesia perpetuò mansura sit*, & quòd in ea *Evangelium purè doceri, & Sacramenta ritè administrari debeant.* In quibus verbis manifestè indicatur non tantùm *Perpetuitas*, sed etiam *Visibilitas* Ecclesiæ perpetua; nam si exigit legitimam VerbiDivini prædicationem, Sacramentorúmque administrationem, exigit essentialiter signa quædam visibilia & sensibilia, consequenter & ipsa visibilis & sensibilis necessariò efficitur per hæc signa, nempe per puram prædicationem Evangelij, & legitimam Sacramentorum administrationem.

4. Sciendum 5. Illam evidenter non esse veram Christi Ecclesiam, quæ destituta est notis & proprietatibus veræ Ecclesiæ, ex Scriptura sacra & ex ratione naturali desumptis; illam verò necessariò esse veram Ecclesiam, in qua ejusmodi notæ & proprietates reperiuntur; nam ubi est essentia rei, ibi etiam inveniri debent ejus proprietates, ac vicissim: & ubi est significatum, convenit etiam esse signa, ac vicissim. Loquor de signis *Affirmativis*. Si autem sunt signa *Negativa*, saltem rectè infertur negativè: *hæc Ecclesia non habet hoc signũ: ergo vera non est*; licèt vicissim ex singulis affirmativè non possim concludere: *hæc Ecclesia habet hoc signum: ergo*

ergo verâ est Ecclesia. Neque Christus Ecclesiam suam destituere potest illis characteribus, sine quibus dignosci nequit à Sectis falsis, multò minùs Ecclesiam falsam ijs characteribus ornare, quas habere oportet Ecclesiam veram; sic enim deciperet mundum, & ludibrio exponeret Sponsam suam.

5. Dico 1. Ecclesia Lutherana non est vera Christi Ecclesia. Probari hæc Assertio posset innumeris argumentis, v. g. 1. Quia non est plantata ab homine sancto, sed auctorem habet, qui à Diabolo doctus novitates excitavit pessimas. 2. Quia nova est, & nullum habet certum atque invictum fundamentum; nam habet solam Scripturam juxta cujusvis arbitrium explicatam. 3. Quia nullo splendet miraculo. 4. Quia nullum prorsus habet fundamentum, quod non æquè alij Hæretici pro se usurpare possent, v. g. Calvinistæ, Zwingliani, Anabaptistæ &c. 5. Quia aperit viam latam sceleribus, & angustam virtutis occludit, dùm rejicit vitam spiritualem & religiosam, à sanctis Patribus adeò dilectam & deprædicatam, dum vituperat, vel saltem negligit, observantiam Consiliorum Christi, dum fovet noxium errorem de justificatione, dum removet omnia ardua, & econtra sensualitati grata permittit, vel præcipit, dum sanctis Cælitibus negat honorem, dum in cælibatu (quod nec Turcæ nec Ethnici faciunt) castè vivi posse inficiatur &c. 6. Quia in plurimis & perpetuis versatur discordijs, etiam circa res magni momenti, & articulos fidei gravissimos. Neque sperare unquam poterit concordiam, utì vaticinatur Ministerium Norimbergense in Ep. Resp. ad Minist. Berlin. anno 1665. impressa aphorismo 15. **Die Einhelligkeit unserer Kirchen hoffet man vergebens / und wird dieselbige nicht eher / als auf den Nimmer-Tag folgen.** Ratio est in promptu, quia fidei regula unica est Scriptura, prout eam quilibet intelligit, & interpretatur secundùm suum dictamen. Quid ergo mirum, si tot ferè sint Religiones, quot capita? 7. Quia docet plurima falsa, absurda, & contradictoria. 8. Quia Catholicis plurima affingit falsò, v. g. quasi docerent, hominem non justificari gratis ex Misericordia Dei, nec intuitMeritorum Christi, sed per sua opera, etiam purè naturalia: hominem mereri Justificationem non tantùm per sua opera sine gratia Christi, sed etiam per traditiones & leges humanas: dari obligationem omnia peccata confitendi, licèt id factu sit impossibile: Christum solummodo satisfeciße pro reatu culpæ, hominem autem satisfacere pro reatu pœnæ æternæ: Christum in cruce duntaxat satisfeciße pro peccato originali, pro peccatis autem actualibus satisfieri per Missam &c. quæ omnia falsò imputantur Catholicis. His, inquam, & pluribus alijs argumentis dissimulatis, solùm ex duplici capite probo Assertionem nostram, nimirum ex *Perpetuitate & Visibilitate*, quam habere debet vera Christi Ecclesia juxta Confess. August. Itaque

Probatur 1. Vera Christi Ecclesia debet esse fundata ab ipso Christo ante 6.
1700. & plures annos, atque perpetuò

tuò mansisse in mundo: sed Ecclesia Lutherana non fuit fundata à Christo ante tot annos, nec perpetuò mansit in mundo: ergo non est vera Christi Ecclesia. Ma. Confessionistis est innegabilis. Mi. probatur, quia ejus fundator est Lutherus, à quo & nomen habet, qui priùs fuit Catholicus, & quidem Monachus, vixitque primùm ante 200. annos: proinde hæc Ecclesia nec perpetuò mansit, quia non semper fuit à temporibus Christi; ubi enim, in quo loco, sub quo Imperatore, Papa &c. ante Lutherum fuit Ecclesia Lutherana? in qua parte mundi, in quo Regno, in qua civitate? quo tempore, quo sæculo, quo anno prædicabatur Evangelium, & administrabantur Sacramenta eo modo, quo nunc fit apud Lutheranos? qui fuerunt illi Prædicantes? quænam Templa? quis Historicorum meminit? Certè hi & similes articuli: Christum secundùm Humanitatem esse ubique, eum non esse in Evchariſtia ante sumptionem & usum, Sacrificium Missæ esse abominationem, & Idololatriam, non esse septem, sed duo tantùm aut tria Sacramenta, Romanum Pontificem esse Anti-Christum, Sanctorum Invocationem esse Idolomaniam, non existere Purgatorium, Justum non mereri vitam æternam suis bonis operibus, hominem sola fide justificari, Jejunia Ecclesiastica non esse observanda, vota & vitam Monasticam esse superstitiosam, nihil esse credendum, nisi expressè contineatur in Sacris litteris &c. hi, inquam, & similes articuli omnes & singuli non docebantur ante Lutherum, nisi fortè à damnatis hæreticis, quod Lutheranorum causam non facit meliorem, sed longè deterrimam. Imò nec hæreticus ullus conspirabat in omnibus, licèt doceret aliquos ex dictis articulis.

Audiamus ipsum Lutherum, quid de se & doctrinæ suæ novitate fateatur: *solus primò eram*, inquit in præf. to. 1. *& ecrie ad tantas res tractandas ineptissimus, & indoctissimus: casu enim, non voluntate, nec studio in has turbas incidi.* Magistro suo testimonium perhibeat dilectus discipulus Melanchthon, qui ad lectorem in to. 1. latin. ait. *Lutherum irritatum Tezelij amuli sui impudentiâ novam doctrinam excogitâsse.* Idem Propheta Islebicus lib. contra Regem Angliæ sic gloriatur: *ego Scripturam Sacram & Verbum Dei ita in lucem protuli, ut à mille annis nunquam fuit.* Et to. 2. Wit. anno 1522. In præf. lib. de abrog. Missa stimulos cauteriatæ conscientiæ propter novitatem doctrinæ sequentibus prodit: *quam potentibus & evidentibus Scripturis meam ipsius conscientiam vixdum stabilivi, ut auderem unus contradicere Papæ, & credere, eum esse Anti-Christum, Episcopos esse ejus Apostolos, Academias esse ejus Lupanaria? quoties mihi palpitavit tremulum cor, & reprehendens objecit eorum fortissimum & unicum argumentum: tu solus sapis? tótne errant universi? tanta sæcula ignoraverunt? quid si tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Fatetur igitur Lutherus doctrinam suam fuisse novam, Verbum Dei nunquam ita fuisse prædicatum

tum à mille annis, ut ipse prædicare cæpit; fatetur proinde, doctrinam & Ecclesiam Lutheranam non perpetuò fuisse in mundo, consequenter veram non esse juxta art. 7. Confess. August. Quid aliis indigemus testibus? an non ex ore suo judicare possumus servum nequam? ipse enim de ejusmodi Novatoribus enarrat. in Psal. 82. to. 3. Witt. f. 488. hanc sententiam tulit: *non din disputandum, sed indictâ causâ, & inauditos damnandos esse sicut blasphemos, qui contra generales Ecclesiæ articulos aliquid novare audeant, nam tales generales articuli, recepti à tota Ecclesia, satis auditi sunt, satis excussi, approbati, satis firmati per Scripturam, per virtutes, per miracula, per sanguinem Martyrum, per scripta & confessionem totius Ecclesiæ.*

7. Probatur Assertio nostra 2. Vera Christi Ecclesia debet semper (nempe à temporibus Christi usque ad finem mundi) esse visibilis: sed Ecclesia Lutherana non semper fuit visibilis: ergo non est vera Christi Ecclesia. Majorem demonstrat ratio, probat Scriptura, & fatetur Confessio Augustana. *Demonstrat ratio*, quia omnes tenentur se adjungere veræ Ecclesiæ, cùm extra illam non detur salus animæ, sicut extra Arcam Noë non dabatur salus corporis: sed quomodo se adjungent Pagani, quomodo veram Ecclesiam invenient Infideles cæteri, ut sub ejus magisterio vivant, si Ecclesia non sit conspicua, visibilis, & sensibus etiam perceptibilis? *Probat Scriptura*, quæ Ecclesiam comparare solet rebus maximè conspicuis, scilicet lucernæ, stellis, montibus, civitati &c. *Vos estis lux mundi*, dicit Christus Matth. 5. *non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* ibid. Et Ps. 18. dicitur *Deus in sole posuisse tabernaculum suum.* In quæ verba sic scribit S. August. in exposit. 2. In manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ lateat, non velut operta: in sole posuit tabernaculum suum; quid tu Hæretice fugis in tenebras? Ita S. Aug. Isaias statum Ecclesiæ Christianæ clarè prædixit cap. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus Mons domûs Domini in Vertice montium: & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi.* Actorum 20. sic præcipitur: *attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam.* Quis autem dicat, hæc invisibiliter & insensibiliter fieri posse? quis attendet & pascet gregem sibi incognitum? quis audiet Doctorem insensibilem? *Fatetur denique Confessio Augustana*, dum non alias veræ Ecclesiæ notas assignat, quàm puram Verbi Divini prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem: hæc autem utique insensibiliter fieri non possunt, cùm pura prædicatio Verbi, & legitima administratio Sacramentorum ne cogitari quidem possint sine visibilitate & sensibilitate: ergo sicut hæc duo signa Ecclesiæ sunt essentialia juxta Confessionistas,

nistas, ita & Visibilitas eidem essentialis erit.

Min. itaque solummodo probanda est, & probatur facilè ex propria confessione Protestantium, qui, cùm urgentur & interrogantur, ubi fuerit illorum Ecclesia ante Lutherum, respondere solent, fuisse invisibilem, latuisse &c. ipse Lutherus lib. de abrog. Miss. priv. non obscurè sic suos instruxit, dum dixit: *quis nobis Ecclesiam monstrabit, cùm sit occulta in spiritu, & tantùm credatur? sicuti dicitur, credo sanctam Ecclesiam &c.* Secutus est Gerardus lib. 2. c. 1. f. 827. cum Lutheranis, & Amesius to. 2. f. 50. cum Calvinianis apud DD. à Wallenburch. to. 1. f. 64. ut testatur Burghaberus controv. 20. §. 8. Dicunt quidem alij, dum nimis arctantur, ut ostendant, ubinam locorum fuerit Lutherana Religio ante Lutherum, cùm utique ovum non possit esse ante gallinam; dicunt, inquam, suam Ecclesiam fuisse in Papatu, Papatum tamen non fuisse veram Ecclesiam. Quæ responsio prorsus miseranda, lepida, & Cymmerijs tenebris obscurior est. Nam si Ecclesia ante Lutherum fuit invisibilis & prorsus incognita, quomodo Protestantibus innotuit, eam in Papatu, qui tamen vera non fuit Ecclesia, latuisse? Aliqui ad Infantes æquè ineptè confugiunt, asserentes, apud illos fuisse incorruptam Ecclesiam Lutheranam. Nam hi Ecclesiæ suæ testes adhibent elinques, rationis expertes &c. sicut olim cæci Judæi dormientes & sommo oppressos Vigiles ad negandam Resurrectionem Christi. Ego certè non capio, quo modo Infantes prædicaverint, purum Dei Evangelium, & ritè administraverint Sacramenta, sine quibus tamen essentia Ecclesiæ consistere nequit juxta Adversarios.

Dico. 2. Confessio Augustana nullam prorsus obtinet auctoritatem ab Ecclesia Lutherana tota. 8.

Prob. 1. Ecclesia Lutherana non est vera Christi Ecclesia, uti vidimus: ergo nullam auctoritatem tribuere potest Confessioni Augustanæ; aliàs enim etiam Ecclesia Calvinistica, Anabaptistica, & quævis alia Secta infallibilem auctoritatem tribuere posset suæ Confessioni & doctrinæ, licet ipsa in se nullius sit valoris, nullius auctoritatis.

Prob. 2. Auctoritas Confessionis Augustanæ deberet esse infallibilis ac divina; aliàs enim qui ipsi credit, non elicit fidem divinam, sed merè humanam & fallibilem: atqui Ecclesia Lutherana non potest ipsi tribuere auctoritatem infallibilem & divinam: ergo. Min. prob. juxta Protestantes etiam vera Christi Ecclesia non est infallibilis, sed errare potest, imò defacto erravit: ergo etiamsi permitteremus, Lutheranam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, tamen infallibilis non esset, & erroris incapax: ergo neque approbando Confessionem Augustanam est erroris incapax, & infallibilis: quomodo igitur ei dare poterit infallibilem auctoritatem?

Confirmatur: Ecclesia Lutherana est discissa in plurimas partes: una agnoscit Librum Concordiæ, alia illum reprobat, alia erroribus Sacramentario-

rum, aut aliorum hæreticorum implicita est, alia credit, quod vult, pauciſſimi vel nulli Proteſtantium puram ſequuntur Confeſſionem Auguſtanam, ut ſuò locò dicetur, quomodo ergo Confeſſio Auguſtana auctoritatem obtineat ab Eccleſia Lutherana? vel dicant, à qua parte Eccleſiæ Lutheranæ inter tot diverſas obtineat? à Rigidis, an à Mollibus, an à Concordiſtis, an ab Helmſtadienſibus & Lipſienſibus, an verò à Wittenbergenſibus? At iſti omnes ſe mutuò damnant, & velut hæreticos excommunicant. Cui igitur ex tot Eccleſijs particularibus inter ſe diſſidentibus adhibenda fides? quæ auctoritatem dabit Confeſſioni Auguſtanæ? certè nulla, cùm nulla ſe probet alijs meliorem.

9. Objic. 1. Notæ eſſentiales & ſigna veræ Eccleſiæ ſunt pura prædicatio Verbi Divini, & recta Sacramentorum adminiſtratio: ſed hæ notæ reperiuntur in Eccleſia Lutherana: ergo eſt vera Chriſti Eccleſia. R. 1. N. Maj. Nam notæ & ſigna debent eſſe notiora, quàm ſit ipſa res ſignificata: atqui prædicatio Verbi Divini & adminiſtratio Sacramentorum, ut *pura & recta* ſunt, non ſunt nobis notiora, quàm ſit vera Eccleſia; nam æquè eſt ignotum, quæ ſit pura doctrina Evangelij, & quæ legitima Sacramentorum adminiſtratio, quàm quæ ſit vera Eccleſia, cùm variæ Religiones varie & contrariè prædicent Verbũ Dei, & Sacramenta adminiſtrent. Juxta Adverſarios puritas doctrinæ, & recta adminiſtratio Sacramentorum debet deſumi ex Scriptura S. ſed quæ ſit Scriptura S. & quis legitimus ejus ſenſus, infallibiliter deprehendi non poteſt ex Scriptura, ſed ab Eccleſia definiente: ergo priùs debet conſtare de vera Eccleſia. Deinde Eccleſia vera exſtitit in mundo, antequam eſſet ulla Scriptura; nam in Lege Naturæ nulla omnino erat Scriptura, in Legis Gratiæ initio per multos annos exſtitit, priusquam Matthæus, Marcus, & Lucas ſua Evangelia, & Apoſtoli ſuas Epiſtolas conſcriberent, quos magno intervallo ſecutus eſt ſanctus Joannes: ergo Eccleſia non ex Scriptura, ſed potiùs Scriptura per Eccleſiam cognoſci debet, conſequenter etiam pura prædicatio & legitima adminiſtratio. R. 2. N. Min. Unde enim probant Lutherani, apud ſe potiùs, quàm apud Catholicos, vel alios, eſſe puram prædicationem Verbi, & legitimam Sacramenta? An ex Scriptura? ſed Scripturam unus ſic, alius aliter interpretatur: an ex inſtinctu ſancti Spiritûs? at hoc etiam alij dicunt, ſenſu contrario Scripturam interpretantes: an ex crititio interno? ſed cur alijs potiùs credant Lutheranis, quàm Catholicis aut Calviniſtis &c.? R. 3. N. Suppoſitum M. quòd iſtæ notæ, etiamſi tales forent, ſufficerent, niſi ſimul acceſſerit perpetuitas & continua viſibilitas, quæ tamen duo non reperiuntur in Eccleſia Lutherana.

10. Objic. 2. Eccleſia, quæ ſua dogmata tradit è Scriptura ſacra, non eſt nova: Eccleſia Lutherana ſtatim tempore Lutheri tradidit ſua dogmata ex Scriptura ſacra: ergo. Reſp. 1. Diſt. Ma. Eccleſia, quæ omnia dogmata ſua verè tradit, & probat ex Scriptura S. nihilque

que docet Scripturæ contrarium, non est nova C. Ma. quæ tantùm jactat se tradere, vel probare tantùm conatur sua dogmata ex Scriptura S. N. Ma. Ecclesia Lutherana, præterquam quòd nec unicum articulum, cum Catholicis controversum, manifestis Scripturæ testimonijs confirmare possit, Scripturæ S. vel maximè contraria est in eo, quòd contra tot ac manifesta ejus testimonia atque Christi promissiones doceat, veram Christi Ecclesiam Visibilem multis Sæculis de mundo perijsse. Resp. 2. Applicando argumentum hæreticis notorijs, qui transmissa Ma. pro se ita subsument: atqui Ecclesia Arriana, Nestoriana, Calvinistica, Anabaptistica &c. tradit sua dogmata e Scriptura S. ergo. Cùm nullus sit hæreticus aut fuerit, qui non allegaverit Scripturam pro se, sed malè intellectam, malè explicatam. Afferant nobis Lutherani, si viri sunt, aliquod speciale signum pro sua Ecclesia, quod hæretici notorij non eodem jure afferre possint pro sua, & tunc dicent aliquid ad rem; quod quamdiu non fecerint, eodè nobis loco erunt, quo alij hæretici, quòd nempe eorum Ecclesia sit nova, ante Lutherum mundo incognita, non Apostolica, & perperam pro se allegans Scripturam.

Si provocent ad Hussitas, Wiclessitas, Waldenses, vel alios, quibus cum Ecclesia Romana non bene conveniebat, & asserant, in his suam Ecclesiam exstitisse ante Lutherum: tunc appellant ad notorios hæreticos, cum quibus nec ipsi consentiunt in omnibus articulis fidei, uti fatentur Argentoratenses apud P. Tez; nam *Hus* admisit in Missa Sacrificium propitiatorium, invocationem Sanctorum, obligationem omnia peccata confitendi &c. *Wicleffus* docuit, Sacerdotem nihil proprium possidere posse. *Waldenses* admiserunt duos Deos, bonum & malum, & rejecerunt Baptismum parvulorum tanquam inutilem &c. Deinde etiamsi in istis deprehensa fuisset Ecclesia Lutherana, tamen illa se non extendisset ultra Sæculum duodecimum, & mox redit quæstio, ubi antea fuerit? in ijs fortè, qui se opposuerunt Romanæ Ecclesiæ? sed hi fuerant Arrius, Pelagius, Nestorius, Donatus, & tempore Apostolorum Simon Magus &c. Si apud istos fuit Lutherana Ecclesia, pridem cum illis fuit damnata tanquam hæretica. Viderint igitur, in qua navi ad æternitatem tendant miseri.

Objic. 3. Quod creditur, non potest videri; cùm fides sit *argumentum rerum non apparentium*: vera Ecclesia creditur juxta Symbolum Apostolicum, in quo dicitur credo *sanctam Ecclesiam*: ergo non potest videri: ergo visibilis esse non debet. Resp. Dist. Ma. Quod creditur, non potest videri secundùm id, quod creditur, trans Ma. secundùm id, quod non creditur, N. Ma. & Dist. Min. Ecclesia creditur secundùm quid, C. Mi. Etiam secundùm id, quod videtur, N. Mi. & Conf. Sic Thomas & cæteri Apostoli crediderunt Divinitatem Christi, videbant Humanitatem: sic in codice Bibliorum videmus scripturam, credimus illam esse Dei Verbum: sic videmus Sacramenta tanquam signa 11.

visibilia, credimus gratiam, quam conferunt, & institutionem Christi. Pari ratione videmus Ecclesiam, hoc est, cœtum hominum, eandem, fidem, Sacramenta, ritus externos profitentium sub uno capite visibili: credimus autem hanc Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, & dilectam Sponsam.

Urgebis 1. Fides vera & interna est forma essentialis Ecclesiæ: sed ista fides est invisibilis: ergo & Ecclesia est invisibilis. Resp. 1. C. Ma. C. Mi. N. Cons. Nam Syllogismus est similis huic: anima hominis est forma essentialis hominis: sed anima hominis est invisibilis: ergo & homo est invisibilis. Quis hic non videt malam consequentiam propter quatuor terminos, quos habet Syllogismus? Pariter in Syllogismo objectionis sunt 4. termini. 1. fides. 2. forma. 3. Ecclesia in obliquo. 4. Ecclesia in recto. Resp. 2. C. Ma. Quòd fides interna faciat verum fidelem tanquam forma essentialis; qui enim fictè tantùm credit, non est verus fidelis. Dist. Mi. fides interna est invisibilis in se C. Mi. in suis effectibus N. Mi. Fidem internam reddunt sensibilem professio fidei, Sacramenta, sacrificia, cultus divinus exterior, conciones, processiones, & alia veræ Religionis exercitia, uti & signa veræ Ecclesiæ, quæ fidem internam faciunt satis visibilem, sicut actiones externæ vitales ostendunt hominem habere animam, licèt anima in se visibilis non sit.

Urg. 2. Si fides interna est invisibilis, & simul forma essentialis Ecclesiæ, tunc Ecclesia essentialiter est invisibilis, & tantùm accidentaliter visibilis; sed aliud non volunt Lutherani & Calvinistæ: ergo. Resp. 1. N. Ma. & Retorq. arg. in homine; nunquid enim anima est forma essentialis hominis, & simul invisibilis? & tamen nemo dicit, hominem esse essentialiter invisibilem; nam si homo fieret invisibilis, omnes dicerent, id per accidens contingere, & non juxta naturam & essentiam hominis. Nimirum tò *invisibile* est talis denominatio, quæ ad sui verificationem requirit omnes partes invisibiles: sicut tò *incorruptibile* requirit omnes partes esse incorruptibiles. Resp. 2. & dico, distinguendam esse formam Ecclesiæ absolutam & respectivam, forma *absoluta* est vera fides interna, forma autem *respectiva* est ipsa unio membrorum inter se, eandem fidem profitentium: illa non videtur; hæc verò planè incurrit in oculos per professionem externam & communia pietatis exercitia. Visibilitas Ecclesiæ non desumitur à forma illa Absoluta, sed ab altera Respectiva, nempe ab unione quæ fundatur in singulis membris, eandem Fidem, Sacramenta, Caput & Rectorem profitentibus. Quod amplius declaro: tria spectari possunt in quavis Republica. 1. Multitudo & cœtus hominum. 2. Externum regimen, quod est forma quasi Respectiva. 3. Interna affectio, qua isti inter se conspirant, & hæc est forma absoluta: priora duo videri possant, tertium est invisibile. Si igitur propter illa duo Respublica dicitur visibilis; cur non & Ecclesia, licèt ejus fides interna, qua fideles in eandem Christi Rempublicam consentiunt, minimè spectetur?

Urg.

Urg. 3. Visibilitas illa externa est fallibis: ergo per hanc non potest agnosci vera Christi Ecclesia. R. D. A. Est fallibilis, si spectentur singula membra seorsim & determinatè. Trans. Ant. si spectentur simul & in genere. N. Ant. Deus permittere non potest, ut in toto illo cœtu hominum, pro quo stant tam illustres notæ, quòd sit vera Christi Ecclesia, v. g. Antiquitas, Sanctitas, Miracula &c. non reperiantur aliqui veri fideles, adeóque vera Christi Ecclesia.

Urg. 4. Si ad visibilitatem Ecclesiæ satis est, modò externa societas, & Religionis exercitia videantur, tunc etiam Ecclesia Lutherana est visibilis: ergo. Resp. 1. N. A. Nam juxta Adversarios forma essentialis unica est sanctitas & fides interna, quæ non est visibilis. Resp. 2. Esto, quòd nunc sit visibilis: at ubi ante Lutherum exstitit? *in pulverem mortis deducta est Ecclesia, ut nusquam ejus species & vestigium appareat*, ait ipse Lutherus in Psal. 22. f. 344.

ARTICULUS VI.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat ab Ecclesia Græca, cujus communionem & societatem expetijt?

Summarium.

1. *Græci, antequam à Romana Ecclesia se segregârunt, plurimùm florebant,*
2. *Quando cæperit eorum Schisma.*
3. & 4. *Confessionistæ Wirtenbergenses ambiunt communionem cum Ecclesia Græca.*
5. *Sed turpiter impingunt.*
6. *Ut patet ex responsione Patriarchæ Jerosolymitani ad articulos Confessionis Augustanæ.*

1. SCiendum 1. Græcos olim plurimùm floruisse, sive salubertimas doctrinas, quas habemus à Græcis Patribus, quorum ingens est numerus, sive vitæ sanctitatem spectemus: quamdiu scilicet cùm Ecclesia Romano-Catholica conjuncti unitatem fidei servabant. Verùm postquam detestando Schismate à Romani Pontificis potestate, ac Ecclesiæ Universalis communione se ipsos segregârunt, in varios errores prolapsi sunt, omnisque eorum gloria sub Turcico jugo oppressa & sepulta est, justô Dei judiciô, quia suave Christi jugum, & paternum Romani Pontificis regimen superbè excusserant.

2. Sciendum 2. Quamvis Græcorum Schisma jam cæpisse dicatur tempore Nicolai I. Pontificis auctore Photio circa annum Christi 860. tamen in apertum

tum & commune Schisma, varijs circa fidem erroribus infectum, erupisse primùm circa annum 1054. Antesignano Michaële Cerulario, Patriarcha Constantinopolitano. Præcipuus error, & occasio Schismatis erat pertinacia, qua asserebant, Spiritum Sanctum procedere à solo Patre, & non à Filio.

3. Sciendum 3. Confessionistas, sive ut aliquam suæ Confessioni auctoritatem vel à damnatis Schismaticis corrogarent, sive ut ostenderent, ubi extiterit eorum fides ante Lutherum (qua quæstione toties vexabantur) tentâsse Ecclesiam Græcam modernam in suas partes trahere, aut se illi conformare, aut certè firmata inter se unione causam communem facere contra Catholicos. Sperabant, id eò certiùs futurum, quòd non ignorarent, Græcos pariter Romano Pontifici negare Primatum, erroris damnare Ecclesiam Romanam, sub utraque specie Laicis præbere communionem, Sacerdotibus concedere uxores &c. Unde

4. Sciendum 4. Symmystas Wirtenbergenses, præcipuè verò Jacobum Andreæ Schmidelinum, Universitatis Tubingensis Cancellarium, & Jacobum Crusium, circa annum 1575. quo tempore meditabantur librum Concordiæ, Confessionem suam, Græco idiomate scriptam, misisse ad Hieremiam tum temporis Patriarcham Constantinopolitanum, ea de causa, ut à Patriarcha approbationem, consensum, adeóque cum Ecclesia Græca communionem elicerent. Quem in finem miris blanditiis Patriarcham delinire conabantur, præsertim in inscriptione, quæ ita sonabat: *Sanctissimo & Oecumenico Patriarchæ, D. Hieremiæ, Archiepiscopo Constantinopoleos, Novæ Romæ, Domino Pio, Sancto per Christum.* Siccine Patriarchæ Constantinopolitano tribuitis titulum *Sanctissimi*? quem aliàs semper clamabatis soli Deo competere, & quisquis alius illum usurparet, rapere Deo gloriam suam, se gerere pro Deo, & esse verum Anti-Christum, qualem propterea Romanum Pontificem proclamâstis. Sed videamus, quo eventu res acta sit, & quam feliciter cesserit fabula.

5. Dico 1. Nulla est consensio Ecclesiæ Græcæ cum doctrina Confessionis Augustanæ, imò in plerisque articulis Ecclesia Græca sentit cum Catholicis. Assertio hæc optimè probatur ex Responsione, quam Patriarcha Hieremias dedit Theologis Wirtenbergensibus ad oblatum sibi Confessionis Augustanæ libellum, quam videre potes apud Tannerum Anatom. p. 2. demonst. 2. §. 5. & apud Georgium Scherer in seiner neuen Zeitung aus Constantinopel. Ego præcipua tantùm hujus Responsionis capita, nempe circa eos articulos, in quibus adversatur nobis Confessio, adducam.

6. Ad art. 4. 5. 6. Respondet Patriarcha, non solam fidem, sed etiam opera requiri ad salutem, cum scriptum sit, *fides sine operibus mortua est.* Jac. 2. *qui ex Deo est, verba Dei audit.* Jo. 8. *Non auditores, sed factores legis justificabuntur.* Rom. 2. Qui soli fidei innituntur, similes sunt pueris, qui semper hærent in alphabeto; aut Architec-

chitectis, qui nil nisi fundamenta ponunt. Addit præterea, necessariam etiam esse satisfactionem externam, ac propriam bonorum operum.

7. Ad art. 7. De Ecclesia ait, non esse veram Ecclesiam, nisi eorum, qui observent, quæ à Patribus tradita, legibus sancita, sacris Canonibus definita, & à Spiritu Sancto approbata sunt. Præterea septem esse Sacramenta, nec pluranec pauciora, ut à temporibus Christi semper creditum est.

8. Ad art. 10. De Cœna Domini docet, consecratione facta non manere panis & vini substantiam, sed per transubstantiationem converti in Corpus & Sanguinem Christi. Ad art. 11. De Confessione, necessariam esse coram Sacerdote confessionem particularem & distinctam peccatorum etiam internorum, quoad pœnitens possit & recordetur. Ad 12. Non absolvendum esse pœnitentem sine satisfactione Sacramentali injuncta, nec universim rejiciendos esse Canones pœnitentiales.

9. Ad art. 13. Asserit, Sacramenta etiam habere vim sanctificandi fideles, Missam esse sanctificationem vivorum & mortuorum, in qua pro vivis & mortuis supplicetur, in Missa rectè postulari Intercessionem B. Mariæ Virginis, & omnium SS. Formulam Missæ unam à S. Jacobo, & S. Basilio, alteram à S. Chrysostomo compositam & præscriptam rectè à se usurpari. Ad art. 14. Magistratui politico non esse concessum ordinare Ministros Ecclesiæ & Sacerdotes, Ordinationem Episcopotum juxta Canones faciendam, nec eorum electionem promiscuè permittendam plebi.

Ad art. 15. & 21. Vult Sanctos cum suis Reliquijs coli, eorúmque tanquam mediatorum postulari intercessionem, festósque dies in eorum honorem institutos observari, templa quoque seu memorias, eorum honori dicatas, excoli munerum oblatione. Ad 16. Reprehendit, quòd à Confessionistis condemnentur Monachi, qui facultatibus suis relictis mundum & mandata deseruntcùm scriptum sit: *si vis perfectus esse, vade, vende omnia &c.* Matth. 19. Ad art. 20. Carpit Confessionistas, quòd ferias, initiationes, certa jejunia, fraternitates, Monasticam vitam, & similia vocitent opera inutilia, addítque, Quadragesimam esse observandam. 10.

Circa abusus, omissis ijs, ad quæ in præcedentibus articulis jam respondit Patriarcha, ista adhuc animadvertit, aliquos quidem suorum Sacerdotum habere uxores, quas tamen duxerunt, antequam fierent Sacerdotes; post susceptos enim SS. Ordines ipsis non ampliùs licet Matrimonium contrahere, neque ijs, qui voto castitatis sunt obstricti, ut Monachi, ne se sacrilegio obstringant, quòd semel votô consecratum DEO corpus denuo communis vitæ servitijs coinquinent: nam *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno cœlorum.* 11.

Hæc & plura similia contra Confessionistas rescripsit Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus, ex communi Græcorum sensu apertum faciens, quòd 12.

eorum in fide communioni renuntiet. Atque in fine tertij sui responsi addit: *Unde vos rectiùs, & meliùs vetere novâque Româ sapuistis, ut verorum Theologorum scriptis relictis, vestra ista meliora potioráque duceretis?* Et infrà: *vestram ergo viam euntes ne ampliùs de dogmatibus, sed amicitiæ tantùm causâ, si volueritis, scribite. Valete.*

Dico 2. Nihil prorsus honoris & auctoritatis accedit Confessioni Augustanæ ab Ecclesia Græca, sed potiùs multum dedecoris & contemptibilitatis. Ratio est clara ex dictis, cùm in omnibus ferè articulis turpiter impegerint Wirtenbergenses Theologi, & ubique spe & causâ suâ miserè ceciderint. Mansisses meliùs, mi Schmideline, domi.

ARTICULUS VII.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat ab Ecclesia Romana Recentiore, quam accusat defectionis.

Summarium.

1. *Sectarij solent accusare Ecclesiam defectionis.*
2. *Quæ duplex est.*
3. *Confessio tamen Augustana id explicitè non facit.*
4. *Nihilominus tamen inde ex ipsa auctoritatem quærit suis novitatibus.*
5. *Ecclesia Romano-Catholica tempore Lutheri fuit adhuc vera Christi Ecclesia; nec ullo modo defecerat.*
6. *Probatur clarè ex ipsa Confessione Augustana.*
7. *Et confirmatur ex Luthero.*
8. *Item ex eo, quia in illa dicitur fuisse tempore Lutheri & etiamnum esse Antichristus.*
9. *Et quia floruit eo ipso tempore ijs veræ Ecclesiæ signis, quibus fulgebat Antiqua Ecclesia.*
10. *Ecclesia Romana non tantùm nunquam defecit.*
11. *Sed neque potest deficere.*
12. *Respondetur objectis.*

1. SCiendum 1. Omnes Sectarios, quia ab Ecclesia Romana, & antiquiore se, egressi sunt, ut turpem perfidiæ, & apostasiæ notam effugiant, Ecclesiam Romanam arguere defectionis, asserentes, eam in plures errores lapsam, corruptam, factam adulteram, & meretricem magnam, adeóque à Christo desertam fuisse: se autem esse illius Reformatores & Restauratores.

Sciendum 2. *Ecclesiam deficere* posse accipi in duplici sensu. 1. Si omnino

2.

nino esse desinat, sicut desijt Synagoga. 2. Si tota erret in fide. Utroque modo defeciſſe Romanam Eccleſiam recentiorem clamant Sectarij, dum eam non solùm graviſſimorum errorum accuſant, sed etiam Babylonem & Sedem Anti-Chriſti appellant: at prorsus improvidè ac in proprium dedecus; nam si Eccleſia Romana, quæ juxta ipsos olim vera exſtitit, deficere poteſt, sequitur contra ipsos 1. etiam eorum Eccleſiam errare ac deficere posse: unde ergo sciunt, illam defacto non errare, vel jam defeciſſe? 2. neminem apud ipsos securum esse de fide. 3. ipsos esse spurios & adulterinos, utpote natos ab Eccleſia adultera, siquidem Lutherus & Calvinus ex Eccleſia Romana recentiore prodierunt.

3. Sciendum 3. Confeſſionem Auguſtanam mitiùs locutam esse de Eccleſia Romana recentiore; utpote quam (explicitè saltem) non arguit erroris alicujus in fide, sed solùm quosdam illius abusus, ut vocat, reprehendit. *Tota diſſenſio*, inquit art. 21. apud Cœleſtinum Confeſſioniſtam, *eſt de paucis quibusdam abuſibus, qui ſine certa auctoritate in Eccleſias irrepſerunt.* Licèt non negem, Confeſsionem sibi contradicere reipsa, dum in quibusdam manifeſtis fidei articulis ab Eccleſia Romana diſſentit, uti in art. 6. de sola fide juſtificante, in art. 24. de Miſſa, quam negat esse Sacrificium propitiatorium &c.

4. Sciendum 4. Sicut unicum, quo se contra apoſtaſiæ notam tuentur Sectarij, scutum est prætenſa & conficta Romanæ Eccleſiæ defectio; ita ab hac maximum accedere pondus & auctoritatem exiſtimat suis novitatibus, & nominatim Confeſſioni Auguſtanæ. Sed quantùm fallantur, & fallant, mox patebit.

5. Dico 1. Eccleſia Romano-Catholica etiam temporibus Lutheri fuit adhuc vera Chriſti Eccleſia: ergo malè accuſabatur defectionis, & Confeſſio Auguſtana, ipsi contraria, errat. Ant. probari posset ex multis capitibus, nempe ex notis veræ Eccleſiæ. 1. quia habuit tempore Lutheri, & adhuc habet perpetuam ſucceſſionem Epiſcoporum ab Apoſtolorum temporibus. 2. Quia legitimam Vocationem miniſtrorum. 3. Quia à nulla alia Eccleſia antiquiore se est egreſſa. 4. Quia convertit gentes ad se juxta vaticinia Prophetarum. 5. Quia ſemper fuit clarè conſpicua. 6. Quia fuit in poſſeſſione puræ doctrinæ & rectæ adminiſtrationis Sacramentorum, eò quòd nec locus, nec tempus, nec articulus fidei oſtendi poſſit, ubi & in quo defeciſſet ab Eccleſia Romana antiqua, quæ omnium judicio fuit vera. 7. Quia homines per sua dogmata animavit ad omnem honeſtatem, & perduxit ad perfectionem Evangelicam, præſertim per tria vota Religioſa, diligenter cuſtodita. 8. Quia præcludere laboravit viam omnibus vitijs per saluberrima præcepta. 9. Quia divina mandata accuratè cuſtodiri juſſit, Deúmque auguſtiùs colì, quàm alibi uſpiam factum sit. 10. Quia debito modo coluit sanctos Cælites, eorúmq; ingentem habuit numerum, qui adhuc in terris vitam sanctam, & prodigijs

digijs claram ducebant. 11. Quia fulsit miraculis. 12. Quia habuit operarios solo Dei amore nullum fugientes laborem, nulla formidantes pericula, ut animas lucrarentur. 13. Quia fortes & insignes Martyres, pro fide Ecclesiæ Romanæ vitam & sanguinem ponentes. 14. Quia ubique terrarum conspiravit in doctrina. 15. Quia præter unitatem doctrinæ etiam paruit uni Capiti. 16. Quia præomnibus sectis fuit diffusissima per totum mundum. De quibus & similibus notis S. August. contra Ep. Manich. ita scribit: *Multa sunt quæ in gremio Ecclesiæ Catholicæ me justissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas, miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcoporum successio Sacerdotum: tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tot hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam, vel domum suam audeat ostendere.* Ex quibus & similibus, inquam, capitibus probari posset Assertio nostra, quòd nempe Ecclesia Romana, etiam temporibus Lutheri adhuc fuerit, imò etiamnum sit vera Christi Ecclesia. Sed sufficiunt mihi arma, quæ contra se mihi suppeditat ipsa Confessio Augustana. Ex qua

Probo Assertionem clarissimè, & sic argumentor: Ecclesia Romana tunc existens, quando cusa, & oblata fuit Confessio Augustana. 1. In nullo fidei articulo erravit. 2. Non fuit hæretica. 3. Tota dissensio cum Protestantibus fuit in quibusdam paucis abusibus, qui solùm erant circa ritus. 4. Fuit Catholica. 5. Perpetuò mansit à temporibus Apostolorum usque ad illud tempus. Sed Ecclesia, quæ in nullo errat fidei articulo, sed solùm paucos quosdam abusus tenet circa ritus, non ubique necessarios, quæ non est hæretica, sed Catholica, & perpetuò mansit à temporibus Apostolorum, est vera Christi Ecclesia, & non defecit, nec in errores fidei prolapsa est, nec omnino desijt: ergo Romana Ecclesia tunc existens, quando cusa & oblata est Confessio Augustana, fuit vera Christi Ecclesia, nec ullo modo defecit. Quòd aliqui abusus irrepserint (quos omnes evitare est impossibile) nihil obest Ecclesiæ, sicut abusus nihil obest Scripturæ seu sacris litteris, quo eas hæretici pervertunt, & malè interpretantur ad stabiliendas hæreses. 6.

Min. Argumenti videtur omnino certa & innegabilis. Maj. probatur quoad singula membra ex ipsa Confessione Augustana, & quidem quoad 1, 2. 3. & 4. ex art. 21. & 22. Art. 22. sic habet: *Cùm Ecclesiæ apud nos de nullo fidei articulo dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantum paucos quosdam abusus omittant, qui novi sunt, & contra voluntatem Canonum vitio temporum recepti.* Et art. 21. *Tota dis-*

dissensio est de paucis quibusdam abusibus, qui sine certa auctoritate in Ecclesias irrepserunt, in quibus etiam, si qua esset dissimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Episcopos, ut propter Confessionem, quam modò recensuimus, tolerarent nostros. Et immediatè antè: *hæc ferè summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil esse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus nobis ex Scriptoribus nota est. Quod cùm ita sit, inclementer judicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant.* Jam sic: Si Confessio August. *in nullo fidei articulo* dissentit ab Ecclesia Romana, cum qua tunc litigabant, dicendum est, vel Ecclesiam Romanam fuisse quoad fidei articulos incorruptam, & non defecisse, vel Confessionem August. pariter fuisse corruptam & erroneam in fide: posterius non possunt admittere Confessionistæ: ergo debent admittere prius, nempe incorruptam fuisse Ecclesiam Romanam. Rursus Confessionistæ ex eo, quia adeò conspirant cum Romana Ecclesia, ita ut in nullo fidei articulo dissentiant, sed tantùm in certis ritibus, colligunt, se inclementer haberi *pro hæreticis*: ergo nec Ecclesia Romana, cum qua adeò conspirabant, potest dici fuisse *hæretica*. Præterea sæpius Confessio Romanam Ecclesiam illius temporis vocat *Catholicam*, ut patet ex allatis textibus; utique autem non aliam intelligit quàm illam, cui objicit *abusus*, quæ fuit Ecclesia Romana. Atqui Ecclesia *Catholica* ab omnibus habetur pro vera; ergo.

Quintum & ultimũ membrum argumenti n. 6. propositum admittit Confessio art. 7. ubi docet, *quòd una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit*: sed nullam aliam possunt assignare Adversarij præter Romanam, quæ perpetuò durâsset; quia ante Lutherum sub Christiano nomine solùm fuit Ecclesia Græca, & quorundam hæreticorum sectæ, ab Ecclesia Romana damnatæ: sed sectæ hæreticorum non manserunt perpetuò; nam singularum sciuntur initia post tempora Christi & Apostolorum, & aliquæ illarum nunc non ampliùs supersunt: neque Ecclesia Græca, quatenus à Romana est diversa, perpetuò fuit, imò ipsorum Confessionistarum judiciò gravissimè errat in articulo fidei maximo de Spiritu Sancto: ergo.

Confirmatur 1. Ex Luthero, qui penes Ecclesiam Romanam omne bonum etiam suo tempore fuisse fatetur, eamque infallibilem clarè pronuntiat. *Nos ingenuè fatemur*, inquit in ep. de Anabapt. ad duos Parochos tom. 2. Witt. f. 229. & 230. *quòd in Papatu multa bona sint, Christiano nomine digna, quæ & indè ad nos usque promanârunt. Fatemur nimirum, quòd in Papatu vera sit sacra Scriptura, verus Baptismus, verum Altaris Sacramentum, veræ claves ad peccatorum remissionem, verum concionandi munus, verus Catechismus, ut sunt oratio Dominica, decem præcepta, & fidei articuli &c.* Et inferiùs: *ego dico, sub Papatu esse verum Christianismum, imò nucleum Christianismi, & multos pios, magnósque Sanctos.* Hæc sola Lutheri confessio rem totam pos- 77

set conficere: vel enim verum dixit, vel falsum? si verum, cur discessit à Papatu? cur illum ita persecutus est? si falsum: ergo est homo mendax, nulla fide dignus, etiam in alijs rebus. Adjiciamus fragmentum epistolæ, quam Lutherus altero post apostasiam anno dedit ad Leonem Papam X. in qua sic ait: *quare beatissime Pater prostratum me pedibus tuæ beatitudinis offero cum omnibus, quæ sum, & habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, ut placuerit: vocem Christi in te præsidentis & sequentis agnoscam.* Et tom. 7. f. 562. Die Kirch soll und kan nit liegen noch Irthum lehren / auch nit in einigem Stuck.

Confirmatur 2. ad hominem. Illa est vera Christi Ecclesia, in qua est Anti-Christus: sed in Ecclesia Romana, ut Lutherani dicunt, est, & jam fuit tempore Lutheri, Anti-Christus, nempe Romanus Pontifex, quem hoc titulo honorant: ergo Romana Ecclesia, etiam Recentior, fuit & adhuc est vera Christi Ecclesia. Maj. prob. Anti-Christus juxta prophetiam sedebit in templo Dei: sed juxta Lutheri & Gerardi interpretationem hoc templum Dei idem est ac Ecclesia Dei, in qua nempe Verbum Dei & Sacramenta rectè tractantur, juxta Conf. August. art. 7. ergo illa, in qua sedet Anti-Christus, est vera Christi Ecclesia.

9. Confirmatur 3. Etiam moderna Ecclesia, tempore Lutheri existens, floruit donô prophetiæ, miraculorum gloriâ, Martyrum constantiâ, conversione infidelium &c. uti dissimulatis cæteris apparet in solo S. Francisco Xaverio Societatis Jesu Sacerdote, qui decies centena millia Gentilium baptizavit per se ipsum, quos verò instructos baptizari curavit per alios, eorum numerus est major, quàm illorum, quos antiqui Græci & Romani armorum vi sub jugum miserunt, ut testatur Papa Gregorius XV. in Bull. Canoniz. imò Bozius & alij Historici affirmant, plures Ethnicos à S. Xaverio ad Christianam Religionem esse perductos, quàm dolis & fraudibus hæreticorum perversi à temporibus Apostolorum ad Diaboli Castra transierunt. Dissimulo hujus ipsius sancti viri rara & extraordinaria prodigia, quæ patravit, ejus donum cognoscendi absentia & futura &c. Item Sociorum ejus constantiam in perferendo Martyrio &c. ergo illa Ecclesia Romana, tempore Lutheri existens, habuit easdem notas veræ Ecclesiæ, quas habuit Antiqua: ergo pariter fuit vera.

Dico 2. Ecclesia Romano-Catholica non tantùm nunquam defecit, sed nec potest deficere. Prior pars probatur provocando adversarios, ut ostendant locum, tempus, dogma, ubi, quando, & in quo defecerit universalis Ecclesia Romana. Ostendant tribunal, in quo legitimè fuerit erroris convicta & condemnata. Nam ipsi Ecclesiam Romanam gravissimorum scelerum accusant, scilicet Defectionis, Apostasiæ, Tyrannidis, Idololatriæ &c. Jure igitur ab ipsis petitur, ut per circumstantias loci, temporis &c. hæc cri-

crimina de Ecclesia probent, quod nunquam potuerunt, nec poterunt.

11. Altera pars, quòd nempe Ecclesia Romana nec possit deficere, sic probatur: si Ecclesia vera, quæ etiam juxta Adversarios saltem olim fuit Romana, potest deficere in rebus fidei, nihil ampliùs erit certum ac infallibile in nostra aut quacunque alia fide; nam sive auctoritate Ecclesiæ, nobis loquentis & definientis, nec de ipsa nobis Scriptura, nec de ejus sensu, nec de ullo alio fidei articulo constat infallibiliter: ergo si Ecclesia vera, nempe Romana, errare ac deficere potest, deficit ac cessat omnis fides divina, certa, & infallibilis, mundúsque nonnisi opinionibus regitur circa res gravissimi momenti, & salutis æternæ, quod utique non admittent Adversarij.

Confirmatur 1. Symbolum Apostolicum jubet nos credere *Sanctam* Catholicam Ecclesiam: sed iste articulus semper debet esse verus: ergo Ecclesia vera semper debet esse Sancta: ergo semper integra, incorrupta, erroris expers, nec indiga Reformationis in rebus fidei. Adeoque Lutherani vel dicere debent, Ecclesiam Romano-Catholicam, utpote *Sanctam*, nunquam defeciisse, aut reformatione indiguisse; & ruit principium & fundamentum Lutheranismi: vel illam non semper *Sanctam* fuisse, quod est contra Symbolum; item eam *succubuisse portis Inferorum*, quod est contra promissionem Christi Matth. 16. Christum cum ea non permansisse *usque ad consummationem sæculi*, quod est contra c. Matth. 28. Eam à *Spiritu Sancto non esse doctam omnem Veritatem*, quod est contra promissum Jo. 16. Nec eam esse *columnam & firmamentum veritatis*, quod est contra Apost. 1. Tim. 3.

Confirmatur 2. Est incredibile, per tot sæcula, per quæ Ecclesiam Romanam erroribus obnoxiam fingunt Lutherani, nullam veram fidem fuisse in mundo, omnes omnino homines perijsse propter peccatum infidelitatis, Passionem & merita Christi profuisse nulli ad salutem, Dominicum, Franciscum, Bernardum, aliósque sanctissimos Viros errâsse in fide, donec tandem Lutherus, Romanæ Ecclesiæ sacerdotium & cælibatum deserens, atque ad connubia omnémque carnis licentiam provolans, Ecclesiam collapsam restauravit.

Dices 1. Confessio Augustana, quando tam honorificè loquitur de Ecclesia Romano-Catholica, intellexit antiquam, non modernam, aut illius temporis, quo facta est Confessio: ergo. 12.

Resp. frivolum hoc & putidum esse effugium; nam Confessio utique loquitur de Ecclesia vitiata *per abusus*, & quidem posteriori ævo *contra voluntatem Canonum introductos vitio temporum*; loquitur de Ecclesia, cujus Episcopi duriùs cum Lutheranis processissent, dum eos, quia hos ritus observare renuebant, *pro hæreticis haberi* volebant, & contra quos propterea apud Cæsarem conquesti sunt *Protestantes*: sed hæc intelligi prudenter non possunt de Ecclesia antiqua & primitiva, sed de illius temporis, quo facta est Confessio.

Dices

Dices 2. Ista argumentatio non est legitima: Protestantes non possunt dicere, quando, ubi, & à quo primæva fides Romana sit mutata: ergo non est mutata. Cùm utique multa fiant & facta sint, quorum tempus, locum, auctorem, ignoramus: neque ex ignorantia facti sequitur, aliquid factum non esse. Sed nostra argumentatio est vel hæc ipsa, vel similis: ergo. Resp. C. enthym. N. subsumptum; nam nos non sic ratiocinamur, ut objectio nobis affingit, sed vis argumenti nostri in hoc consistit: Protestantes accusant Ecclesiam Romanam defectionis, apostasiæ, tyrannidis, aliorúmque criminum gravissimorum: ergo tenentur tanquam accusatores ea legitimè probare cum debitis circumstantijs: quod postulatum est sanè æquissimum; aliàs enim cuilibet perfrictæ frontis liceret impunè criminari, si necesse non esset aliud in vim probationis afferre, nisi circumstantias facti ob longitudinem temporis venisse in oblivionem, nec ampliùs demonstrari posse. Dixi, tanquam *Accusatores*; nam judices non sunt; sicut perfidus transfuga & desertor militiæ non est judex sui Ducis, aut rebellis filius sui patris. Certè si Lutherani & Calvinistæ, qui ab Ecclesia Romana perfidè discesserunt, essent ejus competentes judices, etiam Macedoniani, Manichæi, Pelagiani &c. fuissent judices Ecclesiæ Romanæ primitivæ, à qua egressi sunt, consequenter nec illa ab erroribus fuisset immunis, quorum ab antiquis illis hæreticis agebatur rea.

ARTICULUS VIII.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat ab Ecclesia Romana antiqua, quam fatetur fuisse incorruptam?

Summarium.

1. *Antiquam Ecclesiam Romanam fuisse veram, fatentur moderni Sectarij.*
2. *Unde hic potissimùm inquiritur, quid in antiqua Ecclesia circa articulos Confessionis Augustana creditum sit.*
3. *Quod aliunde sciri non potest quam ex Patribus primitivæ Ecclesiæ.*
4. *Non alios autem Patres adduci, quàm qui primis quinque Seculis vixerunt.*
5. *Initium fit de Justificatione per fidem, præcipuo dogmate Confessionis August.*
6. *Deinde de satisfactione bonorum operum.*
7. *De Confessione Auriculari.*
8. *De Communione sub utraque specie.*

9. De

9. *De conjugio Sacerdotum & Religiosorum.*
10. *De jejunio.*
11. *De Invocatione Sanctorum.*
12. *De Potestate Ecclesiastica.*
13. *In quibus (ari & in alijs materijs, in quibus Lutherani à nobis dissident) Antiqua Ecclesia clarè est pro nobis, & contra Adversarios.*

1. SCiendum 1. Modernos Sectarios pro vera Christi Ecclesia & incorrupta agnoscere Ecclesiam Romanam Antiquam. Quousque autem ea permanserit incorrupta, & quo tempore in errores prolabi cæperit, non convenit inter ipsos, dum alij quarto, alij quinto, alij demum sexto sæculo, nempe Gregorio Magno Pontifice, eam defectionem contigisse criminantur: quem Gregorium Lutherus dicit fuisse ultimum Pontificem ab Antichristica labe purum. Notandum hìc est, quòd cum Wesenbecio Carpzovius (haud dubiè ex communi Lutheranorum sensu) *in Jurisprud. Forensi Romano-Saxonica part. 3. constitutione 14. definitione 10.* definiat hæreticum, & dicat esse illum, qui quatuor illa sancta Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Chalcedonense non amplectitur. *Juxta L. 8. Cod. de hæret. Novell. 115. cap. 3. §. 14.* Ex qua definitione, licèt eam ut bonam non admittam, quia non convenit omni definito, tamen ad hominem infero sequentia. 1. Ergo usque ad annum Christi 451. circa quod tempus Synodus Chalcedonensis habita est, Ecclesia Romana fuit sancta & pura, nec Papa Antichristus; quia hæc Concilia repræsentativè fuerunt Ecclesia Romana, & Papa præsidente, dirigente, approbante fuerunt facti illorum Canones. 2. Ergo admittendæ sunt Traditiones, quia illa Concilia Divinitatem Christi, & Spiritûs S. ejúsque Processionem à Patre & Filio, duas in Christo Naturas & unam Personam definierunt ex Traditionibus. 3. Ergo difficile non est probare, Lutheranos esse hæreticos; quia non sunt in Ecclesia *Catholica*, qualem tamen esse oportet veram Ecclesiam, ut definivit Nicænum I. Quia rejiciunt Invocationem B. Virginis MARIÆ & aliorum Sanctorum, quam Concilia illa approbârunt: Ephesinum quidem, quia in salutatione Angelica ante verba, *ora pronobis* &c. poni voluit hæc, *Mater DEI.* vid. tom. Conc. 1. Edit. Colon. p. 922. Chalcedonense autem, dum dixit actione 11. *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis orat.* Omissis pluribus

2. Sciendum 2. Quamvis in Ecclesia nunc quædam credantur explicitè, quæ olim, utpote nondum definita pro articulis fidei, tantùm credebantur implicitè; nullum tamen ab Adversarijs fidei dogma in medium proferri unquam potuisse, quod in Ecclesia Catholica olim creditum, nunc verò abolitum sit: nam hoc esset errare, non autem illud. Sed quidquid sit de hoc: quod hìc potissimùm inquiritur, est, utrùm illi articuli, qui in Confessione Augustana reperiuntur contrarij doctrinæ Catholicæ, fuerint olim in primitiva

tiva Ecclesia crediti, nec ne? Se cum Ecclesia Antiqua sentire insinuat Confessio Augustana in præf. ad art. de abusibus, ubi petit, tantùm paucos quosdam abusus à Catholicis omitti, qui *novi* sunt. Verùm totam antiquitatem ipsi minimè patrocinari, ita demonstrabimus, ut etiam in hoc tribunali se causâ cecidisse haud dubiè fassura sit, si verum fateri non erubuerit.

Sciendum 3. Quid Antiqua Ecclesia 5. crediderit, an nobis, vel Confessionistis faveat, meliùs aliunde sciri non posse, quàm ex SS. Patribus, qui quamvis à quibusdam infrunitis vilipendi subinde, aut contemni soleant, in hoc tamen puncto nulla ratione contemni possunt, cùm testes certiores eorum, quæ ipsorum temporibus senserit ac fecerit populus Christianus, frustrà recusentur. 1. Quia fuerunt viri sanctitate conspicui, miraculis clari, doctrinâ illustres, studio laboréque indefessi &c. 2. Quia, qui ante annos 1300. 1400. 1500. 1600. ad Ecclesiæ gubernacula sederunt, ab Apostolorum temporibus haud multùm abfuerant, corúmque doctrinam tanquam viciniores quàm alij, longè meliùs cognoverant. 3. Quia non nisi per ipsos, tanquam Ecclesiæ Doctores, Christiana doctrina ad nos pervenit. 4. Quia, cùm pridem ante nostra sæcula vixerint, prorsus incorrupti sunt judices controversiarum, quæ à posteris moventur; nam illi neque nos neque adversarios nostros noverunt: unde de siniſtro in alterutram partem affectu minimè suspecti, aut accusandi sunt. Proinde quando legimus, B. Chrysostomum in Græcia, B. Hieronymum in Palæstina, B. Ambrosium in Italia, B. Augustinum in Africa, B. Hilarium in Gallia eodem sæculo ante annos plusquam 1300. eadem prorsus nobiscum sentientes, & scribentes, dubitari prudenter ulteriùs nequit, eandem per omnem Ecclesiam fuisse fidem antiquis illis temporibus, quæ hodiedum à Catholicis retinetur.

Sciendum 4. Me adducturum duntaxat Patrum sententias circa præcipuos articulos Confessionis Augustanæ nobiscum controversos, non circa alia Lutheranorum dogmata, de quibus Confessio August. nihil, vel omnino etiam contrarium docet, uti de libero arbitrio, de Purgatorio, de numero Sacramentorum, de ubiquitate Humanitatis Christi &c. nam nostri instituti non tam est Lutheranismum, quàm Confessionem Augustanam impugnare. Videri possunt P. Jacobus Gaulterius in Tabula Chron. & Jodocus Coccius in Thesauro Cathol.

Protestor autem, me non alios Pa- 6.
tres adducturum, nisi qui primis quinque sæculis floruerunt, quo tempore integram ac incorruptam perstitisse Ecclesiam Romanam fatentur Adversarij. Adducam igitur Clementem Romanum, Anacletum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Cyprianum, Athanasium, Hilarium, Basilium Magnum, Gregorium Nyssenum, Cyrillum, Epiphanium, Ambrosium, Hieronymum, Joannem Chrysostomum, Augustinum, Theopini-

philactum, Justinum, Prosperum, Theodoretum. Horum itaque Patrum, quorum semper ingens fuit in Ecclesia auctoritas, & maxima Antiquæ doctrinæ peritia, scripta consulamus, ut constet, quid olim creditum sit. Initium autem faciamus de præcipuo Confessionis Aug. dogmate, nimirum

De Justificatione per fidem.

6. Confessio August. in pluribus articulis, nimirum 4. 6. 20. docet, hominem per solam fidem justificari sine alijs bonis operibus, dum nempe credit, se in gratiam recipi, & propter Christum, qui pro nostris peccatis satisfecit, peccata remitti. Art. 20. sic loquitur: *tantùm fide apprehenditur remissio peccatorum.* Econtra Catholici docent, hominem quidem non justificari proprijs meritis, multò minùs operibus Legis Mosaicæ, aut purè naturalibus, vel solùm externis, sed justificari per merita Christi, nobis applicata per Sacramenta, & opera bona: quæ opera bona ad justificationem hominis adulti requiruntur non minùs ac fides: nam sicut fides, qua creditur Deus pœnitentibus remittere peccata, præcedere debet justificationem, ita & spes remissionis peccatorum per merita Christi, amor erga Deum, & odium peccati, atque propositum vitæ melioris & observantiæ Mandatorum Dei. Licèt fateamur, quòd his & similibus operibus bonis propriè non mereamur justificationem *primam*, quâ nempe ex peccatoribus efficimur justi; sed quòd solùm ponamus hoc pacto requisitas conditiones, sine quibus Christi merita nobis non applicantur ad remissionem peccatorum. Si tamen homo justus, seu in gratia Dei constitutus, hæc & similia opera exerceat, propriè meretur *augmentum* gratiæ Sanctificantis, & vitam seu gloriam sempiternam ampliorem.

Cæterùm doctrina de sola fide justificante tam apud Lutheranos, quàm Calvinistas, est præcipua & essentialis. Lutherus hunc articulum vocat *omnium maximum*, Calvinus *dogma summum, & Religionis Christianæ fundamentum & summam.* In parte 2. articul. Smalcaldicorum dicitur: *hic primus & principalis est articulus. In hoc articulo sita sunt & consistunt omnia, quæ contra Papam, diabolum, & universum mundum in vita docemus.* Nimirum hic articulus trahit post se plures alios 1. Sacramenta nullam vim habere justificandi ex opere operato, ac proinde nec parvulis prodesse baptismum ad salutem, nisi credant. 2. Nulla esse merita bonorum operum. 3. Nullam esse veram absolutionem Sacerdotis à peccatis. 4. Nullam Monasticæ vitæ sanctitatem &c. Atque hanc doctrinam de fide justificante sine bonis operibus protraxisse se denuo putat in lucem Confessio Augustana, multo tempore mundo incognitam; nam art. 20. ita gloriatur: *cùm doctrina de fide, quam oportet in Ecclesia præcipuam esse, tam diu latuerit ignota, quemadmodum omnes fateri necesse est, de fidei justitia altissimum fuisse silentium &c.* Verùm nihil est, quod ita Verbo Dei, Patribus, & rectæ rationi adversatur,

quàm monstrosus iste error de sola fide justificante. Mihi constitutum hìc est solummodo Patrum sententias afferre, ut constet, quid Antiqua Ecclesia circa hoc dogma crediderit.

S. Clemens Romanus l. 3. Constit. Apost c. 12. ait : nomen viduitatis non introducet eos in regnum cœlorum, sed potiùs vera fides, & opera sancta.

S. Irenæus l. 1. c. 20. damnat Simonem Magum, quòd docuerit, homines salvari secundùm gratiam Dei, sed non secundùm opera justa.

Origenes in cap. 4. ad Rom. Puto, quòd prima salutis initia, & ipsa fundamenta, fides est : profectus verò, & augmenta ædificij ; spes : perfectio autem & culmen totius ædificij Charitas.

Idem tract. 32. in Matth. qui profitentur quidem fidem in JEsu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, assimilantur Virginibus fatuis.

S. Theodoretus ad Psal. 96. postquam non sola fide nobis opus est, verùm etiam bonis operibus, necessariò & hanc admonitionem Propheta adfert : *qui diligitis Dominum, odite malum.*

S. *Hilarius in Matth. Cap. 7.* Salus gentium omnis ex fide est, & in præceptis Domini vita est universorum.

S. *Ambrosius ad cap. 4. Hebr. sic ait* : magna res est fides & salutaris, & sine hoc non est salvari possibile ; sed sola fides non sufficit ; operari fidem per dilectionem, necessarium est, & conversari dignè Deo. *Item epist. 82.* quæ nobis salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra ? cùm Scriptura dicat : jejunium & eleemosyna à peccato liberant. Qui sunt hi Præceptores novi, qui meritum excludunt jejunij ? nónne Gentilium vox ista est, dicentium : manducemus & bibamus ? Ex quibus patet, quàm immeritò S. Ambrosium pro se citet Confessio Augustana.

S. Chrysost. homil. 30. in Joan. cùm dicit : hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari. Opus námque nobis est, & vitæ & morum puritate pollere &c. Non dicimus, satis esse solam fidem ad salutem, quod, quæ de ista sæpe in Evangelijs dicuntur, ostendunt &c. Nisi mores sequantur, sequetur supplicium.

S. *Hieron. epist. 27. ad Eustoch. c. 14.* fides & opera tua Christo te sociant.

S. August. to. 4. de fid. & oper. c. 14. Illud excutiendum est ex cordibus Religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam, sufficere solam fidem putaverint, bene autem vivere & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdam subobscuris sententijs Apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere ! &c. Cùm ergo dicit Apostolus, arbitrari se, justificari hominem per fidem sine operibus legis ; non hoc agit, ut percepta ac pro-

fes-

fessa fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum &c. quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed etiam salubrem, planéque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: *& fides*, inquit, *quæ per dilectionem operatur.* Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: *si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatẽ autem non habeam, nihil sum &c.* Plenitudo enim legis charitas.

Concilium Arausicanum Can. 18. ita definijt: debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

De Satisfactione bonorum Operum, & Pœnitentia.

6. Vicinus priori error est, quo Confessionistæ operibus bonis hominis justi vim satisfactoriam negant art. 15. Conf. August. Nos quidem non asserimus, quòd opera bona immediatè satisfaciant pro peccatis, uti tamen nobis affingit Confessio Augustana art. 12. de Pœnitent. & art. 5. de abusibus ubi dicit, Catholicos docere, nostra opera esse *satisfactoria pro peccatis, & promereri justificationem*: quod falsum est. Sed hoc dicimus, opera hominis *justi*, seu jam justificati per gratiam Sanctificantem, præter meritum suum etiam satisfacere pro *pœnis temporalibus*, quæ post dimissum peccatum homini adhuc exsolvendæ sunt vel in hac vita vel in igne Purgatorio alterius vitæ; nam *pœna æterna*, cujus reatus contrahitur per peccatum mortale, remittitur gratis cum peccato mortali, quando ex meritis Christi justificatur homo per absolutionem Sacramentalem, vel per actum amoris perfecti. Videamus, quid senserit hac de re Ecclesia Antiqua.

Origenes homil. 6. in Exod. ait: pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleat, quod admissum est.

S. Cyprianus serm. de lapsis: Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus.

S. Basilius in orat. super attende tibi: magnum est & grave peccatum? multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso & continenti jejunio.

S. Ambrosius ep. 82. ad Eccles. Vercell. quæ nobis salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra? Et ad Virginem lapsam c. 8. grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.

S. Hieronymus in cap. 1. Joël. qui peccator est, & quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur &c. & cubet vel dormiat in sacco, ut præteritas delicias, per quas offenderat Deum, vitæ austeritate compenset.

Leo primus epist. 91. ad Theodorum c. 2. Mediator Dei & hominum homo Christus JESUS hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut Confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.

S. August. homil. 50. inter 50. c. 5. Non enim sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium cooperantibus eleemosynis &c. non enim dictum est, ut tantùm abstineatis à peccatis, sed & de *præteritis*, inquit, *deprecare Dominum, ut tibi dimittantur.*

S. Theodoretus in Epitome Divinorum Decret. c. de pœnit. Sunt medicabilia autem non per solam fidem data remissione, sed per multas lacrymas, & fletus, & luctus, & jejunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati commoderatum.

De Confessione Auriculari.

7. Sacramentum Pœnitentiæ valde mutilant Confessionistæ, quippe *Satisfactionem*, quæ juxta Catholicos spectat ad Pœnitentiam, omnino eliminant art. 15. cit. *Confessionem* verò peccatorum, quæ est altera pars Pœnitentiæ, non necessariam, imò impossibilem asserunt art. 4. de abus. Retinent quidem *Absolutionem*, sed inanem & ineffacem, utpote per quam non remittitur peccatum, sed solùm denuntiatur esse remissum. Nos hìc duntaxat de *Confessione Auriculari*, Lutheranis adeò exosa, differemus, quam contra Confess. August. non modò possibilem asserimus, sed & necessariam, scilicet respectu peccatorum mortalium, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt; Catholici enim nullam obligationem imponunt confitendi peccata venialia, aut mortalia memoriæ pœnitentis non occurrentia: nihilominus tamen & illa, quorum inculpabiliter non recordamur, per absolutionem Sacramentalem indirectè remitti docent. An conformiter Antiquæ Ecclesiæ confessionem ita urgeant, nunc placeat percipere.

Tertullianus lib. de Pœnit. c. 10. de ijs, qui erubescunt coram Sacerdote sua peccata confiteri, ita ait: plerosque publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, pudoris magis memores, quàm salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus contracta vexatione conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.

Origenes hom. 2. in Levit. est adhuc & septima, licèt dura, & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm peccator &c. non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundùm eum, qui ait: *dixi, pronuntiabo adversùm me injustitiam meam Domino, tu remisisti impietatem cordis mei*: in quo impletum est illud, quod Apostolus dicit: *si quis infirmatur, vocet Presbyteros.*

S. *Cyprianus l. 3. epist. 16.* Confi-

teantur singuli, quæso, fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.

S. *Basilius in Reg. brevior. Reg.* 228. necessariò ijs peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.

S. Gregorius Nyssenus orat. in mulierem peccat. Audacter ostende Sacerdoti, quæ sunt recondita, animi arcana, tanquam occulta vulnera Medico retege.

S. *Chrysostomus hom.* 30. *in Genes.* Nunc (in hebdomade majore) magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens & pura confessio peccatorum.

S. Hieron. in c. 10. *Ecclesiastæ*: si erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat.

S. Ambrosius exhort. ad pœnit. agendam. Non solùm post pœnitentiam ab istis peccatis intus homo observare se debet, sed & ante pœnitentiam, dum sanus est: quia nescit homo, si possit pœnitentiam accipere, & confiteri Deo & Sacerdoti peccata sua.

S. *Augustinus de visitat. infirmorum* c. 4. Sunt quidam, qui sibi ad salutem sufficere autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, sua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubescunt, sive dedignantur ostendere se Sacerdotibus, quos tamèn inter lepram & lepram discernere per Legislatorem Dominus constituit &c. ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem.

Idem l. 50. *hom.* 41. quia si ad ultimum steterit, nescit, si ipsam pœnitentiam accipere, & Deo ac Sacerdoti peccata sua confiteri poterit.

De Communione sub utraque specie.

Magno semper ardore contenderunt Confessionistæ, *Præceptum Divinum* esse sub utraque specie S. Communionem fidelibus porrigere. Quin in libello *Interim*, anno 1548. edito, Protestantes cum Catholicis conspirârunt in omnibus, rejecta Confessione Augustana, exceptis his duobus, ut nempe Communio sub utraque specie & Conjugium Sacerdotum fidelibus libera concederentur usque ad definitionem Concilij, quod & à Carolo Imperatore obtinuerunt. Tale *præceptum Divinum* existere negant Catholici, asserentes, penes Ecclesiam esse, unam vel duas species præscribere, prout visum fuerit. An id ipsum censuerit Antiqua Ecclesia, mox patebit.

Ipse Christus Dominus Lucæ 24. duobus discipulis in Emaus sub una tantùm panis specie Corpus suum tradidit, uti docet *S. Hier. in Epitaphio Paulæ*, S. *Aug. de consens. Evang. c.* 25. *item ep.* 59. *ad Paulinum*, S. *Chrysest. seu Auctor Operis imperfecti in* 17. *Matth. Theophylactus in* 24. *Luc. & alij, ut videre est apud* P. *Kedd in Constantino Magno.*

Concilium Nicænum, S. *Basilius M. Eusebius l.* 6. *c.* 36. S. *Cyprianus serm. de*

de lapſ. Juſtinus in apol. 2. teſtantur, in primitiva & Apoſtolica Eccleſia uſitatum & licitum fuiſſe ſub una ſpecie communicare, & Euchariſtiam ad longum tempus, imò ad annum integrum fuiſſe aſſervatam ſub una ſpecie pro infirmis. Item fideles Euchariſtiam ſub ſola panis ſpecie ex templo domum detuliſſe, ut tempore opportuno ſumerent. Quod teſtatur *Irenæus epiſt. ad Vict. Juſtinus M. S. Cyprianus ſerm. de ſpectacul. Clemens Alexandr. l. 1. Strom. & alij.*

Certè omnibus ſæculis atque in pluribus locis receptum fuiſſe uſum unius tantùm ſpeciei, ſatis demonſtrari poteſt. Nam pro primo ſæculo id legitur in Evangelio de duobus Diſcipulis in Emaus: de primis Chriſtianis Actorum 2. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis.* Textus Syriacus habet: *in fractione Euchariſtiæ*: de primis fidelibus *convenientibus ad frangendum panem Act.* 20. Pro ſecundo ſæculo teſtatur *Tertullianus l. 2. ad Uxorem, & l. de Oratione & Corona Militis, Clemens Alexandrinus l. 1. Strom.* Pro tertio *Cyprianus ſerm. de Lapſis, & Patres Conc. Nicæni Can.* 12. & 14. *Conc. Laodicenſis Can.* 49. Pro quarto *Baſilius in ep. ad Cæſariam Patritiam, Innocentius l. ep. ad Decentium c.* 4. & *Conc. Sardicenſe c.* 1. Pro quinto *Proſper Aquitanicus l. de prædict. & promiſſ. Dei c.* 6. Pro ſubſequentibus ſæculis longè plura afferri poſſent teſtimonia, niſi de primis quinque tantùm agere placeret.

Sed quid multùm contendo, nullum eſſe præceptum à Chriſto datum ſumendo Euchariſtiam ſub utraque ſpecie? cùm ipſimet Proteſtantes in Comitijs Auguſtanis 1530. 20. Aug. in habita collatione fateantur, *totum Chriſtum, nempe Corpus & Sanguinem &c. contineri etiam ſub una ſpecie, neque damnent eos, qui olim unam tantùm ſpeciem ſumpſerunt, aut hodie ſumunt, cùm credant, eos non inique agere.* Ita judicârunt duo Principes Proteſtantium, Joannes Fridericus Saxoniæ Dux, Georgius Marchio Brandeburgenſis, duo Juriſconſulti Gregorius Pontanus & Hellerus, tres Theologi Philippus Melanthon, Erhardus Schnepfius, & Joannes Brentius, ad id deputati, uti videre eſt apud *Georg. Cœleſtinum Lutheranum tom 3. hiſt. Comit. Auguſt mihi f.* 42. & *ſeqq. Ipſemet Lutherus*, turbarum & diſſenſionum circa utramque ſpeciem auctor, nullum agnovit præceptum ſumendi utramque ſpeciem; nam *in epiſt. ad Bohemos ait*: Quamvis pulchrum quidem eſſet, utraque ſpecie in Euchariſtia uti, & Chriſtus hac in re nihil tanquam neceſſarium præcepit, præſtaret pacem & unitatem, quam Chriſtus unique præcepit, ſectari, quàm de ſpeciebus contendere. Et *tom. 2. Germ. f.* 100. *in alia editione to. 7. f.* 360. *l. de utraque ſpecie Sacramenti*: ſi veneris, inquit, ad locum, in quo una tantùm ſpecies miniſtratur, accipe tantùm unam, quemadmodum ibi accipiunt: ſi præbentur duæ, duas accipe, nec quicquam ſingulare infer. *De formula Miſſæ* ſcribens indicat rationem, cur duplicem

cem speciem introduxerit, scilicet non præcepto Domini, sed contradicendi spiritu incitante in contemptum Ecclesiæ, dum sic ait : quin ampliùs dicimus : siquo casu Concilium id statueret aut permitteret (nimirum utramque speciem) tunc minimè omnium nos velle utraque specie potiri ; imò tunc primùm in despectum tam Concilij quàm statuti sui vellemus aut alterutrâ tantùm, aut nequaquam utraque potiri &c.

Neque obstant varij SS. PP. textus, quibus utramque speciem à Christo præceptam esse contendunt Kemnitius & alij Sectarij ; quippe sciendum est 1. Olim fuisse liberum usum Calicis ; & ideo Patres dicere potuerunt, illum debuisse esse communem omnibus, & omnes habere jus quoddam ad Calicem, eúmque per suos Ministros datam esse etiam populo à Christo Domino, invitante omnes, ut ex eo biberent ; item dicere potuerunt, usum Calicis esse salutarem omnibus, in eo fieri commemorationem Mortis Christi, atque figuras quasdam veteris Testamenti impleri &c. Sciendum 2. In Evchariſtia sub specie panis non solùm contineri Corpus Christi tanquam cibum, sed etiam Sanguinem tanquam potum, & hinc Patres dicere poterant, potum Sanguinis esse necessarium ad vitam Spiritualem, non tamen *in specie potabili*, cùm Sanguis etiam sub alia specie accipiatur, & effectum potûs Spiritualis conferat ; item dicere poterant, tum demum ex omni parte communicari completè & perfectè, quando utraque species usurpatur, nempe propter expressiorem significationem effectuum hujus Sacramenti. Sciendum 3. Manichæos & Priscillianistas vinum omne tanquam creaturam malam abominatos tantùm sub specie panis communicâsse, & se Catholicorum cætibus sæpius immiscuisse, atque inter illos sumpsisse Sacramenta: ut igitur isti hæretici detegerentur, Leo M. & Gelasius I. præceperunt Communionem etiam Laicis sub utraque specie, quod tamen præceptum ultra 50. annos non durâsse dicitur : unde iterum Patres asserere poterant, grandi sacrilegio dividi Mysterium, quia nempe à Manichæis fiebat ex superstitione. Sciendum 4. Usum Calicis à Christo esse permissum & per se non prohibitum Laicis, licèt in Antiqua Lege populo fuisset prohibitus usus quarundam rerum in Sacrificijs, quibus participare tantùm licebat Sacerdotibus ; quare Patres rectè dicebant, populum in Nova Lege non differre à sacerdote, scilicet quoad permissionem, à Christo factam, sumendi de toto Sacrificio. Sciendum 5. Sacerdotibus esse præceptum sub utraque specie consecrare & sumere Evchariſtiam : & idcirco Patres sæpe intelligendi sunt de solis Sacerdotibus, quando videntur adstruere obligationem sumendi utramque speciem.

De Conjugio Sacerdotum & Religiosorum.

9. Facundos plerumque & calentes disputatores facit hæc controversia Confessionistas, quia nempe pro thalamo

& uxoribus lis est. Ipsa Confess. August. vix aliud ita ardenter & fusè videtur urgere, quàm nuptias Sacerdotibus & Religiosis aut necessarias aut certè licitas esse, non obstante lege Ecclesiastica & votis Deo factis, ut patet ex art. 2. & 6. inter abusus. unde & factum, ut scelerati Sacerdotes & perfidi Monachi ferè turmatim ad sacrilegas nuptias perversis illis temporibus convolarent, in societatem vocatis plurimis etiam Monialibus. An id etiam permiserit Antiqua Ecclesia, investigare nunc placet.

S. *Clemens Romanus can. 27. Apost. dicit*: innuptis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut, si voluerint, uxores accipiant, sed Lectores Cantorésque tantummodo.

Idem constitut. Apostol. l. 4. c. 13. De Virginitate verò mandatum non accepimus. Quare hanc rem potestati cujusque voluntatis permittimus, ut votum. Illud modò monemus: ne quid facilè vel leviter promittatur. Siquidem Salomon ait: melius esse non fecisse votum, quàm factum non reddere.

S. *Epiphanius hæresi* 61. Tradiderunt Sancti Dei Apostoli peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias converti.

S. Cyprianus serm. de Navitate Christi: Etsi bona sunt & à Deo instituta conjugia, melior tamen est continentia, & virginitas excellentior, quam non cogit necessitas aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium.

S. *Hieron. lib. contra Vigilant.* quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistant?

Concilium Carthaginense II. can. 2, omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, etiam ab uxoribus se abstineant: ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.

Clemens Alexand. l. 3. Strom. Dominus dixit, qui uxorem duxit, repudiet eam; qui non duxit, non ducat: qui autem professus est, se nunquam ducturum, sine uxore perseveret.

S. *Basilius in proœm. Const. Monast.* qui in mundi incendio liber esse cupit, nuptias velut pedicas quasdam fugit: his autem relictis vitam suam Deo consecrat, & castitatem profitetur, ut neque facultas ipsi sit conversionis ad nuptias.

S. *Augustinus l. 1. de adult. Conjug. c. 24.* quod cuiquam, antequam voviſſet, licebat, cùm id se nunquam facturum voverit, non licebit; si tamen id voverit, quod vovendum fuit, sicut est perpetua virginitas.

S. *Hieronymus l. 1. contra Jovin. c. 7.* si nupserit virgo, non peccavit. Non illa virgo, quæ sémet Dei cultui dedicavit; harum enim siqua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit &c.

De Jejunio.

Cùm totus Lutheranismus id præci- 10
pue

què intendat, ut ea, quæ carni ac sensibus molesta sunt, removeat, & conscientiæ libertatem, ut vocant, ac mera solatia suis propinet, etiam jejunia Ecclesiastica, quæ certis diebus certos cibos prohibent, arrodit Conf. August. & tanquam traditiones humanas damnat, vel saltem indifferenter tantùm observanda proponit. Sed contra usum & praxim Antiquæ Ecclesiæ Romanæ, ut mox palam fiet.

S. Clemens Romanus Canone Apost. 68. pronuntiat: Siquis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunat &c, præterquam si propter imbecilitatem corporalem impediatur, deponatur. si Laicus sit, segregetur.

Origenes homil. 10. in Leviticum. Nec hoc tamen ideo dicimus, ut abstinentiæ Christianæ frœna laxemus. Habemus enim Quadragesimæ dies jejunijs consecratos: habemus quartam & sextam septimanæ dies, quibus solenniter jejunamus &c.

S. *Basilius Magnus hom. 2. de Laudibus Jejunii.* Jejunium per omne quidem tempus utile est ijs, qui illud sponte suscipiunt, sed multò magis hoc tempore, quo per universum terrarum orbem undique denuntiatur jejunij præconium.

S. *Ambrosius serm. 25. de Quadrag.* Non enim, fratres, leve peccatum est fidelibus indictam Quadragesimam à Domino violare, & jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere.

S. *Augustin. de hæresibus c. 53.* Aërius in Arianam hæresim lapsus propria dogmata affinxit nonnulla, non esse solenniter celebranda statuta Ecclesiæ jejunia, sed cùm quisque voluerit, jejunandum, ne videamur sub lege. *Notetur bene hic textus.*

S. *Petrus Chrysol. serm. 11.* Quòd Quadragesimam jejunamus, non humana inventio, sed auctoritas divina est.

Tertull. lib. de jejunio. Bene, quòd & Episcopi universæ plebi jejunia mandare assolent.

S. *Hieron. epist. ad Marcellam*: Nos unam Quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum tempore nobis congruo jejunamus.

De Invocatione Sanctorum.

Satis non fuit Augustanæ Confessioni Ecclesiam *Militantem* aggredi, ejúsque sancta dogmata ac saluberrima statuta convellere, atque supremam arrodere potestatem: sed insuper ausu prorsus temerario os suum in cœlo posuit, & Ecclesiæ Triumphanti (Iconoclastam Copronymum, & Waldenses hæreticos secuta) bellum intulit, audax terræ soboles; dum scilicet art. 21. Invocari non vult Sanctos Cælites, adeóque nec ipsam Deiparentem, ex speciosa prætextu, ne Christo Mediatori nostro unico inferatur præjudicium. Novit scilicet Orcus, quanta subsidia è cælo sibi procurent devotæ fidelium preces, & ideo hanc viam præcludere totis viribus contendit. Aliter longè sensit pia Christianæ Religionis antiquitas: 11.

tas: aliter longè fecit antiqua Patrum noſtrorum pietas, ut ſtatim apparebit.

In Liturgia Eccleſiæ Romanæ primùm à D. Petro facta, ita habetur: Domine Deus Omnipotens, qui ſolus ſanctus es, & in Sanctis requieſcis, ſuſcipe de ore noſtro peccatorum hunc ter ſanctum hymnum, nobis miſericordias tuas & miſerationes largiens interceſſionibus ſanctæ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum tuorum, imprimis ſanctæ, glorioſæ, ſempérque Virginis Mariæ, & beatorum Apoſtolorum, & Martyrum, & omnium Sanctorum, quorum interceſſione & precibus concede, ut in omnibus tua protectione muniamur. Similia habent *Liturgia Eccleſiæ Heroſolymitanæ auctore D. Jacobo Liturgia Eccleſiæ Æthiopicæ auctore Matthæo Evangeliſta*, ut creditur, *Liturgia Eccleſiæ Mediolanenſis, primùm à S. Barnaba ſcripta, poſtmodum à D. Ambroſio aucta, Liturgia Baſilij*, ut videre eſt apud Coccium. Denique *Liturgia ſeu Miſſale*, quod hodiedum in uſu eſt in Eccleſia Romana, in quo jam ultra 1200. annos ita precamur: communicantes & memoriam venerantes imprimis glorioſæ ſemper Virginis, beatorum Apoſtolorum &c. & omnium Sanctorum, quorum meritis precibúsque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.

Origenes in Lament. Incipiam me genibus proſternere, & deprecari univerſos Sanctos, ut mihi, non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, ſuccurrant. *De Principijs l. 2. c. 12.* Cùm ad cœleſtia loca pervenerint Sancti, tunc jam rationem aſtrorum per ſingula pervidebunt, & ſive animantia ſint, ſive quidquid illud eſt, comprehendent. Sed & alias rationes operum Dei, quas eis revelabit, intelligent. Hunc poſteriorem textum ideo adduxi, quia ſunt, qui negare auſint, Sanctos non cognoſcere abſentia, & vota precésque ſupplicum.

S. *Hieron. adverſus Vigilantium c. 3.* Si Apoſtoli & Martyres, adhuc in corpore conſtituti, poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti: quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus pro peccatoribus veniam deprecatur: & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minùs valebunt?

S. Baſilius M. epiſt. ad Julianum Apoſtatam. Suſcipio ſanctos Apoſtolos, Prophetas, Martyres, qui pro me apud Deum ſupplicant, quò per illorum mediationem propitius mihi ſit Deus noſter, & remiſſionem peccatorum mihi gratis largiatur.

S. *Chryſoſt. Serm. de Invent. & Maxim. MM.* Ut milites vulnera, quæ ſibi in prælijs ſunt inflicta, Regi monſtrantes fidenter loquuntur: ſic hi inſecta capita geſtantes & in medium afferentes, quæcunque voluerint, apud Regem cœlorum impetrare poſſunt.

S. *Theodoretus Græcarum affectionum l. 8.* Non qui ſe ad Deos accedere arbitrantur (dum nempe Martyres rogant miſeri Mortales) ſed qui orent Dei Martyres tanquam divinos homines, interceſſorésque ſibi eos apud Deum advocent, & precentur. Piè verò fide-

fidelitérque precatos ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persolvunt.

S. Ambrosius orat. 2. præparante ad Missam. Et ut efficax mea sit deprecatio, beatæ Mariæ Virginis suffragia peto. *Et lib. de Viduis.* Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi &c. possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam, siqua habuerunt, peccata laverunt.

S. *Augustinus serm. 18. de Sanctis.* Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam commemorationem. *Ad Psal. 85.* Dominus noster JEsus Christus adhuc interpellat pro nobis: omnes Martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt eorum interpellationes, nisi cum transit gemitus noster. Annotat. in Job. c. 14. *miseremini mei miseremini mei ô amici mei.* Angelos videtur postulare, ut pro eo deprecentur, aut certè Sanctos, ut pro pœnitente orent.

Collocemus & Saul inter Prophetas, seu *Lutherum* inter Patres, qui quamvis alibi iterum neget, tamen *de decem præceptis c. 5.* affirmat, nos per Sanctos plurima obtinere à Deo posse. Omnes Sancti, *inquit*, omnia possunt, & tantum tibi per eos datur à Deo, quantum te credis accepturum &c. *Et in responsione ad Lovanienses.* Non negavi unquam meritis ac precibus Sanctorum, quantumlibet imperfectis, juvari, quod subdolè mihi inurere conantur miseri homines.

De Potestate Ecclesiastica.

Sicut Augustanam Confessionem fe- 123
rè totam vulpina hypocrysi repræsentavit Carolo Imperatori, cæterisquè Imperij Statibus subdolus Melanchthon, probè gnarus, si suam ac Lutheri fidem ostenderet nudam, & ingenuè syncéreque, prout erat, profiteretur, exsecrationi fore omnibus, nec unquam futurum, ut publica Imperij Lege tolerarentur. Ita in ultimo articulo, ubi agitur de potestate Ecclesiastica nunquam nominat *Summum & Romanum* Pontificem, sed solum potestatem Episcoporum in genere invadit & limitat in favorem potestatis Civilis & Principum sæcularium, quos sibi hoc pacto demereri cupit; ne scilicet Summum Pontificem ejúsque fidos assecias contra se & conatus suos irritet, licèt occultè vel maximè impugnet potestatem Summi Pontificis, quam confundit cum potestate aliorum Episcoporum. Sed reverentior fuit Antiquitas erga Romanum & Summum Episcopum.

S. Anacletus epist. 1. docet quòdsi difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum vel Majorum judicia, aut majores causæ fuerint, ad Sedem Apostolicam referantur; quoniam Apostoli hoc statuerunt, jussione Salvatoris, ut majores & difficiliores quæstiones semper ad Sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus universam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad B. Apostolorum Principem Petrum:

tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

S. Cyprianus epist. 40. *ad plebem universam*: Deus unus est, Christus unus, & una Ecclesia, Cathedra una, super Petrum voce Domini fundata. Aliud altare constitui, aut novum Sacerdotium fieri præter unum altare, & unum Sacerdotium, non potest. *Item epist.* 55. *sive l.* 1. *ep.* 3. Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur.

S. *Athanasius in epist. ad Felicem Papam*: ob id vos, Prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in Summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis &c.

S. Hieron. in epist. ad Damasum, de nomine Hypostasis. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Anti-Christi est.

S *Cyrillus in libro Thesauri.* Petro omnes jure divino caput inclinant, & primates Mundi tanquam ipsi Domino JESU obediunt. *Item*: Debemus nos, ut qui membra sumus, Capiti nostro Romano Pontifici & Apostolicæ Sedi adhærere.

S. Prosper l. 2. de vocat. gent. c. 6. Roma per Sacerdotij principatum amplior facta est arce Religionis, quam solio potestatis.

S. Theodoretus in ep. ad Renatum Rom. Precor, ut Sanctissimo Archiepiscopo Leoni persuadeas, ut Apostolica utatur auctoritate, jubeatque ad vestrum Concilium adire. Tenet enim sancta ista Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum.

Concilium Nicænum, ut citatur in Conc. Chalced. act. 16. Ecclesia Romana semper habuit primatum. *Ipsum vero Concil. Chalcedonense art.* 1. 2. & 3. Leonem Papam vocat sæpius Universalis Ecclesiæ Pontificem.

Ex quibus, opinor, satis liquet, quænam Ecclesia, nostra an Confessionistica, magis conspiret cum Ecclesia Catholica primitiva antiqua, adhuc incorrupta etiam juxta adversarios. Liquet pariter, quantùm decipiant vel decipiantur Confessionistæ, qui suam doctrinam primitivæ Ecclesiæ conformem arbitrantur, vel jactant, vel etiam per summam fraudem rudi popello ita venditant. Liquet, quòd irrito conatu auctoritatem suæ Confessioni conciliare nitantur ab Ecclesia Romana Antiqua; cùm contra ipsos, & pro Romano-Catholicis, non solùm Patres, sed etiam Annales Ecclesiastici, aliaque aperta Antiquitatis monumenta luculenté testentur. Sic Antiquitatem Ecclesiæ Romanæ testatur perpetua successio Romanorum Pontificum in Cathedra S. Petri, consecratio Episcoporum, ordinatio Sacerdotum, Collegiatæ & Cathedrales Ecclesiæ vetustissimæ, veterima Instituta Monastica, perantiqua Monasteria, Lipsana Sanctorum jam pridem pretiosis thecis inclusa ad publicam venerationem, priscæ artis imagines Christum referentes, aut B. Virginem,

rem, aut alios Sanctos, festa Deiparæ & aliorum Sanctorum jam olim celebrari solita, calices vestesque Sacerdotales, & similes apparatus ad Sacrificium Missæ, more Catholico litandum, deputati &c.

ARTICULUS IX.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat ab ipsa doctrina, quam continet, & propter quam Confessionistæ se vocant Evangelios ?

SUMMARIUM.

1. *Doctrina veræ Ecclesiæ debet esse Pura, Sancta, Evangelica.*
2. *Utrùm talis sit doctrina Confessionis,*
3. *Ut indè mereantur Confessionistæ vocari* Evangelici?
4. *Probatur, quod doctrina Conf. August. non sit pura, & sancta.*
5. *Nec Evangelica.*
6. *Et ideo perperam Confessionistæ vocantur* Evangelici.
7. *Non pari jure negatur nobis nomen* Catholicorum, *quo ipsis negatur titulus* Evangelicorum.

1. SCiendum 1. Doctrinam veræ Ecclesiæ, cùm debeat esse à Deo vel à Christo, necessariò esse puram, sanctam, Evangelio & reliquæ Scripturæ S. conformem. *Pura* erit, si nullum dogma contineat indignum Deo, rationi dissonum, à veritate alienum, & ad peccata inducens. *Sancta*, si sectatores suos dirigat ac impellat ad virtutes & omnem vitæ sanctitatem. *Conformis Evangelio & sacris literis*, si vel ex his desumpta, vel saltem deducta sit.

2. Sciendum 2. Doctrinam *Lutheri* simpliciter nec puram, nec sanctam, nec Evangelicam esse, uti articulo 2. demonstravimus. Nunc videndum, utrùm saltem illa Lutheri doctrina, quæ inserta est *Confessioni Augustanæ*, has dotes habeat, ut propter illas mereatur recipi ut divina. An conformis sit reliquæ Scripturæ S. in articulo 12. examinabimus: nunc autem, utùm sit pura, sancta, Evangelica.

3. Sciendum 3. Lutheranos prorsus arroganter se vocitare *Evangelicos*, sicut Calvinistæ perperam se vocant *Reformatos*. Utrùm honorificus iste titulus ipsis competat, clarè patebit, postquam constiterit, an eorum doctrina Evangelio conformis, imò conformior sit, quàm Catholicorum, aut etiàm Calvinistarum, Zwinglianorum &c. Si enim doctrina non est Evangelica, ex nullo

nullo prorsus titulo se Evangelicos jactant.

4. Dico. 1. Doctrina Confessionis Augustanæ non est *pura*, & *sancta*. Probatur: illa doctrina non est pura & sancta, quæ veris & bonis immiscet falsa & impia, nec ad virtutes, sed potiùs ad peccata inducit: sed talis est doctrina Confessionis Augustanæ in pluribus locis: ergo non est pura & sancta. Ma. est clara, Mi. prob. Quantumvis cautè & circumspectè ornare laboraverit doctrinam Confessionis Compilator Melanchthon, dissimulatis ijs, quæ nimis apertè pias aures offenderent & oculos, tamen attentè legentibus plura occurrunt crassa mendacia, & bonis moribus perniciosa. Ex *mendacijs* solummodo tria afferam, licèt plura contineat. 1. ex art. 20. ubi dicitur, apud Catholicos doctrinam fidei diu jacuisse ignotam, & de fide mirum fuisse silentium, Concionatoribus tantùm puerilia opera urgentibus. 2. Ex art. 24. ubi Catholicis affingitur opinio, quasi Christus in Passione sua solùm pro peccato Originis satisfecerit, per Missam verò satisfiat pro peccatis mortalibus & venialibus vivorum & mortuorum. 3. In art. 28. ubi arguuntur Episcopi, & dicuntur nullum recipere, nisi priùs juraverit, se puram Dei Evangelij doctrinam nolle docere. *Ex impijs dogmatis* pariter tria tantùm perstringam, nempe 1. quòd doceat, hominem justificari sola fide, sine bonis operibus aliarum virtutum. 2. Sanctos non esse invocandos. 3. Vota Religiosa, ritè Deo facta, non obligare. Adeóque hæc doctrina Deum & Sanctos privat debito & competenti cultu, homines verò auxilio & patrocinio Sanctorum, & meritis apud Deum, ac demum ad vitia promptos, ad virtutis verò exercitium desides reddit, eò quòd peccata non obsint, modò fides sit integra; opera verò bona nihil prosint, vel saltem necessaria non sint. Ergo Confessio Augustana veris & bonis, quæ habet à Catholicis, ex fermento Lutheri immiscet falsa & impia.

5. Dico 2. Doctrina Confessionis Augustanæ non est *Evangelica*. Probatur. Illa doctrina non est Evangelica, quæ non est juxta, sed contra Evangelium: atqui doctrina Confess. August. sæpius non est juxta, sed contra Evangelium: ergo. Mi. Prob. quoad primam partem petendo ab Adversarijs vel unicum clarum textum Evangelij pro suis articulis, ab Ecclesia Catholica dissentientibus, v. g. pro sola fide justificante excluſis operibus Legis Christianæ, contra cælibatum & vota Religiosa, contra auctoritatem & traditiones Ecclesiæ &c. Altera pars Mi. prob. afferendo textus Evangelij, quibus doctrina Confess. August. quoad prædictos articulos advertatur. De *Ecclesiastica Potestate* Mat. 18. sic legitur: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. De *Paupertate, Castitate, & Obedientia* voluntaria, quæ apud nos vocantur Consilia Evangelica, eò quòd suadeantur nobis (non præcipiantur) in Evangelio, si velimus majorem perfectionem consequi, varijs in locis fit mentio. De *Paupertate* Mat. 28. *si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes,*

bes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo. Item : *omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores aut patrem, aut matrem &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Huic Consilio obsecuti sunt Apostoli, quorum nomine Petrus ait : *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ibid. v. 27. De *Castitate* Mat. 19. *sunt etiam Eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum Dei, sed non omnes capiunt verbum hoc.* De *Obedientia* Mat. 16. *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me.* De *bonis operibus præter fidem* requisitis Mat. 7. *non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in Regnum Cœlorum: sed qui faeit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est.*

Confirmatur validè utraque præcedens conclusio in hunc modum. Confessio Augustana continet errores antiquorum hæresiarcharum ab Universali primitiva Ecclesia jam damnatos : ergo ejus doctrina non est pura, sancta, & Evangelica, Ant. Prob. Confess. August. art. 4. & alibi docet, hominem justificari per solam fidem sine operibus: sed hanc doctrinam habuit etiam Simon Magus anno Christi 40. teste S. Irenæo l. 2. adv. hæres. c. 20. apud Arsdekin, & teste S. Theodoreto l. 1. hæret. fab. Item Eunomiani teste S. Damasc. l. de hæres. quos damnavit Ecclesia circa annum Christi 360. teste S. August. hæresi 54. Rursus Confessio August. docet art. 21. Sanctos non esse invocandos tanquam Intercessores & Mediatores. Idem docuit Vigilantius teste S. Hieronymo, Faustus Manichæus teste S. Augustino, & alij hæretici ab Ecclesia damnati teste Cedreno & Nicephoro. Præterea Confessio August. rejicit jejunia Ecclesiastica. Idem fecit Aerius teste S. Aug. de hæres. 53. Epiph. Damasc. item & Arriani, qui Catholicis jejunantibus insultabant. Confessio August. concedit libertatem ijs, qui votis castitatis ac Religionis obstricti sunt, celebrandi nuptias, & redeundi ad sæculum. Idem ausi sunt Lampetiani teste Damasc. Confessio August. deprimit potestatem Ecclesiasticam Episcoporum omnium, etiam Romani. Idem fecerunt Petiliani, Donatistæ, Novatiani &c. Omitto alias hæreses antiquas, quas fovet *Lutheranismus*, uti dum rejicit Traditiones, & solam Scripturam recipit, qui error fuit damnatus in Ario, Nestorio, Euthychete, & Dioscoro, ut patet ex Synodo 7. actione 1. & ex S. August. l. 1. contra Maximum c. 2. Dum negat Sacramentum Pœnitentiæ & Confirmationis, quæ doctrina in Novatianis olim proscripta est teste Cypriano l. 4. Epist. 2. Dum dicit Ecclesiam perijsse, & in suo tantùm cœtu existere, uti olim contra Ecclesiam primitivam senserunt Donatistæ teste S. Aug. l. de Unitate Eccl. c. 12. Similes, inquam, antiquas hæreses, quas fovet *Lutheranismus*, omitto, quia *Confessioni Augustanæ* non sunt insertæ, quam solam impugnare statuimus.

Dico 3. Lutherani malè se vocant *Evangelicos.* Probatur 1. Si Lutherani jure vocarentur Evangelici, tunc 6.

ideo fieret, quia eorum doctrina specialiter esset conformis Evangelio: sed hoc non ita est, uti ostensum in assertione præcedente: ergo non jure vocantur Evangelici. Et obsecro, ex qua causa vocentur Evangelici, qui ex Evangelio recipiunt solùm id, quod ipsorum erroribus patrocinari videtur; omnia verò, quæ adversantur, rejiciunt? Quo jure audiant Evangelici, qui non tantùm Consilia Evangelica, in quibus residet summa perfectio Christiana, spernunt; verùm etiam Evangelij præcepta vilipendunt & negligunt? Unde non alio ex capite eos vocari posse *Evangelicos* existimo, quàm ideò, quia oppugnant & devastant *Evangelium*, sicut Scipio *Africanus* hoc nomine appellatur, quia debellavit & vastavit *Africam*, nempe per antiphrasim. Id quod insinuat Edictum Wormatiense à nobis recitatum s. ubi dicitur Lutherus sub *Evangelicæ* professionis nomine omnem *Evangelicam* pacem & charitatem &c. invertere.

Probatur 2. Lutherani non possunt probare, quòd habeant purius Evangelium, quàm Calvinistæ, Anabaptistæ, Zwingliani: sed isti non merentur vocari Evangelici: ergo nec Lutherani merentur. Mi. est in confesso apud Confessionistas, Ma. est. tam diu in possessione, donec probent Lutherani, suum Evangelium esse melius, ac purius, quàm cæterorum: sed hic labor hoc opus erit. Nam proprium testimonium, quod sibi ipsis tribuunt, tam parùm valet, quàm parùm apud Confessionistas valeret testimonium Calvinistarum, quo se ipsos dicerent Evangelicos. Si verò Confessionistis addere placet aliquod distinctivum appellitando se *Luthero-Evangelicos*, idem est, ac si dicerent, se non esse pure Evangelicos, sed solùm eatenus, quatenus illud interpretatur Lutherus. Et nunquid simile distinctivum addere possent Calvinistæ, & Zwingliani, sese dicendo *Calvino-Evangelicos*, *Zvvinglio-Evangelicos*? Solum itaque illi sunt, & vocari merentur Evangelici absolutè, qui purum Evangelium pure tractant, ritè intelligunt, recipiunt & sequuntur totum, quæ apud solos Catholicos fiunt: ergo soli Catholici sunt & vocari merentur Evangelici, & qui alij hoc nomen sibi arrogant, illud suffurantur Catholicis.

Dices. Si nos Lutheranis negamus titulum *Evangelici*, & ipsi negabunt nobis titulum *Catholici*, & vocabunt nos *Pontificios* seu *Papistas*: sed hoc modo perdimus titulum pulcherrimum: ergo. Resp. trans. Ma. nam jure nobis hunc titulum negare nequeunt, quia eum possidemus per plura sæcula, & dudum ante Lutheranos in illius quietâ possessione fuimus. N. Mi. Si penes Lutheranos, aliósque hæreticos staret, pridem desiissemus audire Catholici; sed quia penes Providentiam divinam res sita est, hunc titulum nobis nunquam eripient, licèt ringantur & furant. Nos nullus unquam pseudo-Apostolus abstraxit ab Universali (hoc est, Catholica) Christi Ecclesia, sicut abstracti sunt omnes, qui à nobis egressi defecerunt ad certam sectam. Sic Pelagianos Pelagius, Arrianos Arius, Donatistas Donatus, Manichæos Manes, Calvinistas Calvinus, Zwinglianos Zwing- 7.

Zwinglius, & Lutheranos Lutherus abstraxit à Catholica Ecclesia, & sicut cæteri omnes vocantur à suis Auctoribus; cur Lutherani non ferant se ita vocari ab auctore suo Luthero? fortè erubescunt ejus turpitudinem: sed quare non potiùs erubescunt hominis tam turpis sectari doctrinam? Econtra nos Catholicos nullus unquam Pontifex seu Papa abstraxit ab Universali Ecclesia, nec ullus Papa est nobis auctor nostræ fidei, sed Christus, cujus Pontifex agit vicarium: ideo non pari jure vocamur *Pontificij* aut *Papistæ*, quo jure Confessionistæ vocantur *Lutherani*. Propterea autem, quòd pareamus Romano Pontifici seu Papæ, tanquam Capiti Ecclesiæ, fatemur, nos posse aliquo modo dici Papistas aut Pontificios, hoc est, Papæ addictos: sed iste non est genuinus noster ac debitus titulus; aliàs etiam primi Christiani in primitiva Ecclesia debuissent dici Papistæ aut Pontificij, quia etiam parebant Pontifici: sed hoc nomine appellatos nunquam legi antiquos Christianos, bene tamen vocatos scio *Catholicos*.

Præterea advertendum est, quòd in omnibus Comitijs Imperij, quæ unquam celebrata sunt, professores Religionis Catholicæ semper nominati sint *Catholici*, vel *veteri Religioni adhærentes*, etiam à Principibus Confessionis Augustanæ, nunquam autem *Pontificij* aut *Papistæ*. Imò in Camera Spirensi (fortè nunc etiam in Weslariensi) si contigisset libellum aut Supplicationem aliquam porrigi contra Religioni Catholicæ adhærentem, atque eum appellari *Pontificium*, aut *Religionis Pontificiæ*, rejici talem libellum à Cæsareo tribunali consuevisse, inter alios testatur Justus Springer Lutheranus de pace Relig. c. 14. ubi ait: denique providendum, ne in Supplicationibas contra Catholicos ponatur vocabulum **Päbstlich** *Pontificia*, sed **Catholisch / oder die alte Römische Lehr** / *Catholica* vel *vetus Romana Religio*: aliàs sine decreto itidem redhibetur libellus, supplicante pro arbitrio mulctato. An par privilegium publica auctoritate obtinuerint Confessionistæ, ut non possint vocari Lutherani sine mulcta &c. nihil compertum habeo, & haud dubiè nec ipsi. Quin sæpius à viris rerum peritis percepi, Viennæ non semel repulsos esse libellos, qui supplicantem Lutheranum vocabant *Evangelicum*, *Evangelicæ Religionis &c.*

ARTICULUS X.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat à suâ constantia, quâ semper invariata permansit?

SUMMARIUM.

1. *Doctrina, quæ à Spiritu S. est, stabilis est & invariata.*
2. *Unde & Lutherani suam Confessionem semper invariatam dicunt.*
3. *Licèt primum & Originale exemplar per multos annos non viderint.*
4. *Nec primum exemplar Germanicum, in Comitijs oblatum, concordat in omnibus cum Latino.*
5. *Successu temporis contigêre plures & magnæ mutationes, ac defectiones à Confessione Augustana.*
6. *Ita ut nullum, vel nisi paucissimos Confessionistas veros, modo reperire sit.*
7. *Ea tamen in confessione sua adhuc retinent Lutherani, quibus suos demulceant, & tepidos Catholicos ad se alliciant.*

1. SCiendum 1. Doctrinam quæ à Spiritu S. proficiscitur, esse firmam, stabilem, perpetuò invariatam; nam *verbum Domini manet in æternum.* Unde vix certius signum perversæ doctrinæ, à Deo non profectæ, reperies, quàm si eam pro vario tempore variam, sæpiúsque mutatam deprehendas.

2. Sciendum 2. Confessionistas, cùm bene videant necessitatem constantiæ, quâ invariata semper persistat Confessio sua, novis ejusdem editionibus semper consuevisse præmittere hanc vocem *Invariata*, Unveränderte / *Confessio Augustana*; quàm verè autem & fideliter id fecerint, brevi patebit. Quippe.

3. Sciendum 3. Ex Didymo Hermannovillano in disq. ubiq. 21. propos. 5. quòd Confessio Augustana Originalis, ut vocamus, & Authentica non fuerit reddita Confessionistis, postquam Carolo V. in Comitijs Augustanis eam obtulerunt, sed in Archivis imperii servata, Latina quidem Bruxellis, Germanica verò Moguntiæ. Atque sic in cunis quodammodo sepulta est. Nihilominus tamen, quamvis Confessionem authenticam non habuerint Confessionistæ, sed plerumque corruptas, & variatas, in has, tanquam inviolatas, & Originali conformes jurare fecerunt suos Ministros. Idem ferè testatur Illustrissimus Princeps Jacobus Badensis, cujus verba sunt: Das Original (Auspurgischer Confession) ist weder Lateinisch noch Teutsch einmahls unverfälscht biß auff 80 Jahr der minderen Zahl in Druck kommen

men ꝛc. sondern auch die erst falsche Druck von Jahren zu Jahren / und wie wir beweisen können / sonderlich zehenmahl im Drucken noch mehr erweiteret / versetzt / und verruckt worden : und doch jedermann in Schuel und Kirchen auff das erste Original, daß sie mit Augen nie gesehen schwören müssen ; welches uns billich im das Hertz geschnitten. Ita iste Serenissimus testis, omni exceptione major, à f. 271. usque ad 400. ubi plura, quæ huc facerent, adducit. Cui inter alia motiva ingentem stimulum meritò addidit toties variata & adeò inconstans Confessio, ut eâ desertâ ad Religionem Catholicam, solidam inconcussæ doctrinæ petram, transierit.

4. Dico 1. Primum exemplar Germanicum, quod in Comitijs Augustanis oblatum est Imperatori Carolo, non convenit cum Latino, pariter tum oblato, sed ab eo in quibusdam punctis magni momenti discrepat, & variat. Probatur. In articulo 8. Latinum exemplar dicit *verè credentium*, in Germanico omittitur *verè* wahrhafft. In art. 9. Latinum sic habet : *de Baptismo docent, quod necessarius sit ad salutem.* Versio Germanica omittit *ad salutem* In art. 12. Latinum sic sonat : *fides, qua concipitur ex Evangelio seu absolutione.* Germanicum sic reddit : Glauben an das Evangelium und Absolution, daß die Sünd vergeben. In art. 21. Latinum ait : *ut imitemur fidem eorum, & bona opera.* in Germanico sic vertitur : So wir sehen / wie ihnen Gnad widerfahren / auch wie ihnen durch Glauben geholffen ist / darzu daß man Exempel nemme von ihren guten Wercken. In fine hujus art. 21. Latinum fatetur : *totæ dissensio est de paucis quibusdam abusibus.* Germanica versio, vel potiùs corruptio, sic interpretatur : dann die Irrung und Zanck ist über etliche traditionen und Mißbräuch : nimirum *tota* his versoribus significat dann / & *paucis* significat omnino nihil, quia illud omittunt. Vide Forerum in seinem Uberschlag über den Sternsichtigen Aug-Apffel. c. 3.

Dico 2. Confessio Augustana, tam Latini quàm Germanici idiomatis, successu temporis sæpe multúmque immutata, variata, ac corrupta est. Sermo hìc mihi non est de illa immutatione, quæ in ipsis Comitijs adhuc durantibus facta est in Colloquio jussu Caroli V. instituto 16. Augusti, postquam Confessio jam oblata fuerat 25. Junij. In hoc Colloquio ferè tota Confessio rursum eversa est, dum pars adversa verè in omnibus doctrinæ Catholicæ accessit, ut testatur cum alijs Sfortia Pallav. in hist. Conc. Trid. 3. c. 4. n. 4. 4. & Georgius Cælestinus Lutheranus Theologus in historia Comit. anno 1530. Augustæ celebratorum to. 3. f. 44. ubi ait, finito Colloquio hanc relationem à Catholicis porrectam esse Carolo Imperatori : primi pars Confessionis complectitur articulos 21. in quibus concordant nobiscum in quindecim quidem per omnia, in alijs autem ex parte. Tres enim infra remissi sunt ed abusus, nempe 11. 14. & 15. Tres item ex parte discordant,

nempe 12. 20. & 21. Huic Colloquio ex Lutheranis interfuerunt 1. Joannes Fridericus Saxoniæ Dux. Joannis Electoris filius. 2. Gregorius Marchio Brandenburgensis. 3. D. Greg. Pontanus. 4. D. Heilerus, uterque Juris-Consultus. 5. M. Philipp. Melanchthon, qui Confessionem cudit. 6. M. Erhardus Schnepffius. 7. M. Joan. Brenzius Præco Halensis in Suevia. Ad hæc multùm cesserunt hi Collocutores in articulis de abusibus, nempe circa confessionem & absolutionem Sacramentalem, circa jejunia & festa, circa vota Religiosa, circa vitam Monasticam. Sed circa conjugium Sacerdotum nihil omnino volebant remittere &c. De hac, inquam, immutatione nihil dicam, sed solùm de subsequentibus, cùm Confessio Augustana hinc indè recuderetur. Itaque

Probatur Assertio 1. Ipse Melanchthon intra paucos annos sæpius & adeò notabiliter immutavit suam Confessionem, ut Brochmannus Theologus Coppenhagensis testetur, ab eo in Confessionem Augustanam introductos esse errores. 1. Antinomianorum. 2. Synergistarum. 3. Calvinistarum. 4. Adiaphoristarum &c. Imò prædictus Melanchthon subscribsit libello *Interim* dicto, in quo nihil continebatur doctrinæ Catholicæ adversum, excepto usu Calicis & Sacerdotum conjugio, circa quæ exspectabatur sententia futuri Concilij. Neque ego ullum Lutheranum legi, qui negaret, à Philippo pluries & craisè variatam esse Confessionem August.

Probatur 2. Allegando varias editiones, inter se & ab Authentica plurimùm discrepantes. Tales sunt geminæ Wittenbergenses anno 1531. Norimbergensis 1532. Tubingensis 1535. alia Wittenbergensis 1567. quæ valde corrupta est. Præterea alias editiones plurimas, in quibus additum, demptum, mutatum sæpe multúmque fuit. Ita ut Forerus noster testetur, se simul ad manum habuisse ultra 20. editiones Latini sermonis, quarum tamen nulla cum Originali concors erat. Quatuor adhuc editiones varias insinuare debeo; quæ in Bibliotheca Cæsarea asservantur, ac diversis temporibus prodierunt, prima quidem omnino similis est illi, quæ in Archivo Moguntino asservatur, & ad instantiam Joachimi Electoris Brandeburgici publica auctoritate prodijt, fere 50. annis post oblatam Confessionem Augustæ, ante quod tempus genuina & pura nunquam prodijt. Secunda est Wittenbergensis, quæ anno 1567. lucem aspexit, de qua suprà. Tertia iterum est Wittenbergensis, nata anno 1551. Quarta est Latini sermonis, pariter Wittenbergæ orta anno 1551. Hæ quatuor editiones, quas in quatuor columnis uno intuitu inspiciendas proponit Reverendissimus & Illustrissimus D. D. Leopoldus à Kollonitsch Episcopus Neostadiensis, postea Eminentissimus Cardinalis, in libro, cui titulus: *Augustana & Anti-Augustana Confessio* hæ, inquam, quatuor editiones singulæ se jactant pro authenticis, & invariatis, licèt plurimùm inter se discrepent. Imò non facilè quis reperiet ullum exemplar Latinum cum Originario conspirans, si

Georgij

Georgij Cælestini excipiatur, multò minùs exemplar Germanicum.

Probatur 3. Ex confessione propria Lutheranorum: Wittenbergenses Theologi in Colloquio Altenburgensi f. 494. fatentur, primam Confessionis editionem, Wittenbergæ adornatam, nequaquam cum Archetypo Augustæ exhibito congruere. Et Theologi Ghenenses f. 463. Confessionem Augustanam contemptim vocârunt cothurnum, einen Polnischen Stiffel/ der an beede Füß gerecht ist / qui quadrat utrique pedi. Musculus fatetur, eam duodecies esse mutatam. Selneccerus ait, multos scandalizari propter Confessionem toties & tantopere variatam. Chytræus Lutheranus Professor integrum librum edidit anno 1599. de depravata Augustana Confessione. An non igitur interrogare licet cum S. Athanasio de Synod. Arm. *quæ denique fides, apud quos nulla vel verba vel scriptæ robur habent, sed omnia pro tempore mutantur?*

6. Dico 3. Lutherani defacto adeò deseruerunt suam Confessionem Augustanam, ut nullum, aut certè paucissimos, reperire sit veros Confessionistas, licèt tales se asserant. Probatur facilè. Ille non est verus Confessionista, sed solùm nomine tenus, qui profitetur se sequi doctrinam Confessionis Augustanæ invariatam, re ipsa tamen non sequitur in omnibus: atqui tales defacto sunt omnes Lutherani, vel saltem ferè omnes: ergo. Mi. probatur 1. quia vel non habent doctrinam Confessionis Augustanæ invariatam, vel si habent, eam non sequuntur in omnibus articulis. Sic Lutheranis Papa defacto est Antichristus juxta articulum quartum Smalcaldium, licèt Confessio Augustana in præfatione penes ipsum esse fateatur potestatem congregandi legitimum Concilium. In ijsdem articulis Smalcaldicis, quos liber Concordiæ sub finem præfationis cum Confessione Augustana recipiendos dicit, negatur liberum arbitrium ad faciendum bonum & omittendum malum, licèt Confessio Augustana art. 18. illud concedat, etiam ad efficiendam justitiam spiritualem cum gratia Spiritûs S. quamvis se solo id non possit. Sic Ecclesiam negant semper debere esse visibilem, licèt Confessio August. art. 7. id re ipsa fateatur. Sic Missæ Sacrificium sustulerunt, licèt Confessio August. art. 24. Missam apud suos retineri & summâ reverentiâ celebrari glorietur.

Eadem Mi. prob. 2. Articulus 10. Confessionis August. de Cœna Domini docet, quòd Corpus & Sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus. Germanicum exemplar Originarium sic habet: Vom Abendmahl deß HErrn wird also gelehrt/ daß wahrer Leib und Blut Christi wahrhafftig unter der Gestalt deß Brods und Weins im Abendmahl gegenwärtig sey / und da ausgetheilt und genommen wird. In quibus verbis duo clarè indicantur, quæ defacto à Lutheranis negantur. 1. *transsubstantiatio*, seu Substantialis conversio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, cùm Corpus Christi dicatur esse *sub specie panis*, unter der Gestalt deß Brods &c. *non sub vel cum pane*, nicht unter oder sambt

sambt dem Brod/ ut impanatores Lutherani defacto docent. 2. *præsentia* Corporis & Sanguinis Christi ante sumptionem; nam priùs dicit Confessio, quòd adsint, daß sie gegenwärtig seyen/ deinde primùm, quòd distribuantur vescentibus, daß sie ausgetheilt und genommen werden. Lutherani verò defacto volunt, Christi Corpus & Sanguinem non adesse nisi in actuali sumptione: ergo non sequuntur suam Confessionem.

Taceo, quòd Lutherani defacto plurima dogmata teneant, imò semper tenuerint, quæ tamen in Confessione Augustana non exprimuntur, uti de Purgatorio, de numero Sacramentorum &c. nam teste Chytræo in hist. Conf. Aug. & Georg. Cœlest. in hist. Comit. August. utroque Lutherano, aliqui articuli cum Catholicis controversi studio dissimulati sunt in Confess. August. licèt à Cæsare seriò admoniti essent Compilatores, ut omnes proponerent. Sed hoc imprimis non est agere fideliter; deinde profiteri alios articulos, Confessioni Augustanæ non insertos, est contra Pacem Religionis Passavij captam, & Augustæ confirmatam, ubi solùm illi tolerabantur in Imperio Romano, Confessioni Augustanæ, prout hæc erat oblata Carolo V. adhærebant. Quomodo autem huic adhærent, qui plurima alia extra Confessionem, imò multa contra illam profitentur?

7. Non tamen diffiteor, aliqua adhuc retineri à Lutheranis ex Confessione sua: nimirum retinetur duplex species, qua dementantur simplices. 2. Conjugium Sacerdotum, quo impuri Sacerdotes Catholici invitantur ad defectionem. 3. Libertas conscientiæ, per sublatam confessionem auricularem, per sublata jejunia, & per irritationem votorum Religiosorum, quibus suos inescant, & apostatis scrupulos eximunt. Hæc & similia adhuc retinent putatitij Confessionistæ, ut homo per se ad malum proclivis, hac dulcedine tractus sectam illorum vel amplectatur avidè, vel retineat libenter: nam simili hamo jam olim misera Germania à perfido Luthero capta, & in perniciem tracta est. Ut adeò Brochmannus Præco Coppenhag. verum dixerit: D. Luther gab den Fürsten die Stifft / Clöster / Abbteyen: den Priestern gab er die Weiber: dem gemeinen Mann die Freyheit. Und das that vil zur Sach.

Ex dictis duo clarescunt. 1. Confessionem Augustanam minimè invariatam perstitisse, ac proinde ex constantia ejus doctrinæ nullum argumentum, nullam auctoritatem pro ipsa peti aut sperari posse. 2. Me hactenus semper in errore versatum esse, dum supponebam, reperiri plurimos Confessionistas, & tot, quot Lutheranos; jam verò deprehendi, hoc suppositum esse falsum. Sed nolo propterea à cæpto desistere, cùm parùm intersit ad scopum meum, an illi, quos impugno, sint veri vel putatitij tantùm ac nominales Confessionistæ. Modò videant, Confessionem suam, quam profitentur, destitui sufficienti auctoritate, qua homo prudens induci possit ad actum fidei Divinæ eliciendum, mihi satis est.

ARTI-

ARTICULUS XI.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat à Miraculosa propagatione, qua invaluit?

SUMMARIUM.

1. *Deus circa Religionem nihil innovare solet, nisi per homines admiranda sanctitatis & magnorum prodigiorum.*
2. *Unde cruciantur Confessionistæ, cùm neque extraordinariam sanctitatem, neque miracula in suo Luthero inveniant.*
3. *Solantur tamen se mirabili propagatione Lutheranismi & Conf. Augustanæ, quam prodigiosam esse volunt.*
4. *Sed falluntur.*
5. *Nam Propagatio Lutheranismi non est majus miraculum, quàm si lapis cadat deorsum remoto obice.*
6. *Præterquam quòd facta sit vi & armis.*
7. 8. *Præterea si Confessio Augustana est propagata miraculosè, etiam hæresis Manichæorum, Arrianorum &c. fuit miraculosè propagata. Imò hac gloria miraculosæ propagationis magis enituit Ecclesia Romana illo ipso tempore Lutheri.*
9. *Si res attentius consideratur, propagatio Confessionis Augustanæ fuit nulla, quia nullus, vel pauciſſimi tantùm hucusque exstiterunt Confessionistæ veri.*
10. *Accedit, quòd Deus nec potuerit facere miraculum ad propagandum Lutheranismum vel Confessionem Augustanam.*
11. *Vaticinium Hussi de Luthero vanum est.*

1. SCiendum 1. Deum nunquam consueviſſe novam Religionem Mundo proponere, aut veterem, mortalium injuriâ ferè extinctam, iterum restaurare, nisi per viros admirandæ virtutis, aut magnorum prodigiorum patratores: ut videlicet omnibus testatum ac indubitatum faceret, se talis doctrinæ Auctorem vel Reparatorem esse. Sic Moysem ornavit stupendis miraculis: nec Christus, licèt sanctiſſimus, sibi credi voluit, nisi manifestis signis Divinitatem suam, & novam, quam Mundo dabat, doctrinam probâsset.

Sciendum 2. Cùm doctrina Confessionis August. & longè magis totius Lutheranismi, fuerit nova, & Mundo usque ad Lutheri prædicationem vel incognita, vel reprobata ab ab universali Ecclesia, fatente ipsómet Luthero, qui tom. 8. Jen. f. 181. 5. 4. ait: *doctrina*

rina hæc nostra nova, & supra modum scandalosa erat per universum orbem &c. cùm, inquam, hæc doctrina nova fuerit, opus erat signis, & miraculis, quibus Deus illius auctorem se testaretur. Hæc res semper pessimè habuit Lutheranos, & cùm nulla possent reperire prodigia in novo Evangelista suo Eislebico, invenire conabantur in mirabili propagatione doctrinæ Lutheranæ, & Confessionis Augustanæ. Unde

3. Sciendum 3. Lutheranos valde triumphare, quòd secta Lutheri unà cùm Confessione August. tam longè latéque, & tam celeriter propagata sit per Orbem, támque fortiter, ut nec Papa nec Cæsar cum toto Imperio impedire potuerint, licèt omnem moventes lapidem. Miraculum! miraculum! exclamant, miraculorum maximum reperitur in hac propagatione. Audiamus verba Balth. Meisneri contra Lessium: *si usque adeò*, inquit, *morosi in postulato estis, loco miraculi allegare possumus magnum illud & admirandum Reformationis opus. Erat Lutherus misellus Monachus, nec ferro, sed verbo Domini aggrediebatur Papam: omnes Academiæ se doctrinæ illius opponebant: omnes Cardinales & Episcopi execrabantur: omnes Reges & Principes illum persequebantur. ipse terror orbis Imperator Carolus V. unum istum Monachum debellare, veráq; doctrinæ prædicationem impedire, cùm maximè vellet, non potuit. Ejecta sunt è Claustris dæmonia: captivi sub tyrannide Papæ potenter sunt eductis. Magna hæc fuerunt miracula, & opera Domini; adeò ut, qui attentè legit historias illorum temporum, non possit non exclamare: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Ita Meisnerus, edoctus utique à Luthero, qui tom. 7. Witt. f. 147. adversus Hireum Lipsiensem scribit, se spei suæ (quòd scilicet doceat purum Dei Verbum) nullum certius aut efficacius documentum ac miraculum habere, quàm quòd tam subitò in omnem terram (excipe Luthere Africam, Asiam, Americam, & majorem Europæ partem) propagata fuerit doctrina ejus, tantasque turbas ac dissidia commoverit. Sed cristas deponent Lutherani, si hoc etiam miraculum sibi ereptum viderint. Quod ut videant,

Dico 1. Doctrina *Lutheranismi* 4
non est propagata miraculosè. Prob. 1. Propagatio Lutheranismi tam ampla & velox naturalissimè & sine singulari Dei ope per se ipsam fuit facillima: ergo non fuit miraculosa. Ant. prob. Dilatatio novæ doctrinæ, qua homines ducuntur ab arctiore & molestiore vita ad suaviorem & liberiorem, laxatis carnalium cupiditatum frænis, per se ipsam naturalissimè & sine singulari Dei ope est facillima: sed dilatatio Lutheranismi fuit dilatatio novæ doctrinæ, qua homines ab arctiore & molestiore vita ducebantur ad suaviorem & liberiorem, laxatis carnalium voluptatum frænis: ergo fuit per se ipsam facillima, & facta est naturalissimè sine singulari Dei ope. Maj. est clara juxta illud Poëtæ: *prona venit cupidis in sua vota fides*, præsertim si nova proponitur; nam novitas naturaliter

liter est grata. Min. prob. Lutheranismus docebat, mandata Dei nec posse nec debere observari, Prælatis Ecclesiasticis non esse obediendum, nulla opera bona requiri ad salutem, peccata non esse aperienda necessariò in Confessionali, jejunia, castigationes corporis &c. plùs obesse quàm prodesse, nullum peccatum damnare hominem præter infidelitatem &c. sed ista dogmata sunt blandissima carni, & ad vitam liberrimam ac licentiosam inducunt: econtra dogmata Ecclesiæ Catholicæ sunt carni inimica, aspera, & virtutes arduas urgent: ergo Lutheranissimus habet dogmata carni amica, laxat fræna cupiditatum, ducit à vita aspera & arcta ad liberam & licentiosam: ergo ejus propagatio est dilatatio doctrinæ, qua homines ab arctiore & molestiore vita ducebantur ad liberiorem & suaviorem, laxatis carnalium cupiditatum frænis.

Accedit, quòd Lutheranismus opes Ecclesiasticas, opima monasteria, latos Clericorum fundos, & integros Episcopatus quasi in spolium obtulerit Principibus Sæcularibus: quòd Monachos à votis Religiosis pronuntiaverit liberos: quòd Sacerdotibus uxores, si non præceperit, saltem suaserit. Quid mirum, si apud homines exiguæ pietatis, nullius frugi, voluptatum amantes, & nullius ferè scientiæ (nam Sæculum erat prorsus rude, & voluptatibus deditum) fidem invenerit tam grata Religio? Imò longè magis mirum fuisset, si non invenisset. Atque mirum videtur, quòd non integra Germania adhæserit tam blandæ sectæ, avaris Principibus Ecclesiasticos reditus, lascivis Sacerdotibus uxores, petulanti Populo libertatem propinanti. Quod bene agnovit Brochmannus, de quo suprà, dum dixit: D. Luther gab den Fürsten die Stifft / Clöster und Abbteyen / den Priestern gab er die Weiber / dem gemeinen Mann die Freyheit; und das thate vil zur Sach.

5. Hinc propagatio Lutheranismi tam ampla, velox, & felix, mihi videtur esse tantum miraculum, quantum est, si lapis cadat deorsum non obstante obice: vel quantum est, si vulpes comedat gallinam, fortè in illam incidens: aut si mures arrodant caseum, nisi arceantur. Nam homo à natura ad malum proclivis suo pondere ad vitia trahitur, & obvijs ulnis carni tam blanda acroamata amplectitur, nisi vi se ipsum cohibeat, & vitiosæ naturæ obicem ponat; trahit enim sua quemque voluptas: quid igitur mirum, si multos traxerit illecebrosum hoc & voluptuarium Evangelium, quod pæne dormientibus cælum pollicetur? quid mirum, si delicati mortales tam mellitam doctrinam admittant?

6. Confirmatur. Illa doctrina nonpropagatur miraculosè, quæ propagatur vi & armis: sed Lutheranismus fuit propagatus vi & armis: ergo. Min. prob. inter præcipuas curas Lutheri fuit ad propagandum suum Evangelium excitare seditiones, & cruenta bella, quæ ad ejus classicum secuta sunt, priùs inter tumultuantes rusticos, postea inter Principes, & demum contrà Cæsarem & Ferdinandum Regem, à quibus Mauritius Saxo felici armorum successu in-

fauſtam illam Religionis pacificationem Paſſavienſem extorſit: ergo. Audiamus ipſius Lutheri Martiam tubam ad bellum contra Catholicos hortantis; *qui habet aures audiendi*, inquit, *audiat, & à bello Turcico abſtineat, donec Papæ nomen ſub cælo valet.* tom. 2. Witt. in aſſert. art. 13. *Hoc Deus avertat, ut Evangelium ſine ſeditione prædicemus. Nam ſi non turbas excitaremus, omniáque pacata & tranquilla eſſent, actum jam eſſet de noſtro Evangelio; oportet enim Evangelium turbas excitare, quocunque venit, hoc ſi non facit, non verum eſt Evangelium* tom. 5. Witt. f. 97 & tom. 4. Jen. f. 97. §. 2. *Vide, vide, quam æſtuat ſanguis meus, & caro mea! quam cuperet ex punito Papatu lætitiam percipere?* tom. 8. Jen. f. 610. §. 3. *Propemodum nullum melius conſilium & remedium videtur Papiſtarum progreſſus reprimendi, quam ut Cæſar, Reges, ac Principes vim parent, & armati hos perniciosos homines aggrediantur &c.* tom. 1. Jen. f. 60. adversùs Prieratem. *Res riſu tantùm digna foret, ſiqua inſignis & bene robuſta concitaretur ſeditio, qua Magiſtratus Eccleſiaſticos de mundo extirparet.* tom. 7. Witt. f. 33. Quid mirum, quòd tot ortæ ſint ſeditiones, tam cruenta bella poſt tot tamque ſerias exhortationes, factas ab eo, qui ſe Prophetam & Evangeliſtam Chriſti nominavit? Quale miraculum, ſi inter tantos tumultus, armorum vi, & mortis metu dilatetur doctrina, aliàs ſenſibus grata?

Dico 2. Neque doctrina *Confeſſionis Auguſtanæ* fuit miraculosè propagata. Prima probatio poteſt eſſe probatio præcedentis concluſionis, ſicut ſequens ſervire poteſt ad eandem concluſionem præcedentem magis ſtabiliendam.

Prob. 2. Si Confeſſio Auguſtana (vel ejus doctrina) fuit miraculosè propagata, tunc etiam multæ ac præcipuæ hæreſes fuerunt miraculosè propagatæ: conſequens non poteſt admitti à Confeſſioniſtis, niſi velint cum Indifferentiſtis admittere plures veras religiones: ergo. Maj. prob. Patet ex hiſtoriis indubitatis, hæreſes ſat multas & præcipuas, ab antiqua Eccleſia jam damnatas, intra breviſſimum temporis ſpatium in æquè multas, imò longè plures provincias, & ampliſſima regna penetrâſſe, quàm penetravit Confeſſio Auguſtana, licèt fortiter obnitente poteſtate tum Eccleſiaſtica, tum Politica Catholicorum. 7.

Sic Hæreſis Manichæorum, quam circa annum Chriſti 260. in Mundum invexit Manes, ſuo veneno totum propemodum Orbem infecit, teſte Baron. tom. 2. Annal. ad annum Chriſti 271. & inter alios i ſum Eccleſiæ Catholicæ lumen, Aurelium Auguſtinum, per complures annos irretitum tenuit. Sic Arrianorum hæreſis, cui pæne totus Mundus ſe oppoſuit, tanta celeritate dilatata, tantisque incrementis aucta eſt, ut totus pæne Mundus factus ſit Arrianus, antequam ſe eſſe animadverteret; nam teſte Hieron. *ingemuit totus Orbis, & Arrianum ſe eſſe miratus eſt*: quæ licèt per exaggerationem ſint dicta, indicare tamen voluit Hieron. plurimas provincias celerrimè ab Arriana hæreſi in-

intoxicatas fuisse, non obstante, quòd fortissimè se opponerent viri doctissimi, sanctissimique in Concilio Nicæno, & ipse terror Orbis Imperator Constantinus, verè Magnus, fidelem operam junxerit. Nunquid etiam Calvinismus mira velocitate & felicitate pervasit Galliam, Angliam, Hollandiam, & sat magnam superioris Germaniæ partem, quantumvis unà cum Catholicis ipsi Lutherani acriter huic Sectæ obsisterent. Edicant, obsecro, Confessionistæ, quid miraculi sit in suæ Confessionis propagatione, quod non etiam faveat Calvinistis? Certè si miraculum est, plurimos à Papatu abduxisse: plurimos abduxerunt Calvinistæ. Si miraculum est, Monachos & sacratas Deo Virgines ex Monasterijs ad sacrilegas nuptias pertraxisse: fecere & istud Calvinistæ. Si miraculum est spoliare & evertere Catholicorum templa, dejicere imagines, concremare sacras Reliquias &c. hæc & similia strenuè fecerunt & Calvinistæ. Si ergo Deus mirabili propagatione Confessionem Augustanam ceu splendidô miraculô confirmavit ut veram, quid est, cur adversarij hanc prærogativam tribuere nolint Manichæorum, Arrianorum, Calvinistarum, imò & Turcarum Sectis? Cur non habent eas pro veris Religionibus, cum simili illustratæ sint prodigio?

3. Confirmatur. Si Confessio August. & doctrina Lutheristica propter suam propagationem gloriatur miraculo, tunc multò magis gloriari hoc honoris titulô potest doctrina & Ecclesia Catholica: ergo longè magis vera erit doctrina Catholica. Ant. prob. Eodem tempore, quo sua incrementa accepit Confessio August. & doctrina Lutheristica, mira celeritate disseminata, & recepta est doctrina Catholica sine vi, & sine armis, in amplissimis regnis & provincijs per utramque Indiam, Orientalem & Occidentalem, per Africam, & Americam, in Japonia, in Mexico, in Insulis Philippinis, in Perù, in Brasilia, in Regnis Abyssinorum, & in alijs vastissimis regionibus, licèt Barbari gravissima objicerent obstacula. Nam in prædictis regionibus S. Franc. Xaverius, aliique Sacerdotes Catholici inter summas difficultates felicissimè & mirificè amplificârunt doctrinam Catholicam, & innumerabiles hominum myriades eidem associârunt. Unicus S. Franc. Xaverius multa centena millia intra decem annos ex gentilitate ad admirabile lumen Catholicæ Veritatis traduxit, Travancoridis regnum pene totum convertit, Japoniæ amplissimum regnum Evangelicæ lucis splendore illustravit, plures Reges Romano Pontifici subjecit, & inter hos potentissimum quoque Regem Bungi cum magna subditorum parte &c. Ita testantur publici Commentarij à viris gravissimis conscripti de rebus Indicis & Japonicis, non diffitentibus hæreticis rerum peritioribus. An non igitur majori jure nos Catholici gloriamur de miraculosa propagatione nostræ fidei, temporibus Lutheri factâ, quam Lutheram suæ Confessionis? præsertim (quod bene notandum est) quia nostri Sacerdotes Apostolici ex solo animarum & Religionis Zelo per vasta maria, & inter summa vitæ incommoda, mortisque pericula, adierunt Gentes barbas-

ras, feroces, inhumanas, ignotæ linguæ, illisque prædicârunt res creditu arduas, factu difficiles, quas nempe vera Christi fides credendas & faciendas præcipit.

Econtra propagatores Confessionis August. ordinariè vel ambitionis, vel luxuriæ, vel invidiæ, vel alterius indomitæ passionis æstro agitati, remotis procul vitæ incommodis, inter homines Christianos, minimè barbaros, ferè ejusdem ubique linguæ, non sine tumultibus, vi, & armis, prædicârunt quidem articulos creditu arduos, sed quibus populus jam assueverat, eos autem, qui erant difficiles factu, expunxerunt, nil nisi *libertatem Christianam* (meliùs dixissent licentiam flagitiosam) ex Cathedris & in Compitis crepantes. Quid, quæso, laboris sit persuadere hominibus, vel rudibus, vel sceleratis, non esse faciendam apud sacerdotem omnium peccatorum gravium exomologesim, non esse insudandum bonis operibus, castitatem, paupertatem, & obedientiam, etiamsi voto promittantur, non esse servandas? nam ad hæc & similia apud homines, ad liberam vitam aspirantes, naturalis est pruritus. Contraria omnia prædicare debuerunt nostri Missionarij nationibus barbaris, inter scelera educatis, & vix Christianæ disciplinæ capacibus. Quæso cur Lutherani Præcones non abeunt relictis omnibus ad Indias, ut convertant barbaras gentes? vel, si abeunt, cur eas non convertunt, cùm tamen promissa sit veræ Ecclesiæ *conversio Gentium*? (non *perversio Christianorum*, qua sola propagatus est Lutheranismus) Nempe ubi vera Ecclesia non est, nec ejus reperiuntur dotes, nec miraculosa propagatio, qualis est conversio barbaræ Gentilitatis, à Christo suæ Ecclesiæ promissa.

Prob. 3. Si nullus unquam, vel nonnisi paucissimi exstiterunt hucusque veri Confessionistæ in mundo, tunc Confessionis propagatio non tantùm non est miraculosa, sed neque magna, imò est nulla: atqui nullus unquam, vel paucissimi hucusque exstiterunt in mundo veri Confessionistæ, quia vel nullus vel paucissimi Confessionem August. habuerunt incorruptam, vel eam integrè secuti sunt, non admixtis alijs erroribus contra vel præter Confessionis August. doctrinam, ut ostendi art. præced. quam tamen solam in Comitijs profitebantur, & quæ sola in Imperio tolerata est: ergo. 9

Dico 5. Deus nec potuit facere aliquod miraculum in confirmationem doctrinæ Lutheri aut Confessionis Augustanæ: ergo neque illius propagatio miraculosa exstitit. Ant. prob. Illa doctrina non potest confirmari à Deo per miraculum, quæ veris & bonis dogmatis immiscet falsa & impia: sed doctrina Lutheri & Confessionis Augustanæ immiscet falsa & impia: ergo. Maj. est clara, cùm manifestè repugnet, Deum esse testem falsi, & approbare doctrinam impiam. Deus autem, si edat miraculum in confirmationem alicujus doctrinæ, censetur totam doctrinam confirmare, eò quòd nulla pars excipiatur, & nulla determinetur, per miraculum confirmanda. Min. quoad primam 10

par-

partem, quòd scilicet doctrina *Lutheri* contineat falsa & impia, abunde demonstrata est art. II. hujus Appendicis. Altera verò pars, quòd nempe etiam doctrina *Confessionis August.* immisceat falsa & impia, ostensa est art. X. præcedente.

Dices: de doctrina Lutheri & felici ejus propagatione, non obstantibus persecutionibus vaticinatus fuerat Jo. Huss, cùm duceretur Constantiæ ad rogum, dicens: *post centum annos veniet Cygnus, quem assare non poteritis*: ergo Lutheranismi propagatio fuit miraculosa ex vaticinio. Resp. 1. valde incertum esse, hæc ab Husso fuisse dicta; nam nemo horũ verborum meminit, exceptis solis Hussitis, ac postea Luthero & Lutheranis, qui meritò possunt esse suspecti. 2. Transf. Ant. N. Conf. Unde enim constat Lutheranis, hæc de Luthero, & non potiùs de Carolstadio, Zwinglio, aut Calvino locutum esse Hussum? nam si temporis ratio, ab Husso indicata, observetur strictè, vaticinium non est de Luthero, quia ab illo usque ad Lutherum plures quàm centum anni sunt elapsi: si autem temporis ratio non strictè observanda est, cur non æquè de alio Sectario intelligi possit Vaticinium? 3. Esto etiam in individuo Lutherum designaverit Hussus, propterea tamen non sequitur, quod Lutherus suam novam doctrinam sparserit vocatus à Deo; quia prænuntiari possunt etiam res malæ, & à malis. 4. Vaticinium de Luthero intelligendũ esse, valde suspectum redditur ex eo, quòd dicat venturum *Cygnum*, nam Lutherus potiùs *porcus* erat, cujus candor nihil ferè aliud fuit, quàm fætor, pædor, stercus, oletum, latrina, & id genus alia Islebica aromata, de quibus ad nauseam usque leges in ejus libris, & aliqua in art. II. cit.

ARTICULUS XII.

An Confessio Augustana sufficientem auctoritatem obtineat à Scriptura S. in qua sola se fundatam asserit ?

SUMMARIUM.

1. *Lutheranorum principium : nihil credendum, nisi in Scriptura S. sit expressum.*
2. *Ad Scripturam semper provocabat Lutherus, & nunc Lutherani.*
3. *Cui soli inniti jactant Confessionem Augustanam.*
4. *Indéque sufficienti auctoritate stabiliri.*
5. *Sed nullus illius articulus, qui adversatur Catholicis, nititur puro & claro Dei verbo.*
6. *Id quod etiam probatur ex Concil. Trid.*
7. *Et specialiter exemplo præcipui dogma-*

dogmatis, quod complectitur Conf. Aug. nempe de sola fide justificante.

8. *Quin imò ex Scriptura S. nihil omnino probare possunt Confessionista.*
9. *Quia probare non possunt, se habere veram & Incorruptam Scripturam S.*
10. *Aut genuinum illius sensum.*
11. *Ne quidem per legitimam consequentiam ex Scripturis deductam.*
12. *Aliqui inepte admittunt traditionem & auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ circa existentiam & puritatem Scripturæ, rejicientes illam circa genuinum illius sensum.*
13. *Rejicitur responsio Hutteri.*
14. *Nulla auctoritas accedit Augustanæ Confessioni à Scriptura S.*
15. *Et tota fides Confessionistarum est merè humana.*
16. *Modus, quo te fortiter defendere possis contra Sectarios,*
17. *Eósque valide impugnare ex S. Scriptura.*

3. SCiendum 1. Lutheranis & Calvinistis instar primi principij ac fundamenti esse hanc propositionem : *nihil credendum, nisi in Scriptura Sacra sit expressum.* Sic detonat Lutherus in c. 1. ad Gal. *neque alia doctrina*, inquit, *in Ecclesia tradi debet, quàm purum Dei verbum* (hoc est, Scriptura S.) *Doctores & Auditores alij anathema sint.* Calvinus l. 4. Inst. c. 8. *Esto igitur firmum axioma*, ait, *non aliud habendum verbum Dei, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod Lege primùm & Prophetis, dein scriptis Apostolicis continetur.* Lutherum sequitur Jo. Gerardus cum Lutheranis, Calvinum Guilielmus Amesius, & Petrus Molinæus cum Calvinistis, Lutherus verò & Calvinus secuti sunt antiquos hæreticos, *Maximum* Arianorum Episcopum, qui disputaturus cum S. Augustino dicebat : voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur : *Eutychetem*, qui huic fundamento innixus negabat duas naturas in Christo, asserens : ego à Scripturis SS. non didici de duabus naturis : *Pelagianos*, qui dicebant apud S. Augustt. l. de nat. & grat. c. 39. credamus igitur, quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adstruere.

Sciendum 2. Eundem Lutherum, cùm initio suæ defectionis urgeretur ad revocandas suas propositiones, semper provocâsse ad Scripturam sacram, & ex hac convinci superbè postulâsse; secus sibi nefas esse suam doctrinam mutare, cùm contra conscientiam suam utique non possit Evangelio contraire, addendo, quidquid extra verbum Dei, seu Scripturam S. doceretur, verba esse hominum, & erroribus obnoxia. Unde ejus asseclæ identidem, & importunè consueverunt clamare : Schrifft Schrifft / Wort GOttes Wort GOttes / Bibel Bibel / inculcare volentes, nihil audiendum, nisi in Scripturis SS. expressum.

Scien-

3. Sciendum 3. Lutheranos gloriari, Confessionis suæ doctrinam soli & puro Dei verbo inniti ; nam in præfatione dicunt : *Offerimus in hac Religionis causa nostrorum Concionatorum & nostram Confessionem, cujusmodi doctrinam ex Scripturis SS. & puro verbo Dei hactenus illi apud nos tradiderint.* In fine verò additur : *si quid in hac Confessione desiderabitur, parati sumus latiorem exhibere, Deo volente, juxta Scripturas informationem.* Præterea in plerisque articulis inter Catholicos & ipsos controversis adducuntur aliqui textus Scripturæ, quibus probati videtur Confessionis doctrina. Unde

4. Sciendum 4. Confessionistas haud dubiè necessariam auctoritatem, quam hactenus frustra conati sunt aliunde accersere, Confessioni suæ quæsituros à Scriptura S. Dicent proin fortè, Confessionem suam esse infallibile fidei symbolum, quia omnes ejus articuli ex Scriptura S. vel desumpti, vel per necessariam & claram consequentiam deducti sunt. Sed falluntur & fallunt, quod ut manifestum fiat,

Dico 1. Nullus articulus Confessionis August. qui Ecclesiæ Catholicæ adversatur, nititur puro & claro Dei verbo, seu Scripturâ S. ritè intellectâ.

5. Prob. 1. Nullus articulus, Catholicæ Ecclesiæ contrarius, nititur textu, qui indubitatè faveat doctrinæ Confessionisticæ, aut qui non debeat aliter intelligi, quàm Confessio velit : ergo nullus articulus nititur claro & puro Dei verbo. Cons. est certa ; si enim dubium est ac incertum, quid textus velit, cui Parti magis faveat, & quis ejus sensus, nihil certi indè probari potest, multò minùs, si perperam intelligatur textus. Ant. constat legenti textus illos, quibus Confessio suam doctrinam stabilire intendit, v. g. sumptionem Calicis apud laicos conatur probare ex hoc textu : *bibite ex hoc omnes.* Matth. 26. Conjugium sacerdotum ex illo Pauli : *habeat quisque uxorem suam propter fornicationem.* Item ex eo : *melius est nubere, quàm uri.* Confessionem omnium peccatorum mortalium non esse necessariam, ex illo Psalmistæ : *delicta quis intelligit ?* & ex illo Jeremiæ : *pravum est cor hominis, & inscrutabile.* Sed hi & similes textus utique non clarè & indubitatè stant pro doctrina Confessionis, imò debent explicari contra illam pro Catholicis, eò quòd ab antiqua Ecclesia non fuerint explicati juxta doctrinam Confessionis Augustanæ, sed contra illam. Accedit, quòd aliqui textus, qui allegantur, omnino non sint ad rem, uti ille Rom. 14. *Regnum DEI non est esca aut potus*, quo impugnare volunt jejunium Ecclesiasticum ; centenis enim bobus opus erit ad trahendam indè hanc consequentiam : *ergo jejunium ab Ecclesia præceptum non est servandum in discrimine ciborum.*

6. Prob. 2. Sancta Ecclesia Catholica Latina (uti de Græca suprà jam dictum est) sententiam tulit contra Confessionem August. & declaravit, eam esse contra Scripturam S. ergo non fundatur in claro Dei Verbo. Ut hoc argu-

mentum meliùs percipiatur, sciendum est 1. Concilium Tridentinum fuisse Universale & legitimum; quia intererant præter Episcopos Italiæ Episcopi Hispaniarum 31. Galliarum 26. Lusitaniæ 3. Græciæ 6. Item alij Episcopi plurimi ex Polonia, Hungaria, Anglia, & alijs Regnis & Regionibus, præsentibus etiam 29. Legatis præcipuorum Principum, & Statuum Europæ, legitimè vocati ab Universali Capite. Sciendum 2. Protestantes ad Concilium Universale, à Papa congregandum, sæpius appellâsse, eique se parituros edixisse, imò fassos fuisse, ejusmodi Concilio Universali competere jurisdictionem in omnes Ecclesias; quid enim volunt aliud illa verba Conf. Aug. art. 28. *de Jure divino hæc jurisdictio competit Episcopis, ut Episcopis, hoc est, his, quibus est commissum ministerium Verbi & Sacramentorum, remittere peccata, doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ sine vi humana, sed verbo. Hic necessariò & de jure divino debent eis Ecclesiæ præstare obedientiam juxta illud: qui vos audit, me audit.* Sciendum 3. Hoc Concilium Trid. quod non minùs est Universale ac legitimum, quàm ullum aliud in prima Ecclesia congregatum, ubi damnabantur antiqui hæretici, damnâsse doctrinam Lutheri & Confessionis Augustanæ, eámque S. Scripturæ contrariam declarâsse.

His præmissis sic prosequor cæptum argumentum: Concilio Universali, & Episcopis legitimè congregatis debent omnes Ecclesiæ (particulares) jure divino præstare obedientiam, si rejiciunt aliquam doctrinam ut Scripturæ contrariam: Concilium Trid. est Universale, ex Episcopis ritè convocatis legitimè collectum: ergo huic debent omnes Ecclesiæ particulares, consequenter & Confessio Augustana, omnésque alij Christiani tanquam subditi jure divino præstare obedientiam, quando rejicit doctrinam aliquam ut Scripturæ contrariam. Subsumo: sed Tridentinum rejicit doctrinam Confessionis Augustanæ tanquam Scripturæ contrariam: ergo Confessionistæ tenentur jure divino illi parére, eámque similiter rejicere, ut Scripturæ contrariam. Maj. est Adversariorum & Confessionis Augustanæ loc. cit. Min. patet indè, quia nihil potest ostendi, quò minùs Concilium Trid, sit Universale & legitimè convocatum. Subsumptum constabit legenti Conc. Trid. præsertim sess. 6. c. 5. 6. 7. 8. 9. ubi agitur de justificatione, quæ est præcipua Confessionis August. controversia cum Catholicis. Item can. 9. & seqq. ejusdem sessionis.

Prob. 3. de primo & capitali dogmate totius Confessionis, nempe *de sola fide justificante.* Scriptura S. nusquam monet peccatores, ut credant sibi remissa esse peccata; & ita justificentur: monet tamen, ut pœnitentiam agant, quam sequitur remissio peccatorum: sic Matth. 3. summa totius Prædicationis S. Joannis describitur fuisse hujusmodi: *pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Luc. 24. *Quoniam sic scriptum est, &*

sic

sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Rursus Sap. 24. *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Et Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vitâ vivet.* Denique Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* : ergo Scriptura non solam fidem, sed etiam pœnitentiam & detestationem peccatorum requirit ad justificationem peccatoris. Nam ulteriùs ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* 1. Cor. 13. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Luc. 7. En Magdalena justificata est, multáque illi peccata remissa fuisse, dicit Scriptura, non quia credidit multùm, sed quia dilexit multùm : ergo non sola fides, sed etiam charitas requiritur tanquam motivum Contritionis. Præterea *quid proderit fratres mei,* ait S. Jacobus c. 2. v. 14. *Si fidem quis habere se dicat, opera autem non habeat, nunquid fides eum salvare poterit ?* & v. 24. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Et v. 26. *Sicuti corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Apoc. 2. dicitur: *dabo unicuique juxta opera sua.* Et S. Paulus, quem tamen pro se potissimùm citat Confessio, 2. Cor. 5. sic ait: *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* Siquis igitur malè gessit, non juvabit sola fides, non justificabit; quippe *non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domne, intrabit in regnum Cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Matth. 7. Imò Christus ipse in die judicij damnabit illos, qui non exercuerunt bona opera; hanc enim damnationis causam allegat Matth. 25. *Esurivi enim, & non dedistis manducare &c.* quæ sententia est clarè contra sola fide contentos, & nihil boni facientes; quia in extremo judicio non instituetur tale examen contra Infideles; nam *qui non credit, jam judicatus est.* Jo. 3. Ergo ad Justificationem & salutem non sufficit sola fides, sed requiruntur etiam bona opera. Ecce quàm non faventem, sed prorsus sibi contrariam multis in locis Scripturam habeat Confessio August. circa hoc præcipuum suum dogma.

Accedit, quòd ex illo sequeretur, non esse necessarium ad justificationem ignoscere proximo, cùm tamen Christus illud expressè requirat Matth. 6. *si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Item sequeretur, non esse necessariam dilectionem proximi, cùm tamen Joannes dicat ep. 1. c. 3. *qui non diligit, manet in morte.* Neque esset necessarium observare mandata Dei; cùm tamen Christus id expressè mandet Matth. 19. *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Denique, ut alia taceam omnia, sequeretur ex hoc dogmate Confessionistarum, quòd de quovis flagitiosissimo homine, homicida, adultero, saga &c. dici possit: hic est sanctus vir, hæc est mulier sancta &c. Nam credere in Christũ, & fortiter confidere, sibi per ipsum remissa esse omnia peccata, est esse Sanctum : quid-

quid dicat S. Paulus Gal. 1. *qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Et quidquid dicat David Psal. 34. ubi interrogat, quis futurus sit Sanctus, & habitaturus in Tabernaculo Domini, & in Monte sancto Dei, sibique ita respondet: *qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* Non dicit: *qui credit tantùm.*

Audiamus nunc textus, qui Confessionistas movere poterant ad tam absurdam doctrinam, toti Ecclesiæ Catholicæ semper contrariam, amplectendam. Ipsa Confessio art. 4. citat. caput 3. & 4. Rom. sed non verba. In illis autem capitibus sequentes textus favere videntur Adversarijs. Ex c. 3. vers. 18. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Et v. 22. *Justitia Dei per fidem JESU Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.* Et v. 36. *Ipse justus & justificans eum, qui est ex fide JESU Christi.* Ex c. 4. v. 5. *Et, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam.* Et paulò ante: *credidit Abraham, & reputatum est illi ad justitiam.* In hac igitur epistola ad Rom. propemodùm unicè se fundat Cõfessio August. cui quia è diametro videtur esse opposita Epistola S. Jacobi, hanc Lutherus propriâ auctoritate expunxit ex Canone librorum Divinorum. In art. 20. allegat Confessio August. c. 2. Eph. & c. 2. Gal. *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus.* Adducit etiam ex SS. PP. S. Ambrosium, qui in 1. Cor. 1. hæc habet: *hoc institutum est à Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionẽ peccatorum.*

Pro responsione ad allatos & similes textus notandum est 1. Quòd S. Paulus ad Rom. & Gal. lucrari laboraverit tam Gentiles quàm Judæos: Gentiles putabant, ex bonis operibus, quæ faciebant, dictante lumine naturali, adeóque ex viribus proprijs, se esse justos: Judæi verò gloriantes Lege sua Ceremoniali justos se credebant ex operibus Legis Mosaicæ, v. g. ex Circumcisione, ex suis Sacrificijs, crebris Lotionibus &c. His utrisque se opposuit D. Paulus, docens, nec opera bona *Naturæ* seu *moralia* Gentilium, nec opera *ceremonialia Legis Mosaica* justificare hominem, sed necessariam esse *fidem in Christum.* Quod ipse Paulus innuit c. 2. Gal. dum ait: *scientes autem, quòd non justificatur homò ex operibus Legis, nisi per fidem JESU Christi.* Atque hoc modo pulcherrimè conciliantur epistola S. Pauli ad Rom. & epistola S. Jacobi, quod Luthero videbatur esse impossibile. Nam quando D. Paulus negat, opera justificare, intelligit opera *naturalia & ceremonialia*, seu opera *Naturæ tantùm*, & opera *Legis Mosaicæ*, sine fide & gratia Christi. Vicissim quando S. Jacobus affirmat, ad justificationem requiri opera, loquitur de operibus *fidei & gratiæ Christi*, sive quæ fiunt ex fide in Christum, & cum gratia Dei. Hoc ipsum magnus Augustinus pridem declaravit, quando l. 83. quæst. q. 76. dixit: *Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ, Pauli & Jacobi, cùm dicit unus, justificari hominem*

minem per fidem sine operibus: & alius dicit, inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt (nempe Legis Mosaicæ, ut patet ex præcedentibus, quia disputat Paulus contra Judæos, qui merito operum Legis Mosaicæ pervenire se arbitrabantur ad donum justificationis) *iste de iis, quæ fidem sequuntur: sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit.* Itaque Paulus loquitur de operibus, quæ fidem antecedunt, quæ utique nihil valent & supernaturaliter bona non sunt; cùm fides sit fundamentum ædificij spiritualis. Jacobus verò loquitur de operibus, quæ fidem sequuntur. Notandum 2. Nomen fidei, cui tribuitur justitia in SS. litteris, non esse sumendum pro fide mortua, & *purè speculativa*, seu pro mera cognitione, sed pro fide viva, hoc est, animata Charitate & bonis operibus, & pro fide *practica*, quæ adhibet media per fidem ostensa: fides enim mortua utique non vivificat, seu non justificat hominem. Atque sic explicare fidem nos cogunt alia loca Scripturæ S. quæ ad justificationem requirunt etiam opera bona. Id ipsum suadet etiam Paulus, dum Gal. 5. ait: *in Christo JESU neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides, quæ per charitatem operatur.* His notatis.

Resp. 1. Ad textus Scripturæ S. præsertim ex Epist. ad Rom. & dico, per illos vel tantùm excludi opera Naturæ, aut opera Legis Mosaicæ, facta sine gratia Christi, & fide in illum; minimè autem excludi opera, quæ fiunt ex fide in Christum & cum gratiâ supernaturali; hæc enim juxta alios Scripturæ textus æquè disponunt & requiruntur ad justificationem hominis, quàm fides: nam Scriptura non omnia ad justificationem requisita præscribit in uno vel altero loco; sed in uno præscribit v. g. fidem, in altero spem, in tertio dilectionem, in quarto remissionem injuriæ nobis illatæ, in quinto aversionem à peccato seu dolorem &c. Vel dico, per allatos textus intelligi fidem vivam & practicam, paulò antè explicatam. Resp. 2. Ad textum S. Ambrosij, & aliorum SS. PP. quos Confessionistæ pro se citant, ferè eodem modo, nimirum ab ipsis vel solùm excludi opera Naturæ, & opera Legis Mosaicæ, non autem opera profecta ex fide & gratia Christi: vel intelligi fidem vivam, practicam, spe & charitate formatam, non operibus nudam: vel denique, si dicant, quòd sola fides justificet, intelligi de sola fide Catholica, ita ut sensus sit: *Sola fides Catholica* justificat, non Arriana, non Pelagiana &c.

Neque dicas, bona opera esse quidem necessaria ad salutem, non tamen ut causas justitiæ, sed ut signa veræ fidei. Nam Scriptura S. salutem & justificationem adscribit tam bonis operibus quàm fidei, uti v. g. Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm:* sed fides est causa salutis & justificationis, ut volunt Adversarij: ergo & bona opera. Scriptura in uno loco requirit fidem, in alio dilectionem, in tertio aversionem à peccato &c. Deinde Paulus expressè dicit, quod momentaneum & leve tribulationis nostræ æter-

num gloriæ pondus *operetur* in nobis. 2. Cor. 14.

8. Dico 2. Confessioniſtæ nihil omnino poſſunt ſolidè probare ex S. Scriptura, conſequenter neque doctrinam ſuæ Confeſſionis. Hæc aſſertio jugulum petit non modò Lutheranorum, ſed & Calviniſtarum, Zwinglianorum, imò omnium, qui ab Univerſali & Catholica Eccleſia deſciſcunt, ejúsque auctoritatem infallibilem contemnunt; petit enim principium illorum, ſcilicet Scripturam S. tanquam unicum fundamentum, ex quo ſolo omne ſuum robur, & omnia argumenta depromunt. Quod fundamentum penitus evertitur, ſi probamus, eos ex Scriptura S. nihil omnino probare poſſe: quod quidem evidenter oſtendimus hoc modo. Itaque aſſertio

9. Prob. 1. Si Confeſſioniſtæ in ſuis principijs non poſſunt ſolidè & infallibiliter probare, quòd habeant veram & incorruptam Scripturam S. ſeu verum & incorruptum Dei verbum ſcriptum, tunc nihil omnino ſolidè ac infallibiliter probare poſſunt ex Scriptura S. ſed in ſuis principijs non poſſunt ſolidè & infallibiliter probare, quòd habeant veram & incorruptam Scripturam S. ergo. Maj. eſt evidens; ſi enim de ipſa Scriptura tanquam fonte ac principio non conſtat certè & infallibiliter, quomodo certò, & infallibiliter conſtabit de ijs, quæ indè probantur & deducuntur? ſi fundamentum eſt ruinoſum, quomodo ſuperſtructum ædificium ſtabit firmum? ſi objectum motivum eſt incertum, unde objectum materiale acquiret certitudinem? ſi auctoritas, cui creditur, eſt dubia, quomodo aſſenſus erit prudenter certus & infallibilis?

Igitur prob. Min. In principijs Confeſſioniſtarum illud non poteſt ſolidè & infallibiliter probari tanquam fide divina credendum, quod in SS. litteris clarè expreſſum non eſt: ſed in SS. litteris clarè non eſt expreſſum, quòd libri, quos habent pro vera Dei Scriptura, ſint vera Scriptura S. incorrupta, legitimè traducta in linguam vernaculam à ſuo Luthero &c. ergo probare non poſſunt Confeſſioniſtæ in ſuis principijs ſolidè & infallibiliter, quòd habeant veram & incorruptam Scripturam S. Unde enim ſciunt, illos libros non fuiſſe corruptos vel deſcribentium incuriâ, vel hominum ignorantiâ, vel Catholicorum malitiâ, à quibus acceperunt hos libros, & quibus graviſſimos errores impingunt circa alia fidei dogmata? vid. p. 85. ſeqq. Eandem difficultatẽ experiuntur Confeſſioniſtæ circa legitimum ſenſum S. Scripturæ; non enim ex Scriptura ſimpliciter ſumpta, ſed ex legitimo illius ſenſu dogma aliquod fidei probari poteſt ac debet. Unde

Prob. 2. Confeſſioniſtæ in ſuis principijs non poſſunt ſolidè ac infallibiliter probare, quisnam ſit genuinus & legitimus ſenſus S. Scripturæ: ergo ex hac nihil omnino ſolidè ac infallibiliter probare poſſunt. Conſ. eſt clara; ſi enim de legitimo ſenſu Scripturæ non certò conſtat, quomodo certus eſſe potero de ipſo dogmate, quod indè probo? Ant. facilè prob. Confeſſioniſtæ, & quicunque infallibilem Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem ac traditiones, ſeu verbum DEI non ſcriptum,

repudiant, non possunt aliunde probare, hunc & non alium esse legitimum sensum S. Scripturæ, v. g. illorum verborum, *hoc est corpus meum*, quàm vel ex S. Scriptura, si suis principijs velint insistere, vel si declinare malint, ex Magistratu suo Politico, vel Ecclesia sua particulari, vel ex spiritu privato: sed ex istis omnibus genuinum Scripturæ sensum solidè & infallibiliter probare non possunt: ergo. Maj. est in confesso. Min. ostenditur; nam imprimis Scriptura se ipsam non explicat, & illa verba, *hoc est corpus meum*, si centies interrogentur, non dicent, quomodo intelligenda sint, an in sensu Catholicorum, aut Calvinistarum, aut Lutheranorum. Scriptura Lex est: non Judex: Lex non interpretatur & explicat se ipsam. Ecclesia autem particularis, Magistratus Politicus, & multò magis spiritus cujusvis privatus, sunt fallibiles; quia juxta principia Confessionistarum omnis homo mendax & fallibilis, imò juxta ipsos Universalis Ecclesia fallibilis est: quomodo igitur Particularis, qualem suam esse sæpius fassi sunt, aut Magistratus politicus, ad quem res fidei omnino non pertinent, aut privatorum hominum spiritus, infallibilitatem sibi promittant? ergo ex istis omnibus solidè ac infallibiliter probari non potest genuinus Scripturæ sensus. Vid. p. 106.

61. Dices 1. Licèt prædicta probari non possint à Confessionistis immediatè ex ipsa Scriptura, possunt tamen probari mediatè per legitimas consequentias indè deductas: ergo. Resp. 1. N. Ant. per quam enim consequentiam clarè ex Scriptura deductam probant, potiùs Evangelium S. Matthæi esse verum Evangelium, quàm Evangelium S. Thomæ, aut S. Bartholomæi? per quam consequentiam clarè ex Scripturis deductam probant, Versionem Bibliorum Lutheri esse integram? 2. Nullibi scriptum est, neque per claram consequentiam deducitur ex SS. litteris, quòd etiam consequentiæ ab humano intellectu deductæ sint verbum Dei, & articulus fidei. Si dicas: hoc ratio dictat; ego repono: aliud est ratio, quæ juxta te in omnibus hominibus est fallax, aliud est Verbum Dei, quod fallere non potest. 3. Nullibi est in Scriptura clarè expressum, nec per consequentiam claram deducitur, quòd illæ consequentiæ, quas faciunt Confessionistæ, sint legitimæ. 4. Quòd aliqua consequentia sit legitima, debeo scire ex Logica, sed utique Logica non est verbum Dei & Scriptura S.

62. Dices 2. Multos Confessionistas admittere traditionem & auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ circa Scripturam S. & dicere, quòd ex ea sola constet, quinam libri sint verè divini & incorrupta Scriptura S. ergo. R. Scio, aliquos hoc admisisse, præsertim in Colloquio Ratisbonensi, nostrorum argumentorum vi adactos, sed inconsequenter & contra sua principia. Deinde si semel admittenda est traditio & auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, mox redit difficultas de legitimo sensu Scripturæ; si enim in una traditione custodienda infallibilis est Ecclesia, cur non etiam in alijs? si in statuendo Canone & Catalogo librorum divinorum necessariò attenditur traditio & auctoritas Ecclesiæ Catholi-

cæ, cur non etiam necessariò attendenda sit in explicando legitimo sensu Scripturæ S. cùm æquè parùm de hoc, quàm de Canone, aliunde infallibiliter constare possit? Sic autem totam causam lucrati sumus: quidquid enim contra nos ex Scriptura afferent Confessionistæ v. g. circa Purgatorium, circa bona opera, circa fidem &c. semper intelligendum erit juxta sensum & interpretationem Ecclesiæ Catholicæ: atque sic in omnibus articulis nobiscum convenire debebunt; nos quippe sumus in vera & Catholica Ecclesia, ut probavimus art. 7. ex ipsa Confessione Augustana, p. 724. & alibi.

13. Dices 3. Ex Huttero pag. 39. Irenici. Confessio Augustana ejúsque libri symbolici non sunt fide divina credendi, nisi sub conditione, quòd cùm S. Scriptura concordent: ergo Confessionistæ credendo Confessioni credunt Scripturæ S. Resp. 1. Ant. prorsus esse absurdum; sic enim Alcoranus etiam, & Thalmud credi possunt, quia habent saltem aliqua, quæ S. Scripturæ consentiunt. Resp. 2. N. Conf. vel Dist. Conf. Credunt fide conditionata, transf. Conf. fide absolutâ, firmissimâ, certissimâ quoad ipsos credentes, & indubitatâ. N. Conf. Posterius autem requiritur ad fidem divinam saltem quoad illos articulos, qui explicitè credendi sunt. Resp. 3. Hoc modo remittuntur libri symbolici ad cujusvis hominis privati judicium, quod in rebus divinis prorsus periculosum & iniquum est, imò seminarium omnis discordiæ & hæreseos; nam sub hoc prætextu quilibet potest sibi novem fidem cudere.

Ex dictis colliges 1. Nullam prorsus auctoritatem in Confessionem Augustanam derivari à Scriptura S. tum quia nullus articulus, Catholicis contrarius, clarè & indubitatè ex illa probatur, tum quia Confessionistis nec de ipsa Scriptura, nec de ejus Versione incorrupta, nec de legitimo illius sensu certè & infallibiliter constat. 14.

Colliges 2. Analysin seu resolutionem fidei ultimam apud Confessionistas desinere in motivum humanum, adeóque ipsorum fidem nonnisi humanam esse, & consequenter nullam. Interroga enim Confessionistam, quare credat? dicet, quia Scriptura S. hoc vel illud dicit: quære iterum, quare credat, verum esse id, quod Scriptura dicit? reponet; quia Scriptura est Verbum Dei, fallere & falli nescientis: insta, quare credat, hanc Scripturam esse Verbum Dei incorruptum, vel hunc esse sensum Scripturæ à Deo intentum? Hic necessariò pro motivo formali dabit aliquid solùm humanum, quia traditiones & auctoritatem Ecclesiæ non agnoscit pro Verbo Dei. Dicet itaque fortassis, Scripturam luce sua & divina indole natales suos prodere & seipsam explicare: atcur hanc lucem potiùs in Alcorano suo Turca, aut in Thalmud Judæus conspicit, quàm in nostra Scriptura? aut si Christianis solummodo patet hæc lux, cur in ijsdem libris eam non æqualiter vident Catholici, Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ &c. cùm omnes investigent, omnes 15.

sines orent? Reponet fortè, id se credere, quia ab interno & privato spiritu id addiscit; sed unde constat ipsi, suum spiritum privatum non falli? cur alios sibi potiùs vult credere, quàm ipse illis, cùm & isti se à Spiritu S. regi asserant? Fortè ad Doctores suos vel ad Magistratum Politicum confugiet; sed & isti homines sunt, adeóque fallibiles, nec probare sufficienter possunt, se à Deo dirigi, præsertim in ijs rebus, in quibus contradicitur Universali & antiquæ Ecclesiæ.

16. Colliges 3. Modum te fortiter *defendendi* contra Lutheranos, Calvinistas, & alios Sectarios, eósque ita constringendi, ut nulla ratione contra te quidquam efficere possint. Si igitur fortè contingat te impugnari ab uno ex ipsis, id facere debebit Adversarius tuus ex sola Scriptura S. nam aliud Verbum Dei non admittit nisi scriptum, & *nihil credendum* asserit, *nisi scriptum in SS. litteris.* Ex Scriptura S. itaque te impugnabit, & quidem in linquam vulgarem translatâ juxta mentem Lutheri, vel Calvini &c. vel juxta propriam. Hoc si fiat, tutò illi negabis ipsam Scripturam, versionem, textûs puritatem, interpretationem & sensum: pete ab ipso, ut tibi hæc omnia probet ex sola Scriptura (nam nihil credendum, nisi in Scriptura expressum) & videbis, quòd hæreat constrictus, & quasi fascinatus; hæc enim non nisi ad Græcas calendas probabit ex Scriptura sola. Adeóque tua est victoria, tua fides antiqua persistet illæsa; nam *actore non probante reus absolvitur, etiamsi nihil præstiterit*, arg. *Cap. accedentibus de Privilegijs, & Cod. de Calumniatoribus Leg.* 8. 9. 10. Ità & tua fides accusata, non autem convicta, manet inconcussa, & in possessione veritatis, etiamsi tu nihil præstiteris positivè.

17. Colliges 4. Modum efficaciter *impugnandi* Adversarios ex Scriptura S. *& aggressivè*, seu *offensivè*, ut ita loquar, te gerendi, si id tibi placuerit. Nunquam enim tenéris sustinere partes Argumentantis, sed solùm Defendentis, seu *defensivè* te gerendi, cùm sis in possessione, vel potiùs quasi possessione veræ fidei, veræ Ecclesiæ; de quo defensivè agendi modo dictum est n. præcedente. Si igitur placet Sectarium aggredi positivè, & citò sternere, accipe aliquod Mysterium, quod Adversarius tuus credit, v. g. S. Matthæi Evangelium, Trinitatem Personarum, Divinitatem Christi, Baptismum parvulorum &c. quæ Mysteria Adversarius tuus nunquam probabit sufficienter ex sola Scriptura contra Judæos, Sabellianos, Arrianos, & Anabaptistas. Hoc posito sic argue: illa fides est falsa, quæ tenet articulum falsum: sed fides Lutheranorum &c. tenet aliquem articulum falsum: ergo fides Lutheranorum est falsa. Min. prob. Fides Lutheranorum pro articulo, imò pro fundamento fidei habet, quòd *nihil sit credendum, nisi clarè & particulatim expressum sit in S. Scriptura*: sed hoc est falsum: ergo. Min. iterum prob. prædicta Mysteria (v. g. Evangelium S. Matthæi esse librum divinũ &c.) non clarè, particulatim, & determinatè continentur expressa in Scriptura S. ergo iste articulus, qui dicit,

cit, *nihil credendum, nisi clarè, & particulatim expressum in Scriptura S.* est falsus. Nec video, qua ratione, salvis suis principijs, effugium invenire queat Adversariorum calliditas: adeóque retibus suis constricta victorem te, non quidem venerabitur, sed criminabitur, responsis in convitia versis.

CONCLUSIO.

TE jam compello, & ad conscientiam tuam provoco, Confessionista, quisquis es rerum intelligens, ac æternæ salutis amans, edicito, utrùm ex allatis capitibus seorsim aut simul sumptis, tibi appareat sufficiens motivum, propter quod prudenter tibi imperare possis assensum fidei Divinæ firmissimum, certissimum, indubitatum circa doctrinam Confessionis Augustanæ. Certè moveri non potes 1. Auctoritate Lutheri, quia vir erat vitæ & doctrinæ pessimæ. 2. Non auctoritate Caroli V. quia is Confessionem Augustanam reprobavit. 3. Non auctoritate Libri Concordiæ, quia iste non modò repletus est erroribus & mendacijs, sed etiam in multis deficit à Confessione Augustana. 4. Non auctoritate totius Ecclesiæ Lutheranæ, quia hæc evidenter est falsa Ecclesia. 5. Non auctoritate Ecclesiæ Græcæ, quia ista ferè ubique contradixit Confessioni, præterquam quòd ipsámet sit falsa & schismatica Ecclesia. 6. Non defectione Ecclesiæ Romanæ recentioris, quia hæc non minùs perstitit integra & incorrupta, quàm fuerit antiqua. 7. Non auctoritate Ecclesiæ Romanæ antiquæ, quia ista in articulis, nos inter & Confessionistas controversis, sentit ubique nobiscum contra Adversarios. 8. Non bonitate ipsius doctrinæ, quam continet, quia illa nec Sancta, nec Evangelica est. 9. Non constantiâ ipsius Confessionis, quia innumeras mutationes & corruptiones subijt, & vix unquam invariata exstitit apud suos. 10. Non miraculosa propagatione, quia nihil habet prodigij, si homo, voluptatis & libertatis avidus, currere incipiat secundùm concupiscentias suas, remoto timore Domini; si laxatis cupiditatum frænis impunè & circa ullum salutis periculum indulgere genio sinatur, & viam latam incedere dissolutis moribus, modò interim credatur &c. 11. Non denique moveri potes auctoritate Scripturæ, quia, præterquam quòd nullum Confessionis suæ dogma claro textu Scripturæ stabilire possint Confessionistæ, insuper fateri debent, à se nihil omnino ex Scripturis probari posse.

Adduxi ego memoratos 11. fontes, studiò conquisitos, núm fortè vel ex singulis, vel ex omnibus, vel ex quibusdam eorum, saltem quoad *speciem & apparentiam* argumenta desumi, & Confessioni Augustanæ aliqua auctoritas conciliari possit à Confessionistis, ut utcunque prudentem & firmum assensum ex merito motivi ei præstare queant: sed planè demonstratum

stratum hactenus fuisse existimo, ex ijs, sive seorsim sive simul sumptis, non modò sufficientem auctoritatem non conciliari Augustanæ Confessioni, ita ut fide divina credi possint illius dogmata, sed multò magis opprobrium & confusionem. Plures fontes ego non reperi, fortè nec tu reperies, ex quibus vel *apparenter* tantùm credibilis fiat fide divinâ Confessionis Augustanæ doctrina. Vide igitur, quid agas, quid tibi in re tanti momenti, ex qua pendet tota æternitas, animæque salus vel interitus, agendum, quid statuendum.

Ut autem Lector Catholicus ampliorem acquirat notitiam Augustanæ Confessionis, apponere placuit genuinum illius textum, qui sequitur.

FORMULA
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS,
PROUT OBLATA FUIT
CAROLO V.
IN
COMITIIS AUGUSTÆ
ANNO 1530.

ARTICULI FIDEI PRÆCIPUI.

I.
De Unitate essentiæ.

ECclesiæ magno Consensu apud nos docent, Decretum Nicenæ Synodi, de unitate essentiæ divinæ, & de tribus personis verum & sine ulla dubitatione credendum esse. Videlicet quòd sit una essentia divina, quæ appellatur & est Deus æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator & conservator omnium rerum, visibilium & invisibilium, & tamen tres sint personæ, ejusdem essentiæ, & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Et nomine personæ utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa Scriptores Ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod propriè subsistit. Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas; ut Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonum & Malum, item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas, & omnes eorum similes. Damnant & Samosatenos, veteres & neotericos, qui cùm tantùm unam personam esse contendant, de Verbo & spiritu sancto astutè & impiè rhetoricantur, quòd non sint personæ distinctæ, sed quòd Verbum significet verbum vocale, & Spiritus motum in rebus creatum.

II.

II.

De peccato seu vitio Originis.

ITem docent, quòd post lapsum Adæ omnes homines, secundùm naturam propagati, nascantur in peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia, quódque hic morbus seu vitium originis verè sit peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem his, qui non renascuntur per baptismum & Spiritum sanctum. Damnant Pelagianos, & alios, qui vitium Originis negant esse peccatum, & ut ita extenuent gloriam meriti, & beneficiorum Christi, disputant hominem proprijs viribus rationis coram Deo justificari posse.

III.

De Incarnatione Verbi.

ITem docent, quòd Verbum, hoc est, filius Dei, assumpserit humanam naturam in utero beatæ Mariæ Virginis, ut sint duæ naturæ, divina & humana, in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus verè Deus, & verè homo, natus ex Virgine Maria, verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset non tantùm pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad inferna, & verè resurrexit à mortuis tertia die, deinde ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dexteram patris, & perpetuò regnet & dominetur in omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in eorum corda Spiritu sancto, qui regat, consoletur, & vivificet eos, ac defendat adversus diabolum, & vim peccati. Idem Christus est palàm rediturus, ut judicet vivos & mortuos &c. juxta symbolum Apostolorum.

IV.

De Justificatione hominum.

ITem docent, quod homines non possint justificari coram Deo proprijs viribus, meritis, aut operibus, sed gratis justificentur propter Christum per fidem, cùm credunt, se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro justitia coram ipso, Rom. 3. & 4.

V.

De Ministerio Evangelij.

VT hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi Evangelij & porrigendi Sacramenta. Nam per Verbum & Sacramenta tanquam per instrumenta donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est Deo in his, qui audiunt Evangelium, scilicet quòd Deus non propter nostra merita, sed propter

Christum justificet hos, qui credunt, se propter Christum in gratiam recipi, ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Damnant Anabaptistas & alios, qui sentiunt, Spiritum sanctum contingere sine verbo externo hominibus per ipsorum præparationes & opera.

VI.
De bonis operibus.

ITem docent, quòd fides illa debeat bonos fructus párere, & quòd oporteat bona opera mandata à Deo facere, propter voluntatem Dei, non, ut confidamus per bona opera justificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum & justificatio fide apprehenditur, sicut testatur & vox Christi, cùm feceritis hæc omnia, dicite: serui inutiles sumus. Idem docent & veteres Scriptores Ecclesiastici. Ambrosius enim inquit: Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.

VII.
De Ecclesia.

ITem docent, quòd una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio Sanctorum, in qua Evangelium purè docetur, & rectè administrantur Sacramenta. Et ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelij & administratione Sacramentorum. Nec necesse est ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus & Ceremonias ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus: Una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium.

VIII.
De Sacramentorum administratione.

QUanquam Ecclesia propriè sit congregatio sanctorum & verè credentium, tamen cùm in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sint, licet uti Sacramentis, quæ per malos administrantur juxta vocem Christi: sedent Scribæ & Pharisæi in Cathedra Moysi &c. Et Sacramenta & Verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur. Damnant Donatistas & similes, qui negabant uti licere ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant, ministerium malorum inutile & inefficax esse.

IX.
De Baptismo.

DE Baptismo docent, quòd necessarius sit ad salutem, quódque per Baptismum offeratur gratia Dei, & quòd pueri sint baptizandi, qui per Baptismum oblati Deo recipiuntur in gratiam Dei. Damnant Anabaptistas, qui improbant baptismum puerorum, & affirmant, sine baptismo pueros salvos fieri.

L

X.

De Cœna Domini.

DE Cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Domini verè adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini; & improbant secus docentes.

XI.

De Confessione.

DE Confessione docent, quòd Absolutio privata in Ecclesiis retinenda sit, quanquam in Confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio. Est enim impossibilis juxta Psalmum; Delicta quis intelligit?

XII.

De Pœnitentia.

DE Pœnitentia docent, quòd lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocunque tempore, cùm convertuntur. Et quòd Ecclesia talibus redeuntibus ad pœnitentiam debeat absolutionem impertiri. Constat autem pœnitentia propriè his duabus partibus: Altera est contritio, seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato: Altera fides, quæ concipitur ex Evangelio seu Absolutione, & credit, propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ. Damnant Anabaptistas, qui negant, semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum. Item qui contendunt, quibusdam tantam in hac vita perfectionem contingere, ut peccare non possint. Damnantur & Novatiani, qui nolebant absolvere lapsos post Baptismum redeuntes ad pœnitentiam. Reijciuntur & isti, qui non docent, remissionem peccatorum per fidem contingere, sed jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.

XIII.

De Usu Sacramentorum.

DE Usu Sacramentorum docent, quòd Sacramenta instituta sint, non modò ut sint notæ professionis inter homines, sed magis ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita. Itaque utendum est Sacramentis ita, ut fides accedat, quæ credit promissionibus. Damnant igitur illos, qui docent, quòd Sacramenta ex opere operato justificent.

XIIII.

De Ordine Ecclesiastico.

DE Ordine Ecclesiastico docent, quòd nemo debeat in Ecclesia publicè docere aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus.

XV.

De ritibus Ecclesiæ.

DE ritibus Ecclesiasticis docent, quòd ritus illi servandi sunt, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa & similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiæ onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit. Admonentur etiam, quòd traditiones humanæ institutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & ad satisfaciendum pro peccatis, adversentur Evangelio & doctrinæ fidei. Quare vota & traditiones de cibis & diebus institutæ ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis inutiles sunt & contra Evangelium.

XVI.

De rebus Civilibus.

DE rebus civilibus docent, quòd legitimæ ordinationes civiles sunt bona opera Dei, quòd Christianis liceat gerere Magistratus, exercere judicia, judicare res ex Imperatorijs, & alijs præsentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, jurare postulantibus Magistratibus, ducere uxorem, nubere. Damnant Anabaptistas, qui interdicunt hæc civilia officia Christianis. Damnant etiam illos, qui Evangelicam perfectionem non collocant in Timore Dei & Fide, sed in deferendis civilibus officijs, quia Evangelium tradit Justitiam æternam cordis. Interim non dissipat Politiam & Oeconomiam, sed maximè postulat conservare tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere caritatem. Itaque necessariò debent Christiani obedire Magistratibus suis & legibus. Nisi cùm jubent peccare, tunc enim debent magis obedire Deo quàm hominibus. Act. 5.

XVII.

De Judicio Dei.

ITem docent, quòd Christus apparebit in consummatione Mundi ad judicandum, & mortuos omnes resuscitabit, pijs & electis dabit vitam æternam, & perpetua gaudia, impios autem homines, ac diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur. Damnant Anabaptistas, qui sentiunt, hominibus damnatis ac diabolis finem pœnarum futurum esse. Damnant & alios, qui nunc spargunt Judaicas opiniones, quòd ante resurrectionem mortuorum pij regnum mundi occupaturi sint, ubique oppressis impijs.

XVIII.

De libero arbitrio.

DE libero arbitrio docent, quòd humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & deligendas res rationi subjectas. Sed non habet vim sine Spiritu sancto efficiendæ justitiæ Dei, seu justitiæ spiritualis, quia ani-

malis homo non percipites, quæ sunt Spiritus Dei; sed hæc fit in cordibus, cùm per verbum Spiritus concipitur. Hæc totidem verbis dicit Augustinus lib. 3. Hypognosticon. Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum in his, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certè peragere, sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, velle uxorem ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle, quicquid bonum ad præsentem pertinet vitam. Quæ omnia non sine divino gubernaculo subsistunt, imò ex ipso & per ipsum sunt, & esse cœperunt. Malis verò dico, ut est velle Idolum colere, velle homicidium &c.

XIX.

De Causa peccati.

De causa peccati docent, quòd tametsi Deus creat & conservat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet diaboli & impiorum, quæ non adjuvante Deo, avertit se à Deo, sicut Christus ait Joan. 8. Cùm loquitur mendacium, ex seipso loquitur.

XX.

De fide & bonis operibus.

FAlsò accusantur nostri, quòd bona opera prohibeant. Nam scripta eorum, quæ extant de decem præceptis, & alia simili argumento testantur, quòd utiliter docuerint de omnibus vitæ generibus & officijs, quæ genera vitæ, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant. De quibus rebus olim parùm docebant Concionatores, tantùm puerilia & non necessaria opera urgebant, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, rosaria, monachatum, & similia. Hæc adversarij nostri jam admoniti dediscunt, nec perinde prædicant hæc inutilia opera, ut olim. Incipiunt etiam fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Docent, nos non tantùm operibus justificari, sed conjungunt fidem & opera, & dicunt, nos fide & operibus justificari. Quæ doctrina tolerabilior est priore, & potest plus afferre consolationis, quàm vetus ipsorum doctrina. Cùm igitur doctrina de fide, quam oportet in Ecclesia præcipuam esse, tam diu jacuerit ignota, quemadmodum omnes fateri necesse est, de fidei justitia altissimum fuisse silentium in concionibus, tantùm doctrinam operum versatam esse in Ecclesijs, nostri de fide sic admonuerunt Ecclesias. Principiò, quòd opera nostra non possint reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum & gratiam, sed hanc tantùm fide consequimur, credentes, quòd propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator & propitiatorium, per quem reconcilietur Pater. Itaque qui confidit operibus, se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum & gratiam, & quærit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, cùm Christus de se dixerit: Ego sum via, veritas, & vita. Hæc doctrina fidei ubique in Paulo tractatur. Ephes. 2. Gal. 2. Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus &c. Et ne quis videatur cavillari posse, à nobis novam Pauli inter-

pretationem excogitari, tota hæc causa habet testimonia Patrum. Nam Augustinus multis voluminibus defendit gratiam & justitiam fidei contra merita operum. Et similia docet Ambrosius de vocatione Gentium, & alibi. Sic enim inquit de vocatione Gentium: Vilesceret redemptio Sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogativa succumberet, si justificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis. Quanquam autem hæc doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur piæ & pavidæ conscientiæ, plurimum eam consolationis afferre, quia conscientiæ non possunt reddi tranquillæ per ulla bona opera, sed tantùm fide, cùm certò statuunt, quòd propter Christum habent placatum Deum. Quemadmodum Paulus docet Rom. 5. Justificati per fidem, pacem habemus apud Deum. Tota hæc doctrina ad illud certamen perterrefactæ conscientiæ referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest. Quare malè judicant de ea re imperiti, & profani, qui Christianam justitiam nihil esse somniant, nisi civilem & philosophicam justitiam. Olim vexabantur conscientiæ doctrina operum, non audiebant ex Evangelio consolationem. Quosdam conscientia expulit in desertum, in Monasteria, sperantes se ibi gratiam meituros esse per vitam monasticam. Alij alia excogitaverunt opera, ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis. Ideo magnopere fuit opus, doctrinam hanc de fide in Christum tradere, & renovare, ne deesset consolatio pavidis conscientijs, sed scirent, fide in Christum apprehendi gratiam & remissionem peccatorum. Admonentur etiam homines, quòd hîc nomen fidei non significet tantùm historiæ notitiam, qualis est in impijs & diabolo, sed significat fidem, quæ credit non tantùm historiam, sed etiam effectum historiæ, hunc videlicet articulum, Remissionem peccatorum, quòd videlicet per Christum habeamus gratiam, justitiam, & remissionem peccatorum. Jam qui scit, se per Christum habere propitium Patrem, is verè novit Deum, scit se ei curæ esse, invocat Deum. Denique non est sine Deo sicut Gentes. Nam diaboli & impij non possunt hunc articulum credere, Remissionem peccatorum. Ideo Deum tanquam hostem oderunt, non invocant eum, nihil boni ab eo expectant. Augustinus etiam de fidei nomine hoc modo admonet lectorem, & docet, in scripturis nomen fidei accipi, non pro notitia, qualis est in impijs, sed pro fiducia, quæ consolatur & erigit perterrefactas mentes. Præterea docent nostri, quòd necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantùm fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, jam corde renovantur, & inducunt novos affectus, ut bona opera parere possint. Sic enim Ambrosius ait: Fides bonæ voluntatis, & justæ actionis genitrix est. Nam humanæ vires, sine Spiritu sancto, plenæ sunt impijs affectibus, & sunt imbecilliores, quàm ut possint bona opera efficere coram Deo. Ad hæc sunt in potestate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera. Quemadmodum est videre in Philosophis, qui & ipsi conati honestè vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cùm est sine fide & Spiritu sancto, sed tantùm humanis viribus se gubernat. Hinc facilè apparet, doctrinam hanc non esse accusandam, quòd bona opera prohibeat, sed multò magis laudandam, quòd ostendat, quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi præcepti opera facere. Sine fide non invocat Deum, nihil à Deo expectat, non tolerat crucem, sed quærit humana præsidia, confidit humanis præsidijs. Ira in corde regnant omnes cupiditates, & humana consilia, cùm abest fides & fiducia erga Deum. Quare & Christus inquit: sine me nihil potestis facere, Joan. 15. Et Ecclesia canit: sine tuo Numine, nihil est in homine, nihil est innocuum.

XXI.

XXI.

De Cultu Sanctorum.

DE cultu Sanctorum docent, quòd memoria Sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta vocationem. Ut Cæsar imitari potest exemplum David in bello gerendo ad depellendos Turcas à patria. Nam uterque Rex est. Sed Scriptura non docet invocare Sanctos, aut petere auxilium à Sanctis. Quia unum Christum proponit nobis mediatorem, propitiatorem, Pontificem, & intercessorem. Hic invocandus est, & promisit se exauditurum esse preces nostras, & hunc cultum maximè probat, videlicet ut invocetur in omnibus afflictionibus. 1. Joan. 2. Si quis peccat, habemus advocatum apud Deum.

Hæc ferè summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil esse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus nobis ex Scriptoribus nota est. Quod cùm ita sit, inclementer judicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Tota dissensio est de paucis quibusdam abusibus, qui sine certa authoritate in Ecclesias irrepserunt, in quibus etiam siqua esset dissimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Episcopos, ut propter Confessionem, quam modò recensuimus, tolerarent nostros, quia ne Canones quidem tam duri sunt, ut eosdem ritus ubique esse postulent. Neque similes unquam omnium Ecclesiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus serventur. Falsa enim calumnia est, quòd omnes ceremoniæ, omnia vetera instituta in Ecclesijs nostris aboleantur. Verùm publica querela fuit, abusus quosdam in vulgaribus rebus hærere. Hi quia non poterant bona conscientia probari, aliqua ex parte correcti sunt.

ARTICULI,

In quibus recensentur abusus mutati.

I.

De utraque Specie.

CUm Ecclesiæ apud nos de nullo fidei articulo dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantùm paucos quosdam abusus omittant, qui novi sunt, & contra voluntatem Canonum vitio temporum recepti, rogamus, ut Cæsarea Majestas clementer audiat, & quid sit mutatum, & quæ fuerint causæ, quòminùs coactus sit populus illos abusus contra conscientiam observare. Nec habeat fidem Cæsarea Majestas istis, qui, ut inflamment odia hominum adversùs nostros, miras calumnias spargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bonorum virorum initio præbuerunt occasionem huic dissidio, & eadem arte conantur nunc augere discordias. Nam Cæsarea Majestas haud dubiè comperiet, tolerabiliorem esse formam, & doctrinæ & ceremoniarum apud nos, quàm qualem homines iniqui & malevoli describunt. Neque veritas ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi potest. Facilè autem hoc judicari potest, nihil magis prodesse ad dignitatem ceremoniarum conservandam, & alendam reveren-

tiam ac pietatem in populo, quàm si ceremoniæ ritè fiant in Ecclesijs.

Laicis datur utraque species Sacramenti in Cœna Domini, quia hic mos habet mandatum Domini Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. Ubi manifestè præcepit Christus, de poculo ut omnes bibant, & ne quis cavillari possit, quòd hoc ad Sacerdotes tantùm pertineat, Paulus ad Corinth. exemplum recitat, in quo apparet, totam Ecclesiam utraque specie usam esse. Et diu mansit hic mos in Ecclesia, nec constat, quando aut quo autore primùm mutatus sit, tametsi Cardinalis Cusanus recitet, quando sit approbatus. Cyprianus testatur, aliquot locis sanguinem populo datum esse. Item testatur Hieronymus, qui ait, Sacerdotes Eucharistiam ministrant, & sanguinem Christi populis dividunt. Imò Gelasius Papa mandat, ne dividatur Sacramentum, Dist. 2. de Consecratione, Cap. Comperimus. Tantùm consuetudo non ita vetus aliud habet. Constat autem, quòd consuetudo, contra mandata Dei introducta, non sit probanda, ut testatur Canon. Dist. 8. Cap. Veritate, cum sequentibus. Hæc verò consuetudo non solùm contra Scripturam, sed etiam contra veteres Canones & exemplum Ecclesiæ recepta est. Quare si qui maluerunt utraque specie sacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum offensione conscientiæ.

Et quia divisio Sacramenti non convenit cum institutione Christi, solet apud nos omitti processio, quæ hactenus fieri solita est

II.

De Conjugio Sacerdotum.

PUblica querela fuit de exemplis Sacerdotum, qui non continebant. Quam ob causam & Pius Papa dixisse fertur, fuisse aliquas causas, cur sit ademptum Sacerdotibus conjugium, sed multò majores esse causas, cur reddi debeat. Sic enim scribit Platina. Cùm igitur Sacerdotes apud nos publica illa scandala vitare vellent, duxerunt uxores, & docuerunt, quòd liceat ipsis contrahere matrimonium. Primùm quia Paulus dicit: Habeat unusquisque uxorem suam propter fornicationem. Item: Melius est nubere quàm uri. Secundò Christus inquit: Non omnes capiunt verbum hoc. Ubi docet, non omnes homines ad cœlibatum idoneos esse, quia Deus creavit hominem ad procreationem, Gen. 1. Nec est humanæ potestatis, sine singulari dono & opere Dei creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad cœlibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei, & ordinationem Dei, nulla lex humana, nullum votum tollere potest. Ex his causis docent Sacerdotes, sibi licuisse uxores ducere. Constat etiam, in Ecclesia veteri Sacerdotes fuisse maritos. Nam & Paulus ait, Episcopum eligendum esse, qui sit maritus. Et in Germania primùm ante annos quadringentos Sacerdotes vi cogi sunt ad cœlibatum, qui quidem adeò adversati sunt, ut Archiepiscopus Moguntinus, publicaturus edictum Rom. Pontificis eâ de re, pene ab iratis Sacerdotibus per tumultum sit oppressus. Et res gesta est tam inciviliter, ut non solùm imposterum conjugia prohiberentur, sed etiam præsentia contra omnia jura divina & humana, contra etiam ipsos Canones, factos non solùm à Pontificibus, sed à laudatissimis Synodis, distraherentur.

Et cùm, senescente mundo, paulatim humana natura fiat imbecillior, convenit prospicere, ne plura vitia serpant in Germaniam. Porro Deus instituit conjugium, ut esset remedium humanæ infirmitatis. Ipsi Canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus propter imbecillitatem hominum laxandum esse dicunt, quod optandum est, ut fiat & in hoc negocio. Videntur enim Ecclesijs aliquando defutura pastores, si diutiùs prohibeatur conjugium.

Cùm

Cùm autem extet mandatum Dei, cùm mos Ecclesiæ sit notus, cùm impurus cœlibatus plurima pariat scandala, adulteria, & alia scelera digna animadversione boni magistratus: tamen mirum est, nulla in re majorem exerceri sevitiam quàm adversus conjugium Sacerdotum. Deus præcipit honore afficere conjugium, Leges in omnibus Rebuspublicis, bene constitutis, etiam apud Ethnicos maximis honoribus ornaverunt. At nunc capitalibus pœnis excruciantur Sacerdotes, & quidem contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter conjugium. Paulus vocat doctrinam dæmoniorum, quæ prohibet conjugium, 1. Timoth 4. Id facilè nunc intelligi potest, cùm talibus supplicijs prohibitio conjugij defenditur.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, ut mulieres nubant, quæ non servant promissam castitatem. Verba ejus sunt hæc lib. 1. Epistolarum ep. 11. Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est, ut nubant, quàm ut in ignem delicijs suis cadant, certè nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Et æquitate quadam utuntur Canones erga hos, qui ante justam ætatem voverunt, quemodo ferè hactenus fieri consuevit.

III.

De Missa.

FAlsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Servantur & usitatæ ceremoniæ ferè omnes, præterquam quòd Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Nam ad hoc præcipuè opus est ceremonijs, ut doceant imperitos. Et Paulus præcipit in Ecclesia uti lingua intellecta populo.

Assuescit populus, ut unà utantur Sacramento, si qui sint idonei, id quoque auget reverentiam ac religionem publicarum cæremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi antea explorati, atque auditi. Admonentur etiam homines de dignitate & usu Sacramenti, quantam consolationem afferat pavidis conscientijs, ut discant Deo credere, & omnia bona à Deo expectare & petere. Hic cultus delectat Deum, talis usus Sacramenti alit pietatem erga Deum. Itaque non videntur apud adversarios Missæ majore religione fieri, quàm apud nos.

Constat autem, hanc publicam & longè maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuisse, quòd Missæ turpiter profanarentur, collatæ ad quæstum. Neque enim obscurum est, quàm latè pateat hic abusus in omnibus templis, à qualibus celebrentur Missæ, tantùm propter mercedem & stipendium, quàm multi contra interdictum Canonum celebrent. Paulus autem graviter minatur his, qui indignè tractant Evchariſtiam, cùm ait. Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Itaque cùm apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, desierunt apud nos privatæ Missæ, cùm ferè nullæ privatæ Missæ nisi quæstûs causa fierent.

Neque ignoraverunt hos abusus Episcopi, qui si correxissent eos in tempore, minus nunc esset dissensionum. Antea sua dissimulatione multa vitia passi sunt in Ecclesiam serpere. Nunc verò incipiunt queri de calamitatibus Ecclesiæ, cùm hic tumultus non aliunde sumpserit occasionem, quàm ex illis abusibus, qui tam manifesti erant, ut tolerari ampliùs non possent. Magnæ dissensiones de Missa, de Sacramento extiterunt. Fortassis ideo, ut daret pœnas Orbis tam longæ profanationis Missarum, quam in Eccle-

sia tot seculis toleraverunt isti, qui emendare & poterant & debebant. Nam in Decalogo scriptum est. Qui nomine Dei abutitur, non erit impunitus. Et ab initio mundi nulla res divina ita videtur unquam ad quæstum collata fuisse, ut Missa.

Accessit opinio, quæ auxit privatas Missas in infinitum, videlicet quòd Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus. Hinc manavit publica opinio, quòd Missa sit opus delens peccata vivorum & mortuorum ex opere operato. Hic cœptum est disputari, utrùm una Missa, dicta pro pluribus, tantundem valeret, quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quòd dissentiant à scripturis sanctis, & lædant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solùm pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos scriptum est. Sanctificati sumus per oblationem Jesu Christi semel. Item: una oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos.

Item scriptura docet, nos coram Deo justificari per fidem in Christum. Jam si Missa delet peccata vivorum & mortuorum ex opere operato, contingit justificatio ex opere Missæ, non ex fide, quod scriptura non patitur.

Sed Christus jubet facere in sui memoriam, quare instituta est Missa, ut fides in his, qui utuntur Sacramento, recordetur, quæ beneficia accipiat per Christum, & erigat & consoletur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, meminisse beneficia, ac sentire, quòd verè exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hanc etiam Judæi & impij recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda Missa, ut ibi porrigatur Sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut S. Ambrosius ait. Quia semper peccо, semper debeo accipere medicinam.

Cùm autem Missa sit talis communicatio Sacramenti, servatur apud nos una communis Missa singulis ferijs, atque alijs etiam diebus, si qui Sacramento velint uti, ubi porrigitur Sacramentum his, qui petunt. Neque hic mos in Ecclesia novus est, nam veteres ante Gregorium non faciunt mentionem privatæ Missæ. De communi Missa plurimùm loquuntur. Chrysostomus ait, Sacerdotem quotidiè stare ad altare, & alios ad communionem accertere, alios arcere. Et ex canonibus veteribus apparet, unum aliquem celebrâsse Missam, à quo reliqui presbyteri & diaconi sumpserunt corpus Domini. Sic enim sonant verba Canonis Nicæni: Accipiant Diaconi secundùm ordinem post presbyteros ab Episcopo vel à presbytero sacram communionem. Et Paulus de communione jubet, ut alij alios expectent, ut fiat communis participatio.

Postquam igitur Missa habet apud nos exemplum Ecclesiæ ex scriptura & patribus, confidimus, eam improbari non posse, maximè cùm publicæ ceremoniæ, magna ex parte similes usitatis, serventur, tantùm numerus Missarum est dissimilis, quem propter maximos & manifestos abusus certè moderari prodesset. Nam olim etiam in Ecclesijs frequentissimis non fiebat quotidie Missa, ut testatur historia Tripartita lib. 9. cap. 38. Rursus autem in Alexandria quarta & sexta feria scripturæ leguntur, easque doctores interpretantur, & omnia fiunt præter solennem oblationis morem.

IV.

De Confessione.

CONfessio in Ecclesijs apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. Et docetur populus fidelissimè de fide absolutionis, de qua ante hæc tempora magnum erat silentium. Docentur homines,

ut absolutionem plurimi faciant, quia sic vox Dei, & mandato Dei pronuncietur. Ornatur potestas clavium, & commemoratur, quantam consolationem afferat perterrefactis conscientijs, & quòd requirat Deus fidem, ut illi absolutioni tanquam voci de cœlo sonanti credamus, & quòd illa fides verè consequatur, & accipiat remissionem peccatorum. Antea immodicè extollebantur satisfactiones, fidei verò & meriti Christi, ac justitiæ fidei nulla fiebat mentio, quare in hac parte minimè sunt culpandæ Ecclesiæ nostræ. Nam hoc etiam adversarij nobis tribuere coguntur, quòd doctrina de pœnitentia diligentissimè à nobis tractata & patefacta sit.

Sed de confessione docent, quòd enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientiæ curâ enumerandi omnia delicta, quia impossibile est omnia delicta recensere, ut testatur Psalmus. Delicta quis intelligit? Item Jeremias. Pravum est cor hominis & inscrutabile. Quòd si nulla peccata, nisi recitata, remitterentur, nunquam acquiescere conscientiæ possent, quia plurima peccata neque vident, neque meminisse possunt. Testantur & veteres scriptores, enumerationem illam non esse necessariam. Nam in Decretis citatur Chrysostomus, qui sic ait. Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire te volo prophetæ dicenti. Revela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum, verum judicem, cum oratione delicta tua pronuncia non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria &c. Et glossa de pœnitentia, Dist. 5. cap. Consideret, fatetur unam juris esse confessionem. Verùm confessio, cùm propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum utilitates apud nos retinetur.

V.

De Discrimine Ciborum.

PUblica persuasio fuit non tantùm vulgi, sed etiam docentium in Ecclesijs, quòd discrimina ciborum, & similes traditiones humanæ, sint opera utilia ad promerendam gratiam, & satisfactoria pro peccatis. Et quòd sic senserit mundus, apparet ex eo, quia quotidie instituebantur novæ ceremoniæ, novi ordines, novæ feriæ, nova jejunia, & doctores in templis exigebant hæc opera tanquam necessarium cultum ad promerendam gratiam, & vehementer terrebant conscientias, si quid omitterent. Ex hac persuasione de traditionibus multa incommoda Ecclesiæ secuta sunt.

Primò obscurata est doctrina de gratia & justitia fidei, quæ est præcipua pars Evangelij, & quam maximè oportet existere & eminere in Ecclesia, ut meritum Christi bene cognoscatur, & fides, quæ credit remitti peccata propter Christum, longè super opera collocetur. Quare & Paulus in hunc locum maximè incumbit, legem & humanas traditiones removet, ut ostendat, justitiam Christiana aliud quiddam esse, quàm hujusmodi opera, videlicet fidem, quæ credit, peccata remitti gratis propter Christum. Hæc doctrina Pauli pene tota oppressa est per traditiones, quæ pepererunt opinionem, quòd per discrimina ciborum, & similes cultus, oporteat mereri gratiam & justitiam. In pœnitentia nulla mentio fiebat de fide, tantùm hæc opera satisfactoria exponebantur. In his putabatur pœnitentia tota consistere.

Secundò hæ traditiones obscuraverunt præcepta Dei, quia traditiones longè præferebantur præceptis Dei, Christianismus totus putabatur esse observatio certarum feriarum, rituum, jejuniorum, vestitus. Hæ observationes erant in possessione honestissimi tituli, quòd essent vita spiritualis, & vita perfecta. Interim mandata Dei juxta vocationem nullam laudem habebant, quòd paterfamilias educabat sobolem, quòd mater pariebat, quòd Princeps regebat rempubli-

blicam, hæc putabantur esse opera mundana & imperfecta, & longè deteriora illis splendidis observationibus. Et hic error valde cruciavit pias conscientias, quæ dolebant se teneri imperfecto vitæ genere, in conjugio, in magistratibus, aut alijs functionibus civilibus, mirabantur Monachos & similes, & falsò putabant, illorum observationes Deo gratiores esse.

Tertiò, traditiones attulerunt, magna pericula conscientijs, quia impossibile erat omnes traditiones servare, & tamen homines arbitrabantur, has observationes necessarios esse cultus. Gerson scribit, multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem conscivisse, quia senserant, se non posse satisfacere traditionibus, & interim consolationem nullam de justitia fidei, & gratia audietant.

Videmus Summistas & Theologos colligere traditiones, & quærere ἐπιεικείας, ut levent conscientias, non satis tamen expediunt, sed interdum magis injiciunt laqueos conscientijs. Et in colligendis traditionibus ita fuerunt occupatæ Scholæ, & conciones, ut non vacaverit attingere scripturam, & quærere utiliorem doctrinam de fide, de cruce, de spe, de dignitate civilium rerum, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaque Gerson & alij quidam Theologi graviter questi sunt, se his rixis traditionum impediri, quò minùs versari possent in meliore genere doctrinæ. Et Augustinus vetat onerare conscientias hujusmodi observationibus, & prudenter admonet Januarium, ut sciat eas indifferenter observandas esse, sic enim loquitur.

Quare non debent nostri videri temerè hanc causam attigisse, aut odio Episcoporum, ut quidam falsò suspicantur. Magna necessitas fuit de illis erroribus, qui nati erant ex traditionibus malè intellectis, admonere Ecclesias. Nam Evangelium cogit in Ecclesijs urgere doctrinam de gratia & justitia fidei, quæ tamen intelligi non potest, si putant homines, se mereri gratiam per observationes ab ipsis electas.

Sic igitur docuerunt, quòd per observationem traditionum humanarum non possimus gratiam mereri, aut satisfacere pro peccatis. Quare non est sentiendum, quòd hujusmodi observationes sint necessarij cultus.

Addunt testimonia ex scriptura. Christus Matth. 15. excusat Apostolos, qui non servarent usitatam traditionem, quæ tamen videbatur de re media esse, & habere cognationem cum baptismatibus legis, dicit autem: Frustra me colunt mandatis hominum. Igitur non exigit cultum inutilem. Et paulò pòst addit. Omne, quod intrat in os, non coinquinat hominem. Item Rom. 14. Regnum Dei non est esca aut potus. Coloss. 2. Nemo judicet vos ex cibo, potu, sabbatho, aut die Festo. Act. 15. ait Petrus. Quare tentatis Deum imponentes jugum super cervices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri JEsu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Hic vetat Petrus onerare conscientias pluribus ritibus sive Mosi sive alijs.

Et 1. Timoth. 4. vocat prohibitionem ciborum, doctrinam dæmoniorum, quia pugnat cum Evangelio talia opera instituere aut facere, ut per ea mereamur gratiam, aut quòd non possit existere humana Justitia sine tali cultu.

Hic objiciunt adversarij, quòd nostri prohibeant disciplinam & mortificationem carnis, sicut Jovinianus. Verùm aliud deprehendetur ex scriptis nostrorum. Semper enim docuerunt de cruce, quòd Christianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc est vera, & seria, & non simulata mortificatio, variis afflictionibus exerceri, & crucifigi cum Christo.

Insuper docent, quòd quilibet Christianus debeat se corporali disciplina, aut corporalibus exercitijs & laboribus sic exercere & coercere, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, non ut per illa exercitia mereamur remissionem peccatorum, aut satisfaciamus pro peccatis. Et hanc corporalem disciplinam oportet semper urgere, non solùm pau-

paucis & constitutis diebus. Sicut Christus præcipit Cavete, ne corpora vestra graventur crapula. Item Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi Jejunio & oratione. Et Paulus ait: Castigo corpus meum, & redigo in servitutem. Ubi clarè ostendit, se ideo castigare corpus, non ut per eam disciplinam mereatur remissionem peccatorum, sed ut corpus habeat obnoxium & adoneum ad res spirituales, & ad faciendum officium, juxta vocationem suam. Itaque non damnantur ipsa Jejunia, sed traditiones, quæ certos dies, certos cibos præscribunt, cum periculo conscientiæ, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.

Servantur tamen apud nos pleræque traditiones, ut ordo lectionum in Missâ, feriæ, & quæ conducunt ad hoc, ut res ordine gerantur in Ecclesia. Sed interim admonentur homines, quòd talis cultus non justificet coram Deo, & quòd non sit ponendum peccatum in talibus rebus, si omittantur sine scandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota Patribus. Nam in Oriente alio tempore servabatur Pascha quàm Romæ, & cum Romani propter hanc dissimilitudinem accusarent Orientem schismatis, admoniti sunt ab alijs, tales mores non oportere ubique similes esse. Et Irenæus inquit: dissonantia jejunij fidei consonantiam non solvit, sicut & Dist. 12. Gregorius Papa significat, talem dissimilitudinem non lædere unitatem Ecclesiæ. In historia Tripartita lib. nono multa colliguntur exempla dissimilium rituum, & recitantur hæc verba. Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conversationem & pietatem.

VI.

De Votis Monachorum.

Quid de votis Monachorum apud nos doceatur, melius intelliget, si quis meminerit, qualis status fuerit Monasteriorum, quàm multa contra ipsos Canones in ipsis Monasterijs quotidie fiebant. Augustini tempore erant libera collegia, postea ubique corruptâ disciplinâ, addita sunt vota tot, ut tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur. Additæ sunt paulatim supra vota aliæ multæ observationes. Et hæc vincula multis ante justam ætatem contra Canones injecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiamsi non deesset animi, tamen judicium de suis viribus defuit. Qui sic irretiti erant, cogebantur manere, etiamsi beneficio Canonum quidam liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in Monasterijs Virginum, quàm Monachorum, cùm sexui imbecilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant, puellas & adolescentes in Monasteria detrudi propter victum, videban-, quàm infeliciter succederet hoc consilium, quæ scandala pareret, quot laqueos conscientijs injiceret. Dolebant, autoritatem Canonum in re periculosissima omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala accedebat talis persuasio de votis, quam constat etiã olim displicuisse ipsis Monachis, si qui paulò cordatiores fuerunt. Dicebant, vota paria esse baptismo, dicebant, se hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum, justificationem coram Deo. Imò addebant ampliùs, vitam Monasticam non tantùm mereri justitiam coram Deo, sed ampliùs etiam, quia non servaret modò præcepta, sed etiam consilia Evangelica.

Ita persuadebant, Monasticam professionem longè meliorem esse baptismo, vitam Monasticam plùs mereri, quàm vitam Magistratuum, vitam Pastorum, & similium, qui in mandatis Dei sine fictitijs religionibus suæ vocationi serviunt. Nihil horum negari potest: extant enim in libris eorum

Quid fiebat præterea in Monasterijs? Olim erant scholæ sacrarum literarum, & alia-

cum disciplinarum, quæ sunt utiles Ecclesiæ, & sumebantur indè Pastores, & Episcopi. Nunc alia res est, nihil opus est recitare nota. Olim ad discendum conveniebant, nunc fingunt, institutum esse vitæ genus ad promerendam gratiam & justitiam, imò prædicant, statum esse perfectionis, & longè præferunt omnibus aliis vitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideo recitavimus, nihil odiosè exaggerantes, ut meliùs intelligi posset de hac re doctrina nostrorum. Primùm de his, qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quòd liceat omnibus, qui non sunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei. Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam. Neque mandatum solùm, sed etiam creatio & ordinatio Dei cogit hos ad conjugium, qui sine singulari Dei opere non sunt excepti, juxta illud. Non est bonum homini esse solum. Igitur non peccant, qui obtemperant huic mandato, & ordinationi Dei. Quid potest contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti, quantùm volet, tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum Dei.

Canones docent: in omni voto jus superioris excipi, quare multò minùs hæc vota contra mandata DEI valent.

Quòd si obligatio votorum nullas alias haberet causas, cur mutari posset, nec Romani Pontifices dispensâssent. Neque enim licet homini obligationem, quæ simpliciter est juris divini, rescindere. Sed prudenter judicaverunt Romani Pontifices, æquitatem in hac obligatione adhibendam esse. Ideo sæpe de votis dispensâsse leguntur. Nota est historia de Rege Arragonum, revocato ex Monasterio, nec desunt exempla nostri temporis.

Deinde cur exaggerant obligationem adversarii, seu effectum voti, cùm interim de ipsa voti natura fileant, quòd debet esse in re possibili, quod debet esse voluntarium, sponte & consultò conceptum? At quomodo sit in potestate hominis perpetua castitas, non est ignotum. Et quotusquisque sponte & consilio vovit? Puellæ & adolescentes, priusquam judicare possunt, persuadentur ad vovendum, interdum etiam coguntur. Quare non est æquum tam rigidè de obligatione disputare, cùm omnes fateantur, contra voti naturam esse, quod non sponte, quod inconsultò admittitur.

Plerique Canones rescindunt vota ante annum 15. contracta, quia ante illam ætatem non videtur tantum esse judicij, ut de perpetua vita constitui possit. Alius Canon, plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot, vetat enim ante annum 18. votum fieri. Sed utrum sequemur, maxima pars habet excusationem, cur Monasteria deserant, quia plurimi ante hanc ætatem voverint.

Postremò etiam, si voti violatio reprehendi posset, tamen non videtur statim sequi, quòd conjugia talium personarum dissolvenda sint. Nam Augustinus negat, debere dissolvi. 28. quæst. cap. Nuptiarum, cujus non est levis autoritas, etiamsi alii postea aliter senserunt.

Quanquam autem mandatum Dei conjugio videatur plerosque liberare à votis, tamen nostri afferunt & aliam rationem de votis, quòd sint irrita, quia omnis cultus Dei, ab hominibus sine mandato Dei institutus & electus ad promerendam gratiam & justificationem, impius est, sicut Christus ait. Fruſtra colunt me mandatis hominum. Et Paulus ubique docet, justitiam non esse quærendam ex nostris observationibus & cultibus, qui sunt excogitati ab hominibus, sed contingere eam per fidem, credentibus se recipi in gratiam à Deo propter Christum.

Constat autem, Monachos docuisse, quòd fictitiæ religiones satisfaciant pro peccatis, mereantur gratiam & justificationem. Quid hoc est aliud, quàm de gloria Christi detrahere, & obscurare, & negare justitiam fidei? Sequitur igitur, ista vota usitata impios cultus fuisse, quare sunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei, non

valet,

valet, neque enim votum debet esse vinculum iniquitatis, ut Canon dicit.

Paulus dicit: Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis. Ergo etiam, qui votis justificari volunt, evacuantur à Christo, & à gratia excidunt. Nam qui votis tribuunt justificationem, tribuunt proprijs operibus hoc, quod propriè ad gloriam Christi pertinet. Neque verò negari potest, quin Monachi docuerint, se per vota & observationes suas justificari & mereri remissionem peccatorum, imò affinxerunt absurdiora. Dixerunt, se alijs mutuari sua opera. Hæc, si quis velit odiosè exaggerare, quàm multa possit colligere, quorum jam ipsos Monachos pudet. Ad hæc persuaserunt hominibus, fictitias religiones esse statum Christianæ perfectionis. An non est hoc justificationē tribuere operibus? Non est leve scandalum in Ecclesia populo proponere certum cultum, ab hominibus excogitatum sine mandato Dei, & docere, quòd talis cultus justificet homines? Quia justitia fidei, quam maximè oportet tradi in Ecclesia, obscuratur, cùm illæ mirificæ religiones Angelorum, simulatio paupertatis & humilitatis, & cœlibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obscurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cùm audiunt, solos Monachos in statu perfectionis esse, quia perfectio Christiana est seriò timere Deum, & rursus concipere magnam fidem, & confidere propter Christū, quòd habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certò expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, juxta vocationem. Interim foris facere diligenter bona opera, & servire vocationi. In his rebus est vera perfectio, & verus cultus Dei. Non est in cœlibatu, aut mendicitate, aut veste sordida. Verùm populus concipit multas pernicioſas opiniones ex illis falsis præconibus vitæ Monasticæ. Audit sine modo laudari cœlibatum, ideo cum offensione conscientiæ versatur in conjugio. Audit solos mendicos perfectos esse, ideo cum offensione conscientiæ retinet possessiones, negotiatur. Audit, consilium Evangelicum esse de non vindicando, ideo alij in privata vita non verentur ulcisci, audiunt enim prohiberi vindictam consilio, non præcepto. Alij contrà etiam magis errant, quia omnes Magistratus, omnia Civilia Officia judicant indigna esse Christianis, & cum Consilio Evangelico pugnare. Leguntur exempla hominum, qui deserto conjugio, deserta reipublicæ administratione, in Monasteria se se abdiderunt. Id vocabant fugere ex mundo, & quærere sanctum vitæ genus, nec videbant, Deo serviendum esse in illis mandatis, quæ ipse tradidit, non in mandatis, quæ sunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus est, quod habet mandatum Dei. De his rebus necesse est admoneri homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerson errorem Monachorum de perfectione, & testatur, suo tempore novam hanc vocem fuisse, quod vita Monastica sit status perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quòd justificent, quòd sint perfectio Christiana, quòd servent Monachi consilia & præcepta, quòd habeant opera supererogationis. Hæc omnia cùm sint falsa & inania, faciunt vota irrita.

VII.

De Potestate Ecclesiastica.

MAgnæ disputationes olim fuerunt de potestate Episcoporum, in quibus nonnulli incommodè comiscuerunt potestatem Ecclesiasticam, & potestatē gladij. Et ex hac confusione maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices, freti potestate clavium, non solùm novos cultus instituerunt, reservatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias onerarunt, sed etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere imperium conati sunt. Hæc vitia multò antè reprehenderunt

in Ecclesia homines pii ac eruditi. Itaque nostri ad consolandas conscientias coacti sunt ostendere discrimen Ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladij, & docuerunt utramque propter mandatum Dei religiosè venerandam, & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, potestatem clavium, seu potestatem Episcoporum, juxta Evangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, prædicandi Evangelij, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos, Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Et Matth. 16. Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ &c.

Hæc potestas exercetur tantùm docendo seu prædicando verbum, & porrigendo Sacramenta, vel multis vel singulis juxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ, justitia æterna, Spiritus sanctus, vita æterna. Hæc non possunt contingere nisi per ministerium verbi & Sacramentorum, sicut Paulus dicit. Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Itaque cùm potestas Ecclesiastica concedat res æternas, & tantùm exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res quàm Evangelium. Magistratus defendit non mentes, sed corpora & res corporales, adversus manifestas injurias, & coërcet homines gladio, & corporalibus pœnis, ut justitiam civilem & pacem retineant. Evangelium defendit mentes adversus impias opiniones, adversus diabolum, & mortem æternam.

Non igitur commiscendæ sunt potestates Ecclesiastica & Civilis, Ecclesiastica suum habet mandatum, Evangelij docendi, administrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges Magistratibus de forma reipublicæ, sicut dicit Christus. Regnum meum non est de hoc mundo. Item, quis constituit me judicem aut divisorem super vos? Paulus ait Philip. 5. Nostra politia in Cœlis est. 2. Corinth. 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destruendas cogitationes &c. Ad hunc modum discernunt nostri utriusque potestatis officia, & jubent utramque honore afficere, & agnoscere, utramque Dei donum & beneficium esse.

Siquam habent Episcopi potestatem gladij, hanc non habent ut Episcopi mandato Evangelij, sed jure humano donatam à Regibus & Imperatoribus, ad administrationem civilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est quàm ministrorum Evangelij.

Cùm igitur de jurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet imperium ab Ecclesiastica jurisdictione. Porro secundùm Evangelium, seu ut loquuntur, de jure divino, hæc jurisdictio competit Episcopis, ut Episcopis, hoc est, his, quibus est commissum ministerium verbi & Sacramentorum, remittere peccata, doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Hic necessariò, & de jure divino, debent eis Ecclesiæ præstare obedientiam, juxta illud: qui vos audit, me audit.

Aut cùm aliquid contra Evangelium docent, aut statuunt, tunc mandatum Dei habent Ecclesiæ, quod prohibet obedire Matth. 7. Cavete à Pseudoprophetis. Gal. 1. Si Angelus de Cœlo aliud Evangelium evangelizaverit, anathema sit. 2. Corinth. 13. Non possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate. Item, data est nobis potestas ad ædificationem, non ad destructionem. Sic enim & Canones præcipiunt 2. q. 7. cap. Sacerdotes, & cap. Oves. Et Augustinus contra Petiliani Epistolam inquit. Nec Catho-

licis

eis Episcopis consentiendum est, sicubi fortè falluntur, aut contra Canonicas Dei scripturas aliquid sentiunt.

Si quam habent aliam sive potestatem, sive Jurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonij, aut decimarum &c. hanc habent humano jure. Ubi cessantibus Ordinarijs coguntur Principes vel invicti, retinendæ publicæ pacis causâ, subditis jus dicere.

Præter hæc disputatur, utrùm Episcopi seu Pastores habeant jus instituendi ceremonias in Ecclesia, & leges de cibis, feriis, gradibus ministrorum, seu ordinibus, condendi. Hoc jus qui tribuunt Episcopis, allegant testimonium: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Allegant & exemplum Apostolorum, qui prohibuerunt abstinere à sanguine, & suffocato. Allegant sabbathum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum, ut videtur. Nec ullum exemplum magis jactatur quàm mutatio sabbathi, magnam contendunt Ecclesiæ potestatem esse, quòd dispensaverit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæstione nostri sic docent, quòd Episcopi non habeant potestatem constituendi aliquid contra Evangelium, ut suprà ostensum est. Idem docent & Canones. 9. Distinct. per totum. Porro contra scripturam est, traditiones condere, ut per earum observationem satisfaciamus pro peccatis, ut mereamur justificari. Læditur enim gloria meriti Christi, cùm talibus observationibus justificari nos sentimus. Constat autem propter hanc persuasionem, in Ecclesia pene infinitum crevisse traditiones, oppressa interim doctrina de fide & de justitia fidei, quia subinde plures feriæ factæ sunt, jejunia indicta, ceremoniæ novæ, Ordines novi instituti, quia arbitrabantur se autores talium rerum his operibus mereri gratiam. Sic olim creverunt Canones pœnitentiales, quorum adhuc in satisfactionibus vestigia quædam videmus.

Item autores traditionum faciunt contra mandatum Dei, cùm collocant peccatum in cibis, diebus, & similibus rebus, & onerant Ecclesiam servitute legis, quasi oporteat apud Christianos ad promerendam justificationem cultum esse similem Levitico, cujus ordinationem commiserit Deus Apostolis, sic enim scribunt quidam. Et videntur Pontifices aliqua ex parte exemplo legis Mosaicæ decepti esse. Hinc sunt illa onera, quòd peccatum mortale sit, etiam sine offensione aliorum, in ferijs laborare manibus, quòd certi cibi polluant conscientiam, quòd jejunia non naturæ, sed afflictiva, sint opera placantia Deum, quòd peccatum mortale sit omittere horas Canonicas, quòd peccatum in casu reservato non possit remitti, nisi accesserit autoritas reservantis, cùm ipsi Canones non de reservatione culpæ, sed de reservatione pœnæ Ecclesiasticæ loquantur.

Unde habent jus Episcopi has traditiones imponendi Ecclesijs, ad illaqueandas conscientias? Cùm Petrus vetet imponere jugum discipulis, cùm Paulus dicat, potestatem ipsis datam esse ad ædificationem, non ad destructionem. Cur igitur augent peccata per has traditiones?

Verùm extant clara testimonia, quæ prohibent condere tales traditiones ad promerendam gratiam, aut tanquam necessarias ad salutem. Paulus Colos. 2. Nemo vos judicet in cibo, & potu, parte diei festi, novilunio aut sabbathis. Item si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non gustes, non contrectes, quæ omnia pereunt usu, & sunt mandata & doctrinæ hominum, quæ habent speciem sapientiæ. Ad Tim 3. Non attendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum aversantium veritatem. Christus Matthæi 15. inquit de his, qui exigunt traditiones. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Et improbat tales cultus. Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur.

Si jus habent Episcopi talibus traditionibus onerandi conscientias, cur toties prohibet scriptura condere novas traditiones? cur

vocat eas doctrinas dæmoniorum ? Num frustra hæc prædixit Spiritus sanctus? Relinquitur igitur, cùm ordinationes institutæ tanquam necessariæ, aut cum opinione promerendæ justificationis pugnent cum Evangelio, quòd non liceat ullis Episcopis tales cultus instituere, aut tanquam necessarios exigere. Necesse est enim in Ecclesijs retineri doctrinam de libertate Christiana, quòd non sit necessaria legis servitus ad justificationem, sicut in Galatis scriptum est. Nolite iterum jugo servituris subijci. Necesse est retineri præcipuum Evangelij locum, quòd gratiam per fidem in Christum consequamur, non per certas observationes, aut propter cultus ab hominibus institutos.

Quid igitur sentiendum est de die Dominico, & similibus ritibus templorum? Ad hæc respondent, quòd liceat Episcopis seu Pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Ecclesia, non ut per eas satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, ut judicent esse necessarios cultus. Sic Paulus ordinat, ut in congregatione mulieres velent capita, & ordine audiantur in Ecclesia interpretes.

Talibus ordinationibus convenit Ecclesias propter caritatem ac tranquillitatem obtemperare, easque servare eatenus, ne alij offendant alios, sed ut ordine & sine tumultu omnia fiant in Ecclesijs. Verùm ita, ne conscientiæ onerentur, ut ducant esse res necessarias ad salutem, ac judicent se peccare, cùm violant eas sine scandalo, sicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, sine offensione hominum.

Talis est observatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes, & similium feriarum, & rituum. Nam qui judicant Ecclesiæ autoritate institutam esse pro sabbatho diei Dominici observationem, tanquam necessariam, non rectè sentiunt. Scriptura abrogavit sabbathum, non Ecclesia, nam post revelatum Evangelium omnes ceremoniæ Mosaicæ omitti possunt. Et tamen quia opus erat constituere certum diem, ut sciret populus, quando convenire deberet, apparet, Ecclesiam ei rei destinâsse diem Dominicum, quia ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, ut haberent homines exemplum Christianæ libertatis, & scirent, nec sabbathi nec alterius diei observationem necessariam esse.

Extant prodigiosæ disputationes de mutatione legis, de ceremonijs novæ legis, de mutatione sabbathi, quæ omnes ortæ sunt ex falsa persuasione, quòd oporteat in Ecclesia cultum esse similem Levitico. Et quòd Christus commiserit Apostolis & Episcopis excogitare novas ceremonias, quæ sunt ad salutem necessariæ. Hi errores serpserunt in Ecclesiam, cùm justitia fidei non satis clarè doceretur. Alij disputant, diei Dominici observationem non quidem juris divini esse, sed quasi juris divini, præscribunt de ferijs, quatenus liceat operari. Hujusmodi disputationes quid sunt aliud quàm laquei conscientiarum? Quanquam enim conentur epikeizare traditiones, tamen nunquam potest æquitas deprehendi, donec manet opinio necessitatis, quam manere necesse est, ubi ignorantur justitia fidei, & libertas Christiana.

Apostoli jusserunt abstinere à sanguine &c. quis nunc observat? neque tamen peccant, qui non observant, quia ne ipsi quidem Apostoli voluerunt onerare conscientias tali servitute, sed ad tempus prohibuerunt propter scandala. Est enim perpetua voluntas Evangelij consideranda in decreto. Vix ulli Canones servantur accuratè, & multi quotidie exolescunt apud illos etiam, qui diligentissimè defendunt traditiones. Nec potest conscientijs consuli, nisi hæc æquitas servetur, ut sciamus, eos sine opinione necessitatis servari, nec lædi conscientias, etiamsi quid immutet usus hominum in tali re.

Facilè autem possunt Episcopi legitimam obedientiam retinere, si non urgerent servate traditiones, quæ bona conscientia servari non possunt. Nunc imperant cœlibatum,

tum, nullos recipiunt, nisi jurent se puram Evangelij doctrinam nolle docere. Non petunt Ecclesiæ nostræ, ut Episcopi honoris sui jacturâ sarciant concordiam, quod tamen decebat bonos Pastores facere. Tantùm petunt, ut justa onera remittant, quæ nova sunt, & præter consuetudinem Ecclesiæ catholicæ recepta. Fortassis initiò habuerunt istæ Constitutiones probabiles causas, quæ tamen posterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam quasdam errore receptas esse, quare Pontificiæ clementiæ nunc esset, illas mitigare, quia talis mutatio non labefacit Ecclesiæ unitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ sunt, ut ostendunt ipsi Canones. Quòd si non potest impetrari, ut relaxentur observationes, quæ sine peccato non possunt præstari, oportet nos regulam Apostolorum sequi, quæ præcipit Deo magis obedire quàm hominibus. Petrus vetat Episcopos dominari, & Ecclesias cogere. Non id nunc agitur, ut de dominatione sua cedant Episcopi, sed hoc unum petitur, ut patiantur Evangelium purè doceri, & relaxent paucas quasdam observationes, quæ sine peccato servari non possunt. Quod si non facient, ipsi viderint, quomodo Deo rationem reddituri sint, quòd hac pertinacia causam schismati præbent.

Recensuimus præcipuos articulos, qui videntur habere controversiam, quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen, ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi sumus. Magnæ querelæ fuerunt de indulgentijs, de peregrinationibus, de abusu excommunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per stationarios. Insinitæ contentiones fuerunt Pastoribus cum Monachis, de jure parochiali, de confessionibus, de sepulturis, de alijs innumerabilibus rebus. Hujusmodi negocia prætermisimus, ut illa, quæ sunt in hac causa præcipua, breviter proposita faciliùs cognosci possent. Neque hic quicquam ad ullius contemptum vel contumeliam dictum aut collectum est. Tantùm ea recitata sunt, quæ videbantur necessariò dicenda esse, ut intelligi posset, in doctrina ac ceremonijs nihil apud nos esse receptum contra scripturam aut Ecclesiam Catholicam, quia manifestum est, nos diligentissimè cavisse, ne qua nova & impia dogmata in Ecclesias nostras serperent.

Hos articulos, suprà scriptos, voluimus exhibere juxta edictum C. M. in quibus Confessio nostra extaret, ut eorum, qui apud nos docent, doctrinæ summa cerneretur. Si quid in hac confessione desiderabitur, parati sumus latiorem exhibere, Deo volente, juxta scripturas informationem.

Cæsareæ Majest. V.

Fideles & subditi.

Joannes Dux Saxoniæ Elector &c.
Georgius Marchio Brandeburgensis &c.
Ernestus Dux Luneburgensis &c.
Philippus Landgravius Hassiæ &c.
Wolfgangus Princeps ab Anhalt.
Senatus Magistratúsque Noribergensis.
Senatus Reutlingensis.

OBSER-

OBSERVATIONES QUÆDAM BENE NOTANDÆ In RECITATAM CONFESSIONEM AUGUSTANAM.

OBservandum 1. Formulam recitatam Augustanæ Confessionis esse authenticam, & conformem textui Originali, eámque de verbo ad verbum descriptam ex Georgio Cœlestino auctore Lutherano, qui scripsit integro volumine Historiam Comitiorum Augustanorum anni 1530. De qua P. Forerus noster testatur, quòd ex 20. diversæ editionis exemplaribus Confessionis Augustanæ latini sermonis, quæ ipsi ad manus erant, nullum Originali ita consonum fuerit, uti recitata formula Georgij Cœlestini.

Observ. 2. In memorata Confessione multa, quæ docuerant, & adhuc docent Lutherani, esse suppressa, vel dissimulata, vel ambiguè indicata, vel nequiter proposita, quasi nihil in ea, vel admodum parùm contineretur contra doctrinam Ecclesiæ Romanæ, ut videre est in articulis de Ecclesia, de Baptismo, de Cœna Domini, de Missa, de Ordine Ecclesiastico &c.

Observ. 3. Ex 21. primis articulis complures vel ex toto, vel ex parte concordare cum doctrina Catholica, præsertim si accedat bona interpretatio. Omnes verò illos articulos, qui de abusibus inscripti sunt, discordare saltem ex parte à doctrina & praxi Catholicorum; atque identidem in his ultimis articulis perperam repeti ea, quæ spectant ad articulos fidei, in quibus Confessionistæ discrepant à Catholicis, uti sunt, quòd *sola fides justificet*, & quòd *per bona opera, atque traditiones humanas* (ita vocant ritus, consuetudines, & præcepta Ecclesiæ) *non promereamur gratiam, justificationem, & remissionem peccatorum*: quo tamen loquendi modo magna irrogatur Catholicis injuria, qui nunquam docuerunt, neque docent, per ejusmodi observationem legum Ecclesiasticarum & votorum religiosorum &c. hominem mereri (*de condigno* saltem; nam hoc solùm opponitur gratuitæ remissioni peccatorum) *primam gratiam & justificationem*, aut per has observationes solas sine fide in Christum obtinere remissionem peccatorum; licèt doceant, si hæ observationes & alia opera bona fiant ab homine, jam *in gratia* constituto, eum promereri *augmentum* gratiæ, & præstare rem Deo gratam.

Observ. 4. Articulos præcipuos, in quibus discrepant à Catholicis Confessionistæ

sionistæ secundùm recitatam formulam, esse sequentes. Nempe de *Justificatione*, & quidem præcipuè, quam soli fidei tribuunt, & de *merito bonorum operum*, de qua duplici materia tractatur art. 4. 5. 6. 8. 20. *De invocatione Sanctorum, de Communione sub utraque specie, de conjugio Sacerdotum, de votis Monasticis, de Sacrificio Missæ, de constitutionibus humanis*; quæ omnia eò collimare videntur, ut homines amotis legibus, præsertim humanis, liberam ac facilem vitam ducant sine anxia cura salutis; cùm justificari, & consequenter salvari, omnibus esse facillimum doceant, nimirum per solam fidem, & sine observatione eorum, quæ aliquid difficultatis habent, uti sunt jejunia, confessio auricularis, professio religiosa, castitas &c. Hinc nihil magis & frequentiùs inculcant Confessionistæ, quàm *justitiam fidei, & libertatem conscientiæ*, latam cœli viam & spatiosam portam efficere conantes, quam tamen Christus arctam esse dixit & angustam.

Observ. 5. Ad *articulos fidei* quod attinet, Confessionem dicere art. 21. *Se in nullo dissentire ab Ecclesia Catholica vel Romana.* Quod si verum est (licèt verum non sit) prorsus impiè & sine sufficienti causa ab Ecclesia Romana recesserunt Confessionistæ, concitando tantas turbas, dissidia, & bella in inclyta Natione Germanica, cùm vel ipsa Confessione Augustana teste ad unitatem Ecclesiæ *non opus sit similes ubique ritus & ceremonias usurpari.* Abstinendum erat ab abusibus, quos reprehendunt in Ritibus, non tam fœdum schisma excitandum.

Observ. 6. Ad *articulos de Abusibus* quod attinet, fatetur Confessio eod. art. 21. *totam dissensionem* à Catholicis *esse de paucis quibusdam abusibus.* quod quidem iterum negat in fine, dum dicit, Ecclesiæ Romanæ abusus & contentiones Pastorum cum Monachis fuisse *infinitas & innumerabiles.* Pensare tamen debuisset, quòd isti abusus, quos in Cœlibatu Clericorum, in Missarum celebratione, in Confessione privata, in Discrimine ciborum, in Votis Monasticis, & Potestate Ecclesiastica (hos enim abusus speciatim culpat Aug. Confessio) fuerint solummodo personales, per Ecclesiæ Romanæ sententiam nunquam approbati. Jam verò Conf. Aug. prætextu abusuum res istas omnino conatur abolere contra illud principium receptum: *propter abusum non tollendus est usus.* Ut autem speciosiùs omnino tollat memoratas Ecclesiæ observationes, plurimis calumnijs eas onerat, & exosas reddere conatur, ut videre licebit observatione 10. & ultima.

Observ. 7. Etiamsi in multis articulis conveniat Aug. Conf. cum doctrina Orthodoxa, atque in ijs verum doceat; nihil tamen indè majoris auctoritatis ipsi accedere, neque propterea amplectendam, sed potiùs magis cavendam esse; cùm enim in cæteris articulis, in quibus discrepat à Catholica Ecclesia, plurimas falsitates ac mendacia complectatur, & sic veris immisceat falsa, facilùs decipiuntur incauti, quàm si falsa tantùm proponeret; verissimum enim est

Chrysost. dictum hom. 42. in Matth. *illud profectò diaboli artibus astutè fieri scire debemus, ut veritati semper errores connexi, atque inserti, similitudine facilè decipiant leviores.*

Observ. 8. Lutheranos minimè sectari suam Confessionem, uti deberent, tum quia non sectantur illam doctrinam, quam continet Conf. imò nonnunquam contrariam amplectuntur, ut postea videbimus, tum quia plurima alia tenent dogmata, quæ Confessioni inserta non sunt, quod tamen ipsis minimè licet. Tenent enim, nullum esse Purgatorium, animas non juvari precibus & pijs operibus fidelium, Papam esse Anti-Christum, Reliquias & Imagines Sanctorum non esse colendas, Mandata Dei servari non posse, Sacramenta non esse septem, sed duo tantùm vel tria, Corpus Christi non esse in S. Hostia extra sumptionem &c. quæ omnia Confessioni Aug. inserta non sunt. Quòd autem ipsis non liceat alios articulos profiteri præter eos, qui inserti sunt Aug. Conf. Originali, patet ex Transactione Passavienſi, in qua manifestè statuitur, eos omnes ab ista Pacificatione excludi, qui aut Religioni Cath. aut Aug. Confessioni non sunt addicti; sed Lutherani, quando articulos in Aug. Conf. non comprehensos contra Catholicos docent, quoad hoc non sunt addicti Aug. Confessioni: aliàs dicam, etiam Calvinistas, atque alios Sectarios in memorata Pacificatione includi, quos tamen ipsimet excludunt.

Observ. 9. Lutheranos non solùm tenere multa, quæ Confessioni August. non sunt inserta, sed etiam docere aliqua eidem omnino contraria. v. g. 1. Ubiquitatem seu omni-præsentiam humanitatis Christi, quæ repugnat articulo 3. de Incarnatione Verbi, & articulo 7. de adventu Christi ad judicandum. 2. Liberum arbitrium in prima hominis conversione nihil agere, sed tantùm pati, quod adversatur art. 18. qui satis indicat, liberum arbitrium habere virtutem efficiendæ justitiæ Dei, quamvis non sine Spiritu S. 3. Ecclesiam esse invisibilem, quod est contra art. 7. 4. Ecclesiam Rom. esse Anti-Christianam quam tamen Confessio art. 21. vocat Catholicam. 5. Missam esse abominandam, & abolendam, quam tamen Confessio art. 3. de abus. retinere se gloriatur.

Observ. 10. Confessionem Aug. plurimas falsitates & mendacia continere, utut Melanchthon eas tegere & per ambiguitatem verborum celare conatus sit. Hic potissimùm referam eas falsitates, seu potiùs calumnias, quibus aliqua falsò impinguntur Catholicis, dissimulatis pro nunc falsitatibus ipsius doctrinæ Confessionisticæ; solent enim Lutherani, uti & ipsa Confessio Ecclesiæ Catholicæ doctrinam gravissimis calumnijs & mendacijs prægravare, exosamq; reddere, ea imponendo Catholicis, quæ ipsis in mentem nunquam venerunt. Et his mendacijs à pueritia decepti complures præpediuntur à conversione ad fidem Catholicam, quia siniſtra prorsus opinione adversùs illam imbuti sunt. Quam ut ipsis eximam, placet aliquas ejusmodi calumnias & mendacia, in ipsa Confessione Aug. com-

comprehensa, enumerare, omissis longè gravioribus & impudentioribus, quibus privatim apud suos eandem per summum nefas denigrant.

Aliqua mendacia & calumniæ, quas continet Augustana Confessio.

De fide & justificatione mendacium 1. quòd olim apud Catholicos *mirum & altissimum de fide fuerit silentium.* 2. quòd illustrati quasi nova Lutherani Evangelij luce *caperint mentionem fidei facere.* 3. quòd doctrina de fide diu jacuerit *ignota.* 4. quòd *tantùm doctrina operum* versata sit in Ecclesijs. 5. quòd Catholici doceant, hominem posse *humanis viribus* & sine Christo promereri gratiam. omnia art. 20.

De *operibus & præceptis* mendacium 1. quòd *falsò accusati sint* primi præcones Lutherani, quòd bona opera prohibeant. 2. quòd Catholici olim parùm docuerint de *decem præceptis*, officijs, & operibus, quæ in qualibet vocatione Deo placent. 3. sed tantùm urserint *puerilia*, & non necessaria opera, ut certas ferias, jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, Rosaria, Monochatum, & similia. 4. quòd Catholici à Lutheranis admoniti hæc *dedidicerint.* 5. quòd vexaverint conscientias doctrinâ operum, & *non* proposuerint ex Evangelio *consolationem.* Hæc omnia iterum art. 20. 6. quòd apud Catholicos mandata Dei juxta vocationem *nullam laudem* habuerint, uti generare & educare liberos, regere Rempub. art. 5. de abusibus.

De *Missa & Communione sub utraque specie* mendacium 1. quòd Missa apud Lutheranos *retineatur*, *& summa reverentia celebretur.* 2. quòd serventur *usitatæ* illius *ceremoniæ ferè omnes.* 3. quòd Catholicorum opinio fuerit, Christum sua passione satisfeciisse quidem pro peccato originis, Missam verò instituisse pro peccatis actualibus, & *quotidianis delictis* mortalibus & venialibus. 4. quòd fuerit publica opinio, Missam *ex opere operato*, justificare ac *delere peccata* vivorum & mortuorum. 5. quòd veteres ante Gregorium non *fecerint mentionem privatæ Missæ.* Hæc omnia art. 3. de abus. Art. autem 1. de *Communione sub utraque specie* mentitur Confessio, quòd eam tantùm *consuetudo non ita vetus* sustulerit.

De *Pœnitentia* & confessione mendacium 1. quòd fateri cogamur, doctrinam de pœnitentia diligentissimè à Lutheranis tractatam & *patefactam* esse. 2. quòd confessio peccatorum (mortalium scilicet quoad numerum & speciem) apud Lutheranos non sit abolita. 3. quòd de fide absolutionis olim fuerit *magnum silentium.* 4. quòd *immodicè* olim laudatæ sint satisfactiones, fidei verò & meriti Christi, ac justitiæ fidei *nulla mentio* facta sit. 5. quòd *impossibilem* peccatorum enumerationem exigamus in confessione. Hæc omnia art. 4. de abus. 6. quòd Canones loquantur *non de reservatione culpæ*, sed de reservatione pœnæ Ecclesiasticæ, art. 7. de abus.

De *Conjugio Sacerdotum* mendacium 1. Paulus ait, Episcopum eligendum es-

se, qui *sit maritus*. 2. In Germania primùm ante *annos* 400. Sacerdotes *vi coacti* sunt ad Cœlibatum. 3. Sacerdotes capitalibus pœnis exeruciantur *contra* Canonum voluntatem præcisè propter conjugium. 4. Pius Papa dixisse fertur, *fuisse aliquas causas*, cur sit ademptum Sacerdotibus conjugium, sed *multò majores esse causas, cur reddi debeat*. 5. exstat *mandatum Dei*. 6. Et *mos Ecclesiæ notus* (scilicet de conjugio Sacerdotum) 7. *Doctrina* est *dæmoniorum* id illis prohibere. Hæc omnia art. 2. de abus. 8. Cœlibatum Sacerdotum articulus ultimus numerat inter traditiones, quæ bonâ conscientiâ servari non possunt.

De *Votis Monasticis* mendacium 1. Augustini tempore Monasteria fuisse *libera* Collegia, & primùm postea *corruptâ disciplinâ ubique addita fuisse vota*. 2. Catholicos dixisse, vota esse *paria* Baptismo. 3. Et se hoc vitæ genere *mereri remissionem peccatorum* & justificationem. 4. Monasticam professionem *longè meliorem* esse Baptismo. 5. Conjugia Religiosorum *dissolvenda esse contra sententiam S. Augustini*. Omnia art. 6. de abus.

De *discrimine ciborum & aliis ritibus Ecclesiæ* mendacium 1. à Lutheranis servari *plerasque traditiones*, quæ conducunt ad hoc, ut res ordine geratur in Ecclesia. 2. Per traditiones Ecclesiæ obscurata esse *præcepta Dei*, quia traditiones *longè præferebantur* præceptis Dei. 3. *Christianismum totum* putatum esse observationem certarum feriarum, rituum, jejuniorum, vestitûs. Omnia art. 5. de abus. 4. Catholicos docere, quòd certi cibi *polluant conscientiam*. 5. Paulum ad Titum apertè prohibere *traditiones*. 6. Nullos recipi ab Episcopis Catholicis, *nisi jurent, se puram Evangelii doctrinam* nolle docere. Omnia tit. ult. 7. Vota & traditiones de cibis & diebus institutas *esse contra Evangelium*, art. 15.

Hæc sunt aliqua mendacia ac falsitates, quæ plerumque calumniam habent adjunctam contra Catholicos, eorúmque doctrinam, ut quivis rerum peritus facilè videt, & ego cuivis, rerum non satis gnaro, demonstrare paratus sum. Dico, *aliqua*, non omnia; nam longè plura adhuc afferri possent, præsertim circa ipsam doctrinam Confessionis Augustanæ; quæ tamen hìc adducere nolui, eò quòd detegantur & refutentur satis in præcedentibus, ubi exposui singula fidei dogmata in particulari, in quibus à nobis dissidet Confessio Augustana. Prô! qualis erit fides Lutherana, si ejus Symbolum tot scatet falsitatibus, mendacijs, & calumnijs? vide ergo, miser Confessionista, quam falsa decipiaris fide, nec ei deinceps, si te ipsum amas, tuam confide salutem.

INDEX

INDEX RERUM.

A.

Abbates & Generales Ordinum ex privilegio ferunt suffragium in Concilijs generalibus. p. 364.

Absolutio Sacerdotis à peccatis non est mera denuntiatio remissionis peccatorum. 610. Necessaria est vel in re, vel in voto, graviter lapsis. 611.

Acceptatio Ecclesiæ non requiritur ad valorem legum Pontificis. 394.

Adiaphoristæ. *vid.* Indifferentistæ. Libertini.

Adoptio humana & Divina quomodo differant. 468.

Adoratio quid & quotuplex. 495. Latreutica debetur Christo in Eucharistia. 581. quomodo adorandum totum Sacramentum Eucharistiæ involvens species panis & vini. 582. quomodo imagines. 526. quomodo Sancti. 498.

Alcoranus, liber doctrinæ Turcicæ. 49.

Ambitio causa apostasiæ Luthero. 681.

Analysis seu ultima resolutio fidei tum Catholicæ tum Lutheranæ. 400. 768.

Angelos Custodes admittunt Lutherani. 504.

Anima evidenter existit post mortem hominis, & immortalis est. 25.

ἀνομία quando propriè & grave peccatum sit. 421. 432. 433.

Antichristus quid? 353. Papa non est Antichristus, bene tamen Sectarij in aliquo sensu. *ibid.* Antichristus si est in Ecclesia Romana, sequitur eam esse veram Christi Ecclesiam. 726.

Apologia Augustanæ Confessionis pugnat secum ipsa, & cum Lutheranis. 241.

Apostoli reliqui non fuerunt pares Petro potestate. 339.

Appellatum, sed malè, à Papa ad Concilium Generale. 383.

Articuli fidei malè à Sectarijs dividuntur in fundamentales substantiales vel necessarios, & in accidentales vel arbitrarios. 61. 68. 76. 78. Non sufficit credere substantiales tantùm. 63. an sufficiat credere articulos in Symbolo Apostolico contentos. 69. aliquos articulos moderna Ecclesia credit explicitè, quos antiqua solùm implicitè credidit. 72. 729.

Athei refelluntur. 16.

Attritio est actus honestus. 615.

Auctor malus Sectæ est nota falsæ Ecclesiæ. 227. Lutherus est auctor fidei Lutheranæ. 227.

Avenione in Gallijs diu sederunt Pontifices Romani. 347.

Augustana Confessio quid? 673. ubi, quando, & à quo compilata. 670. fuit nequiter facta. 672. 752. tolerari cœpta. 705. continet duplicis generis articulos. 671. qui ex Scriptura probari nequeunt. 761. Ejus textus authenticus. 772. doctrina il-

lius non est pura & sancta, nec Evangelica. 744. resuscitat errores antiquorum hæreticorum. 745. continet multa mendacia & calumnias adversùs Catholicos. 795. Improvidè statuit duas notas veræ Ecclesiæ, perpetuitatem nempe & visibilitatem. 711. Item improvidè fatetur, in Eucharistia adesse Corpus & Sanguinem Christi sine pane & vino, & quidem ante sumptionem. 751. Et testimonium fert pro veritate Ecclesiæ Catholicæ. 724. Originalis Latina discrepat à Germanica. 749. Utraque successu temporis multùm variata est & sæpe. *ibid.* Auctoritatem non obtinet à Luthero. 689. nec à Carolo V. 701. nec à Libro Concordiæ. 710. nec ab Ecclesia Lutherana tota. 715. nec ab Ecclesia Græca. 720. nec ab Ecclesia Latina Recentiore. 723. nec ab Antiquiore. 730. nec à doctrina, quam tradit. 744. nec à sua constantia. 749. nec à sua propagatione. 754. nec à S. Scriptura. 761. *vid.* Confessionistæ, Scriptura S.

Augustanum Edictum damnat Confessionem Augustanam. 701.

B.

Baptismus quid? 558. rectè confertur infantibus. 560. absolutè necessarius est vel in re, vel in voto. 560. verè tollit peccatum Originale. 436.

Basileense Concilium. 382.

Beatitudo hominis non consistit in voluptatibus corporis. 50.

Biblia. *vid.* Scriptura S.

Blasphemiæ Lutheri. 678. Lutheranorum. 259. 419.

Bona opera. *vid.* Opera.

C.

Calvinistæ refutantur plerumque ijsdem argumentis, quibus Lutherani, saltem generalibus à Scriptura & Ecclesia petitis. 7. 15. 766. specialibus. 561. 567. seqq. nihil omnino probare possunt ex Scripturis efficaciter 128. seq. 766.

Calumniæ Confessionis Augustanæ adversus Catholicos. 795.

Canon SS. Librorum Scripturæ. 90.

Caput visibile habere debet Christi Ecclesia. 247. 331. Protestantes, dum illud in Papa recusant, plurima sibi imponunt. 334. S. Petrus fuit primum Ecclesiæ caput Christi vicarium. 336. postea Pontifices Romani. 342. uti & Conciliorum. 380. Princeps autem politicus, aut Principes Ecclesiastici plures, non sunt caput Ecclesiæ. 335. 247.

Carolus V. jussit compilari Confessionem Augustanam. 670. sibi oblatam reprobavit. 701. Lutherum pro hæretico habuit, & ejus doctrinam. 697. vincit Lutheranos Smalcaldici fœderis. 703. non sine impudenti plagio dicitur vixisse & objisse juxta doctrinam Conf. August. 694. 697.

Castitas perpetua observari potest. 446. debet à Clericis constitutis in Ordinibus Majoribus. 654.

Catechumeni an sint membra Ecclesiæ. 143.

Ex Cathedra loqui quid sit? 386. ex Cathedra loquens Papa est infallibilis, etiam extra Concilium. 387.

Catholicismus quid? 290. 205. Est nota veræ Ecclesiæ. 292. non competit Synagogæ. 296. nec modò competit Judaismo aut Turcismo. 297. Vocem *Catholica* fraudulenter omittunt Lutherani in Symbolo Apostolico. 202. 293. 300.

Ceremoniæ rectè & utiliter adhibentur. 554. non possunt pro libitu à privatis mutari. 555.

Certitudo fidelium de salute an sit nota veræ Ecclesiæ? 321. 327. regulariter nemo potest esse certus metaphysicè de sua justitia & salute. 322. 479. 481.

Christiana, & non alia, est vera Religio. 41.

Christus est verus Deus. 42. verus Messias. 54.

Circulum vitiosum non faciunt Catholici, sed Sectarij. 89. 192.

Claves Ecclesiæ ubi sint mortuo Pontifice. 338. 384.

Cœlibatus est status perfectior Matrimonio. 653. ad eum quinam & quomodo obligentur ex Ministris Ecclesiæ. 654.

Communio sub utraque specie licita est. 590. 735. & hodie ab Ecclesia rectè præcepta. 593. pro ea testimonium fert ipse Lutherus & Lutherani. 736.

Concilium Generale vel Oecumenicum quid? 362. debet convocari & dirigi à Papa per se vel per vicarios. 363. utrumque tamen suppleri potest per subsequentem approbationem Papæ. 364. vocari debent omnes Episcopi diœcesim habentes. 364. Concilij formula habetur c. 15. in Actis. *ibid.* Quæ hucusque habita sint Concilia generalia, legitima & illegitima. 365. Concilium Tridentinum fuit generale legitimum. 376. 762. quid ipsi ineptè opponant Lutherani. 376. Concilium Generale legitimum in rebus fidei est infallibile. 374. nec unquam erravit. 378. habet potestatem ferendi Leges Universales. 375. ei tenentur obedire omnes Ecclesiæ particulares Jure Divino. 762. Quid respondendum ad ea, quæ nobis opponuntur ex Concilijs. 378. speciatim ex Pisano. 381. Constantiensi & Basileensi. 382. Series Conciliorum Generalium omnium. 366.

Concordia in doctrina est nota veræ Ecclesiæ. 235. non reperitur apud Lutheranos. 712. 238. seqq. formula seu liber Concordiæ. 242. 706. non tollit, sed auget discordias. 242. 708. rejicitur à multis Lutheranis. 707. defecit multùm à Confessione Augustana. 708. continet multos errores & mendacia. 709.

Concupiscentia quid? 436. per se non est peccatum. 422. 428. nec Originale quidem. 436.

Confessarius rectè injungit opera pœnalia. 632. verè remittit peccata absolvendo confitentes. 610.

Confessio Auricularis seu Sacramentalis quid? 619. debet fieri Sacerdoti. 620. 734. de omnibus peccatis mortalibus sufficienter cognitis. 622. Et quidem Jure Divino. 624.

Confessio Augustana. *vid.* Augustana Confessio.
Confessionistæ qui? 8. de facto vel nulli vel pauciſſimi ſunt. 751. 758. aliqua tamen nequiter retinent adhuc ex Confeſſione Auguſtana. 752. nihil omnino efficaciter probare poſſunt ex Scripturis. 766. 128. ſeq. *vid.* Lutherani.
Confirmatio eſt Sacramentum. 543. ejus materia & forma &c. 564.
Conjugium Sacerdotum. 737. *vid.* Cœlibatus.
Conſenſu Eccleſiæ non indiget Papa in decretis fidei. 390. neque in decretis morum. 394.
Conſequentiæ ex Scripturis deductæ nil juvant cauſam Adverſariorum. 119. 767.
Conſtantienſe Concilium. 382.
Contritio quid & quotuplex? 613.
Conventus ſeu Comitia Imperij. 14. propter Lutherum. 702.
Converſio Gentilium & Paganorum eſt nota veræ Eccleſiæ. 305. ad Eccleſiam Catholicam convertuntur multæ egregiæ & Principes perſonæ, non verò ad Lutheranam. 273. quare non plures convertantur Sectarij, cùm tamen habeant evidenter cauſam deteriorem. 11. 794.
Crucis ſignum. 556. Crux Chriſti eſt honoranda. 523. ſpectat ad Reliquias, cæteræ verò Cruces ad Imagines ſacras. 518.
Cultus, ſeu adoratio, quòd & quotuplex? 495. cultus Religioſus competit Sanctis. 498. reſpectivus Reliquijs ſacris. 419. & imaginibus, 526.

D.

Defunctis proſunt ſuffragia vivorum. 491. 485. etiam Indulgentiæ. 637.
Deiſtæ refutantur. 31.
Deus quid? 16. evidenter exiſtit. 17. unicus tantùm. 23. non poteſt decipere homines per inſtinctum univerſalem. 32. quomodo velit omnes homines ſalvos fieri. 78.
Dilectio Dei & Proximi quæ ſub præcepto. 421.
Diſcrimen ciborum. 424. inter articulos fundamentales & accidentales. 61. quale inter peccatores & injuſtos juxta Lutheranos. 141.
Diſpoſitio ad Juſtificationem eſt fides, ſed non ſola. 471.
Diſputandum cum hæreticis an & quomodo? 8. ſeqq.
Doctrina Chriſti miraculosè propagata. 43. 757. Lutheri & Lutheranorum nova. 227. 713. ſenſibus blanda. 755. 758. ſcelerata & peſſima. 259. 423. 682. 712. neutiquam Evangelica. 744. Doctrinæ unitas. 235. 235. & ſanctitas eſt nota veræ Eccleſiæ. 252. non verò doctrina Scripturæ S. 314. Doctrinæ hoc libro tradendæ ratio. 12. 14.
Dubitandum an ſemper ſit Catholicis de ſua juſtitia & ſalute. 329.

E.

Eccleſia quid? 133. 142. 150. quid juxta Lutheranos & Calviniſtas? 134. alia eſt Univerſalis, alia Particularis.

cularis. 133. non verò alia Invisibilis & alia visibilis. 134. 174. seqq. Ecclesiæ membra sunt etiam peccatores, injusti, reprobi. 136. seqq. 152. seqq. An etiam hæretici occulti, excommunicati, Catechumeni. 143. Ecclesia rectè comparatur Corpori vivo & quomodo. 136. 145. 155. seqq. An & quomodo sit supra Scripturam. 127. Si definiat per Prælatos, præcipuè per Papam, est os Dei nobis loquentis, & infallibilis Judex controversiarum fidei. 131. 374. 387. seqq. quomodo nunc credat & faciat aliqua, quæ olim non credidit vel fecit. 73. 214. 729. Est perpetua, nec unquam potest totaliter deficere. 165. 214. Necessariò est semper visibilis. 174. 714. & infallibilis in decretis fidei & morum. 185. Debet habere aliquas notas, per quas discernatur à falsis Sectis. 199. nimirum indefectibilitatem & perpetuitatem in doctrina Christi & Apostolorum. 214. successionem continuam Episcoporum in Cathedra Petri. 224. bonam & non vitiosam originem & auctorem. 232. unitatem doctrinæ. 235. unitatem Capitis & Judicis supremi. 247. sanctitatem doctrinæ. 257. sanctitatem morum saltem in aliquibus membris. 264. Miraculorum gloriam. 279. Debet esse Catholica nomine & re. 292. convertere Gentes. 305. Ecclesia vera debet esse unica. 35. 59. quænam sit illa. à p. 196. usq; ad 330. Controversia de Ecclesia est pugna Decretoria cum Hæreticis. 131. 184. *Vid.* etiam, Romana Ecclesia: Græca Ecclesia: Lutherana Ecclesia.

Edictum Wormatiense contra Lutherum. 697. Augustanum contra Confessionem Augustanam. 701.

Effectus Sacramentorum. 534.

Electio Romani Pontificis. 345. non fuit olim concessa Imperatori. 349. quid? si simul eligantur plures Pontifices, vel unus Simoniacè, aut violentè. 347.

Elementum quatenus sit materia Sacramentorum. 533.

Epicurei refutantur. 24.

Episcopi sunt majores Presbyteris Jure Divino etiam potestate jurisdictionis. 644. soli Episcopi vocare & legitimè ordinare possunt. 648. ac ferunt suffragium in Concilio generali 364. an auctoritate Divina? 384.

Evangelici nominari volunt Lutherani. Sed malè 7. 745. habent Evangelium corruptum. 683. nec eorum doctrina est Evangelica. 744. probare nequeunt, doctrinam suam esse magis Evangelicam, quàm sit Calvinistarum &c. 746. Evangelium Lutheranum excitavit turbas & seditiones. 756. *vid.* Lutherani: Lutherana Ecclesia: Lutheranismus: Confessionistæ.

Evchariſtia Sacramentum & Sacrificium est. 566. in ea Christus totus verè est præsens. 567. sed sine substantia panis & vini. 571. 751. etiam extra usum seu sumptionem actualem. 579. 752. Rectè asservatur, adoratur, & circumgestatur in Processionibus. 581. *vid.* Utraque species.

Excommunicati an sint membra Ecclesiæ. 143.

Exempti sunt Ministri Ecclesiæ à Jurisdictione Sæculari. 745.

Exorcismi rectè adhibentur in collatione Baptismi &c. 555.
Extrema Unctio est Sacramentum. 545. Ejus materia, effectus &c. 564.

F.

FAlsatio S. Scripturæ apud Sectarios. 260. apud Lutherum. 468. 683.
Festa possunt institui ab Ecclesia. 424.
Fides Divina quid? 2. 4. ejus objectum. 3. fidei resolutio ultima. 400. 768. fides specialis quid? 470. non est illa, quæ requiritur ad justificationem. 474. sola fides non justificat. 471. 762. fides non est pars pœnitentiæ, quamvis requiratur. 617. infantes, dum baptizantur, non eliciunt actum fidei. 560. præcipuum dogma apud Sectarios est fides sola justificans. 731. non fundatur in Scripturis. 762.
Fiducia an in bonis operibus ponenda, & quomodo. 269. item in meritis. 460. quomodo in Sanctis. 514.
Finis hominis non consistit in voluptatibus corporis. 50.
Fœmina nunquam obtinuit Pontificatum. 352.
Fraudes Prædicantium. 260. 501. 712. 752.
Fundamentum Ecclesiæ quomodo dicantur omnes Apostoli. 339.

G.

GEntilium conversio est nota veræ Ecclesiæ. 305. non reperitur apud Sectarios. 307. bene tamen apud Catholicos. 310. 757.
Germanica Biblia an legi prohibita. 101. Germanici idiotismi probant antiquitatem Ecclesiæ Romanæ. 215.
Gloria Dei an sit nota veræ Ecclesiæ. 320. eam non spectat Lutheranismus. 322. nec spectavit Lutherus. 689.
Gloriatio qualis excludi debeat in justificatione & operibus. 476.
Græca Ecclesia facta est Schismatica. 719. Nihilominus ejus communionem expetierunt Lutherani. 720. sed cum magno suo dedecore. 720. Græci Sacerdotes quomodo obligentur ad cœlibatum. 655.
Gratia habitualis seu sanctificans. 411 641. prima non cadit sub meritum. 452. causatur à Sacramentis. 534. 551. in ea consistit justitia formalis. 464. Gratia sufficiens & efficax. 411. Sufficientem habent omnes. 412. Efficax conciliatur cum libertate. 414.
S. Gregorius Magnus quo sensu titulum *Universalis* Episcopi improbaverit, & Imperatorem vocaverit suum Dominum. 350. seq.

H.

HÆreditas, & merces simul, est vita æterna in adultis. 456.
Hæresis quid? 2. 4. 667. hæreses antiquas amplectitur Lutheranismus. 745.
Hæretici quinam dicantur. 4. juxta Carpzovium Lutheranum. 729. jam olim provocârunt ad solam Scripturam, ut modò Lutherani & Calvinistæ. 760. quinam dicantur formales, qui materiales. 5. an & quomodo disputandum cum ipsis. 8. hæretici occulti an sint membra Ecclesiæ. 143. inter Catholicos & ipsos compositionem fieri in negotio Religionis desperatum est. 80. antiquorum hæreticorum errores suscitavit Augustana Confessio. 745.

Horallector fallit & fallitur. 477. quid de hoc larvato Scriptore sentiendum, 478.
Hussi vaticinium. 759.

I.

Jägerus Cancellarius Tubingensis impingit. 477. quid de eo sentiendum. 478.
Idololatræ refutantur. 22. convertuntur ad Ecclesiam Christi veram. 305. 323. Idololatria non est colere Sanctos. 501. aut invocare. 512. aut imagines colere. 528. aut Eucharistiam adorare. 581.
Jejunia ab Ecclesia rectè præcipiuntur. 424. 739.
Imago sacra quid? 523. imagines SS. rectè fiunt & ponuntur in templis. 525. cultúque religioso, respectivo tamen, coluntur. 526.
Immortalitas animæ rationalis demonstratur. 25.
Impedimenta Matrimonij dirimentia statuere potest Ecclesia. 659.
Imperatores quidam malè deposuerunt Pontifices Romanos. 349. ac perperam sibi arrogârunt jus confirmandi electionem Papæ per viam jurisdictionis, vel aliam potestatem in eundem. 349.
Imputari debet peccatum, ubi est. 269. 487. seq. 431. non potest imputari uni & non alteri, si adsit. 431. imputatio justitiæ Christi (aut non-imputatio peccati) non facit hominem formaliter justum. 466. 469.
Indifferentismus quid & quotuplex? 36. laxior rejicitur. *ibid.* & strictior. 59. seqq. Indifferentistæ. 60.
Indulgentiæ quid? 636. quid de ijs Lutherani. 635. fuerunt occasio Schismatis Lutherani. 695. quotuplices sint. 650. concedi possunt à Papa principaliter. 638. etiam pro defunctis per modum suffragij. *ibid.* quid hoc sit. 639.
Infallibilis Ecclesia. 185. infallibilis Papa. 387. seqq.
Intentio requiritur ad valorem Sacramentorum. 534.
Interim dictus libellus. 704. 705. per ejus acceptationem à Protestantibus plerisque factam rejecta est Augustana Confessio. 704.
Invisibilis Ecclesia exploditur. 174. 210. seqq. 714. seqq.
Invocatio Sanctorum. 739. *vid.* Sancti.
Iter Polemicum. 14.
Judaismus refutatur. 53. Judæorum error præcipuus. *ibid.* eorum status miserrimus & pœna talionis. 56.
Judex supremus & legitimus controversiarũ fidei debet esse in vera Ecclesia. 247. 386. quas dotes habere debeat. *ibid.*
Justificatio quid? 427. 462. non fit per solam fidem. 471. 731. 762. nec per fidem specialem. 474 Justificationis sunt variæ causæ. 462. causa formalis non est mera remissio peccatorum, aut justitia Christi imputata. 464. sed justitia intrinsecè inhærens, seu gratia sanctificans. 466.
Justitia semel acquisita amittitur per peccatum mortale. 466. de ea nemo potest esse certus metaphysicè. 479. nec de salute æterna. 481.
Justus potest crescere in sua justitia per bona

bona opera. 469. & hoc augmentum mereri de condigno, utì & vitam æternam. 453. ac de condigno satisfacere pro pœna temporali. 631. 733.

L.

LAtro an per fidem in solum Christum salvatus. 70.

Lectio Bibliorum an & quibus prohibita. 101.

Lex Ceremonialis, Judicialis, & Moralis. 416. Legem Divinam Moralem observare potest etiam Infidelis & peccator. 418. Leges Catholicorum non sunt plurimæ & difficillimæ. 393. Universales pro tota Ecclesia ferre potest Concilium Generale. 375. & solus etiam Papa. 387. Decisiones in rebus fidei non sunt Leges humanæ. 393.

Liber Concordiæ. 706. continet errores & mendacia. 709. est nova Lutheranis discordiarum causa. 242. 708. defecit multùm à Confessione Augustana. *ibid.* Libellus *Interim*. 704. 705.

Libri Canonici & Apocryphi. 90. seqq. eos discernere nequeunt Sectarij. 92. quo idiomate originaliter scripti Libri Scripturæ. 95. *vid.* Scriptura S.

Libertas quid & quotuplex? 405. quid de illa sentiant Lutherani. 405. quid Catholici. 407.

Libertini refutantur. 36. 61.

M. Lomer Præco Augustanus. 416. 485. 497. 502. 516. &c. præsertim 504. terribiliter impingit. 326. quas notas ipse assignet veræ Ecclesiæ. 314. refutatur. 320. seqq.

Lumen tam rationis quàm fidei dirigit homines ad salutem. 35.

Lutherana Ecclesia (utì & aliorum Sectariorum) evidenter est falsa Secta. 193. 207. 222. 227. 238. 249. 258. 266. 282. 298. 307. seqq. 712. seqq. puippe non habet continuam successionem Episcoporum. 222. non est concors in doctrina. 238. non fuit semper à temporibus Apostolorum. 207. 227. 713. non habet caput visibile & supremum Judicem. 249. non habet sanctitatem doctrinæ. 258. 682. non sanctos homines. 266. nulla miracula. 282. non est Catholica seu diffusa per totum Orbem. 298. non potest convertere gentiles. 307. non spectat gloriam Dei in omnibus dogmatis. 321. Habet contra malam originem. 229. & pessimum auctorem. 227. 676. ac suos decipit, dum certos de justitia & salute asserit. 322. nequaquam tenet viam securissimam. 325. frustra quæsivit communionem cum Ecclesia Græca. 720. *vid.* Lutheranismus.

Lutherani principaliter impugnantur in hoc libro, Calviniste autem & reliqui Sectarij concomitanter. 7. 15. quomodo impugnentur efficacissimè. 9. seqq. 82. 131. 769. malè se vocitant Evangelicos. 745. probare nequeunt, se purius habere Evangelium, quàm habeant Calvinistæ. 746. aut certiorē vocationē Divinam. 650. imò in suis principijs nullum prorsus articulum fidei efficaciter probare possunt. 128. seq. 766. appellârunt ad Concilium. 762.

Lutheranismi origo. 695. non est miraculosè propagatus. 754. sed potiùs vi & armis. 705. 754. proponit doctri-

nam

nam novam, & antiquis sæculis inauditam. 207. 227. 713. amplectitur antiquas hæreses. 745. tradit pessimam doctrinam, quæ viam sternit sceleribus. 259. 267. 423. 687. 712. *vid.* Lutherana Ecclesia.

Lutherus autor Lutheranæ Ecclesiæ. 227. 695. protoparens Augustanæ Confessionis. 675. fuit sceleratissimus. 676. 697. seqq. sacrilegus votorum violator. 677. blasphemus in Deum & Sanctos. 678. scurra obscœnus & trivialis. 679. superbus thraso. 680. enormiter maledicus. 681. doctrinam tradidit pessimam. 682. 423. corrupit Scripturam S. 468. 683. & symbolum Apostolicum. 293. 683. sæpe mentitus & mendacij convictus est. 684. sæpissime sibi contradixit. 685. ineptè excusatur, dum dicitur fuisse successivè illuminatus. 692. fuit familiaris diabolo, & ejus discipulus. 687. talia docuit, quæ viam sternunt sceleribus. 687. non fuit legitimè vocatus ad taliter docendum. 649. 690. habuit scrupulos. 691. 713. cantat polinodiam. 697. testimonium fert pro veritate Ecclesiæ Romanæ. 725. pro communione sub una specie. 736. extinguitur. 703. non est contra Pacem Religionis turpem Lutheri vitam & doctrinam proponere. 693.

M.

Magistratus Politicus non est caput Ecclesiæ. 335. nec legitimus controversiarum fidei judex. 251.

Mahumetes quis? 49. Mahumetanismus refutatur. *ibid.* seqq.

Mandata Dei perfectè sunt observabilia. 418. nullum exstat de sumenda utraque specie. 596.

MARIA defensa. 515.

Materia & forma Sacramentorum. 532. 549.

Matrimonium quid? 658. est Sacramentum. 547. Clericis Majoribus prohibitum. 654. insolubile inter Christianos, si sit consummatum. 659. est status imperfectior Cælibatu. 653.

Mauritius Elector Saxoniæ Carolo Cæsari rebellis extorquet Pacem religionis politicam Passavij. 705.

Mediator noster quomodo Christus, & quomodo Sancti. 512. 709.

Melanchthon compilator Augustanæ Confessionis. 670.

Membra Ecclesiæ sunt etiam peccatores & reprobi. 136. 152.

Mendacia Prædicantium. 260. 501. 712. Augustanæ Confessionis. 744.

Merces justorum est vita æterna. 453. Mercedis intuitu operari licet. 461.

Merita Christi sunt infiniti valoris, quomodo. 489. merita Sanctorum quomodo nobis prosint. 503. meritum de condigno & congruo. 451. meremur de condigno vitam æternam. 453.

Messias quid? 54. Christus est verus Messias. *ibid.* seqq.

Ministri Ecclesiæ debent legitimè vocari. 648. aliqui debent esse cælibes. 654. sunt exempti à jurisdictione sæculari. 745.

Miraculum quid? 276. quomodo verum miraculum discernendum à falso. 47. 277. 288. miracula sunt ne-

ceſſaria, & nota veræ Eccleſiæ. 278. plurima, & maxima edidit Chriſtus tum per ſe tum per ſuos diſcipulos. 45. 54. 55. & ſemper facta ſunt in Eccleſia Romano-Catholica. 284. nullum unquam in Lutherana. 282. nec ejus propogatio fuit miraculoſa. 754. ſed potiùs Eccleſiæ Romanæ ſub idem tempus facta per Indias. 757.

Miſſa eſt Sacrificium propriè dictum. 600. & quidem propitiatorium. 604. Impetratorium. 605. Et ſatisfactorium, etiam pro defunctis. 604. Miſſa privata eſt retinenda. 605. non celebranda tamen in lingua vulgari. 606.

Modus convincendi hæreticos & Sectarios noſtri temporis varius & efficax. 10. 11. 769. reſpondendi ad objecta ex Patribus. 146. & ex Concilijs deſumpta. 378.

Mortificationum opera rectè ſuſcipiuntur ſponte. 445. 632.

Motiva credibilitatis pro Divinitate Chriſti. 42. ſeqq. pro veritate Eccleſiæ. *vid.* Nota Eccleſiæ.

N.

Nota Eccleſiæ veræ quid & quotuplex? 197. 711. debet vera Eccleſia habere notas diſtinctivas à falſis Sectis. 199. referuntur inſigniores. 198. ſeq. 723. Unitas, ſanctitas, univerſalitas, & antiquitas Eccleſiæ etiam ab Adverſarijs debent admitti pro notis veræ Eccleſiæ. 200. 711. ſpecialiter antiquitas doctrinæ. 204. ſucceſſio continua Epiſcoporum in Cathedra Petri. 220. unitas in doctrina. 235. unitas capitis & Judicis ſupremi. 247. ſanctitas doctrinæ, 257. & morum. 264. miracula. 278. Catholiciſmus ſeu diffuſio per totum Orbem. 292. converſio Gentilium. 305. Quas notas adſtruant Lutherani. 314. 711. rejiciuntur. 314. 321. ſeqq.

Nova eſt doctrina Lutheranorum 207. 227. 713.

O.

Obedientiam præſtare tenentur Jure Divino omnes Eccleſiæ particulares Concilio Generali. 762.

Objectum fidei Divinæ. 3. Theologiæ Polemicæ. 6.

Obſervationes in Auguſtanam Confeſſionem. 792.

Opera moraliter bona quid? 440. opera ſupernaturaliter, & perfectè bona dantur. 441. etiam ſupererogatoria. 443. ſi non ſint bona, non poſſunt imputari ut bona. 268. præter fidem requiruntur opera bona ad juſtificationem. 471. & quidem ut cauſa. *ibid.* 765. ſunt neceſſaria ad ſalutem. 489. meritoria vitæ æternæ. 454. habent vim merendi & ſatisfaciendi. 636. opera pœnalia rectè injunguntur, & aſſumuntur etiam ſponte ad ſatisfaciendum pro pœnis temporalibus. 632. etiam utiliter pro defunctis. 491.

Opus operatum & opus operantis quid? 535.

Ordo doctrinæ proponitur. 12.

Ordo quando Sacramentum ſit. 546. ejus materia & forma. 643. quid ſit paſſivè ſumptus. 642.

Originale peccatum. 434. ſeqq.

Origo Lutheraniſmi. 655. 727. Proteſtantium. 70.

P.

PAgani confutantur. 42. eorum conversio est nota vera Ecclesiæ. 305. non reperitur apud Sectarios. 307. bene tamen apud Catholicos. 310.

Panis & vinum non manent post Consecrationem. 571.

Papa. *vid.* Pontifex.

Papissa fœmina exploditur. 352.

Papistæ quo sensu vocari possint Catholici. 304. 747.

Patres antiqui sunt optimi testes, quid antiqua Ecclesia crediderit. 730. vilipensi à Luthero. 679. quomodo respondendum ad ea, in quibus videntur adversari. 146.

Passavienſis pax Religionis. 705.

S. Paulus dissentit S. Barnabæ & resistit S. Petro. 71. non fuit par S. Petro auctoritate & potestate. *ibid.* quo sensu appellaverit ad Cæsarem. 349.

Pax politica religionis extorta Passavij. 705. 693. quomodo pax desperata inter Catholicos & Protestantes. 80.

Peccator nihil potest mereri de condigno. 453. potest esse membrum Ecclesiæ. 136. 152. seqq.

Peccatum quid? 427. mortale & veniale apud Lutheranos. 428. datur veniale ex natura sua. 430. ubi est, imputatur. 269. 431. 437. Originale quid? 435. non consistit in concupiscentia. 436. verè tollitur per Baptismum. 436. uti & Personale per Pœnitentiam. 610. peccato mortali amittitur justitia. 466. peccata venialia quomodo vitari possint omnia & singula. 417. 420.

Peregrinationes ad pia loca laudabiliter instituuntur. 445.

S. Petrus fuit caput Ecclesiæ à Christo constitutum. 336. 339. obtinuit Primatum inter Apostolos. *ibid.* quomodo gesserit personam Ecclesiæ & Apostolorum, dum audijt: *super te ædificabo Ecclesiam meam, pasce oves meas, quodcunque ligaveris &c.* 338. 381. 395. objurgatur à S. Paulo. 339. Successores in Primatu & Pontificatu summo habuit. 341. & quidem Romanos Pontifices. 342. Ipse fuit Romæ Episcopus, ibique occisus. 346. fixit sedem Romæ. 342.

Philosophi naturales refelluntur. 31.

Pisanum Concilium. 382.

Pœna temporalis remanet sæpe dimissâ culpâ. 489. 630. pro ea satisfacit justus. 631. opera pœnalia exercens. 632.

Pœnitentia est Sacramentum. 544. requirit tres actus pœnitentis, contritionem, confessionem, & satisfactionem. 617.

Polythei refutantur. 22.

Pontifex Romanus est caput Ecclesiæ, Christi vicarium. 342. & successor D. Petri. *ibid.* quamvis aliqui resederint Avenione. 335. & erit deinceps. 344. quomodo eligendus. 345. exercuit semper potestatem in alios Episcopos. 343. non obest ipsius Primatui opulentia & pompa. 348. nec ipsa scelera. *ibid.* 692. pauci fuerunt scelerati, hæreticus nullus. 348. malè quidam fuerunt depositi ab Imperatoribus. 349. falsò accusantur scelerum. 354. etiam scelerati fuere meliores, quam apud Adversarios

sarios optimi. 348 non est Antichristus. 353. est supra Concilium Generale. 379. an possit contradicere omnibus Concilij Patribus. 377. Etiam extra Concilium Generale est legitimus controversiarum fidei Judex. 391. & potestatem habet ferendi leges universales, ac infallibilis est, si loquitur ex Cathedra. 387. quàm certa hæc sint. 391. jure non fuit appellatum ab ipso ad Concilium Generale futurum. 383. nunquam erravit in definiendo, nec unus contradixit alteri in definitionibus fidei. 363. seqq. Pontificum series. 356. seqq. quas singuli mereantur notas. *ibid.* quot fuerint sancti. 360. quot Germani. *ibid.* intrusi, simoniaci, aut plures simul si sint, quid importet. 347.

Potestas ferendi leges universales in Concilio Generali. 375. & in Papa solo. 387. Potestas Ecclesiastica defenditur. 741. *vid.* Pontifex.

Præcepta Ecclesiæ obligant in conscientia. 423. Divina sunt observabilia. 418.

Præcones Lutherani &c. non sunt legitimè vocati. 651. eorum mendacia. 260. 501. 712.

Prædicatio Verbi Divini non est nota veræ Ecclesiæ. 207. 314.

Preces, opera &c. non sunt Sacrificia propriè dicta. 603.

Presbyteri non sunt æquales Episcopis. 644.

Primatus Petri ostenditur. 336.

Princeps Politicus non potest esse caput Ecclesiæ. 335. nec habere potestatem in Pontificem. 349.

Principium hoc falsum est: *nihil credendum vel faciendum, nisi in Scripturis expressum, vel indè deductum sit clarè & particulatim.* 119. 767.

In Processionibus rectè circumgestatur Eucharistia. 581.

Propagatio Lutheranismi non fuit miraculosa. 754. nec potuit esse. 758. imò nulla vel perexigua fuit. *ibid.* Potiùs propagatio Ecclesiæ Romanæ sub tempora Lutheri fuit miraculosa. 757.

Protestantes qui? 7. eorum origo. 703. appellârunt ad Concilium. 762. nihil omnino efficaciter probare possunt ex Scripturis. 128. 766. *vid.* Scriptura S.

Pugna Decretoria est in materia de Ecclesia. 131.

Purgatorium quid? 483. existit. 484.

R.

Reatus pœnæ temporalis remanet sæpe post culpam dimissam. 489. 630. an distinguatur à reatu culpæ. 633.

Reflexiones in Augustanam Confessionem. 792.

Reformati qui? 7.

Reformationis Lutheranæ opus non fuit miraculosum. 754.

Regimen Ecclesiæ est Monarchicum. 332. fuit penes S. Petrum. 336. & postea semper penes Romanos Pontifices. 342. & semper erit. 344.

Religio quid & quotuplex? & quomodo differat ab Ecclesia. 30. aliqua liberè à Deo revelata existit. 31. sed unica tantùm vera. 36. 59. non autem alia, nisi quæ Christum agnoscit. 41.

Reliquiæ sacræ quid? 418. venerandæ cultu religioso, respectivo tamen. 419.

M. Renzius Præco Augustanus expeditur. 149. seqq.
Resolutio ultima fidei Catholicorum & Lutheranorum. 400. 768.
Romana Ecclesia idem est ac Ecclesia Catholica. 193. ipsa sola est vera, quia evidenter sola habet notas veræ Ecclesiæ. 196. 213. 224. 232. 244. 252. 263. 271. 284. 300. 310. siquidem est concors in doctrina: 244. habet unum caput visibile, & Judicem supremum. 252. sanctitatem doctrinæ. 263. sanctos homines 272. scelerata membra ipsi non obsunt. 275. habet miracula. 284. est Catholica seu diffusa per totum Orbem, & quo sensu. 301. convertit Gentiles & Paganos. 310. & ideo longè præferenda alijs sectis omnibus. 313. est universalis. 191. infallibilis. 189. indefectibilis & perpetua. 165. semper visibilis. 174. & infallibilis. 189. fuit vera primis sex sæculis juxta Gerardum. 312. quousque juxta alios Sectarios. 376. 729. quousque juxta M. Lomer. 171. fuit adhuc vera tempore Lutheri. 723. vel ipso Luthero teste. 725. & Confessione Augustana. 724. Hoc ipso, quòd aliquando fuerit vera, semper debet esse, & erit vera. 164. seqq. 187. 727. *vid.* Ecclesia.
Romæ fixit sedem S. Petrus, primus Papa. 342.
Romanus Pontifex. *vid.* Pontifex.

S.

Sacerdotes non sunt æquales Episcopis. 644. non omnes baptizati sunt hoc ipso sacerdotes. 643. Lutherani non habent Sacerdotes. 651. 643. Catholicorum sunt exempti à jurisdictione sæculari. 745.
Sacramentum quid? 536. ad ejus valorem requiritur intentio Ministri. 534. non verò elementum propriè dictum. 533. 545. Sacramenta sunt septem. 540. 542. non necessariò probanda sunt ex Scripturis. 540. causant gratiam Sanctificantem ex opere operato. 334. 551. quando singula sint instituta. 553. non rectè vocantur sigilla. 536. Sacramentorum administratio non est nota veræ Ecclesiæ. 316.
Sacramentum Evchariſtiæ totum est in una specie. 590. *vid.* Evchariſtia.
Sacramentalia quid? 553. quomodo conducant ad delenda peccata. 554.
Sacramentaliter esse præsentem & sumi Christum explicare nequeunt Lutherani. 572. 590. 598.
Sacrificium propriè dictum quid & quotuplex? 599. propriè dictum est Missa. 600. non verò preces, & alia opera bona. 603.
Sæculis sex primis Romana Ecclesia fuit vera juxta Gerardum. 312. *vid.* Romana Ecclasia. Eadem singulis sæculis convertit Gentiles. 310. & sanctos habuit, præsertim tempore Lutheri. 272. atque miracula patravit. 284.
Salus æterna nulli certa est certitudine metaphysica. 481.
Sancta semper debet esse Ecclesia, & ideo Romana est vera. 727. 187.
Sancti semper fuerunt aliqui in Ecclesia Romana. 272. licitè coluntur religiosè. 498. & rectè invocantur. 507.

R. P. Pistler Theol. Polemica.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quomodo invocentur. 503. 518. sciunt preces & necessitates nostras, 505. 516.
Satisfactio quid ? 629. satisfactoria opera sunt, quæ peraguntur à justis, 629. 631. 733. rectè assumuntur sponte. 632. 445. Satisfactio Christi quomodo infiniti valoris. 489. 634.
Saxo Elector, *Fridericus* Lutheri primus fautor. 696. *Joannes* præcipuus promotor Augustanæ Confessionis Catholicè objt. 670. *Joannes Fridericus* captus à Carolo V. circumducitur. 703. *Mauritius* Cæsari rebellis extorsit Pacem Passaviensem. 704. *Augustus* promovit librum Concordiæ. 707.
Scelera Pontificis non obsunt ejus infallibilitati & potestati supremæ. 348. 692. nec scelera quorundam fidelium Sanctitati Ecclesiæ. 275. scelerati Pontifices fuere pauci. 348. qui tamen & ipsi fuere meliores, quàm qui apud Sectarios habentur pro optimis, *ibid.* Sceleribus viam sternit Lutheranismus. 259. 267. 423. 687. 712.
Schisma, seu plures Papæ simul. 347. 382. Schisma Græcorum. 719.
Scriptura S. quid ? 85. quibus contineatur libris. 90. quo idiomate originaliter conscripta. 95. quæ ejus authentica versio. 95. 99. non est in omnibus clara, etiam pijs. 104. neque se ipsam clarè explicat alibi. 105. ejus sensus potest esse varius. 102. ejus lectio quando & quibus prohibita. 101. eam minimè vilipendunt Catholici. 123. non est notior quàm Ecclesia. 318. non favet articulis Augustanæ Confessionis. 761. ex ea enim nullum illius articulum, imò nihil omnino efficaciter probare possunt Lutherani. *ibid.* 766. Qui tamen (uti & Calviniſtæ, & antiqui hæretici) ad solam Scripturam provocant. 760. quamvis in nulla alia materia certiùs, solidiùs, & evidentiùs devincantur, quàm in materia de Scriptura S. 10. 82. quippe cujus existentiam, quæ per se non est evidens, probare nequeunt in suis principijs. 85. neque Canonem illius. 92. neque Versionem authenticam. 97. & puram. 98. neque Sensum illius legitimum. 106. 766. Econtra Catholici Scripturæ existentiam, canonem, versionem, puritatem, sensum genuinum facilè & optimè probant ex Traditione, & auctoritate Ecclesiæ. 120.
Scrupulos habuit Lutherus. 691. 713.
Secta non quælibet ducit ad salutem. 36. 62.
Sectarij qui vocentur. 4. solidissimè debellantur in materia de Scriptura. 10. 82. 769. uti & de Ecclesia. 131.
Sede Pontificia vacante penes quem sint claves Ecclesiæ, & potestas vicaria Christi. 384. 396.
Seditiones & turbas excitavit Evangelium Lutheranum. 756.
Sensus Scripturæ varius. 102. legitimũ in suis principijs probare nequeunt Sectarij. 106. bene autem Catholici. 120.
Signa Ecclesiæ veræ. *vid.* Nota.
Sleidanus malæ fidei Historicus. 691.
Smalcaldicum fœdus. 703.
Sola fides justificans præcipuum dogma apud Lutheranos & Calvinistas.

731. non fundatur in Scripturis. 762.
solam dolosè intrusit textui Lutheru s. 468. 683.
Solatium morientibus datum an sit nota veræ Ecclesiæ. 321.
Species Evcharisticæ an & quomodo adorandæ. 582. an sumenda utraque. *vid.* Communio.
Spiritus privatus, seu internus, exagitatur. 86. 107.
Styli ratio exponitur. 14.
Successio Episcoporum continua est nota veræ Ecclesiæ. 220. Romanorum Pontificum an sit aliquando interrupta. 224. an incerta. 225. 347. apud Sectarios non reperitur. 222.
Successores in Pontificatu aliquos habere debuit S. Petrus. 341. ij fuerunt hucusque semper Romani Episcopi. 342. qui probabiliùs jure Divino successerunt, & semper succedent. 344.
Suffragijs vivorum possunt juvari defuncti. 485. 491. quid sit *per modum Suffragij*. 637.
Supererogatoria opera dantur. 443.
Syllogismus Sectarijs gulam frangens. 128.
Symbolum fidei quid? 673. debet esse infallibile, quale tamen non est Augustana Confessio. *ibid.* 715.
Synagoga non fuit Catholica. 296.
Syncretistæ qui? 60.

T.

THalmud liber Judaismi. 53.
Terrores conscientiæ incussi à Lege non sunt pars pœnitentiæ. 616.
Tezelius constituitur ad prædicandas Indulgentias Bullæ Cruciatæ cum offensa Staupitij. 696.
Thesaurus Ecclesiæ quid? 636.
Timor servilis, & serviliter servilis quid? 613.
Traditio quid & quotuplex? 112. Divina & Apostolica sunt ejusdem auctoritatis cum SS. Litteris. 114. admittendæ necessariò tam doctrinales quàm morales. 114. atque de ijs certò constare debet. 118. per Traditionem optimè probatur existentia, canon, versio puritas, sensus genuinus Scripturæ. 121.
Transsubstantiatio panis & vini in Evcharistia. 571.
Tridentinum Concilium fuit Universale. 376. 762. quid illi ineptè opponant Lutherani. 376.
Turcarum Secta quæ & qualis? 49. refutatur. 50.

V.

VAticinia de Christo impleta. 47. 54. de Judæis. 55. non sunt criterium sufficiens ad discernendam Scripturam. 327. Vaticinium Hussi. 759.
Ubiquitas Humanitatis Christi asseritur in libro Concordiæ. 708. Illa, & simul Ubiquistæ impugnantur. 584. seqq.
Verbum Dei scriptum. *vid.* Scriptura. Non-scriptum. *vid.* Traditio.
Versio Bibliorum. 95. suam esse legitimam probare nequeunt Lutherani. 97.
Via securissima an sit nota veræ Ecclesiæ. 321. 325. 327.
Vita altera post hanc demonstratur. 24.
Universalis Ecclesia. 133. 191. 290. Universalis Episcopi titulus cui debeatur. 351.

Unio inter Catholicos & Protestantes in negotio fidei desperata. 80.
Unitas in doctorina est nota veræ Ecclesiæ. 325. uti & unitas Capitis. 247. utraque datur in Ecclesia Romana. 244. 252. neutra in Lutherana. 238. 249.
Vocationem non habuit legitimam Lutherus. 649. neque Sectarij moderni 651.
Vota laudabiliter fiunt. 444. etiam de rebus non præceptis, & vota religiosa. 445. possunt & debent servari. 677. etiam votum Castitatis. 656. quod rectè annexum est Ordinibus sacris, 654.
Utraque species in sumptione Eucharistiæ non est præcepta à Christo. 590. rectè præcipit Ecclesia unam speciem. 593. approbante Luthero ipso, & Lutheranis. 736.
Vulgares editiones Bibliorum. 96. quibus eas legere liceat. 101.
Vulgata editio Bibliorum. 95. sola est hodie Authentica. 99.

Z

Zwingliani ijdem argumentis generalibus impugnantur ac Lutherani. 7. 15. 766. specialibus. 560. 567. seqq. nihil possunt probare ex Scripturis. 128. 766.


FINIS.

Per incuriam omissa sic restitue.

Pag. 649. post verba, *Episcopum à non*, adde: Episcopo, aut presbyteros. pag. 656. post verba, *cœlebs nulli*, adde: impossibilis est, quia tamen aliquibus valde. pag. 746. post litteram s. adde. 699. Alios typi errores facilè corriget prudens Lector.




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN